PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IUS CANONICUM

AUCTORE

P. FRANCISCO XAV. WERNZ S. I.

AD

CODICIS NORMAM EXACTUM

OPERA

P. PETRI VIDAL S. I.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSORIS

TOMUS IV

DE REBUS

VOL. I.

Sacramenta - Sacramentalia - Cultus divinus
Coemeteria et Sepultura ecclesiastica

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
in Piazza della Pilotta

1934

IMPRIMI POTEST

P. RAPHAEL BITETTI S. I.
Praepositus Prov. Romanae

Romae, die 21 Iunii 1934

IMPRIMATUR

† AUGUSTINUS MANCINELLI
Episcopus Aquinaten., Soran et Pontiscurvi.

Sorae, die 28 Iunii 1934

SOCIETÀ TIPOGRAFICA A. MACIOCE & PISANI — ISOLA DEL LIRI

PRAEFATIO

Materia tomi III desiderati A. R. P. Wernz, quae quoad substantiam explanatur hoc tomo IV, in expositione Iuris Decretalium a praeclaro canonista fuerat subsumpta sub generali titulo " Ius administrationis Ecclesiae catholicae ", quod praesupponit Ius Constitutionis eiusdem Ecclesiae positiva divina ordinatione institutae. Quo vocabulo administrationis ipsi quoque Romani Pontifices utuntur, dum, in constituendis Episcopis, administrationem in spiritualibus et temporalibus alicuius dioecesis ipsis committunt.

Consistit autem illa administratio in exercitio potestatis magisterii et regiminis ecclesiastici atque potestatis liturgicae (de cultu divino) et sacramentalis (de sacramentis et sacramentalibus). Quae vero pertinent ad officia et beneficia ecclesiastica et magis directe respiciunt reginem ecclesiasticum iam in praecedentibus tomis II et III « De personis » sunt praeoccupata. Huic ergo reservantur quaestiones de sacramentis et sacramentalibus, de cultu divino et cum hoc connexa quaestione de ecclesiastica fidelium sepultura; insuper quaestiones universae de exercitio magisterii ecclesiastici et de bonorum temporalium administratione. Quare in hunc tomum transferenda fuerunt quae de sacramento ordinis in praecedentibus editionibus posita fuerant sub Iure Constitutionis Ecclesiae, ut ordinis in Codice adhibiti ratio haberetur.

Inde prodit et benevolo lectori traditur iamdiu desideratus hic tomus IV, quem, ut in cognoscendo ecclesiastico iure non scholaribus tantum sed aliis quoque sacrae iurisprudentiae studiosis plurimum iuvamen afferat, vehementer exoptamus.

E Pontificia Universitate Gregoriana,
in festo S. Roberti Bellarmino, 13 Maii 1934.

PETRUS VIDAL S. I.

INDEX ANALYTICUS

PARS SECUNDA

De administratione cultus divini

PARS TERTIA

PROOEMIUM

I. - Connexio materiae tractandae

1. Postquam Codex libro II agit *de personis* sive physicis sive moralibus quibus constituitur et regitur Ecclesia, librum III inscribit *de rebus*, quibus Ecclesia utitur in explicanda sua duplici potestate ordinis et iurisdictionis in recta administratione seu regimine fidelium; sub quo nomine *rerum* canone 726 dicuntur comprehendi omnia media quibus Ecclesia utitur ad suum finem consequendum. Ambitus autem significationis vocabuli, illo generali modo declaratus, clarius intelligitur per ipsam partitionem libri III in *sex partes*, in quibus agitur: De sacramentis et sacramentalibus — De locis et temporibus sacris — De cultu divino — De magisterio ecclesiastico — De beneficiis et aliis institutis non collegialibus — De bonis Ecclesiae temporalibus (1).

Illis materiis continetur ius de regimine Ecclesiae, quo universa actio socialis populi christiani ad finem Ecclesiae proprium dirigitur (2); nam per leges de illis materiis latas ordo *normalis* sive ius in Ecclesia definitur: quamvis sub ratione *medii* ad *finem* Ecclesiae consequendum, ideoque sub generali vocabulo *de rebus* comprehen-

(1) Quare longae disquisitiones de vi vocabuli *rebus* in hoc libro Codicis videntur esse superfluae et parum practicae et a mente legislatoris alienae. Cfr. *Conte a Coronata,* Inst. iur. canon. II, n. 706. Profecto *res* sumuntur, in sensu lato, ita ut comprehendantur etiam actiones iure sive divino sive ecclesiastico praescriptae ad fidelium sanctificationem velut ieiunia, actus cultus, *Ferreres,* Derecho sacramental n. 2.

(2) *Tarquini,* Inst. iur. publ. eccl. cap. 1; *Cavagnis,* Inst. iur publ. eccles. I, p. 12.

datur exercitatio etiam potestatis iudicialis et coercitivae per quam ordo normalis, per potestatem legiferam constitutus, si turbetur vel violetur, denuo restituitur. Ob amplitudinem tamen et singularem materiae difficultatem, exercitio potestatis iudicialis reservatur integer liber IV codicis *de processibus*, sicut de exercitio potestatis coërcitivae tractat integer liber V *de delictis et poenis:* quae duplex materia in foro civili duplici distincto Codice evolvitur.

2. Ordo quidem logicus variis modis, ex diversis principiis petitis, in universae materiae canonicae partitione servari potest. Quare materia beneficiorum in Codice posita fuit in libro *de rebus,* cum in libro *de personis* actum fuerit de officiis; et tamen inter officia et beneficia non adest nisi differentia canonice accidentalis, respectus sc. temporalis ad dotem officio adnexam (3). Ita de ordine pariter agitur in libro de rebus, ob respectum sacramentalem, cum per sacramentum conferantur ordines, et habetur illud commodum, ut ita ordinata serie in eodem loco seu libro agatur de omnibus et singulis sacramentis. At procul dubio officia et beneficia, inter quae distributae sunt variae partes exercitii potestatis iurisdictionis ex una parte; et ex alia parte varii ordines, inter quos est distributum exercitium potestatis ordinis, complexive constituunt ius *constitutionis* Ecclesiae (4). Quod ius *constitutionis* Ecclesiae evidenter continetur in explicatione duplicis hierarchiae ordinis et iurisdictionis, hierarchiae videlicet magistratuum pro exercitio memoratae duplicis potestatis qua Ecclesia universa regitur et sanctificatur, et est in Ecclesia (sicut in qualibet societate) fundamentum iuris *gubernationis* seu *regiminis,* quod habetur in exercitio triplicis potestatis legiferae, iudicialis et coercitivae circa materias sibi proprias, iis competente,

(3) *Wernz-Vidal* t. II, n. 138, quod de officiis et beneficiis simul agi convenienter possit.

(4) *Mazzella,* De relig. et Eccles. n. 388 sq. (de instit. et const. Eccles.); *Pesch,* Praelect. dogm. t. I, n. 260, sq.; *Zech,* Hierarchia ecclesiastica (oeconomia operis) §§ 1 sq.; *Devoti,* Inst. canonic. l. I; *Vering,* Lehrb. d. k. K. §§ 65 sq.; *Phillips,* Kirchenr. t. I. §§ 30 sq.; *Heiner,* Kath. Kirchenr. t. I, l. I; *Saegmueller,* Lehrb. d. k. Kirchenr. §§ 47 sq.; *Zallinger* t. II, § 346; *Hinschius,* Sistem d. k. Kirchenr. t. I, p. IX. Cfr. quoque *Victoria,* De potestate civili; *Schiffini,* Disput. philosoph. moral. n. 408 sq. (de constitutione et gubernatione civitatis); *Cathrein,* Moralphilosophie t. II. p. 524 sq. 625 sq. (de *potestate* civili eiusque functionibus); *Gerber,* Grundzuege d. deutsch. Staatsr. p. 19 sq. 144 sq. (de *potestate* civili eiusque formis et exercitio).

qui secundum ius constitutionis Ecclesiae sive iure divino sive iure ecclesiastico illud ius divinum ulterius evolvente et determinante allecti sunt in illam duplicem hierarchiam ordinis et iurisdictionis. Idcirco etiam in Codice antequam agatur de clericis proponitur canon fundamentalis 108 de duplici hierarchia ordinis et iurisdictionis, et seq. can. 109 generali modo declaratur, qua ratione fideles in illam duplicem hierarchiam regentium Ecclesiam allegantur. Id quod in libr. II, de personis, tom. II. n. 50 sq. explicatum iam fuit.

II. - Canones introductorii

3. Huiusmodi canones habentur in tribus Codicis libris II, III et IV et videntur studiose positi, ut simili modo illi libri incipiant. In nostro libro tertio ponitur divisio rerum, et *occasione* illius divisionis fit quaestio de simonia, quae specialem meretur tractationem (5).

4. Rerum divisio. Res ecclesiasticae potissimum distinguuntur in res *spirituales, temporales* et *mixtas.*

Spirituales sunt eae res, quae pro directo et immediato fine habent spiritualem Ecclesiae seu fidelium vitam. *Temporales* quae ordinantur ad procurandam et conservandam physicam et temporalem Ecclesiae vitam. *Mixtae* quae de utrisque participant.

Res spirituales esse possunt aut *intrinsece* tales velut sacramenta, iurisdictio ecclesiastica, indulgentiae, aut *extrinsece* ex extrinseca ordinatione, velut plures actus exteriores cultus, qui spirituales sunt ex fine ad quem ordinantur.

Res temporales sunt ecclesiasticae si sunt in dominio Ecclesiae; quarum plures divisiones afferentur suo loco, ubi de bonis Ecclesiae temporalibus.

(5) Simonia in foro ecclesiastico semper considerata fuit ut *delictum,* et de facto in iure Decretalium i. e. in Decretalibus Gregorii IX ponitur in libr. V, tit. 3, 4, 5, qui est de delictis, et poenis, sicut etiam in compilationibus praecedentibus et sequentibus. Quoniam autem simonia citra delictum est peccatum, quod violatione tum legis divinae tum solius legis ecclesiasticae committi potest, bene ante res sacras circa quas potissimum hoc delictum vel peccatum committitur ponitur in notionibus generalibus.

Unio spiritualis cum temporali in rebus mixtis talis esse potest, ut res temporalis independenter a spirituali exsistere non possit velut in beneficiis, in quibus temporale unice datur propter spirituale; deinde illa unio potest esse talis ut temporale a spirituali separari possit, velut in calice consecrato, in qua res (calix) tum ante consecrationem, tum ea amissa suum habet intrinsecum valorem a respectu spirituali independentem ideoque capacem ut separatim a consecratione adiecta aestimetur.

De simonia, quae praesertim committitur in commutatione rerum spiritualim cum temporalibus, ob materiae amplitudinem, speciali titulo praeliminari agendum est.

TITULUS I (PRAELIMINARIS)

DE SIMONIA (can. 727-730) (6)

(In Decretal. *Lib. V. tit. 3. de simonia et ne aliquid pro spirit. exig. vel prom., tit. 4. ne Praelati vices suas, tit. 5. de magistris*) (7)

5. Fontes: Decret. Grat. C. I, q. 1 - 7; Cpl. I, l. V, t. 2, de sim. et ne al. pr. sp. exig. vel prom.; Cpl. II, III, IV, l. V, t. 2. de simonia; Cpl. V. l. V. t. 1, de sim. — Decretales Gregor. IX l. V, tit. 3 et 4-5 (1); Const. Clem. V l. V, t. 1, de magistris et ne.; Extravg. com. l. V, t. 1, de simonia. — Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 1, 9, de ref., Sess. XXII, decret. de obser. et vit., Sess. XXIV, cap. 14, 18, de reform. — Decretal. Clem. Pap. VIII l. V, t. 2, de sim. ed. Sentis p. 156 sq. cum Pauli IV Const. « *Inter ceteras* » 23 Nov. 1557; Pii IV Const. « *Rom. Pontificem* » 17 Oct. 1564, Pii V Const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566, Const. « *Intolerabilis* » 1 Iun. 1569, Const. « *Durum nimis* » 1 Iun. 1570; Bened. XIV Const. « *In sublimi* » 29 Aug. 1741; *Taxa* (Innoc. XI. *Innocentiana*, 1 (8.) Oct. 1678; Pii IX Const. « *Ap. Sedis* ».

(6) Cod. de Episcopis l. 3. « ad instar publici criminis et *laesae maiestatis* » simonia punienda esse dicitur.

(7) Ille titulus 3 in omnibus compilationibus antiquis, excepta prima, quam *imitatus* est *S. Raymundus*, simpliciter et recte inscribitur: « De simonia » sine ulla additione; quod si in Decret. Greg. IX., *non* in Summa a S. Raymundo additur: « Et ne aliquid etc. », *generi* simoniae vel strictae simoniae reali expressis verbis duae species particulares simoniae subiunguntur. Cfr. t. 4, 5, X, l. V.

Scriptores: Comm. iur. Decretal. (8) in cit. tit.; *Rolandus*, Summa, ed. cit. p. 13 sq.; *Paucapalea* l. c. ed. cit. p. 50 sq.; *Stephanus Tornacensis* l. c. ed. cit. p. 121 sq.; *S. Raymundus*, Summa l. I, t. 1, de simonia. — *Zech*, De iudic. eccl. tit. 17 de simonia; *Zallinger*, Inst. l. V, tit. 3 sq.; *Devoti*, I. c. tit. 9 de simonia; *Vering* l. c. § 196; *Muenchen*, Das K. Gerichtsverfahren und Strafrecht, t. II, p. 274 sq.; *Bonacina*, De simonia; *Lega*, De del. et poen. t. IV n. 16 sq.; *Leinz*, Die Simonie; *Ballerini-Palmieri*, II, n. 430 sq.; *Pennacchi*, in Const. « *Ap. Sed.* » tom. II, p. 804 sq.; *Thesaurus*, De poenis eccl. v. Simonia; *Ferraris*, Biblioth, vv. Simonia, Taxa; *Thomassinus*, Vetus et nova discipl. P. III l. I, cap. 49 sq.; *Kraus*, l. c. v. Simonie; *Ojetti*, Synopsis, v. Simonia; *Hinschius*, System d. k. K. tom. V, p. 161 sq. 703 sq.; *Hollweck*, D. K. Strafgesetze, § 115 sq., *Schiappoli*, Diritto penale canonico, n. 249 sq. — Post Codicem: *Conte a Coronata*, Inst. II, n. 708 sq.; *Eichmann*, Lehrbuch d. Kirchenr. 260, Das Strafrecht des Codex iur. canon. p. 205 sq.; *De Meester*, Iuris can. comp. III, n. 1097 sq.; *Cappello*, De cens. n. 358 sq.; *Ferreres*, Instit. II, n. 9 sq.; *Vermeersch-Creusen*, II, n. 1 sq.; III, 597.

6. Definitio. Simonia, quae nomen suum sortita est a Simone Mago, est sub genere sacrilegii cuius est species plane singularis (9), et generatim definiri potest: *Sacrilegium, quo res spiritualis pro re temporali per contractum onerosum commutatur;* sive frequentius: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pro pretio temporali* (can. 727) (10). Quae definitio cum omne peccatum simoniacum etiam mere internum complectatur, latius patet quam definitio *delicti* simoniae, quippe quod essentialiter requirit etiam actum *externum* poenis canonicis subiectum (11). Porro

(8) Cfr. ex Theol. *S. Thom.* l. c. 2. 2. q. 100.; *Suarez*, De religione tract. III. lib. 3, 4; *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. III, n. 87 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 386 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. I, n. 375 sq.; *Noldin*, Summa theol. mor. tom. II, n. 181 sq.

(9) *Suarez* l. c. lib. 3, prooem. cap. 1, n. 1, 4; *Zech* l. c.; *Devoti* l. c.; *Schmalzgr.* h. t. pr. n. 1.

(10) *Suarez* l. c. lib. 4, cap. 1 praesertim n. 9; *Schmalzgr.* h. t. n. 2, sq. 7 sq. 11 sq.; *Muenchen* l. c. Studiosa dicitur *voluntas* potius quam *pactio*, quia illa voluntas sufficit ad *peccatum;* ad delictum vero requiritur pactum expressum vel tacitum saltem ex circumstantiis collectum. Probe autem notandum in canonibus huius loci codicis promiscue agi et de peccato et de delicto simoniae.

(11) *Suarez* l. c. n. 14; *D'Annibale* l. c. n. 87. Utraque illa definitio in textu proposita solam complectitur *iuris divini* simoniam. Quare si esset danda definitio, quae etiam simoniam *iuris ecclesiastici* comprehenderet in suas species deinde dividendam, posset simonia apte definiri: « *Contractus* (lato sensu acceptus) *circa spirituale aut spirituali adnexum intuitu religionis a lege* (naturali

« cum de simonia agitur emptio, venditio, permutatio etc. late accipiendae sunt pro qualibet conventione etiam tacita, licet ad effectum non deducta, in qua sc. animus simoniacus expresse non manifestatur, sed ex circumstantiis colligatur » (can. 728).

7. Divisio I. Simonia generatim dividitur: I. In simoniam *iuris naturalis* sive divini et in simoniam *iuris ecclesiastici* (12). Prima consistit in indigna tractatione rei sacrae *intrinsece* mala, ideoque ipsa *lege naturali* sive divina prohibita, qua res spiritualis cum re temporali pretio aestimabili aequiparatur et commutatur. Altera vero est *commutatio illegitima rei spiritualis cum spirituali,* vel *temporalis cum temporali,* aut *temporalis spirituali adnexae* cum alia *temporali spirituali adnexa quae* ab Ecclesia ob motivum religionis et speciem vel pericula simoniae iuris divini omnino est prohibita, licet intrinsece et antecedenter ad prohibitionem Ecclesiae absolute mala non sit (13). — **II.** In simoniam mere *internam* quae consistit in solo illo proposito animi tantum interne concepto committendi simoniam (14), et in simoniam *externam,* quae in actum externum vere prodit sive sine ullo pacto tacito vel expresso (quo in casu dicitur simonia *mentalis*) (15), sive cum expresso vel tacito pacto (et tunc appella-

---

vel ecclesiastica) *prohibitus* ». Quem contractum prohibet lex divina cum continet permutationem rei spiritualis cum temporali, lex ecclesiastica cum versatur inter res spirituales vel inter res temporales (citatus can. 727, § 1, 2.).

(12) *Suarez* l. c. lib. 4, cap. 2 sq. 7; *Pirhing* h. t. n. 5 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 19 sq.; *Lega* l. c. n. 19.

(13) Cap. 38, X, h. t.; *Suarez* l. c. cap. 29; *Pirhing* h. t. n. 120 sq. Quod contractus circa res spirituales ex se honesti aut indifferentes possint ex prohibitione Ecclesiae induere reatum simoniae minus quidem strictae, sed verae et propriae, facile explicatur ex motivo prohibitionis Ecclesiae, quod actum prohibitum reddit materiam necessariam illius virtutis, ex cuius motivo prohibetur; sic sumi eucharistiam a non ieiuno est sacrilegium, indigna tractatio rei sacrae, quia Ecclesia praecipiens ieiunium eucharisticum reddit hanc dispositionem suscipientis necessariam ad digne et reverenter sumendum Corpus Christi; unde ad communionem accedens sine tali dispositione irreverenter tractat sacramentum et reale sacrilegium committit; *Suarez* l. c. et cap. VII, n. 4 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 456. Cuius simoniae iuris ecclesiastici tres iure Decretalium recensebantur species: scl. permutatio beneficiorum ecclesiasticorum privata auctoritate facta (cfr. cap. 5, 7, X, de rer. permut. III, 19), privata transactio de litigiosis beneficiis (cfr. cap. 4, X, de pact. I, 35; cap. 4, X, de transact. I, 36), resignatio beneficii ecclesiastici in favorem tertii. Cfr. infra simoniam confidentialem. *Bonacina* l. c. disp. I, q. 4. § 13, sq.

(14) Cap. 46, X, h. t.

(15) Cap. 34, X, h. t. *Mentalis* dicitur, quia licet externum actum seu ef-

tur simonia *conventionalis*) (16). Quae simonia conventionalis denuo subdistinguitur in simoniam conventionalem *puram,* quae consistit in solo pacto tacito vel expresso, traditione ex neutra parte secuta, in simoniam conventionalem *mixtam* quae habetur, si ad pactum ex alterutra parte accessit traditio sive mercis sive pretii, in simoniam conventionalem *realem,* qua pactum simoniacum ex utraque parte per traditionem mercis et pretii consummatur (17). Quae sola simonia realis *in ordine ad poenas ecclesiasticas saltem latae sententiae* delictum simoniae iure Decretalium constituebat (cfr. cap. 8, X, h. t.; cap. 1, 2, h. t. in Extravg. com.; *Suarez* l. c. cap. 55. 56.), nisi ex iure speciali de exceptione constasset, velut in simonia confidentiali, idemque obtinuerat in electione simoniaca Romani Pontificis. Cfr. Iulii II Const. « *Cum tam divino* » 14 Ianuar. 1505 = cap. 1, sq. de elect. I. 3 in Sept. denuo confirmata Iulii II Const. « *Si summus* » in Sess. V Conc. Later. V. 16 Febr. 1513; *Bonacina,* De legit. S. Pontif. elect. (a. 1638) disp. 1 q. 2; *Thesaurus* l. c. cap. 7; *Camarda,* Const. Apostolic. dissert. 35; *Pirhing,* h. t. n. 9 152. sq. Quae constitutio Iulii II, post Const. Pii X « *Vacante Sede Ap.* », non solum quoad nullitatem actus, sed etiam quoad alias poenas latae sent. praeter excommunicationem, mansit abrogata (18).

III. Simonia vero quae speciatim circa sola beneficia ecclesiastica committitur, dividebatur, in simoniam iuris communis sive *simplicem,* et in simoniam *qualificatam* sive confidentialem, quae no-

---

fectum habeat, malitia tamen eius non prodit exterius, sed interius manet, v. g. dum quis alteri confert spirituale intendendo illum obligare ad reddendum temporale, vel contra dum quis alteri confert temporale intendendo illum obligare ad spirituale rependendum, sine ullo tamen externo pacto neque explicito neque implicito, quod ex circumstantiis colligi possit. Quae, ut per se patet, erit peccatum simoniae (animus simoniacus alterum obligandi), sed non est delictum.

(16) Cap. 12, X, h. t.; *Suarez* l. c. cap. 41; *Schmalzgr.* h. t. n. 27 sq. 33 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 445 sq.

(17) *Pii IX.* Const. « *Apost. Sedis* » n. 21. 22. 23.

(18) Cf. *Hefele,* Conciliengesch. tom. VIII. p. 533. sq. et *Zitelli,* Epitome historico-canon. Concil. p. 257. de difficultatibus in Conc. Lateranensi V motis contra cit. *Iulii II* Constitutionem; at quae *Zitelli* l. c. in nota addit de nova quasi-electione per Ecclesiam supplentem defectum prioris electionis simoniacae, et in se valde sunt difficilia et cum certis principiis dogmaticis non videntur cohaerere. Cfr. *Wernz-Vidal* tom. II. n. 411, not. 41; n. 418, not. 56.

men accepit a *fiducia*, quam unus constituit in altero, in quem beneficium transfert. Quae simonia confidentialis cum *speciali* iure Ecclesiae esset definita et introducta (19), opponebatur simoniae iuris communis (i. e. Decretalium), quae circa beneficia ecclesiastica committi potest, et habebatur ut simonia *qualificata* propter speciales poenas in eam constitutas.

Quae simonia *confidentialis*, iure ecclesiastico (20) constituta, erat species simoniae *conventionalis*, qua quis alteri procurabat *beneficium ecclesiasticum* per modum a sacris canonibus probatum scl. per electionem vel praesentationem vel collationem vel resignationem in favorem illius sub eo *pacto* confidentiae expresso vel tacito ut is, qui beneficium obtinuisset, suo tempore illud *cederet* vel resignaret in favorem eius, qui beneficium procuravit, vel alterius personae eidem bene visae, *aut* pensionem ex beneficii fructibus *solveret*.

Haec simonia confidentialis triplici modo fieri potuit tum a providentibus tum a privatis resignantibus beneficia ecclesiastica scl.: per reservationem accessus in beneficium, quod *alter* interim iam tituli *collatione* et *possessione* obtinuit; per reservationem *ingressus* in beneficium, quod quis tituli collatione, sed nondum possessione obtentum ex conditione interim resignat, ut suo tempore possessionem capere possit; per reservationem *regressus* in beneficium, quod quis post tituli collationem sibi factam et adeptam possessionem *alteri* eo pacto concedit vel resignat, ut, ubi istud vacare contigerit, denuo a se recuperari possit (21).

Similiter simoniae confidentiali erat applicanda divisio in puram, mixtam, realem, quae eo maioris erat practici momenti, cum iam soli mixtae simoniae confidentiali statutae essent poenae. De hac divisione simoniae in *simplicem* et *confidentialem* Codex prorsus silet: et certe in quantum simonia confidentialis erat *qualificata* ob speciales poenas, distinctio illa in Codice disparuit. Porro confidentialis simonia quoad triplicem speciem erat simonia iuris ecclesiastici, non divini: ideo in canonibus Codicis erit quaerenda eius perseverantia vel abrogatio.

(19) *Pii IV* Const. cit. « *Rom. Pontificem* »; *Pii V* Const. cit. « *Intolerabilis* ».
(20) *Suarez* l. c. cap. 43; *Schmalzgr.* h. t. n. 36 sq. 40 sq. 43, 44; *Pirhing* h. t. n. 112 sq.; *Bonacina* l. c. disp. l. q. 7. punct. 1 § 1; *Lega* l. c. n. 21.
(21) *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 449 sq.; *Hollweck* l. c. § 120.

Scholion. Aliae divisiones simoniae potius spectant ad materiam simoniae sive mercem vel ad pretium simoniacum vel ad pactum simoniacum.

8. Notae historicae. Delictum simoniae, etiamsi iam teste sacra scriptura novi testamenti (22) a Simone Mago (23) unde nomen accepit, fuerit commissum, tamen primis tribus saeculis, quibus religio christiana diris persecutionibus fuit subiecta et illius Episcopi et ministri pauperes imprimis quaerebantur ad necem, vix quoad nomen et vestigia quaedam (24) occurrit. Quae res immutari coepta est, cum saeculo quarto non pauci parum fervidi catechumeni in Ecclesiam reciperentur, ipsa Ecclesia temporalibus bonis ditesceret atque inprimis haeresis Ariana relaxasset disciplinam ecclesiasticam (25). Quare c. 2, Conc. Chalced. (a. 451) = c. 8, C. I, q. 1 prima lex contra simoniacas ordinationes et provisiones lata est atque etiam in mediatores sive complices extensa. Quam legem mox alia Concilia frequenter denuo inculcarunt (26), unde facile concluditur, non raros huius delicti fuisse casus. Cum in Conciliis illis saepe provocaretur ad perversum exemplum Simonis Magi (27), inde ex saeculo sexto factum est, ut praeeunte Gennadio Massiliensi (28) hoc delictum diceretur simoniaca haeresis (29). Imo paulatim ex saeculo octavo et nono (30) lues ista simoniaca vel ipsum ingressum in religionem inficere coepit, cum monasteria bonis temporalibus abundarent et Abbates et Abbatissae pingues haberent reditus (31).

(22) De simonia in vetere testamento cfr. *Suarez* l. c. cap. 5, 6.
(23) Act. Apost. VIII, 18, 19.
(24) Cfr. de Paulo Samosat. saec. tertio: *Euseb.*, Hist. eccl. lib. VII, cap. 30; *Kraus*, Real-Encycl. v. Simonie.
(25) Cfr. c. 30 Apostol.; *Thomassin.* l. c. cap. 49, n. 3, sq.
(26) Conc. Constantinop. (a. 459); *Hefele* l. c. t. II. p. 542, 584; c. 4, Conc. Dorin. (a. 527) in Armen.; c. 4, Conc. Aurel. II (a. 533); c. 4, Conc. Tolet. VI, a. 638; *Hefele* l. c. tom. III, p. 58, 484, 116, 118, 334, 475, 481.
(27) Cfr. c. 27, Conc. Turon. (a. 567).
(28) Saeculo quinto.
(29) *Gregorius M.* in c. 13, 28, C. I, q. 1.
(30) *Thomassin.* l. c. cap. 50 sq.; cap. 52, n. 7 sq.; c. 19 Conc. Nicaen. II (a. 787).
(31) Cfr. c. 7, Conc. Melphit. (a. 1089) et c. 17 Conc. Roman. (a. 1099); c. 6, Conc. Turon. (a. 1163) = cap. 8, X, h. t.; c. 10. Conc. Later. III² (a. 1179); *Thomassin.* l. c. cap. 53 sq.

Qui abusus simoniae iuncti turpi clericorum concubinatui et periculosis laicorum investituris praesertim saeculo undecimo tandem eum gradum attigerunt, ut verum constituerent periculum ipsius Ecclesiae et status clericalis. Hinc Romani Pontifices illius saeculi inde a Benedicto VIII et praesertim a Gregorio VII (32) triplex illud vitium profligare audacter aggressi sunt (33).

Quae legislatio in decretum Gratiani et in Decretales Gregorii IX transiit neque in aliis authenticis compilationibus multis novis legibus fuit augenda (34), sed potius contra novos in dies callide excogitatos modos simoniae practice applicanda. At cum latius serperent abusus simoniae veteres leges contra simoniacos denuo fuerunt inculcandae novisque sanctionibus muniendae. Id quod factum est ab Urbano IV (a. 1363) contra simoniacos ingressus in religionem et a Paulo II (a. 1464) (35) contra simoniacas ordinationes et provisiones necnon a Iulio II l. c. de electione simoniaca Romani Pontificis. Quibus sanctionibus accesserunt innovationes (36) et nova decreta Concilii Tridentini (37). Maxime vero saeculo decimo sexto nova plane statuta condita sunt contra simoniam confidentialem. Quam confidentiam primo Pius IV l. c. a. 1564 in Cardinalibus quibusdam reprobavit, causasque et dubitationes inde exortas Pius V (a. 1566) l. c. ad se avocavit idemque (anno 1569 cit. Const. “ *Intolerabilis* „) totum negotium de simonia confidentiali generaliter definivit et in illam severissimas statuit poenas. Sixtus V pariter suum rigorem in simoniacos explicavit (38), quem licet in aliis rebus Clemens VIII moderatus sit, tamen in favorem simoniae non mutavit. Ex saeculo decimo septimo maximam celebritatem nacta est Taxa Innocentiana (i. e. Innocentii XI) contra sordidas et odiosas exactiones, quae cum cit. Const. « *In sublimi* » Benedicti XIV l. c. una cum querelis scriptorum illius et subsequen-

(32) *Hefele* l. c. tom. IV, p. 670. sq. 702. sq.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 162. sq. demptis praeiudiciis huius scriptoris.

(33) Qua occasione multum agitata et tandem soluta est celeberrima controversia de valore *ordinationum simoniacarum*. Cfr. *Hefele* l. c. p. 714, 719, 752, 758 sq. 836, 839.

(34) *Hinschius* l. c. p. 167 sq.

(35) Cap. 1, 2, X, h. c. in Exirvg. com.

(36) Sess. XXI, cap. 1, de ref.

(37) Sess. XXIV, cap. 14, 18, de ref. Sess. XXV, cap. 9 de ref.; *Paulus IV* apud *Pastor*, Gesch. dr. Paepste t. VI, p. 452 sq. 460 sq.; *Pii V* Cons. « *Durum nimis* » a. 1570 iunct. cit. cap. 14 Conc. Trident.

(38) Const. « *Sanctum et salutare* » 5 Ian. 1589.

tis saeculi (39) satis superque probat, dolosas artes simoniacorum nondum illo tempore fuisse exstinctas. Sublatis ultimo saeculo ut plurimum causis, quae delicto simoniae incitamento fuerant, Pius IX non paucas censuras latae sententiae v. g. contra simoniacas ordinationes poenitus sustulit, sed Constitutionem Benedicti XIV contra commercium missarum etsi aliquantisper immutatam omnino retinuit; imo ad eliminandos omnes abusus in commercio missarum S. C. C. 25 Maii 1893 approbante Leone XIII sapienter novum publicavit decretum novis quoque censuris munitum, cuius rigorem novis praescriptionibus auxit Decr. « *Ut debita* » 11 Maii 1904 et Decr. *Recenti* 22 Maii 1907 eiusdem S. C.

§ 1. - DE VI ET AMBITU SIMONIAE

9. Peccatum simoniae satis colligitur ex tradita definitione. *Delictum* vero simoniae, ut sit constitutum, essentialiter tria requirit scl. *pactum* emptionis et venditionis sive aequivalentis commutationis, *pretium* in re temporali consistens, venditam rem spiritualem aut spirituali adnexam tamquam *mercem* (40).

I. - De pacto simoniaco

10. Ante omnia ponendum est ad veram simoniam esse omnino necessarium pactum bilaterale, ut constat ex ipsa notione: quare *interna* et externa pure *mentalis* erunt propositum vel desiderium, plus vel minus efficax, simoniam committendi, sed non sunt ipsa simonia; ipsum vero pactum seu conventio *(conventionalis)* est vera et propria simonia. Atque inde praecise deducitur eius malitia seu pravitas in eo posita, quod per tale pactum res sancta vilipenditur quasi pecunia seu commodo temporali aestimari possit et in commutationem cum ipsa venire. Pactum simoniacum habetur in quocunque vero contractu *oneroso* et reciproco sive tacito sive expresso, nominato vel innominato, vi cuius res spiritualis pro re temporali tanquam pretio ex iustitia debito datur vel promittitur (41).

(39) *Zech* l. c. § 210.

(40) *Suarez* l. c. cap. 41; *Schmalzgr.* h. t. n. 6.

(41) *Schmalzgr.* h. t. n. 45 sq. Cfr. de nullitate pactis simoniaci cap. 8, X de pactis I, 35; cap. 6, 16, X, de iure patron. III. 38; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref. de patrono, qui simoniace vendit ius patronatus.

Quare delictum simoniae plene constitutum non est, si unus ex paciscentibus ficte in pactum onerosum consentiat, licet certe peccet atque in foro externo, donec fictionem concludenter probet, simoniacus habeatur. Multo minus quis simoniae reus est, qui sine ulla obligatione pacti, sed sola *spe* gratitudinis (42) et remunerationis per beneficium spirituale, dat alteri donum temporale, vel si quis vicissim ex eadem gratitudine benefactori temporali conferat donum spirituale. Neque simoniae delictum committitur, si quis dat vel promittit vel legat rem temporalem sub *modo* vel *conditione* rei vel operis spiritualis, prout fit ex probata praxi Ecclesiae in anniversariis aliisque causis piis fundandis (43); etenim non intercedit inter Ecclesiam et pios fundatores contractus onerosus, quo Ecclesiae *absoluta* obligatio imponatur rem spiritualem pro pretio temporali praestandi (44).

Consequenter pactum simoniacum non est, quo clericus de congrua personae suae *sustentatione* conveniat, antequam in sese suscipiat obligationem administrandi spiritualia. Nam clericis spiritualia ministrantibus ipso iure naturali stipendium pro sustentatione personae debetur: ergo si iure vel consuetudine determinatum nondum est, in pactum deduci potest (45).

II. - De pretio simoniaco

11. Pretium (46) in pacto simoniaco, quod necessario complectitur omnem contractum bilateralem, denotat quascunque res temporales pretio aestimabiles ac temporalem utilitatem afferentes, non solam pecuniam numeratam. Quo sensu latiori pretium in hac

(42) Cap. 18, X, h. t. de praesumptione in casu modici doni, et cap. 34, X, h. t. de motivo simoniaco. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 14 sq. 71 sq. 60 sq. 75. sq.

(43) Cap. 20, X, de testam. III, 26; cap. 31 de V. S. V. 40; cap. 4, X, de cond. IV, 5.

(44) *Schmalzgr.* h. t. n. 82 sq.; *Suarez* l. c. cap. 39, n. 16 sq. et praesertim 18, sq. et cap. 16; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 461 sq.; *Bonacina* l. c. q. 6.

(45) Cap. 42, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 89 sq. 182 sq.; *Suarez* l. c. cap. 36, 46; *Aichner* l. c. § 225, de iuribus stolae et stipendiis missae; *De Luca* l. c. p. 180; *D'Annibale* l. c. n. 114, an iura stolae *exigi* possint; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 464, 465; *Bonacina* l. c. q. 6, punct. 2; *Lega* l. c. n. 24.

(46) *Suarez* l. c. cap. 30; *Pirhing* h. t. n. 135 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 109 sq.

materia dici solet *munus*, non liberale et gratuitum, sed ex pacto sive ex iustitia commutativa debitum.

Triplex vero distinguitur munus (47) scl. *munus a manu*, quo nomine intelligitur quaecunque res temporalis pretio aestimabilis sive mobilis sive immobilis, corporalis vel incorporalis (48). Porro *munus ab obsequio* (49) comprehendit quaecunque servitia famulatus, administrationis, negotiorum gestionis facta ex pacto rei spiritualis conferendae (50). Denique habetur *munus a lingua* (51), si quis humanas laudes, commendationes, preces etc. *ex pacto* pro aliquo interponit, ut in compensationem spirituale donum vel beneficium detur (52).

Pretium simoniacum, etsi in se parvum, non excusat a delicto simoniae; valor autem exiguus rei datae attentis circumstantiis potest esse praeiudicium, rem gratuito esse datam (53). At res in sese spiritualis, nisi specialis Ecclesiae prohibitio obstet, velut in permutatione privata beneficiorum (54), rationem pretii simoniaci in ordine ad aliam rem spiritualem acquirendam non habet (55). Item pretium simoniacum reputari nequit donum temporale, quod quis largitur ad redimendam (56) iniustam vexationem, ne impediatur a pacifica *possessione* beneficii ecclesiastici per unam ex legitimis formis provisionis canonicae iam iure pleno et certo obtenti; secus dicendum (57), si pretio temporali redimantur illae vexationes, quae *ante* provisionem canonicam *plene* factam opponantur ab iis, qui ad beneficii consecutionem *positive possunt prodesse* veluti electores, patroni, collatores, confirmatores, non tantum *obesse*, v. g. qui impediunt electores, ne ad locum electionis accedere valeant. Cfr. *Santi* h. t. n. 40 sq., quod clerici in Italia

(47) *Suarez* l. c. cap. 37, 38; *Schmalzgr.* h. l. n. 111 sq.

(48) Cap. 18, 34, 36, 45, X, h. t.

(49) *Suarez* l. c. cap. 39; *Schmalzgr.* h. t. n. 113.

(50) Cap. 12, X, h. t.; *Reiffenst.* h. t. n. 60.

(51) *Suarez* l. c. cap. 40; *Reiffenst.* l. c. n. 60.

(52) Cfr. c. 114, C. I, q. 1. *Lega* l. c. n. 27; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 433 sq. 438; *Gennari*, Consultazioni canoniche, cons. 93.

(53) Cap. 18, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 14 sq.

(54) Cfr. cit. cap. 5, 7, X, de permut. rer.

(55) *Schmalzgr.* h. t. n. 120.

(56) 28, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 134 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 471 sq.; *Bonacina* l. c. q. 6. punct. 5; *Lega* l. c. n. 23.

(57) Cap. 23, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 136 sq.

licite petere poterant « Exsequatur regium », postquam pleno iure de beneficiis ecclesiasticis in foro canonico provisi essent (58).

III. - De merce simoniaca

12. In pacto simoniaco *mercem* constituit omnis res aliquo modo supernaturalis ad Dei honorem aut animarum salutem ex institutione divina vel ecclesiastica ordinata (59).

Quae res spirituales ad *quatuor species* revocari possunt (60). Aliae enim sunt spirituales sive supernaturales *intrinsece* et *formaliter* veluti gratia sanctificans, character sacramentalis; aliae sunt spirituales *causaliter* v. g. sacramenta (61), quia sunt *causae* bonorum spiritualium in prima specie relatorum; aliae dicuntur res spirituales, quia tamquam *effectus* a dono vel officio vel potestate spirituali procedunt v. g. ordinare (62) vel praedicare, recipere in ordinem religiosum (63), conferre officia (64) ecclesiastica; denique res quaedam dicuntur spirituales, quae licet in se spirituales non sint, tamen propter *connexionem* cum rebus spiritualibus fiunt aliquo modo spirituales v. g. vasa sacra, oleum sanctum, chrisma (65). Quae res temporales tribus modis cum spiritualibus connecti possunt scl. *antecedenter*, uti fit in vasis sacris, quae antequam consecratione ordinarentur ad cultum divinum, iam habuerunt suum intrinsecum et proprium valorem temporalem; *concomitanter*, velut in labore corporis *inseparabiliter* coniuncto cum celebratione sacrificii missae; *consequenter*, si res temporales sunt effectus causae spiritualis v. g. reditus temporales adnexi officio ecclesiastico (66).

(58) Non raro etiam munera sponte oblata, cum speciem quandam simoniae et periculum constituant, saltem iure canonico sunt prohibita. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 1 de ref.; Sess. XXIV, cap. 14, 18 de ref.; Sess. XXV, cap. 13. 18. de ref.; *D'Annibale* l. c. n. 114.
(59) *Schmalzgr.* h. t. n. 153; *Zech* l. c. § 211; *Pirhing* l. c. h. t. n. 10 sq.
(60) *Suarez* l. c. cap. 9 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 155 sq.
(61) Cap. 9, 14, X, h. t.
(62) Cap. 1, 18, 22, 35, 39, 45, X, h. t.
(63) Cap. 8, 19, 25, 30, 40, 41, X, h. t.
(64) Cap. 12, 15, 21, 34, 36, X, h. t.
(65) Cap. 8, 16, 36, X, h. t.
(66) *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 443.

13. Corollaria. — *A) Casus in quibus non habetur simonia.* Ex praemissis infertur non dari simoniam « cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; *B)* item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem. Ita expresse can. 730; quae brevi indigent declaratione.

A. — Datur res temporalis, *pro* spirituali, cum temporale datur aut promittitur quasi rei spiritualis pretium. E contra datur *occasione* rei spiritualis *ex iusto titulo* a sacris canonibus aut a legitima consuetudine recognito, cum temporale datur propter illum titulum legitimum, modo sub illo titulo legitimo non obtegatur animus simoniacus compensandi rem spiritualem vel movendi ad illam. Tales iusti tituli sunt: 1º) *liberalitas* dantis, qua temporale datur ei a quo quis accepit spirituale, nullo interveniente pacto. Nisi adsit prohibitio. *Schmalzgr.* h. t. n. 60 sq. *Reiffentuel* h. t. n. 106 sq.

2º) Titulus *gratitudinis*, si non adfuit pactum neque implicitum, quo sub pallio gratitudinis obtegeretur vera intentio alterum obligandi, sive ex gratitudine, temporali accepto, detur spirituale sive, spirituali accepto, detur temporale. *Schmalzgr.* et *Reiffentuel* l. c.

3º) *Titulus sustentationis* ministri; sub quo comprehenduntur: *a) stipendia,* quae pro variis functionibus ecclesiasticis ab Ecclesia permittuntur. Ministris sacris deberi a fidelibus sustentationem elucet ex Sacra Scriptura v. gr. ex Luca X, 7 *Dignus est operarius mercede sua,* et ex S. Paulo I ad Corinth. IX, 13, 14: *Nescitis quoniam qui in sacrario* (veteris nempe foederis) *operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Ipsa aequitas naturalis id postulat, ut honestam sustentationem a populo fideli recipiant ii, qui ipsius populi fidelis utilitati in rebus maxime necessariis vacant et negotiis saecularibus ex ipsa destinatione ad ministeria sacra se immiscere prohibentur. Huc praecise spectant, quando haberi possunt, beneficia, capellaniae, pensiones ecclesiasticae. In eumdem finem permissa sunt stipendia, occasione operis spiritualis praestiti in favorem determinati fidelis illud petentis: cui destinationi ab Ecclesia factae sese accommodat et fidelis qui ministe-

rium sacrum petit, et minister qui ex iure ab Ecclesia sibi tributo ea ratione sibi partialiter consulendi honestae sustentationi stipendium exigit in praedicta occasione. Stipendium proinde non refertur ad rem spiritualem praestitam vel praestandam, sed ad necessitatem ministri qui illam praestat, cui necessitati debent providere fideles, et plerumque commodius id fit occasione exercitii sacrarum functionum et propter hanc causam Ecclesia permittit stipendium exigere. Quo titulo exsistente nihil vetat, quominus verus contractus fiat, quo et sacerdos, recepto v. gr. stipendio missae, maneat ex iustitia obligatus ad missam pro dante stipendium celebrandam, et vicissim ad dandum stipendium ex iustitia teneatur is, ad cuius petitionem missa celebrata est. Qui contractus *do* ut *facias* vel do *sub modo* aut *sub conditione* non versatur circa spirituale pro temporali praestandum aut versa vice, nec continet permutationem rei spiritualis cum temporali; sed, supposito illo iure ad sustentationem divino et ecclesiastico iure probato, per contractum do ut facias vel facio ut des, utraque pars se obligat, dans ad partem sustentationis persolvendam occasione gratuitae obligationis susceptae missam applicandi, et offerens ad missam gratuito applicandam danti occasione illius contributionis; sed de hoc inferius sub alia sede materiae — Aliter *Del Giudice*, Stipendia Missarum, p. 145 sq.

De facto historice permissio stipendii inde provenit, quod mutatus sit modus, quo fideles ad sustentandos sacros ministros ex natura rei et ex iure divino concurrere debebant. Primitus fideles, dum ad Sacra conveniebant, ad clericorum et ecclesiae sustentationem conferebant panem, vinum, fructus etc. aut pecunias in gazophylacium coniiciebant pro communi usu ecclesiae, clericorum, pauperum. Sed cessante communi clericorum vita, eorum singulorum sustentationi consulendum fuit aut detracta aliqua parte ex bonis communibus aut ex donis fidelium in singulos collatis. Inde paulatim invectus est ille mos, ut dum fidelis sacerdotem rogaret, ut sibi speciatim Missa applicaretur, ipse illi stipem conferret, in tali occasione exsequendo onus contribuendi in sacerdotis sustentationem, dum hic se obligabat ad praestandum illud servitium spirituale, ad quod in particulari praestandum non tenebatur.

b) Ad eumdem titulum sustentationis referuntur *taxae*, sive funerales, de quibus agunt can. 1234, 1235, sive persolvendae in variis actibus iurisdictionis voluntariae ab eo qui tales actus postulat, sive in exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae, quae ab

ipsis Sacris Congregationibus in ipso rescripto adnotari solent. Quoad taxas vero occasione ministrationis sacramentorum et sacramentalium definiri debent pro tota ecclesiastica provincia in Concilio provinciali vel in conventu Episcoporum provinciae et a Sede Apostolica sunt probandae post definitionem eo modo factam (can. 1507). Ex hoc titulo sustentationis Ecclesia taxas permittit aut praecipit solvendas, ideoque a simonia excusatur earum acceptio vel exactio eodem modo ac receptio stipendii a postulante missae applicationem. Eodem pariter modo explicatur quod ex iustitia solvi debeant.

Inde autem videtur inferri simoniacum esse eum qui aliquid exigit absque speciali titulo praeter taxas consuetas aut legitime approbatas; in tali enim casu titulus sustentationis ipsi non suffragatur, et alius titulus legitimus, ut supponitur, exsulat, unde nihil remanet nisi ut compensatio temporalis exigatur pro re sacra et spirituali. Multo magis simoniam admittit qui stipendium seu taxam recipit in casibus iure prohibitis v. gr. pro missa binationis. Porro etiam is, qui titulo admisso vel recognito utitur, eo uti non potest ad exigendum ultra id quod sacri canones permittunt vel legitima consuetudo; quod si faciat, non solum contra iustitiam peccat cum consequente onere restitutionis, sed etiam simoniae reatum incurrit, saltem simoniae iuris ecclesiastici.

c) Etiam ad titulum sustentationis referenda sunt iura quae dicuntur stolae, oblationes, decimae et similes.

14. B. — Simonia iuris ecclesiastici in beneficiis habetur, 1°) si in permutatione beneficiorum, inaequalitas beneficiorum compensatur reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei praetio aestimabilis (can. 1488, § 1): evidens est in hoc casu periculum simoniae iuris divini, propter connexionem inter beneficium et officium. In eadem permutatione beneficiorum simoniacum est pactum, quo unus ex permutantibus obligatur ad solvendas omnes expensas permutationis; 2°) in transactione privata circa titulum beneficii (can. 1927, § 1); 3°) in privata resignatione beneficii in favorem tertii vel sub aliqua conditione, quae ipsam benefici provisionem aut redituum erogationem attingat (can. 1486). 4°) Generali modo reprobantur tamquam simoniacae quaevis deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant (can.

1441): in his quae hoc canone reprobantur apparet facile intervenire posse simoniam iuris divini, si pactum sive explicitum, sive virtuale et implicitum interveniat. 5°) Adesset simonia, si patronus faceret praesentationem cum pacto, ut exorta lite praesentatus omnes litis expensas ferre deberet; at simonia abesset, si facta a patrono bona fide praesentatione et exorta lite de iure patronatus, praesentatus in se susciperet onus solvendi litis expensas, quia tunc sibi consuleret, non patrono.

15. Scholion. — Distinctio simoniae in communem et *confidentialem* et confidentialis divisio in varias species in Codice prorsus siletur, nec silentium tribui potest oblivioni, cum ageretur de re notissima et maxime vexata. Porro cum agatur de simonia iuris ecclesiastici hodie parvi est momenti, cum omnes illi actus qui in praedicta simonia confidentiali interveniebant sub pacto late dicto comprehendantur et penitus annullentur; imo singuli modi obtinendi vel alteri procurandi beneficium per varios modos simoniae confidentialis penitus a iure irritantur. Sane quaevis renuntiatio beneficii nullius est valoris sine acceptatione Superioris; renuntiatio vero in favorem tertii, nequidem ab Ordinariis Praelatis acceptari potest, sed S. Sedi est reservata (can. 1486); quaevis autem promissio officii vel beneficii, collata in tempus, quo illud beneficium non vacat, nullius est roboris et nullum parit iuridicum effectum, quicumque sit is, qui beneficium promisit (can. 150). Quare illae ipsae fiduciae reprobatae in antiqua simonia confidentiali, potius quam contra reverentiam rei spirituali debitam, sunt contra subordinationem hierarchicam, ex qua quodlibet officium publicum haberi non debet nisi per provisionem canonicam seu concessionem Superioris; et alius quivis modus est vera intrusio subvertens ecclesiasticam hierarchiam. Et si iure praecedenti dicebatur simonia, potius erat propter modum punitionis, i. e. simonia iuris ecclesiastici. Idcirco de illa confidentiali in Codice siletur.

Quodsi in casibus simoniae confidentialis iuris praecedentis, interveniat, licet occulte et minus apparenter, compensatio temporalis pro spirituali seu spirituali adnexo, ideoque simonia iuris divini, proculdubio etiam iure Codicis habebitur delictum, non praecise ob confidentiam iure ecclesiastico prohibitam, sed quia vera et propria committitur simonia i. e. iuris divini. — Iam vero prohibitiones mere ecclesiasticae circa actus, qui interveniunt in sic dicta

simonia confidentiali iuris praecedentis, in tantum constituunt simoniam iuris ecclesiastici et ecclesiasticum delictum, in quantum constet esse factas « *ob periculum irreverentiae erga res spirituales* » (can. 727, § 2); quod motivum privatus interpres non debet ipse sine fundamento asserere, sed debet esse in ipsa lege expressum sive formaliter (cfr. can. 1441) sive virtualiter (v. gr. si dicatur aliquid prohiberi sub poenis simoniae) — Ita v. gr. ad beneficiorum permutationem valide peragendam determinatae praescribuntur solemnitates; quibus non servatis, permutatio ipsa nullius est roboris vel momenti (can. 1487 sq.); at permutationem esse rem prohibitam, nullo modo insinuatur, multo minus insinuatur permutationem prohiberi ob motivum religionis, ob periculum irreverentiae erga rem spiritualem; permutatio est potius res permissa servatis iuris solemnitatibus. Si, ipsis non servatis, ex sola privata pactione fiat, profecto est nulla et irrita (« fieri valide nequit ») et potius consequenter quam directe prohibetur privata pactio, quae ex se sola sit permutatio; nullo autem verbo insinuatur illa consequens et indirecta prohibitio fieri ob motivum religionis; potius ex natura rei est factum contra iura superioris sive episcopi, seu contra subordinationem debitam hierarchiae in re maximi momenti, qualis est constitutio magistratuum ecclesiasticorum, quorum officia ex natura rei sola voluntate clerici capi aut haberi aut in alium transferri non possunt, sed sunt accipienda a Praelatis Hierarchiae, unde prodiit principium canonicum iuris publici ecclesiastici: « Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri » (can. 147, § 1, 2). Ceterum quoad pactionem privatam, quam semper includit simonia (can. 728), adeo non est prohibita in permutandis beneficiis, ut in ipsa permutatione canonica essentialiter includatur vel potius praesupponatur: Superior enim non potest independenter ab illa pactione permutare duo beneficia, in quibus permutantes habeant ius subiectivum perpetuum. Imo permutatio iuridice est illa privata permutationis pactio, in quantum informata approbatione competentis Superioris, quae in se continet duplicem renuntiationem conditionatam cum duplici collatione, qua uni confertur beneficium alterius et vicissim.

Similiter in casibus simoniae confidentialis iuris praecedentis, quae erat iuris ecclesiastici, si exciperetur reservatio pensionis, quam solum reddit honestam casus canonis 2154 ubi pensio *auctoritate publica* reservatur renuntianti ex titulo honestae sustentationis, cui casui aequiparatur casus can. 1429. Ceterae confidentiae, quae

in simonia confidentiali habebantur, efficaciter vitantur per hoc, quod quaelibet promissiones et pacta circa beneficia irritantur; et si consequenter ad irritationem manent prohibitae, nullibi irritationis et prohibitionis assignatur tamquam motivum « periculum irreverentiae erga rem spiritualem », sed potius ex natura rei innititur in principio canonico, quod beneficium et officium sine provisione canonica haberi non potest, ut examinanti varios casus simoniae confidentialis fit manifestum.

§ 2. - DE POENIS SIMONIAE

16. Poenae iure Codicis vigentes, ad has reducuntur:

1°) Incurrunt ipso facto in excommunicationem simpliciter Apostolicae Sedi reservatam: *a)* quaestum facientes ex indulgentiis; *b)* delictum committentes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis; qui praeterea ipso facto privati manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeat, et si clerici sint, suspendi debent (can. 2392).

2°) Incurrunt ipso facto suspensionem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam clerici, qui: *a)* per simoniam ad ordines *scienter* promoverint vel promoti fuerint; *b)* aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint.

3°) Ad effectum poenalem reducitur: *a)* quod beneficia invalide ob simoniae vitium collata, Romano Pontifici quoad novam collationem maneant reservata (can. 1435); *b)* quod si collatio beneficii fuerit nulla ob vitium simoniae, beneficium numquam praescribatur, etsi pacifice et bona fide per triennium aut amplius possideatur (can. 1446).

4°) Praesentatio, labe simoniaca infecta, est ipso iure irrita et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit (can. 1465).

5°) Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit, ius patronatus perpetuo extinguitur pro ipso patrono (non autem pro eius haeredibus) ex quo accesserit sententia criminis declaratoria (can. 1470).

Sed de his poenis uberius in iure poenali. Interim pro poenarum applicatione prae oculis habenda sunt principia iuris poenalis contenta in canonibus 2219, 2242, § 1, 2213 iunct. 2235. Canones 728-729 directe regulant peccatum simoniae; quoad delicta

standum est principiis iuris poenalis in libro V propositis. Cfr. quoque « Periodica » XVIII, pag. 161* sq.

17. Obligatio orta ex actu simoniaco. Ante omnia dicendum est obligationes quae profluunt ex commissa simonia non esse stricte dictas poenas, licet nonnullae possint dici in sensu latiori effectus poenales; vel ipsa irritatio actus in odium delinquentis in iure Codicis non enumeratur in catalogo poenarum. In patrando delicto simoniae simul violari potest iustitia commutativa, quo casu profecto ante omnem sententiam iudicis pretii *temporalis* restitutio est facienda; quodsi iustitia non fuerit laesa, sed sola religio, ex iure divino restitutio pretii simoniace accepti non est praescripta, nisi iure positivo Ecclesiae vel a iudice ecclesiastico in *poenam* delicti imponatur (67). Idem dicatur de re spirituali, quae simoniace sed sine iniustitia accepta, restituenda non est (cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 282 sq.; *Suarez* l. c. cap. 57), exceptis beneficiis ecclesiasticis simoniace obtentis, quae ante omnem iudicis sententiam una cum fructibus dimitti et restitui debent utpote invalide accepta. Cfr. cap. 11, X, h. t. cap. 2, h. t. in Extrg. com.; *Schmalzgr.* h. t. n. 292; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 503.

Iure autem positivo quilibet contractus simoniacus sive simonia sit iuris divini sive iuris ecclesiastici omni vi caret; et si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates etiam subsequens provisio est nulla atque irrita, licet simonia commissa fuerit a tertia persona, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente (can. 729). — Quare 1°) Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, restitui debet si restitutionis si capax nec obstet reverentia rei spirituali debita. Sicut autem valida est ordinatio per simoniam obtenta aut administratio sacramentorum, si cetera iuris divini requisita non desint; ita, ut per se patet, ordinatio simoniace accepta restitutionis est incapax; item missa celebrata, sacramentale acceptum etc.

2°) Pariter in conscientia ante sententiam iudicis dimitti debet beneficium, officium, dignitas anticanonice et invalide accepta (can. 729). Quae praescriptio firmat id quod est ex natura rei.

(67) *Suarez* l. c. cap. 4, 59; *Pirhing* h. t. n. 175 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 504, 505 sq.

3°) Simoniace provisus non facit fructus suos, ideoque fructus perceptos ex natura rei restituere debet: quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare (can. 729.

18. Scholion I. Titulo tertio libr. V de simonia subiungitur in Decretalibus Gregorii IX tit. 4: « *Ne praelati vices suas seu Ecclesias sub annuo censu concedant* ». Quae rubrica, cum sensum habeat perfectum, veram et universalem continebat legem prohibentem et pro more alias in collectionibus iuris Decretalium recepto per modum appendicis resolvebat quaestionem quandam specialem per se praecedenti titulo de simonia propriam. Manifestum certe fuit delictum simoniae, si Praelatus ecclesiasticus « *sub pretio* » vel « *pro certa pecuniae quantitate* » vel « *sub annuo pretio* » Decanis vel Archipresbyteris vel Archidiaconis in certis partibus dioecesis concessit exercitium vicariae iuridictionis episcopalis sive voluntariae sive contentiosae, aut si « *sub annuo pretio* » sacerdotibus regimen ecclesiarum concessit. Cui dispositioni iuris Decretalium inhaesit perfecteque concordat sanctio Tridentina Sess. XXV, cap. 11 de ref., qua locationes iurisdictionum ecclesiasticarum sive facultatum deputandi vicarios in spiritualibus omnino prohibentur et concessiones huiusmodi etiam a Sede Apostolica factae subreptitiae sunt censendae. At non erat prohibitum, multo minus simoniae vitio infectum, si stipulatio fieret de congrua sustentatione seu de salario aut pensione persolvenda ei, qui vicariam iurisdictionem aut vicarium regimen ecclesiae exerceret. Cfr. Pii V Const. « *Ad exsequendum* » et Const. Benedicti XIV « *Cum semper* » 16 Aug. 1744, § 10; *Pirhing* h. t. n. 9 sq., quod etiam annatae a Romano Pontifice exactae prohibitione h. t. 4 non comprehenderentur.

At a simoniae delicto per se aliena est *stipulatio* de congrua sustentatione v. g. vicario parochiae incorporatae danda, licet ad vitandam speciem simoniae congrua pensio *iure* taxata sit praeferenda. Cfr. Pii V Const. « *Ad exsequendum* » et Const. Benedicti XIV « *Cum semper* » 19 Aug. 1744, § 10. Multo minus collatio fructuum beneficii est prohibita, dummodo fiat secundum normas statutas a Const. « *Ambitiose* » et disciplinam nunc vigentem.

Poenae ferendae sententiae contra accipientes et dantes annuum istum censum recensentur cap. 38. X, de simonia et cap. 1, 2, X, h. t. 4, quae nunc ex iure Codicis aestimandae sunt.

19. Scholion II. Similiter titulus quintus: *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi* » erat tantum appendix ad titulum de simonia. Et priore quidem parte rubricae « *de magistris* », quae vim mere directivam habet, illa insinuatur controversia inter veteres doctores multum agitata, num magistri pro *actu* docendi sine periculo simoniae pretium temporale exigere atque accipere possint (68). Cui quaestioni ex certa et communi sententia nunc respondendum est affirmative, tum pro actu docendi scientias mere naturales velut ius civile, medicinam, philosophiam, artes liberales, tum pro tradenda ipsa doctrina theologica et canonica, dummodo illa ordinetur tantum ad illustrandum intellectum et iuvandam memoriam, uti fieri solet in scholis theologicis et canonicis; secus dicendum, si pro more concionatorum vel confessariorum proxime ordinetur ad cultum divinum et Dei amorem promovendum (69).

In altera rubricae parte, quae sensum perfectum habet, per modum legis universalis prohibebatur, ne pretium temporale pro licentia docendi sive pro gradibus academicis praesertim doctoris exigatur ab iis, qui habent potestatem conferendi gradus academicos vel licentiam docendi (70). Cui prohibitioni a Romanis Pontificibus factae (71) ansam dederunt graves abusus, tempore medii aevi in compluribus regionibus et universitatibus exsistentes, quibus factum est, ut nonnisi magnis sumptibus (72) et soluta magna vi pecuniae licentia docendi aut gradus academici etiam viris alias iam dignis et idoneis concederentur. Nihilominus prohibitio illa sane efficere potuit, ut quis illicite ageret, si non obstante constitutione pontificia pro licentia docendi vel gradu academico pretium temporale exegit, at proprium et formale delictum simoniae non commisit, nisi huiusmodi licentia descendat a potestate spirituali et sub respectu spirituali. Hinc multo minus simonia habetur, si pro labore examinum atque expensis modestis moderata quaedam compensatio exigitur iuxta normas stabilitas per laudabiles consuetudines aut leges speciales (73).

(68) *Suarez* l. c. cap. 18, n. 4 sq.; *Schmalzgr.* h. t. 5, n. 48 sq.
(69) *Suarez* l. c. n. 7 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 52, 53.
(70) Cfr. *Scherer* l. c. tom. II, p. 54 sq.
(71) Cap. 1, 2, 3, X, h. t.
(72) Cap. 2, de magist. V, 1, in Clem.
(73) *Schmalzgr.* h. t. 5, n. 42 sq. Ceteroquin rigorosae Constitutiones huius tituli cum suis severis poenis iam tempore medii aevi contraria consuetudine

Qua in re, ut patet, huiusmodi legislatio antiqui iuris Decretalium, vel in ipso ecclesiastico foro antiquata, non poterat extendi nostra aetate ad universitates saeculares et scientias mere naturales; nihilominus principia, quibus legislatio illa canonica nitebatur, etiam nunc ob oculos habenda sunt in universitatibus catholicis et praesertim in gradibus theologicis conferendis. Etiam nunc habetur ut simoniacum recipere aliquid ex pacto propter instructionem unice destinatam ad bonum spirituale aliorum. Cfr. *Ferreres,* Theol. mor. I, n. 377; *Noldin*, De praecept. n. 197.

---

in mitiorem praxim commutari coeptae sunt, cum ubique in Universitatibus taxae quaedam passim exigerentur. Cfr. *Santi* h. t. 5, n. 23. sq; *Scherer* l. c. p. 55 sq. — Ipsa S. Congr. Seminar. et Universitatum praefixit taxas solvendas a frequentantibus Facultates ecclesiasticas Romae erectas ad normam Const. « *Deus scientiarum Dominus* » Pii XI, ubi art. 52 sancitur: « Statuta Universitatis vel Facultatis decernant quid auditores pro admissione, ascriptione annua, examinibus, diplomate persolvere debeant, sicut art. 50 praescribit, ut « Professoribus honoraria pendantur vitae honeste, pro amplissimi muneris dignitate, sustentandae et sui status necessitatibus consentanea » — « Officialibus (vero) digna remuneratio concedatur ». Cuius rei necessitas patet, ubi non habentur universitates congrue fundatae.

PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS

TITULUS I

DE BAPTISMO CUM CANONIBUS PRAELIMINARIBUS DE OMNIBUS SACRAMENTIS (can. 731-779)

20. **Fontes:** Decr. Grat. C. I, q. 1; Dist. IV, de cons. — Cpl. III, l. I, tit. 11, 12, l. III, tit. de bapt. et eius eff.; cpl. IV, l. III, tit. 16, de bapt. — Decret. Gregor. IX l. c.; Const. Clem. V l. III, tit. 15, de bapt. — Decret. Eugen. IV pro Armen. — Conc. Trid. Sess. VII, decr. de sacram. *(in genere, de bapt.,* de conf.) — Bened. XIV. Const. « *Postremo* » 28 Febr. 1747. — Collect. S. D. de Prop. F. (1a ed.) n. 483 sq.; S. C. C. in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 42 sq. — Collect. Lac. v. v. Sacramenta, Baptismus, Confirmatio; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 68 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 18 sq.; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 70 sq. Rit. Rom. tit. II, c. 1, ubi in nova post Codicem editione huius praescripta sapienter inserta sunt.

Scriptores: Comment. Iur. Decret. in cit. tit.: *Zech,* De iur. rer. eccles. sect. 2, tit. 1 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. II, t. 2; *Scherer*, Handb. d. K. t. II, p. 67. sq.; *De Luca*, De reb. eccles. p. 10 sq.; *Hinschius*, Syst. d. k. K. t. IV, p. 1 sq. 23 sq. — *Ferraris*, Bibl. v. v. Sacramentum, Baptismus, Confirmatio. — *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Sacramentum sq.; *Taufe*, Firmung, Ktechaumenen; Kirchenl. v. Katechumenat.; *Duchesne*, Origines du culte chrétien p. 261 sq. 302. sq. — *Ferreres*, Derecho sacramental. p. 1 sq.: *Cappello*, De Sacramentis I, p. 3 sq. (1).

(1) De sacramentis *in genere* et de singulis sacramentis potissimum consulendi sunt theologi dogmatici, item moralistae et doctores rerum liturgicarum et sacrae archaeologiae. Cfr. v. g. *S. Cyrill. Hier.*, Catecheses; *S. Ambros.*, De mysteriis; *S. Isidor. Hispal.*, De eccles. off.; *Hugo de S. Vict.*, De sacram. christ. fidei; *Rolandus, Petrus Lombardus, S. Thomas; Canus,* Relectio de sa-

Praenotiones

21. Connexio materiae. Finita disputatione de rebus *in genere* secundum canones praeliminares l. III Codicis, primum locum de rebus *in specie* obtinet legislatio *de Sacramentis*, quae sunt praecipua media hierarchiae divinitus constitutae a Christo Conditore tradita ad Sanctificandas fidelium animas simulque publicum signum quo fideles in unitate fidei cum suo Capite adunati externe coniunguntur illa communi participatione eorumdem sacramentorum. Sacramenta *secundario* quidem ad cultum divinum referri possunt; nam quandoque vel ipsa forma v. g. in extrema unctione et orationes in caeremoniis adiunctis sunt veri actus cultus divini; attamen *principaliter* ordinata sunt ad *sanctificationem hominum* sive ad concedendam *gratiam* (2). Quare sicut Concilium Tridentinum post Sess. VI *de iustificatione* mox in Sess. VII definit doctrinam catholicam *de sacramentis* in genere et de sacramentis baptismi et confirmationis, ita etiam theologi universam rem sacramentariam reducunt ad disputationes de *Deo sanctificatore*, postquam suis dis-

---

cram. in genere; *Bellarminus*, De controvers. t. III de sacramentis; *Suarez*, Comment. in III part. d. Th. q. 60 sq.; *Lugo*, Disput... de sacram.; recentiores theologi: *Franzelin, De Augustinis, Billot, Sasse, Pesch, Schanz, Lercher*, Inst. theol. dogm. v. IV, pag. 178 sq. *Chardon*, Histoire des sacrements; (*Hahn*, D. Lehre v. d. Sacram. in ihr. gesch. Entwickl. innerhalb d. abendlaend. Kirche). Moralistae omnes de Sacramentis pro suo munere accurate agunt.

(2) Si *Hinschius* l. c. t. IV, p. 3, not. 1, suo tempore reprehendit *Friedberg*, quod matrimonium explicaret sub rubrica cultus divini, ex distinctione in textu allata facile patet, quid veri vel falsi haec reprehensio contineat. At idem *Hinschius* l. c. modum excedit, si disputationem de matrimonio non vult relinquere *inter sacramenta* tanquam in *propria* sede materiae, sed illam transferre intendit ad rubricam de *iuribus* et *obligationibus* fidelium. Nam matrimonium christianum *principaliter* est *sacramentum*, quoad a contractu matrimoniali separari nequit; quare si *Hinschius* matrimonium ut « *institutum iuris* » explicat avulsum a disputatione de sacramentis, *principalem* eius *naturam* non attendit et ipsa methodo falsis notionibus de matrimonio parat aditum. Cfr. *Pesch*, Praelectiones dogmaticae t. VI, n. 151, 18. — Porro Codex directe promulgatur pro fidelibus, qui per sacramenta, non excluso matrimonio, sanctificandi sunt. Tractatio vero de matrimonio non sacramentali ut *instituto iuris*, non est propria Codicis, licet in eo iuris naturalis principia omnia ponantur, ex quibus recte iudicetur de matrimonio extra ecclesiam contracto ab iis, qui in eam per baptismum, ingredi petunt.

quisitionibus *de gratia divina* solidum iecerunt fundamentum. — Ob rationem tamen allegatam merito in Codicis l. III, primo loco ponuntur leges de Sacramentis. — Qui commentarii de sacramentis certe non spectant ad canonistas, quatenus versantur de *cognoscendis veritatibus theoreticis* et *speculativis* vel de *effectibus* mere *internis* (3); at quamprimum agitur *de capacitate* et *competentia* et *obligatione administrandi* sacramenta in foro externo, *de habilitate, iure, obligatione* eadem sacramenta in facie Ecclesiae *recipiendi, de legibus ecclesiasticis*, quibus interdum *valida* (v. g. in matrimonio), frequentius saltem *licita* administratio et susceptio sacramentorum ordinatur, imo forte etiam sanctione poenali munitur (4), *de iuribus et obligationibus* in foro externo, quae, tanquam *effectus* ex administratione vel susceptione sacramentorum consequuntur, sane huiusmodi *pars practica* rei sacramentariae a iure canonico, quod dicitur theologia practica, nequit esse aliena. Id quod comprobatur ex ipsis *fontibus* iuris canonici, ubi omnia sacramenta suos habent titulos, et ex praxi optimorum canonistarum (5); demum legislator in novo Codice a canonistis explanando eamdem praxim retinuit.

CAPUT I

DE SACRAMENTIS IN GENERE

22. De notione sacramentorum. Sacramentum (6) novae legis (7) in genere definiri potest: Signum sensibile a Christo institutum ad efficiendam gratiam. Quare *tria* ad sacramentum novae legis requiruntur scl. signum externum et visibile, institutio a Christo

---

(3) *Schanz*, D. Lehre v. d. h. Sacram. p. l, sq.; *Pesch* l, c. n. l. 6; *Lugo*, Disputationes scholasticae **et morales** de sacram.

(4) Si *lex ecclesiastica* de sacramentis expressam *sanctionem poenalem* non habeat, nihilominus veram imponit *obligationem ex lege* sive *iuris*, quae *poenis arbitrariis* urgeri potest, neque propter indolem *legis imperfectae* cessat esse obiectum scientiae canonicae. Cfr. *Gasparri*, De ss. euchar. n. 1072.

(5) *Zech* l. c.; *Devoti* l. c.; *De Luca* l. c.; *Scherer* l. c.; *Hinschius* l. c. Aliter *Schulte*, Kirchenr. t. I, p. 10, aliique.

(6) Cfr. de *vocabulo* et notione sacramenti: *Schanz* l. c. p. 25 sq. et 65, ubi exponit notionem sacramenti penes pseudoreformatores; *Pesch* l. c. n. 9. sq.; *Devoti* l. c. §§ I sq.; *Lercher* l. c. n. 158.

(7) De sacramentis status naturae et legis Mosaicae consulendi sunt theologi v. g. *Pesch* l. c. n. 37 sq.; *Schanz* l. c. p. 55 sq.

Domino lege stabili facta, quippe quae ordinatur ad stabilem oeconomiam novae legis, denique efficacia ad producendam ex opere operato gratiam internam et invisibilem, quam signum illud externum significat (8).

De divisione sacramentorum. Dividuntur sacramenta I. ratione *finis* in sacramenta, quae ad spiritualem perfectionem *singulorum* hominum destinantur scl. baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, et in alia, quae ad *communitatem* fidelium sive ad totius Ecclesiae regimen et multiplicationem ordinata sunt scl. ordo et matrimonium; II. ratione *effectus*, distinguuntur *a*) sacramenta *mortuorum*, quae peccata delent et primam gratiam producunt scl. baptismus et poenitentia, *b*) sacramenta *vivorum*, quae gratiam iam supponunt et *augent* i. e. omnia reliqua sacramenta, *c*) sacramenta, quae praeter gratiam etiam *characterem* imprimunt scl. baptismus, confirmatio, ordo, aut *non* imprimunt scl. omnia reliqua sacramenta (9).

23. De exsistentia et numero sacramentorum. *Septem* exsistunt *novae legis* sacramenta scl. baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium (10). Quam doctrinam theologi catholici fuse demonstrant ex traditione ipsoque consensu ecclesiarum orientalium, quae iam a multis saeculis ab unitate Ecclesiae catholicae sunt separatae (11).

24. De constitutione et efficacia sacramentorum. I. Signum sensibile, quo sacramentum constat, duplici componitur elemento scl. ex rebus tanquam *materia* et verbis tanquam *forma* (12). Quae

(8) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII de sacr. in genere can. 1, 2, 6, 7, 8.

(9) *Pesch* l. c. n. 7, 108; *Ferreres* l. c.

(10) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, l. c. can. 1.

(11) Cuius traditionis de expresso septenario numero sacramentorum antiquissimum et authenticum documentum huc usque est catechesis *S. Ottonis* circa an. 1139, quam deinde alia multa sequuntur v. g. *Gregorii*, Bambergensis Episcopi (a. 1133-1146), *Rolandi Bandinelli* (postea Alexandri III) c. a. 1150 Cfr. *Pesch* l. c. n. 67. sq.; *Schanz* l. c. p. 192. sq.; *Devoti* l. c. § 5; *Lercher* l. c. n. 168; *Gillmann*, Die Siebenzahl d. Sakr. (Der Katholik 1912, p. 453 sq.; *Geyer*, Die Siebenzahl d. Sakr. (in Theologie und Glaube, 1918, p. 325 sq.; *De Ghellinck*, in Recherches de science religieuse 1910.

(12) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIV doct. de poenit. cap. 2; Catech. Rom. P. II, c. 1, n. 17; *Devoti* l. c. §§ 6 sq.; *Pesch* l. c. n. 24 sq. 274; *Schanz* l. c. p. 100 sq.

materia est aut *remota* i. e. res, quae in administrando sacramento adhibetur velut aqua, oleum, aut *proxima*, quae consistit in ipso usu rei v. g. in ablutione. Forma vero est aut pura sive *absoluta* aut *conditionalis* (13).

II. Omnia septem sacramenta novae legis conferunt gratiam sanctificantem *ex opere operato* (14); tria vero sacramenta scl. baptismus, confirmatio, ordo non solum conferunt gratiam sanctificantem, sed etiam animae imprimunt *characterem* i. e. signum quoddam spirituale et indelebile (15), unde ea iterari non possunt (16).

(13) *Expressa* forma conditionata in administratione sacramentorum prima vice occurrit saeculo octavo in statutis S. Bonifacii c. 28, ante a. 747 (*Hefele* l. c. t. III, p. 580 sq.); at res ipsa i. e. saltem *tacita* appositio conditionis est antiquior. Nam « *non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum* » (S. Gregor. M.). Cfr. quoque c. 6 Conc. Carthag. VI (a. 401), Conc. Rom. (a. 458) iunct. *Hefele* l. c. t. II, p. 581; cap. 3, X, de presbyt., III, 43; cap. unic., X, de cler. V, 29.

Quae praxis *expressae* formae conditionalis postea iure communi approbata est. Cfr. cap. 2, X, de bapt. III, 42; S. C. de Prop. F. 23 Iunii 1830; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 8, 84, De Synod. dioeces. l. VII, cap. 6, 15; *Devoti* l. c. § 7, quos *Hinschius* l. c. p. 46, inefficaciter impugnat.

(14) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, can. 6, 8. Quam efficaciam sacramentorum ex opere operato theologi catholici contra antiquos et novos scriptores protestanticos solide demonstrant et defendunt. Cfr. *Pesch* l. c. n. 109 sq.; *Schanz* l. c. p. 116. At ipsi inter sese discrepant, utrum huiusmodi *causalitas* sacramentorum sit *physica* (ut tenent Thomistae, Suarez, Bellarminus, Schaetzler aliique), an *moralis* sive intentionalis (prout defendunt Canus, Vazquez, Lugo, Franzelin, Tournely aliique). Cfr. *Devoti* l. c. § 9. Quodsi etiam canonistis, qui studiis theologicis sunt imbuti, in ista controversia theologorum iudicium proferre liceat, causalitas physica efficacibus argumentis non videtur esse probata, et causalitas moralis ut magis fundata omnino est praeferenda.

(15) Decret. pro Armen.; cap. 3, i. f. X, de bapt. III, 42; Conc. Trid. Sess. VII. can. 9. Quae doctrina catholica de charactere sacramentali a S. Augustino *non inventa* est, ut videntur insinuare non raro acatholici, sed ex antiqua traditione de absoluta impossibilitate reiterandi certa sacramenta recte deducta et uberius explicata. Cfr. *Pesch* l. c. n. 178 sq. 188 sq.; *Schanz* l. c. p. 144 sq. 149 sq.; *Devoti* l. c. § 11; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 46, not. 1, 2.

(16) *Tertullian.*, De bapt. cap. 15; c. 10 sq. D. IV, de cons.; c. 9, D. V, de cons. = Gregor. II epist. ad S. Bonif. (a. 726); cap. 6, X, de bapt. III, 42; cap. 1, 3, X, de sacram. non iter. I, 16: « *Non est aliquid* **iterandum,** sed caute **supplendum,** *quod incaute fuerat praetermissum* ». Quae verba non ab omnibus scriptoribus eodem sensu intelliguntur. Cfr. v. g. *Schmalzgr.* l. I. t. 16, n. 2, sq.; *De Luca*, De reb. eccles. p. 18 sq.; *Wernz*, Ius Decretal. t. II, n. 59, 61; *Wernz-Vidal*, hoc. tom. De rebus, ubi de materia et forma sacr. ordinis. *Pesch* l. c. t. I, n. 502, 504; t. II, n. 627; cap. 3, X, de presb. III. 43; cap. unic. de cler. V, 29: « *Quia non intelligitur* **iteratum,** *quod factum esse nescitur* ».

25. De auctore sacramentorum. Omnia sacramenta novae legis *immediate* a Iesu Christo Domino nostro instituta sunt, non tantum in *genere*, sed etiam in *specie* quoad materias et formas *substantiales*, non quoad ultimas et accidentales *individuationes*, quas potius Ecclesiae determinandas reliquit. A quo generali principio nec sacramentum ordinis nec sacramentum matrimonii sunt excipienda (17). Nam Christus Dominus non qualemcunque matrimonialem contractum *naturalem* ad dignitatem sacramenti elevavit, sed contractum matrimonii fidelium legibus divinis *et canonicis* conformem.

Quare Ecclesia quamvis *substantiam* sacramentorum a Christo Domino stabilitam *mutare* non possit, tamen in ipsorum dispensatione circa *accidentalia* in caeremoniis et ritibus et formulis ea statuere et mutare pro sua potestate valet, quae suscipientium utilitati et venerationi sacramentorum magis expedire iudicat (18).

26. De ministro sacramentorum. In iure quoque canonico et foro externo Ecclesiae constare debet de *capacitate, competentia, obligatione* ministri.

I. *Capax* minister sacramentorum est solus homo *viator;* at non omnis homo habet potestatem omnia sacramenta administrandi, nisi ad hoc specialiter consecratus (Episcopus vel presbyter) vel deputatus sit (in baptismo et matrimonio) (19). Cum valor sacramentorum neque a fide neque ab honestate ministri pendeat, etiam *haeretici* vel schismatici vel alii peccatores possunt esse capaces ministri ad validam sacramentorum administrationem (20). At minister valide sacramenta conficere nequit, nisi habeat veram *intentionem* etiam *internam* saltem faciendi, quod facit Ecclesia, sive quod Christus instituit (21).

(17) Conc. Trid. Sess. VII, can. 1. Sess. XIII, can. 2, Sess. XIV, can. 1; *Devoti* l. c. § 18; *Pesch* l. c. t. I, n. 203 sq. t. II, n. 621 sq.; *Schanz* l. c. p. 111 sq.; *Wernz* l. c. t. II, n. 83; *Wernz-Vidal*, h. t. De rebus, ubi de Sacr. Ordinis.

(18) Conc. Trident. Sess. XXI, doctr. cap. 2; *Wernz* Ius. Decretal. t. III, n. 318 sq. 394 sq., ubi multa, quae de *cultu divino* ab Ecclesia statuta sunt, etiam ad administrationem *sacramentorum* sunt applicanda; *Wernz-Vidal* h. De rebus, *Devoti* l. c. §§ 18 sq.; *Thalhofer*, Hdb. d. k. Liturg. t. II, p. 509 sq.

(19) Conc. Trid. Sess. VII, can. 10; *Lugo* l. c. disp. 8; *Pesch* l. c. n. 228 sq.; *Schanz* l. c. p. 161 sq. Quodsi *Scherer* Handb. d. K. t. II, p. 68, not. 4 putavit quaestionem « *de ministro* » sacramenti matrimonii melius non poni, videtur omnino illa quaestio serio examinanda et cum antiquis et novis theologis recte solvenda. Cfr. *Lugo* l. c. n. 230; *Pesch* l. c. n. 231, 151; *Devoti* l. c. §§ 13, 14.

(20) Cfr. c. 8 Conc. Arelat. (a. 314) iunct. *Hefele* t. I, p. 209 sq.; c. 19 Conc. Nicaen. (a. 325); Nicol. I cap. 104 in resp. ad consult. Bulgar. (a. 866); Decr. Grat. C. I, q. 1; c. 26 sq. D. IV, de cons.; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, can. 4, 12; *Pesch* l. c. n. 233 sq.; *Schanz* l. c. p. 164 sq.

II. *Competens* atque *legitimus* minister sacramentorum est is, qui *praeter capacitatem* sive potestatem habet etiam positivas qualitates requisitas atque imprimis *statum gratiae* (22). Porro careat necesse est *impedimentis* et *prohibitionibus* canonicis; administratio enim legitima sacramentorum iurisdictioni ecclesiasticae est subiecta. Quare v. g. apostatae, haeretici, schismatici, simoniaci, excommunicati, suspensi, interdicti, depositi, degradati nequeunt *licite* administrare sacramenta, neque illi, quibus Ecclesia *missionem canonicam* ad eundem finem negavit (23).

III. *Obligatus* quoque sacramentorum minister iam aliunde capax et competens potest esse is, qui sive *ex caritate* sive *ex iustitia* ad administranda sacramenta tenetur v. g. parochus, a quo *pro suo iure* parochiani postulant sacramenta (24).

27. Veneratio sacramentis debita tum a ministrantibus tum a suscipientibus, itemque *diligentia* ab utrisque adhibenda ut valide, licite, pie sive ministrentur sive suscipiantur merito can. 731 infertur tum ex eorumdem institutore Christo Domino, tum ex eo quod sint praecipua sanctificationis et salutis media. Ad venerationem autem Sacramentis conciliandam ab Ecclesia instituti sunt speciales ritus et ceremoniae in illis conficiendis, ministrandis et suscipiendis ac-

(21) Innoc. III in prof. fidei Waldens. praescr. et Mart. V apud Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, can. 11; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 4; *Lugo* l. c. n. 13 sq.; *Pesch* l. c. n. 262 sq.; *Devoti* l. c. §§ 15, 19. Cfr. quoque S. C. Inq. 18 Dec. 1872 in Collect. S. C. de Prop. F. (1a ed.) n. 539.

(22) *Lugo* l. c. n. 137 sq. 142 sq.; *Pesch* l. c. n. 252 sq.

(23) S. C. Inq. 20 Aug. 1671: « *Non permittat* (Episcopus) *schismaticis administrare sacramentum baptismatis, nisi in casu necessitatis et deficiente alia quacunque persona catholica* »; S. C. de Prop. F. 21 Ianuar. 1789: « *Ad 2. sacerdotem suspensum et interdictum nullo unquam tempore administrare posse baptismum* **cum solemnitatibus,** *sed, quando propter necessitatem urgentem debeat baptizare, baptizet private* » in cit. Collect. n. 532, 535; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 481. *Contra Simoniacas* artes: Cap. 9, X, de simon. V, 3; S. C, C. 20 Febr. 1723 apud *Richt*. l. c. p. 123, n. 2; S. C. de Prop. F. 13 Sept. 1832-18 April. 1757 in cit. Collect. n. 485, 533; cit. Conc. plen. Amer. lat. n. 482; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 70; *Hollweck* Die Kirchlichen Strafg. p. 181 sq. Cfr. can. 2261.

(24) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1, de ref.; cit. Conc. plen. n. 477; Collect. Lac. t. II, col. 25, 114. sq.; *Lugo* l. c. n. 162 sq.; *Pesch* l. c. n. 289 sq.

curate servandi prout obligatoria ratione proponuntur in libris ritualibus ab Ecclesia probatis. Porro quisque minister in ministratione sacramentorum sequi debet proprium suum ritum latinum vel orientalem et proprium legitimum librum ritualem; similiter fideles sacramenta in proprio, ad quem pertinent, ritu suscipere debent, salvo praescripto can. 851, § 2 et 866 de facultate recipiendi eucharistiam quovis catholico ritu (can. 733). Diligentia autem ministri in servandis ritibus urgetur can. 1378 per poenas.

Ad eamdem venerationem sacramentis debitam pertinet vetitum sacramenta Ecclesiae ministrandi *haereticis* aut *schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus,* nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint (can. 731, § 2). Quod ad mala fide errantes nulla est difficultas, cum sint manifesti indigni ratione peccati gravissimi; haeretici vero et schismatici materiales, licet sine peccato errantes ideoque ex hac parte non indigni, donec tamen reconciliati non fuerint versantur extra corpus Ecclesiae, et ut de Ecclesiae sacramentis participent, cum ipsa prius, abiuratis erroribus, reconciliandi sunt et ad corpus Ecclesiae reducendi: quodsi convenienter instructi praestare nolint, iam ab illa bona fide excidunt et sacramentorum indigni sunt. Quae praescriptio canonis 731, § 2, respicit casum normalem, nihil in particulari decidit, de haeretico vel schismatico mere materiali praesertim si sit sensibus destitutus (25).

28. Custodia sacrorum oleorum (26). Sacra olea, quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena Domini* proxime superiori, nec vetera adhiberi debent nisi urgeat necessitas. Ut autem non deficiant, oleo benedicto mox deficienti permissum est aliud oleum ex olivis non benedictum adiicere, etiam iterato, modo in minore quantitate adiiciatur; et oleum ita adiectum in minore quantitate redditur benedictum ex mixtione cum oleo benedicto (can. 734).

Parochus olea sacra a *suo* Ordinario petere debet et *in ecclesia* in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia (can. 735).

(25) Cfr. Resp. S. O. 13 Ian. 1864 ad Deleg. Apost. Syriae (Collect. n. 982; *Cappello* l. c. n. 73; *Gennari* Consultazioni mor. cons. 58.

29. Administratio Sacramentorum gratuita. Non licet ministro pro Sacramentorum administratione quidquam quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigere aut petere, salvis oblationibus ad normam can. 1507, § 1 legitime statutis (can. 796). Quae prohibitio urgetur per poenas can. 2408 inflictas.

30. De subiecto sacramentorum.

I. Subiectum *capax recipiendi* sacramenta est solus homo viator (27); at non *omnis* homo est subiectum capax *omnium* sacramentorum, quemadmodum magis patet ex singulis sacramentis (28). In infantibus et perpetuo amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis, nulla voluntate vel intentione opus est, ut valide recipiant sacramentum; in adultis vero, qui integra sunt mente, intentio ad valorem sacramentorum omnino requiritur. Quare qui *vi praecisa* et *absoluta* coacti fuerunt, invalide suscipiunt sacramentum (29).

(26) Triplex distinguitur oleum sanctum, quod in eadem ceremonia feria V in *Coena Domini* ab Episcopo benedicitur, sc. oleum *infirmorum,* oleum *catechumenorum* et sanctum *chrisma* seu oleum cum immixto balsamo. — I. *Chrisma* adhibetur: *a*) in confirmatione; *b*) in consecratione Episcopi; *c*) in consecratione calicis et patenae. — II. Oleum *catechumenorum* sine alio adhibetur solum: *a*) in ordine; *b*) in consecratione regis. — III. Oleum *infirmorum* sine alio adhibetur in extrema unctione. — IV. *Chrisma et oleum catechumenorum* adhibentur: *a*) in baptismo (oleum catechumenorum ante ipsam baptismi collationem; chrisma in ceremoniis subsequentibus); *b*) in consecratione ecclesiae et altaris; *c*) in benedictione fontis baptismalis. — V. *Chrisma et oleum infirmorum* in solemni benedictione campanae: chrisma pro unctione *interna;* oleum pro *externa.* Cf. Pontificale Roman. ubi de ceremoniis feriae V, in Coena Domini.

(27) Cfr. c. 4 Conc. Hippon. (a. 393); cap. 3, X, de bapt. III, 42; cap. 3, X. de presbyt. III, 43; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VIII, prooem.; *Pesch* l. c. n. 305 sq.; *Schanz* l. c. p. 187 sq.

(28) Cfr. c. 7, 8, D. IV, de cons.; cap. 3, X, de bapt.; Decr. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, de bapt. can. 13, 14, unde constat omnes homines etiam parvulos esse capaces *baptismi* et post baptismum etiam confirmationis et eucharistiae; at *poenitentiam* et *extremam* unctionem nequeunt recipere fideles, qui peccata non commiserunt; matrimonium cum sit *contractus,* non potest celebrari ab infantibus et impotentibus, etsi baptizatis; *ordinis* vero capaces sunt soli baptizati *mares* etiam ante usum rationis.

(29) Cfr. c. 74 sq. D. IV. de cons.; cap. 3, X, de bapt. III, 42; cap. 9, X, de lud. V, 6; cap. 13, de haeret. V, 2, in Sext.; Conc. Trid. Sess. VI, doct. cap. 7; *Devoti* l. c. § 17; *Pesch* l. c. n. 309 sq. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 540 sq. atque de vi *conditionali* irritante *matrimonium: Gasparri,* De matrim. n. 805 sq., non sacram *ordinationem: Wernz* Ius Decret. t. II, n. 83; *Wernz-Vidal,* h. t. ubi de subiecto ordinis; *Ferreres,* l. c. n. 26 sq.

II. *Legitimum* subiectum in adulta aetate ad suscipienda sacramenta debet esse rite *dispositum* (30) et illa petere a debito *ministro* (31) et in legitima *forma* (32).

III. *Obligatum* ad recipienda *quaedam* sacramenta potest esse subiectum aliunde capax eo, quod illorum usus exigatur sive iure divino ex necessitate medii vel praecepti sive lege ecclesiastica v. g. baptismus, communio paschalis, annua confessio (33).

CAPUT II

DE BAPTISMO

31. Notio et divisio. Baptismus est sacramentum novae legis, quo per exteriorem corporis ablutionem aqua factam sub praescripta verborum forma: *Ego te baptizo* etc. homo spiritualiter regeneratur atque in Ecclesia constituitur (34).

Merito dicitur Sacramentorum ianua, cum per ipsum reddatur homo subiectum capax alia sacramenta recipiendi, qua capacitate carent non baptizati tametsi forte iam iustificati (can. 737, § 1).

Est autem Sacr. baptismi omnibus in re vel in voto ad salutem necessarium (can. 737, § 1).

Quodsi baptismus quandoque distinguitur in baptismum aquae sive *fluminis,* qui per ablutionem, *flaminis,* qui voto vel desiderio,

(30) Conc. Trid. Sess. VI, doctr. cap. 6; *Lugo* l. c. disp. 9, n. 1 sq.; *Pesch* l. c. n. 317 sq.

(31) Cap. 7, X, de cohab. III, 2, iunct. discipl. vig.; Ritual. Rom. v. g. de ministro baptismi; Collect. S. C. de Prop. F. n. 532 sq. 664 sq.; cit. Conc. plenar. A. l. n. 481.

(32) Rituale Rom. v. g. de iis, quae in administr. sacram. Tit. I. cap. unic.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 681 sq. 707 sq.

(33) Conc. Trid. Sess. VII, can. 4; cit. Conc. plenar. n. 523 sq.; *Devoti* l. c. § 12; *Pesch* l. c. t. VI, n. 308 sq. 409 sq. 437 sq. 538 sq. t. VII, n. 557, 854 sq. Qua in re disputatio de obligatione ex *sola lege divina* imposita potissimum spectat ad theologos (cfr. v. g. ipsorum controversias de lege divina recipiendi confirmationem vel extremam unctionem); at canonistarum est inquirere, num forte esistat obligatio saltem *ex lege ecclesiastica* etiam *poenis canonicis* munita.

(34) Cfr. de *nomine* et notione et esistentia baptismi: *Pesch* l. c. t. VI, n. 348 sq.; *Schanz* l. c. p. 203 sq.; *Kraus,* Real-Encykl. v. v. Taufe sq.; *Devoti* l. c. §§ 21 sq.; *Schmalzgr.* l. III, t. 42 de bapt. et eius effectu n. 1 sq.

sanguinis, qui martyrio producit animae sanctificationem, huc praesertim spectat baptismus aquae, cuius notio unice supra data est. Ille enim solus imprimit characterem et constituit baptizatum in *membrum* et *subditum* Ecclesiae. Quae res potissimum pertinet ad canonistas, quorum maxime interest scire, quinam *iurisdictioni* i. e. potestati legiferae, iudiciariae, coercitivae Ecclesiae sint subiecti. At Ecclesia baptizatos baptismate flaminis vel sanguinis a suis *favoribus* nequaquam penitus excludit (35).

Baptismus aquae recte *dividi* potest in baptismum *solemnem* et in baptismum *privatum* sive *necessitatis* causa collatum. Ille datur a proprio ministro *consecrato* cum omnibus ritibus *etiam* accidentalibus ab Ecclesia praescriptis, hic in casu necessitatis a ministro *etiam non consecrato* omissis ceremoniis accidentalibus et servatis tantum ritibus *substantialibus,* can. 737, § 2. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. (ed. 1ª) n. 535.

Art. 1. — De ministro baptismi

32. I. **Minister** *capax validi* baptismi est quilibet homo viator distinctus a baptizato sive vir sive femina, laicus vel clericus (36), haereticus vel schismaticus vel excommunicatus vel etiam infidelis (37), dummodo usu rationis polleat et observet ritum substantialem et habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. At nemo potest valide seipsum baptizare (38).

(35) Cfr. c. 34, 37, D. IX, cons.; cap. 2, X. presbyt. non bapt. III, 43; Conc. Trit. Sess. VI, doctr. cap. 4; *Pesch* l. c. n. 409 sq. 418 sq.; *Gasparri,* De ss. euchar. n. 487; Conc. prov. Vienn. (a. 1858) in Collect. Lac. V, col. 190, cuius decretum de ecclesiastica sepultura *catechumenis* concedenda certe cap. 2, 3, X, de presbyt. est conformius quam rigidior sententia communis. Cfr. *Ferraris* l. c. v. Sepultura n. 172. Cui benigniori sententiae adhaesit in Codice legislator, eamque certis limitibus circumscriptam firmavit can. 1239.

(36) Cfr. c. 38, Conc. Illiber. (a. 300-306); S. Aug. in c. 97, § 3, C. I, q. 1; Collect. S. C. de Prop. F. n. 534, 536, 537, 538; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 70 sq. 74 sq.; *Pesch* l. c. n. 467 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 40 sq.; *Devoti* l. c. § 27; *Duchesne* l. c. p. 325 sq.

(37) Cfr. c. 24, 31, 109, D. IV, de cons.; cap. 1, § 4, X, de summ. I, 1; Decret. pro Armen.; Con. Trid. Sess. VII, de bapt. can. 4; S. C. Inq. 18, Dec. 1872, in cit. Collect. 539; *Hefele* l. c. t. I, p. 117 sq.; *Scherer* l. c. p. 75, not. 6, ubi nimis *generalem* assertionem *Hinschius* l. c. t. IV, p. 28, not. 2 recte ad iustos terminos historicos reducit.

(38) Cap. 4, X, de bapt. III, 42; *Schmalzgr.* l. c. n. 40.

II. Minister *legitimus solemnis* et *licitae* administralionis baptismi *ordinarie* est *ex officio* Ordinarius loci (39) vel parochus proprius domicilii quoad incolas sui territorii (40) vel alius sacerdos cum simplice licentia competentis Ordinarii vel parochi etiam absque necessitate data (41), quae licentia in casu necessitatis legitime praesumitur. *Extraordinarie* etiam diaconus, dummodo a competente Ordinario vel parocho ex iusta causa specialiter sit *delegatus* seu licentia munitus, quae pariter, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur (42). Peregrinus, i. e. extra domicilium natus ad parochum domicilii pro solemni baptismo est deferendus, si id facile et sine mora fieri possit; secus peregrinum quilibet parochus in suo territorio potest solemniter baptizare (can. 738, § 2).

At quoties *infans* aut *adultus* versatur in periculo vitae *etiam licite potest sine solemnitate* a quocumque baptizari in qualibet lingua sive clerico sive laico etiam excommunicato, sive fideli sive infideli, sive catholico sive haeretico, sive viro sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiae. Sed si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem, vel nisi femina melius sciret formam et modum baptizandi. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet (43). Quatenus fieri possit, in casu urgenti baptismi privati, adhiberi debent duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit (can. 742).

(39) Decret. pro Armen.; Rit. Rom., De sacram. bapt.; *Devoti* l. c. § 27; *Schmalzgr.* l. c. n. 41, 45 sq. Cfr. de vestigiis antiquae disciplinae, qua ad Episcopos singulariter spectabat *solemnis* administratio baptismi: Analect. iur pontif. (a. 1861) col. 504 sq.; Act. S. Sed. vol. IX, p. 435 sq. vol. XVII, p. 88 sq.; *Devoti* l. c. not. 1; *Kraus* l. c. v. Taufe n. 3; *Hinschius* l. c. p. 28.

(40) Rit. Rom. l. c.; S. C. C. 6 Feb. 1734; *Ferraris* l. c. v. Baptismus art. 6, n. 18; *Schmalzgr.* n. 42. At consuetudine particulari fieri potest, ut parochus v. g. Basilicae Vaticanae obtineat ius baptizandi etiam incolas *aliarum* parochiarum eiusdem civitatis.

(41) Rit. Rom. l. c.; S. C. de Prop. F. 2 Ian. 1789 ad 1, 2, 3, in cit. Collectan. n. 611.

(42) Pont. Rom.: « *Diaconum enim oportet..... baptizare* »; c. 77 Conc. Illiber (a. 300 - 306); c. 13, D. 93, et c. 19, D. IV, de cons. (Gelas. I); S. R. C. 28 Nov. 1852 in cit. Collect. n. 626; *Schmalzgr.* l. c. n. 43, 44; Arch. f. k. K. t. 62, p. 99 sq.

(43) Rit. Rom. l. c.; c. 7, C. XXX, q. 1; h. tit. not. 23, 39.

Parocho incumbit cura procurandi ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe addiscant; et de obligatione in tali casu baptismum ministrandi edoceantur (can. 743).

III. Ministri *obligati* ad conferendum baptismum sunt omnes illi, quibus *ex officio* et *iure proprio* administratio baptismi est commissa; imo in casu *necessitatis,* quo ab *aliis* quoque baptismus saltem *privatus* licite conferri *potest,* etiam illi ad administrandum baptismum *obligantur* (44).

IV. Etiam in memoriam antiquae disciplinae, adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato *solemnius,* conferatur (can. 744). Quae maior solemnitas profecto et ad aliorum aedificationem et ad ipsum neophytum in fide confirmandum maxime conducit.

Art. 2. — De subiecto baptismi

33. I. **Subiectum** baptismi ex ordinatione divina Christi Domini est omnis homo viator et nondum baptizatus. Qui, si usum rationis *nondum* habet v. g. *infans* vel *amens* inde a nativitate, ut validi et etiam fructuosi baptismi sit *capax,* ex parte sua nihil contribuere debet (45). At *adulti,* qui usum perfectum rationis adepti sunt i. e. « *regulariter completo* septennio », *validi* baptismi *capaces* non sunt, nisi ipsi saltem habuerint voluntatem sive *intentionem* a vi *absoluta* liberam recipiendi baptismum (can. 745) (46).

(44) Collect. Lac. t. I, col. 298, 521, t. III, col. 23, t. V, col. 161, 643. De ministrandi obligatione cfr. S. C. C. 24 Maii 1823 in ed. *Richt.* C. Tr. p. 46, n. 7.; Collect. Lac. l. c.

(45) Synod. Carthag. (a. 252) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 115; c. 5 Conc. Gerund. (a. 517); cap. 1, § 4, X, de sum. Trin. I, 1; cap. un. §§ 2, 3, eod. l. in Clem.; Conc. Trid. Sess. VII, de bapt. can. 12 sq.; Rit. Rom. l. c. de baptiz. parvulis; S. C. C. 12 Iul. 1794 apud *Richt.* l. c. p. 42, n. 4; S. C. Inq. 15 Febr. 1780 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 573, iunct. n. 554, 571; *Schmalzgr.* l. c. n. 31 sq. *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. t. VII, c. 5; *Schmalzgr.* l. c. n. 20 sq.; *Pesch* l. c. n. 441 sq. 451 sq., ubi recte de valore baptismi parvulorum in utero matris mitiori sententiae calculum adiicit; *Hinschius* l. c. p. 30 sq.

(46) Cfr. c. 32 Con. Hippon. (a. 393); c. 12, 13 Conc. Arausic. I, (a. 441) = c. 7, C. XXXVI, q. 7; c. 57 Con. Tolet. IV, (a. 633) = c. 5. D. 45; cap. 9, X, de Iud. V. 6; cap. 3, X, de bapt. III, 42; cap. 13, de haeret. V, 2, in Sext.;

II. *Infans in utero matris* clausus potest baptizari solum in casu necessitatis, cum nempe nulla vere probabilis spes adsit, ut rite in lucem editus baptizari possit. Qui propter necessitatem in utero fuit baptizatus, post ortum denuo est baptizandus sub conditione: quo iuris praescripto ostenditur a legislatore baptismum foetus intra matris uterum exsistentis non haberi ut *certo* validum.

Quodsi infans, cuius naturalis editio non speratur, caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizari debet in capite et quidem absolute, nec postea si vivus evaserit est iterum sub conditione baptizandus.

Si emiserit aliud membrum, in illo, si periculum immineat, baptizari debet sub conditione; ita vero baptizatus, si natus vixerit, rursus sub conditione baptizandus est.

Si mater praegnans mortua fuerit, foetus *ab iis ad quos spectat* extractus, si certo vivat, baptizandus est absolute; si dubie, sub conditione, (can. 746). Quo praescripto indirecte saltem ponitur obligatio extrahendi fetum ex utero matris demortuae, quae iam deducitur ex generali caritatis praecepto proximo succurrendi in extrema spirituali necessitate constituto. Interim Cfr. Rituale Rom. Tit. II, cap. 1, n. 20; S. C. S. O. 15 Febr. 1780, 13 Dec. 189 (47).

III. *Foetus abortivi omnes*, quovis tempore editi, baptizandi sunt; et si certo vivere deprehendantur, absolute; si dubie, sub conditione (can. 747). Cuius praescripti efficax ratio habetur in sententia hodie communiter recepta et, relictis aliis doctorum antiquorum opinionibus, tenenda, quod foetus humanus a primo conceptionis momento anima rationali informatur (48).

IV. *Monstra et ostenta* semper baptizanda sunt saltem sub conditione (can. 748).

Rit. Rom. l. c., De bapt. adult.; Benedict. XIV cit. Const. « *Postremo* » § 32; S. C. C. 20 Ian. 1770, 16 Iulii 1639. apud *Richt*. l. c. p. 43, n. 6, 9; S. C. de Prop. F. 3 Martii 1703 in cit. Collect. n. 550, iunct. n. 589; *Schmalzgr*. l. c. 58; *Devoti* l. c. § 28, ubi de parvulis severiorem sequitur sententiam; *Pesch* l. c. n. 432 sq.; *Hinschius* l. c. p. 49 sq., ubi perperam arguit contradictionis *Gregor. M.* c. 4, C. XXIII, q. 6.

(47) Utrum mater teneatur operationem Caesaream vel similem incisionem pati, ut foetus ex utero extractus baptizari possit disputant moralistae: Cfr. *Cappello* l. c. n. 165; *Ferreres* l. c. n. 53 sq. Idem, Theologia moralis II, n. 341 sq.

(48) Cfr. *Ferreres* l. c. n. 59 sq. et eiusdem La muerte real, n. 14 sq.

V. In dubio utrum fetus editus unum an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione (can. 748) (49).

VI. Infantes expositi et inventi nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub conditione sunt baptizandi.

VII. Infantibus, ut dictum est, aequiparantur adulti *amentes et furiosi*, qui sint tales a nativitate vel a tempore quod antecedit rationis usum, ideoque independenter ab eorum voluntate sunt capaces validi et fructuosi baptismi, et iis sub quorum cura sunt incumbit obligatio procurandi eorum baptisma prorsus eodem modo quo urget obligatio respectu infantium; ideoque etiam baptisma infantium non adultorum est ipsis tribuendum; baptizantur in fide Ecclesiae ut infantes (can. 754, § 1).

Quodsi non agatur de perpetua amentia aut furore, sed de dementibus qui lucida habeant intervalla, in quantum hoc (v. gr. auditis peritis) sciri possit, hi, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Baptizandi quoque sunt in mortis periculo, independenter ab actuali ipsorum petitione, si, antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint (can. 754, § 2, 3).

Quodsi tandem agatur de eo, qui actuali lethargo aut phrenesi laborat, is vigilans tantum et volens baptizari potest, excepto periculo mortis, in quo praecedens ostensio desiderii baptismi accipi potest ut voluntas habitualiter perseverans recipiendi baptismi, ex qua in tali periculo baptizari potest et debet (can. 754, § 4).

34. VIII. *Infantes infidelium invitis* parentibus *valide*, sed propter prohibitionem iuris naturalis et ecclesiastici *non licite* baptizantur, nisi sint in periculo mortis; quo mortis periculo exsistente, praevalet ius infantis ad bonum spirituale necessarium iuri parentum erga filios. Infantes vero, qui a parentibus etiam non baptizatis *sponte* offeruntur, vel saltem in ipsorum baptismum consentiunt parentes, tutores vel unus eorum, licite baptizari possunt, *dummodo* in singulis casibus non praevideatur grave perversionis periculum et non constet parentes ob superstitionem suam offerre infantes baptizandos (50). Pariter, nisi verificetur memorata praevisio, baptizari licite

(49) *Ferreres*, Derecho sacram. n. 64 sq.

(50) Cfr. c. 63 Conc. Tolet. IV, (a. 633) = c. 10, C. XXVIII, q. 1; cap. 2, X, de convers. infid. III, 33; cap. un., X, de inf. V, 14; Benedict. XIV Const. « *Postremo* » 28 Febr. 1747 et Const. « *Probe* » 15 Dec. 1751; Collect. S. C.,

possunt infantes infidelium, si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in infantem amiserint, vel illud exercere nullo pacto possint (can. 750). At infantes parentum *christianorum*, qui iurisdictioni Ecclesiae sunt subiecti, omnino baptizari *debent* etiam infra tempus iure ecclesiastico statutum (51).

IX. Circa baptismum infantium duorum *haereticorum aut schismaticorum*, aut duorum catholicorum, qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sunt, generatim ex positiva iuris dispositione valent eaedem regulae traditae de infantibus infidelium (can. 751) (52). — De iure *quidem* Ecclesia posset exigere *etiam* coactive ab huiusmodi acatholicis baptismum *et quidem* catholicum suorum filiorum, sunt enim subditi Ecclesiae et eodem iure divino tenentur quo parentes catholici. At praevisio illa profanationis baptismi per acatholicam educationem in circumstantiis normalibus habetur, quam lex Ecclesia vult vitare.

Filii vero matrimonii mixti eodem reguntur iure, quo filii catholicorum, cum matrimonium catholici cum acatholico vel infideli ab Ecclesia non permittatur nisi sub cautione prolem catholice baptizandi et educandi. In praxi tamen si cautiones datae non serventur, inspectis peculiaribus circumstantiis, ius Ecclesiae cum periculo profanationis baptismi non erit urgendum.

X. *Adulti*, quibus ex praecepto *divino* incumbit *obligatio* suscipiendi baptismum (53), *licite* huiusmodi sacramentum recipere non

---

de Prop. F. n. 540 sq. (533, 564, 565, 566), ubi longa serie dubia particularia resolvuntur; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 493, i. f.; S. C. Inq. 6 Sept. 1899; *Schmalzgr*. l. c. n. 36 sq.; Katholik (a. 1859) p. 64 sq.; *Scherer* l. c. p. 80 sq.; *Hinschius* l. c. p. 50 sq.

(51) Cfr. c. 59, 60 Conc. Tolet. IV, (a. 633) = c. 94, D. IV, de consecr. et c. 4, C. XXVIII, q. 1; Bened. XIV, cit. Const. « *Postremo* » §§ 4 sq. 16 sq. 32 et cit. Const. « *Probe* »; Rit. Rom. l. c., De bapt. parv.; Collect. S. C. de Prop. F. v. g. n. 540, 541 sq. 559 sq. 577, 585, 595; *Schmalzgr*. l. c.

(52) Cfr. de baptizandis *infantibus parentum haereticorum vel schismaticorum*: S. C. Inq. 21 Ian. 1767; S. C. de Prop. F. 17 Aug. 1777 n. IX, in cit. Collectan. n. 566, 571; Collect. Lac. t. III, col. 23, 634, 740, 928 sq. Quae *Hinschius* l. c. p. 53 sq. profert de quibusdam dioecesibus Germaniae probant laxismum antiquorum temporum, non genuina principia canonica et legitimam disciplinam nunc vigentem.

(53) Cum homines nondum baptizati etiam iurisdiction Ecclesiae non subsint, illud praeceptum *divinum* directis *legibus* et *poenis ecclesiasticis* urgeri nequit. At Ecclesia statuere potest, ut catechumeni culpabiliter differentes bap-

possunt, nisi praeter conditiones ex parte ipsorum ad *validam* susceptionem baptismi necessarias etiam illas sibi procurent *dispositiones* et *praeparationes*, quae ex natura huius sacramenti et statutis Ecclesiae omnino requiruntur. Quare ante omnia: *a*) probe instructus esse debet in veritatibus, quarum in ipso baptismo professionem facit. Insuper afferat necesse est saltem veram attritionem de peccatis suis, quae non attrito nequidem per baptismum remittuntur et si fuerint gravia impediunt ne per baptismum iustificetur donec accesserit illa vera attritio (can. 752, § 1).

In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis instrui diligentius, satis erit ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se eisdem assentire serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum (can. 752, § 2).

Quodsi baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus erit sub conditione; si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, rursus baptismus erit sub conditione conferendus (can. 752, § 3).

b) Non ex rigoroso praecepto, sed ex decentia et reverentia sacramento debita, convenit ut tam sacerdos qui *adultum* baptizaturus est, quam ipse adultus baptizandus si sanus sit, baptismum respective ministret aut recipiat ieiunus (can. 753, § 1).

c) Tandem adultus baptizatus, statim post baptismum receptum Missae sacrificio adsistere et sacram communionem percipere debet, nisi graves urgentesque causae obsint (can. 753, § 2). Certe adultus baptizatus statim subest obligationi divinae et ecclesiasticae sacrae communionis recipiendae (54).

---

tismum post receptum baptisma certas incurrant poenas et inhabilitates. Cfr. v. g. de clinicis c. 12 Conc. Neocaesar. (a. 314-325) = c. 1, D. 57, iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 249 sq. et *Wernz* Ius Decr. t. II, n. 118 sq.; c. 128, D. IV, de cons. (S. Ioann. Chrysost.).

(54) Si sepositis vocibus res attendatur, secundum antiquam disciplinam inter adultos homines praeparandos ad baptisma tres gradus distingui possunt scil. imprimis illi *rudes*, qui velut in *primo scrutinio* constituti nondum signo crucis cum manuum impositione inter *veros catechumenos* fuerunt admissi; deinde *catechumeni* proprie dicti; denique *competentes*, qui iam immediate ad baptismum sese disponentes tanquam *fideles* intra *membra Ecclesiae* nondum erant adscripti. Cfr. *Tertullian.*, De poenit. cap. 6; c. 39, 42, Conc. Illiber. (a. 300-306) et c. 6 Conc. Arelat. (a. 314) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 172 sq. 207 771; c. 5 Conc. Neocaesar. (a. 314-325) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 246 et t. II,

Art. 3. — De ritibus et ceremoniis baptismi

35. Principii instar ponendum est baptismum *solemniter* esse conferendum, praeterquam in mortis periculo (can. 755), i. e. observatis ritibus substantialibus materiae et formae debitae et accidentalibus in libris Ritualibus praescriptis.

Porro alii ritus pertinent ad baptismum infantium, alii vero adhibentur in adultorum baptismo.

Potest autem loci Ordinarius gravi et rationabili de causa permittere, ut in baptismo adultorum adhibeantur ceremoniae praescriptae pro baptismo infantium. Quo principio supposito:

36. Ritus, qui in administrando baptismo omnino servari debent, sunt:

I. *Valida materia remota,* quae ex iure divino est sola et quaelibet aqua vera et naturalis (55); at ut *licita* sit, ex iure ecclesiastico

---

p. 28; *Funk* in Act. theol. Tubing. (a. 1883) t. 65, p. 41 sq., ubi recte divisiones catechumenorum in quatuor gradus refutat; *Scherer* l. c. t. II, p. 77, not. 15; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 509 sq.; *Duchesne* l. c. p. 281 sq.; *Hinschius* l. c. p. 23 sq.; aliter *Devoti* l. c. §§ 39 sq. aliique.

Ecclesia diversis gradibus catechumenatus, quos Vicarius Apostolicus Sutchuensis cum « *Cardinalibus Bellarmino et Bona* » *quatuor* in primitiva Ecclesia fuisse existimavit (cfr. S. C. Inq. 28 Sept. 1724), iam pridem non amplius insistit atque ex disciplina vigente tempus et curriculum catechumenorum determinare pro singulis casibus prudentiae et pietati Vicarii Apostolici etiam in missionibus relinquit. Cfr. S. C. de Prop. F. 20 Febr. 1801, 11 Sept. 1841. Nihilominus nunc quoque inculcat, ut nullus adultus ad baptismum admittatur, nisi post competentem instructionem et sufficientem probationem (cfr. Alex. VII Const. « *Sacrosancti* » 18 Ian. 1658; Bened. XIV cit. Const. « *Postremo* »; S. C. de Prop. F. 18 Oct. 1883), ideoque novas formas praeparationis v. g. in domibus catechumenorum commendat (cfr. S. C. de Prop. F. 8 Sept. 1869) atque urget exsecutionem eorum, quae iure divino praescripta sunt. Cfr. v. g. S. C. Inq. 25 Ian. 1703, 10 Maii 1703, 22 Maii 1713, 22 Maii 1830, 18 Sept. 1850, 4 Iun. 1851, 20 Sept. 1854, 28 Mart. 1860, 10 Apr. 1861, 25 Iun. 1866; S. C. de Prop. F. a. 1760 et cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 543 sq.

(55) Ioan. III, 5; cap. 5, X, de bapt. III, 42; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, de bapt. can. 2; Ritual. Rom. l. c.; *Schmalzgr.* l. c. n. 12; *Devoti* l. c. § 22, et *Scherer* l. c. p. 77, not. 13, ubi recte tanquam *spurium* reiiciunt responsum 11, quod Stephanus III c. a. 754 ad (17) interrogationes alicuius monasterii dicitur dedisse (cfr. *Hefele* l. c. t. III, p. 580; *Hinschius* l. c. t. IV. p. 31. not. 6, qui authentiam responsi sine solido fundamento habet indubiam), scl. quod sacerdos baptizans *vino* infantem moribundum non sit puniendus, et « *infantes sic permaneant in baptismo* ».

saltem in baptismo *solemni* aqua baptismalis specialiter *benedicta* sit oportet (can. 757, § 1) (56).

Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem, bene mundatum et nitidum, recentem aquam infundat, ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat (can. 757, § 2, 3).

Materia autem *proxima* est ipsius aquae applicatio per veram *ablutionem* baptizandi *a ministro* factam. At quamvis ad *validam* baptismi administrationem unica ablutio sive per *immersionem* sive per *infusionem* sive per *aspersionem* omnino sufficiat, tamen nunc standum est legibus ecclesiasticis, quibus saltem baptismus solemnis per *trinam* ablutionem dari debet. At forma *aspersionis* a communi praxi iamdiu est aliena; apud Latinos inde ex saeculo decimo tertio forma *immersionis* paulatim in desuetudinem abiit, et fere unice adhibetur trina infusio; Ecclesiae *quaedam* orientales quandoque maiori minorive rigore formam *immersionis* retinent, aliae pariter servant trinam infusionem (57). Codex quoque, can. 758 insistit in *infusione* vel *immersione* vel *complexu utriusque* secundum usum diversarum Ecclesiarum earumque probatos rituales libros.

II. *Forma* baptismi sunt verba: « *Ergo te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* », vel verba aequivalentia ritus graeci: « *Baptizatur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* », quae ab *eodem* ministro baptizante sive aquam baptizando applicante etiam *eodem moraliter tempore* ablutionis pronuntianda sunt (58).

(56) *Tertull.*, De bapt. cap. 4 6; *S. Cypr.* epist. 70; *S. Basil.*, De Spirit. Sanct. cap. 27; c. 71, 78 D. IV de cons.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Taufwasser; Rit. Rom. l. c.; S. C. Inq. 22 Iun. 1883: « *Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est, quando fieri potest, aqua benedicta iuxta formulam in novis editionibus Ritualis Romani;* **secus adhibenda est aqua naturalis** »; Collect. S. C. de Prop. F. n. 498 sq.; *Devoti* l. c. § 23.

(57) Catech. Rom. P. II c. 2 n. 6; *Schmalzgr.* l. c. n. 13 14; *Tertull.*, De coron. cap. 4; c. 78 (S. August.) c. 80 (S. Gregor. a. 591) c. 85 (c. 6 Conc. Tolet. IV a. 633) D. IV de consecr.; *Kraus* l. c. v. Taufe n. 11; *Funk* l. c. (a. 1882) t. 64 p. 114; *Devoti* l. c. §§ 25 sq. Cfr. de disciplina vigente; Ritual. Rom. l. c., De forma bapt.; S. C. Inq. 14 Iun. 1741 in cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 600; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888) p. 74; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 19; Collect. Lac. t. II col. 117, 509.

(58) Cap. 1 X de bapt. III, 42; Collect. S. C. P. Fr. n. 519 sq; cit. Synod. Sciarf. p. 71; *Schmalzgr.* l. c. n. 23 sq., 49; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 6, n. 8; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II, n. 63 sq; *Hinschius* l. c. p. 32 sq.

37. III. Quod attinet ad rituum diversitatem: 1°) Proles ritu parentum baptizari debet; 2°) si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizari debet, nisi aliud iure speciali cautum fuerit; 3°) si unus tantum parentum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est (can. 756, iunct. can. 98).

Quoad caeremonias accidentales accurate observari debent libri rituales cuiusque Ecclesiae (59).

38. IV. Praeter ea quae dicta sunt de aqua specialiter benedicta et de ministro, baptismus solemnis maxime etiam difert a privato ex aeremoniis, quae in privato omitti possunt, in solemni sunt adhibendae et ritui substantiali debitae materiae et formae accedunt et ex solo Ecclesiae praecepto adhiberi debent.

a) Iamvero *in mortis periculo* baptismum privatim conferre licet, id est sine ulla ceremonia in Rituali praescripta; quae caeremoniae omnino omittendae sunt si baptismum privatum is conferat, qui nec sacerdos sit nec diaconus; ab his vero qui sunt ministri ordinarii et extraordinarii baptismi solemnis, servandae quoque sunt, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur.

b) Extra mortis periculum caeremoniae accidentales omnes servandae sunt, nec Ordinarius privatum baptismum permittere potest, nisi agatur de haeretico qui in adulta aetate sub conditione baptizetur. Caeremoniae autem quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur, excepto casu haeretici dispensati (can. 759 § 1-3).

c) Quandocumque baptismus sub conditione iterandus est, caeremoniae, si quidem in priore baptismo omissae fuerint, suppleri debent excepto casu haeretici dispensati ut supra; sin autem in priore baptismo adhibitae fuerint, liberum est in altero aut caeremonias repetere aut omittere.

39. V. *Impositio nominis.* Ad accidentalia baptismi pertinet ut baptizando imponatur christianum nomen, idque omnino curare debet parochus: quodsi in casu particulari hoc consequi non possit (v. gr. ex prava voluntate parentum), nomini a parentibus imposito addat nomen alicuius Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribat (can. 761). Quod nomen baptizandis imponitur

(59) Cfr. Collect. S. C. P. F. n. 596 sq.; *Kraus* l. c. v. Taufe; *Thalofer* l. c. p. 509 sq.

« tamquam Dei filiis in Christo regenerandis et in eius militiam adscribendis » (Ritual. Rom.); imponitur autem, quatenus fieri potest nomen Sanctorum « quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur » (Ritual. Rom.) (60).

Art. 4. — De patrinis baptismi.

40. Ex vetustissimo Ecclesiae more est, ut baptizandis assignentur patrini, qui etiam dicti sunt sponsores vel susceptores (61); quorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem pertinent, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse solemni caeremonia spoponderunt (can. 769).

I. Per se patrinus omnino adhiberi *debet* in baptismo sollemni, quatenus fieri potest seu nisi gravis et rationabilis causa excuset.

II. Etiam in baptismo privato, si facile haberi queat, est adhibendus; quodsi in privato baptismo non interfuerit, adhiberi debet in supplendis baptismi caeremoniis, quo casu tamen nullam contrahit spiritualem cognationem sed tantum generales patrini obligationes (can. 762) (62).

(60) Praesertim reiicienda sunt nomina obscoena, fabulosa aut ridicula vel inanium deorum aut impiorum ethnicorum hominum. Cfr. resp. S. O. 17 Ian. 1883; Benedictum XIV const. « *Omnium* » 12 Sept. 1744 § 14 et Litt. Apost. 1 Aug. 1744 in Collect. S. C. P. Fr. n. 605; Collect. Lac. t. V, col. 161; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 506; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 77; *Scherer* l. c. p. 78; *Kraus* l. c. v. Namen IV; *Hinschius* l. c. p. 48 sq. Cfr. quoque Cod. Inst. IX, 25 de mutatione nominis; Cod. civil. Ital. art. 374.

Per se parentibus, patrino aliisque, qui locum parentum tenent ius est nomen baptismale eligendi, salvis legibus ecclesiasticis; in eorum defectu ipse parochus vel minister baptismi nomen imponit.

Mutatio nominis in baptismo impositi, v. gr. in Confirmatione *privatae* familiae aut ipsius baptizati *voluntati* non est relinquenda; nam documenta v. gr. de natalibus et de aliis ad statum religiosum et civilem necessaria ex libro baptizatorum sunt desumenda; parochus autem in illo libro mutationes facere non potest, nisi praevie recognitae et approbatae fuerint ab Ordinario. Cfr. can. 470.

(61) Cfr. de historia patrinorum sive sponsorum vel susceptorum: *Tertullian.*, De bapt. cap. 18; c.; c. 77 (S. Aug.) D. IV de cons.; c. 3 de cogn. spirit. IV 3; *Kraus* l. c. v. Taufe n. 2.

(62) Cfr. S. C. C. 13 Iulii 1624; Conc. plen. Amer. Lat. n. 505.

III. In iteratione conditionata baptismi, idem patrinus, quatenus fieri potest, adhiberi debet, qui in priore baptismo forte adfuit; quodsi in priori baptismo patrinus defuit, aut si adfuit in iteratione conditionata *idem* haberi non possit, non est necessarium ut adhibeatur, licet adhiberi possit. Semper tamen fixum maneat, cognationem spiritualem non contrahi nec a patrino prioris baptismi nec a patrino iterationis conditionatae, nisi *idem* patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit (can. 762, 763).

IV. Unus tantum sive vir sive mulier vel ad summum unus vir et una mulier assumi debet; assumptus vero non prohibetur munus in ministratione baptismi explere per procuratorem. Patrini rite sunt designandi a parentibus ipsius baptizati vel ab iis ad quos spectat, et nonnisi his deficientibus ab ipso parocho seu ministro baptismi (63). Parochi est ultra numerum permissum alios excludere designatos.

41. *Habilitas ad munus patrini.* Attento fine ad quem munus ordinatur, merito ab Ecclesia plures personae excluduntur a tali munere sive *valide*, sive saltem *licite* suscipiendo.

a) Ut quis *valide sit patrinus*, oportet (64):

1°) Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2°) Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis (cfr. can. 2256, § 2), nec sit clericus depositus vel degradatus;

3°) Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi (65);

(63) Con. Trid. Sess. XXIV cap. 2 de ref. matr. iunct S. C. C. 5 Mart. 1678; Rit. Rom. l. c., De patrinis; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 76; cit. Conc. plen. Amer. lat. n. 501 505; *Devoti* l. c. §§ 36 sq.; *Laurin* in Arch. f. k. K. t. 55 p. 369 sq.

(64) De iure praecedenti cfr. c. 102. D. IV. de cons.; Rit. Rom. l. c. iunct. S. C. Inq. 9 Dec. 1763 et S. C. de Prop. F. 1 Apr. 1816 in cit. Collect. n. 604 606 618; S. C. Inq. 17 Sept. 1871; Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V. col. 815 sq. t. I col. 298; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 75 sq. Quo praecedenti iure non erat accurate facta distinctio inter incapacitatem et illiceitatem.

(65) Cfr. c. 25 Conc. Antissiod. (a. 590); c. 16 Synod. Aquisgr. (a. 817); c. 103 104 D. IV de cons.; c. 8 C. XVI q. 1; Rituale Rom. l. c. iunct. Collect.

4°) Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus

5°) Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis.

b) Ut quis *licite admittatur* ad munus patrini, oportet:

1°) Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur;

2°) Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;

3°) Fidei rudimenta noverit;

4°) In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis (66);

5°) In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinari proprii licentia (can. 765, 766) (67).

Existente dubio utrum quis valide vel licite admitti possit, necne, ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium (can. 767); si tempus non suppetat ipse resolvat.

42. *Cognatio spiritualis,* quae matrimonium dirimat (can. 1079), iure Codicis non exoritur nisi inter baptizatum et baptizantem vel patrinum (can. 768). Quare iure Codicis valde restrictum est impedimentum ex cognatione spirituali ortum, ex iure Tridentino (sess. XXIV, cap. 2 de ref.) multo magis extensum. At ipsa cognatio spiritualis oritur ex quovis baptismo *valido* seu solemni seu privato, etiam cum patrino, qui *valide* licet illicite munus obierit. Quodsi patrinus munus obeat per procuratorem, ille, non procurator, cognationem contrahit (S. C. C. 11 Iun. 1881).

Lac. t. IV col. 712 1115 1184; *Ferrari*, De statu relig. p. 226 sq.; *Zech* l. c. § 203 Cfr. S. R. C. 15 Feb. 1887.

(66) Collect. Lac. t. IV col. 115, 568, 480, 889, t. V. col. 19 492 815 t. VI col. 11.

(67) Rit. Rom. l. c.; c. 55 Conc. Mogunt. (a. 813); c. 2 C. XXX q. 1; *Devoti* l. c. § 37 Cfr. quoque Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 76, quae simpliciter *prohibet*, ne impuberes sint patrini; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V. col. 492, ubi ab officio patrini absolute prohibentur, qui nondum sunt confirmati aut saltem ad primam communionem fuerint admisi.

Art. 5. — De tempore et loco baptismi conferendi.

43. Tempus quod attinet, baptismus *privatus*, urgente necessitate conferendus, quovis tempore administrari debet ipsa necessitate definito. *Infantes* quamprimum baptizari debent, et parochi ac concionatorum est, frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commonere; quamprimum autem non baptizantur, nisi intra tres vel saltem octo dies a nativitate baptismus conferatur (68). — Etiam solemnis baptismus sive infantium sive adultorum qualibet die administrari potest, ut sancitur can. 772, postquam iampridem in desuetudinem abierunt antiquae leges ecclesiasticae, quibus administratio baptismi, excepto necessitatis casu, fiebat diebus paschatis et pentecostes; in cuius antiquae disciplinae memoriam citatus canon decere ait adultorum baptismum conferri, si commode fieri queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis vel cathedralibus ecclesiis.

44. Locus baptismi *privati* in casu necessesitatis est quilibet locus, in quo necessitati occurrenti providendum est. Baptismi vero *solemnis* locus proprius est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico (can. 771, 772) (69). — Cum autem baptismus solemnis sit functio parocho reservata (can. 462), merito can. 774 praecipit ut quaelibet paroecialis ecclesia baptismalem habeat fontem, revocato ac reprobato quovis contrario statuto, privilegio vel consuetudine; quodsi aliqua ecclesia ius habeat legitime quaesitum ut in ea possint baptizari, qui non sint paroeciani talis ecclesia, illud ius est cumulativum cum iure parochi, non exclusivum (70). Porro pro

(68) *Tertullianus*, De bapt. c. 19; Conc. Gerundense (a. 517); c. 3, Conc. Matison. II (a. 585); c. 18, Conc. Antissiod. (a. 590); c. 11, 12, 18, D. IV de consecr. (Gelas. I, a. 494); *Kraus* l. c. v. Taufe n. 2; Collect. Lac. v. Baptismus; Conc. plen. Amer. Lat. (a. 1899) n. 499; Synod Sciarf. (a. 1888) p. 72.

(69) *Kraus* l. c. v. Taufkirche; cap. unic. de bapt. III, 15, in Clement.; S. C. Inq. 28 Febr. 1666 10 April. 1861; S. C. P. F. 27 Ian. 1805; S. R. c. 4, Febr. 1871; cit. Synod. Sciarf. p. 71; Collect. L. t. V, col. 348, 490, t. VI, col. 153.; *Schmalzgr.* l. c. n. 50; *Hinschius* l. c. p. 32 sq.

(70) Attenta declaratione Commissionis Codic. 12 Nov. 1922 (A. A. S. XIV, p. 662, si alicui ecclesiae competebat ius exclusivum, relate ad baptismum,

commoditate fidelium loci Ordinarius potest permittere aut etiam iubere ut fons baptismalis, quo parochus utatur, ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.

Si ad ecclesiam paroecialem aut ad aliam quae iure fontis gaudeat baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus solemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet baptismali fonte careant (can. 775). Omnes ergo ecclesiae et publica oratoria intra paroecie fines existentia habent hanc servitutem erga ecclesiam paroecialem pro illo casu gravis incommodi.

In domibus privatis baptismus solemnis administrari non potest, nisi haec adsint adiuncta:

1⁰) quod agatur de baptizandis filiis aut nepotibus eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint;

2⁰) si loci Ordinarius, pro prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.

Quibus in casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco et aqua baptismali de more benedicta (can. 776).

45. Scholion I. Effectus baptismi. Imprimis sunt *gratia* sanctificans, si sine obice fuit receptus, et *character*, de quibus ex professo theologi dogmatici disputant (71). Iuris canonici magis proprii sunt sequentes effectus baptismi aquae rite suscepti, non flaminis vel sanguinis:

I. Baptizatus fit *membrum Ecclesiae* eiusque *iurisdictioni* vi characteris indelebilis in perpetuum et irrevocabiliter subiicitur (72).

hoc post Codicem convertitur in cumulativum, non simpliciter desinit; at in posterum nequidem cumulativum ius cum paroeciis poterit acquiri per consuetudinem, quae reprobatur.

(71) Cfr. c. 3 D. IV de con.; cap. 1 § 4 X de sum. Trinit. I 1; cap. unic. §§ 3, 4, eod. I 1 in Clem.; cap. 3 X de bapt. III 42; Conc. Trid. Sess. V decr. de peccato origin.; *Schmalzgr.* l. c. n. 51 sq.; *Schanz* l. c. p. 238 sq.; *Pesch* l. c. n. 397 sq.

(72) Cap. 1 de mai. et ob. I 8 in Extravg. com. (Bonif. VIII Constit. « *Unam sanctam* »); Conc. Trid. Sess. VII de bapt. can. 7, 8, 11; cap. 8 X de

II. Consequitur *capacitatem* et *ius* servatis servandis *reliqua* sacramenta valide et licite *recipiendi*, imo saltem quoad aliqua sacramenta obstringitur *obligatione* illa suo tempore suscipiendi (73).

46. Scholion II. Iteratio baptismi. Nuspiam iterum baptizari potest, qui *certo* fuit *valide* baptizatus atque idcirco indelebilem accepit characterem. Quodsi baptismus ex quacumque causa *certo* fuit *invalide* collatus v. g. ob defectum essentialis materiae, per *absolutam* administrationem non vere et proprie iteratur, sed potius de novo confertur. *Si post praemissam in singulis casibus diligentem indagationem probabile dubium* est, num baptismus *de facto* sit administratus, aut de suscepto quidem baptismo constat, at de eius *valore prudenter dubitatur,* baptismus *potest* et *debet*, non absolute, sed sub forma *conditionata* denuo conferri (74). Quo ex principio iam facile patet, quaenam *theoriae* de reiteratione baptismi etiam

---

divort. IV 19. Qua ex subiectione etiam efficitur, ut homo baptizatus illico quibusdam impedimentis *matrimonialibus* vel *irregularitatibus* ligetur, a quibus ante baptismum fuit immunis v. g. ex cognatione spirituali vel consanguinitate vel affinitate, ex bigamia, imo forte gravibus *poenis* subiiciatur propter delicta *in ipso baptismo* commissa, v. g. si ab haeretico recepit baptisma. Cfr. cit. cap. 8 X. de divort.; iunct. can. 985, 2.

(73) Cfr. c. 59, 60, C. I q. 1; cap. 1, 3, X de presbyt. non bapt. III 43; cap. 2 de cognat. spirit. IV 3 in Sext.; Decret. pro Armen. Quodsi *Hinschius* provocans ad cap. 3 X de presb. III 43 et cap. 8 X de divort. IV 19 dicit Innocentium III in ea fuisse opinione, quod baptismus aquae non esset unica ianua ad reliqua sacramenta valide *suscipienda*, huiusmodi opinio in cit. cap. 8 X. de divort. omnino non continetur; in cit. vero cap. 3 X de presbyt. sane Innocentius III *in parte historica allegat* rationes disputantium in utramque partem, at in *parte dispositiva* sententiam supra expositam secutus est, ideoque illum sacerdotem fecit « *rite baptizari* » et dein iussit ad singulos *ordines denuo* promoveri non obstante illa sententia quorundam doctorum opinantium baptismum *flaminis* sufficere ad validam receptionem sacramenti *eucharistiae, ordinis, matrimonii*. Cfr. *Schmalzgr.* l. III t. 43 n. 2 sq.; *Lugo* De vener. euch. sacram. disp. 13 n. 5 sq. 7.

Si quis vir non baptizatus ordinetur presbyter vel Episcopus, profecto eius actus, qui ab *ordine* vere suscepto *non* pendent v. g. administratio baptismi, assistentia in matrimonio validi sunt habendi; at irriti sunt, qui *ex iure divino* pendent ab *ordine valide recepto* v. g. consecratio eucharistiae. Nam Ecclesia supplere nequit, quae ex iure divino ad valorem sacramentorum sunt necessaria. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXI doctr. cap. 2; *Schmalzgr.* l. c. n. 7 8.

(74) Conc. Trid. Sess. VII can. 9, cap. 2 X de bapt. III 42; *Schmalgr.* l. III t. 42 n. 54 sq. 58; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 6; *Hollweck* l. c. p. 323 (de irregularitate contracta ex criminosa reiteratione baptismi), quae iure Codicis fuit suppressa nisi sit coniuncta cum haeresi.

conditionata prorsus sint reiiciendae (75) v. g. rebaptizandi saltem sub conditione *indiscriminatim omnes* baptizatos ab obstetricibus, catechistis, ministris schismaticis vel haereticis, et quomodo in casibus particularibus *practice* sit procedendum. Nec nimia difficultate nec nimia facilitate *propter meras praesumptiones generales* in reiteratione baptismi est utendum, pariterque vitari debet nimius rigor et formalismus in peraganda praevia investigatione (76).

Art. 6. — De collati baptismi adnotatione et probatione.

47. Quanta sit necessitas ut de collato baptismo constet, satis deducitur ex duplici effectu baptismi supra n. 45 commemorato. Quare parocho gravissima incumbit obligatio inter alios paroeciales libros etiam *librum baptizatorum*, qui est aliorum librorum

---

(75) S. C. Inq. 19 Sept. 1673, 5 Iul. 1753, 7 Nov. 1830, 30, Ianuar. 1833, 6 Apr. 1859, 20 Iun. 1866, 20 Nov. 1878, 21 Febr. et 1 Aug. 1883; S. C. de Prop. F. 23 Iun. 1830, 26 Iul. 1845, 30 Septemb. 1848, 8 Sept. 1869, Cfr. Collect. Lac. t. III col. 550 sq. 779, 928, sq.; Conc. plenar. Baltimor. III (a. 1884) n. 120 sq.; *Scherer* l. c. p. 83 not. 33; aliter. *Hinschius* l. c. t. IV p. 44 sq., qui responsa S. C. Inq. falso interpretatur et *principiis ultramontanis* sive *Romanis* tribuit rigidiorem praxim, quam facilius explicasset ex dubiis de *factis* et *immutationibus* apud acatholicos.

(76) Quare v. g. « *in conversione* **haereticorum** *a quocunque loco vel a quacunque secta venerint*, **inquirendum** *est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur* **in singulis casibus examine,** *si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de validitate baptismi supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem* (et) *professionem fidei* ». (S. C. Inq. 20 Nov. 1878 et 21 Febr. 1883 in cit. Collectan. n. 660 sq.). In reconciliatione vero minorum quatuordecim annorum necessaria *non* est *abiuratio* formalis, sed *sola fidei professio;* si autem agatur de haeretico certo invalide vel nullatenus baptizato, nulla requiritur abiuratio nec absolutio, quia omnia abluit sacramentum regenerationis. Cfr. S. C. Inq. 20 Iul. 1839. in cit. Collectan. n. 1680; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 504. Sapienter vero statuit cit. Conc. plen. Baltimor. III n. 122: « **Semper** *diligens fiat investigatio, num antea forsan baptizatus fuerit numque validus fuerit baptismus in haeresi susceptus. Neque sufficit investigatio mere* **generalis** *de consuetudine vel praxi aliquarum sectarum, per quam haberi posset* **praesumptio** *de collato vel non collato baptismo aut eius validitate vel nullitate, sed, quantum possibile fuerit, inquirendum est in* **singulorum** *neophytorum baptismum, ut obtineatur, qualis in casu haberi queat, vel certitudo vel probabilitas, eos fuisse vel non fuisse valide baptizatos* ».

fundamentum, conscribere et diligenter asservare in proprio tabulario seu archivo ac in dioecesis visitatione Ordinario vel eius delegato inspiciendum exhibere (can. 470). Qui libri, cum redigantur ex officio circa rem ad officium parochi pertinentem, faciunt fidem publicam; et ob hanc ipsam causam ipsi parocho personaliter incumbit obligatio adnotationis et nonnisi ex gravi et rationabili causa potest eam alteri committere, praesertim habitualiter (Cfr. can. 1813, § 1, n. 4°, iunct. can. 1814, 1816.

Ergo: I. Parochus, quovis titulo parochiam regat, debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco et die collati baptismi, in baptismali libro *sedulo* et sine ulla mora referre, servata formula Ritualis Romani aut alia ab Ordinario loci rite approbata.

II. Ubi vero de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum, si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus. In ceteris casibus inscribatur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum (can. 777, § 1-2).

III. Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quamprimum propium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat (can. 778).

48. Baptismi probatio. Ad collatum baptismum comprobandum (77), si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit (can. 779). Quodsi probatio baptismi sit connexa cum damno seu iure tertii, certum est non sufficere ad probationem iurata assertio ipsius baptizati praesertim interesse habentis, nec assertio unius testis plenam fidem facit, nisi sit testis *qualificatus* deponens de rebus ex officio gestis v. p. parochus. Cfr. can. 1791, § 1; sed assertio unius testis probi et prudentis corroboranda est ex aliis adiunctis quae simul sumpta dent

(77) Conc. plen. Americae Lat. n. 501, 507; cap. 3, X. de presb. non bapt. III, 43; Benedictus XIV, const. « *Postremo* » 28 Febr. 1747, § 31; S. C. Inq. 17 Ian. 1715, 5 Ian. 1724 in Collect. S. C. P. F. n. 644, 645 iunct. n. 652, 658 sq.

assertioni unius vim illam, quam de se sola non habet, evincendi certo moraliter veritatem facti.

Specialem difficultatem habet probatio non baptismi, saepe valde necessaria praesertim in causis matrimonialibus, de quo facile suspicio oritur in locis ubi multae pullulant sectae acatholicae quae baptismum uno vel alio modo admittunt. Difficultas inde oritur, quod ex natura rei facta negativa difficilem habent probationem (78); vera probatio certitudinem generans solum ex complexu quodam circumstantiarum simul cum attestationibus propinquorum erui potest (79).

De authentico exemplari ex libro baptizatorum desumendo, unde peti possit aut debeat collati baptismi probatio, accurate serventur oportet canones 1819 sq.

49. Scholion. De vi seu sensu formulae « Baptizatus in Ecclesia catholica ». Huius loci est explicare sensum huius formulae vel clausulae, quae prima vice occurrit in Decr. « *Ne temere* » art. XI, et in Codice recurrit can. 1070, 1099. Cum unicus sit Baptismus a Christo Domino institutus et Ecclesiae suae traditus, de se non est valde perspicuus ille modus loquendi de baptismo in Ecclesia catholica et extra Ecclesiam catholicam collato. — I. Sed res fit clarior si distinguatur in illa formula duplex sensus. Theologice spectata ille formula habet sensum *dogmaticum*, cui evidenter noluit insistere legislator in triplici memorata lege. Sensus

(78) « Cum negantis factum per rerum naturam nulla sit *directa* probatio », cap. 23, de elect. I, 6 in VI, cap. 11, X. de probationibus II, 19.

(79) Cfr. S. C. S. Officii 1. Aug. 1883 ad Episcopum Savaunensem, ubi habetur ut bona praesumptio de non recepto baptismo: 1) ubi agitur de eo, qui parentes habuit pertinentes ad sectam, quae baptismum respuit; 2) si parentes pertineant ad sectam, in qua baptismus non confertur nisi adultis v. gr. annum aetatis trigesimum iam adeptis; modo adiiciantur argumenta probantia post illam aetatem non fuisse receptum baptismum; 3) ubi agitur de eo, qui parentes habuit, qui dum in vivis essent professi sunt se ad nullam sectam velle pertinere. (Collectanea S. C. P. F. (1ª ed.) n. 662). Sed illae sunt praesumptiones admissae quidem in ordine ad iudicandum de valore vel nullitate contracti postea matrimonii, sed solae non evincunt certo modo factum negativum baptismi non recepti. Semper ergo praeter ipsum interesse habentem, audiendi erunt parentes et familiares, aliique qui iudicentur bene informati. Porro non est negligenda diligens investigatio in regestis paroecialibus vel etiam illius sectae, cui aut certo modo aut probabiliter erat adscriptus is, de cuius baptismo non recepto quaestio agitatur.

theologicus is est: unicum est baptisma a Christo institutum, baptisma verae Ecclesiae a Christo institutae; cuius effectus est, spectata eius natura et fine ipsi a Christo indito, aggregare baptizatum verae Ecclesiae catholicae, cuius fidei est *obiectiva* professio, quae baptizatum reddit subditum Ecclesiae et obnoxium obligationi externae professionis verae fidei et externae communionis cum membris Ecclesiae eiusque Capite. Baptismus de se non aggregat nisi verae Ecclesiae. — Praeclare in hanc rem Augustinus (Epist. 93, alias 48 ad Vincentium - Migne 33, 343). « Non sacramenta christiana faciunt te haereticum, sed prava dissensio... Ex catholica (enim) Ecclesia sunt omnia dominica sacramenta, quae sic habetis et datis, quemadmodum habebantur et dabantur, etiam prius quam *inde* exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia *ibi non estis, unde* sunt quae habetis » — *Prava dissensio* non potest haberi nisi ab adulto. Quare *theologice*, quilibet in infantia baptizatus, non sectae adscribitur, sed verae ecclesiae, a qua discedere poterit per pravam dissensionem cum ad adultam aetatem pervenerit, non antea.

II. Nihilominus Ecclesia in suo iure disciplinari alios habet baptizatos in Ecclesia catholica, quos cogere vult et subiicere suis legibus; alios habet ut baptizatos extra Ecclesiam catholicam quos non vult cogere et subiicere suis legibus, saltem aliquibus. En sensum *iuridicum* illius clausulae explicandae.

Baptimus iure divino, licet sit necessarius omnibus, non est obligatorium nisi adultis; at Ecclesia, supposita veritate dogmatica quod infantes sint capaces baptismi hicque illis prossit, praecipit, ut infantes quamprimum baptizentur (can. 770); cogit ad hoc parentes catholicos; posset cogere parentes haereticos, quia ipsi subduntur per baptismum, eos tamen non cogit (can. 751 iunct. can. 750, § 2, 1°); parentes infideles cogere non potest quia sibi non subditos seu coactivae suae potestati non obnoxios, licet divino iuri subiectos. En iterum se sistens *respectus iuridicus* seu disciplinaris. Immo Ecclesia nonnullos infantes prohibet baptizari, quia vult impedire ne eorum baptisma profanetur per discessionem a vera fide vel ab ecclesiastica communione, quam in determinatis circumstantiis praevidet eventuram.

50. III. Criterium Ecclesiae in sua legislatione hoc est: 1°) ut in iis, qui baptizantur ex propria ipsorum petitione (adultis), attendat ad intentionem baptismum petentis; hi sunt sui iuris et pos-

sunt habere intentionem conformem aut contrariam *fini operis* i. e. baptismi, qui iure divino ordinatur ad aggregandum baptizandum verae Ecclesiae a Christo conditae in unitatem verae fidei et ecclesiasticae communionis; 2°) in iis, qui sui iuris non sunt (infantibus), attendit ad intentionem illius sub cuius iure sunt (parentum et in eorum defectu tutorum), qui possunt habere intentionem *fini operis* conformem aut contrariam sive ex malitia sive etiam ex ignorantia; 3°) tandem, in defectu parentum aut tutorum attendit ad intentionem ministri baptizantis; quando alterius ius non violatur est opus caritatis divino iure praeceptum succurrere indigenti infanti quoad maximum bonum, unde salus aeterna infantis pendet (minister ordinarius et extraordinarius baptismi).

IV. Inde possunt desumi regulae, quae saltem ex legitima praesumptione ostendant, quando baptismus receptus vel datus sit cum intentione aggregationis ad Ecclesiam catholicam, ideoque cum intentione conformi fini operis (*baptismus in Ecclesia catholica receptus seu collatus*); quando vero cum intentione contraria (*baptismus extra Ecclesiam catholicam receptus seu collatus*).

51. *A*) *Adultus* debet haberi baptizatus in Ecclesia catholica, si habuit intentionem expressam vel tacitam sese illi aggregandi, quicumque sit minister qui baptismum conferat. Nam in adulto sola personalis *prava dissensio*, ut loquitur Augustinus, eum extra veram Ecclesiam ponit. Erit baptizatus extra Ecclesiam catholicam, si habuit intentionem expressam vel tacitam sese aggregandi sectae haereticae vel schismaticae.

Quare: *a*) debet praesumi, donec contrarium probetur, intentio sese aggregandi ecclesiae catholicae, si adultus baptismum petit et recipit a ministro catholico sive ordinario sive extraordinario. *b*) E contra si baptismum petit et recipit a ministro acatholico.

Haec praesumptio debebit cedere veritati contrariae probatae. V. gr. qui catholice praeparatus ad baptismum, deinde in defectu cuiusvis ministri catholici baptismum recipit ab infideli aut etiam ab acatholico v. gr. ex errore quod talem ministrum putet catholicum; is in ecclesia catholica erit baptizatus tametsi a ministro acatholico.

52. *B*) Quoad *infantes*: 1°) Debet praesumi, salva in contrarium probatione, quod hi sub cuius iure infans est (parentes et in

eorum defectu tutores) habeant intentionem adscribendi infantem ecclesiae catholicae vel sectae, prout offerant infantem baptizandum ministro catholico vel acatholico (80).

2⁰) Si parentes vel tutores acatholici non proprie offerunt infantem ad baptismum, sed mere passive se habent, mere permittentes ut infans baptizetur, is erit praesumendus baptizatus in ecclesia catholica vel in secta, prout minister baptismum conferens sit catholicus vel acatholicus.

Per se patet parentes et tutores catholicus teneri infantem catholice baptizare. Porro minister catholicus non administrat licite baptismum infanti acatholicorum, nisi cautum sit catholicae ipsius educationi ad normam can. 570, § 2.

3⁰) Quandocumque infans sive infidelium, sive respective acatholicorum vel schismaticorum, *licite* baptizatur etiam *invitis parentibus vel tutoribus* ad normam can. 750, 751, baptismus erit habendus ut datus in ecclesia catholica vel in secta haeretica aut schismatica, prout minister baptismi sive ordinarius sive extraordinarius fuerit catholicus, haereticus vel schismaticus.

Sane omnino praesumendum est, salva probatione in contrarium, quod minister haereticus vel schismaticus baptizandum intendat aggregare suae sectae. A fortiori praesumendum est, quod minister catholicus intendat baptizandum aggregare Ecclesiae catholicae, quia catholico baptizanti non licet aliam seu contrariam intentionem habere; nec praesumendus est ius divinum velle violare is, qui exercet caritativum opus procurandi infantis salutem per baptismum.

Quare: in Ecclesia catholica infantem (cuiusvis religionis sint parentes) baptizabit minister catholicus: *a*) si infans versetur in mortis periculo; *b*) si parentes vel tutores aut saltem unus eorum consentiant; *c*) si parentes desint aut ius in infantem amiserint, vel illud exercere nullo modo queant (can. 750); *d*) vel sit infans expositus et inventus (can. 749).

In iisdem circumstantiis minister haereticus vel schismaticus praesumendus erit velle infantem suae sectae aggregare.

(80) Praesumptio cedet veritati contrariae probatae v. gr. si constet parentes catholicos infantem baptizandum obtulisse ministro acatholico, quem per errorem existimabant esse catholicum etc.

4⁰) Si *invitis* i. e. baptismo resistentibus parentibus vel tutoribus infans *illicite* fuit baptizatus *a ministro catholico*, etiam in hoc casu infans erit baptizatus *in ecclesia catholica*, quia minister catholicus ex ipso iure divino numquam potest habere aliam aut contrariam intentionem. Sed in hoc casu Ecclesia, pro posse, debebit curare catholicam infantis educationem, et cum tali infanti, si non possit eum catholice educare, large et benevole dispensabit, quidquid (salvo iure divino) dispensare possit. Ita providebit, quo meliori modo poterit, casui raro et extraordinario *per accidens* et *illegitime* contra legem Ecclesiae occurrenti, pro quo non sunt immutanda generalia principia. (Hic certe erit casus can. 1099, § 2).

5⁰) Qui vero a ministro acatholico contra voluntatem parentum catholicorum volentium, ut debent, infantem suum catholice baptizari, per fraudem, dolum aut errorem fuerit baptizatus, is in ecclesia catholica, tametsi a ministro acatholico, dicendus est baptizatus. Minister enim acatholicus ius divinum, ius et obbligationem parentum fraudare aut dolose vel per errorem eripere non potest. Talis casus occurrere facile potest quoad medicum acatholicum, praesertim in articulo mortis. At versa vice, si medicus catholicus in articulo mortis baptizaret infantem perentum acatholicorum, infans esset in Ecclesia catholica baptizatus, cui infantem obiective adscribit baptismus, nec minister catholicus aliam intentionem habere potest quam aggregationis ad veram ecclesiam, et in periculo mortis praevalet ius infantis etiam contra parentum voluntatem et intentionem.

6⁰) Omnes casus possibiles enumerare esset infinitum et moraliter impossibile. Sed omnes casus, qui occurrere possunt sunt reducibiles ad propositas regulas aut cum certitudine ant cum maiori vel minore probabilitate; quae probabilitas, ubi est maxima, in his rebus moralibus aequivalet morali certitudini, unica plerumque possibili.

53. Scholion II. Leges civiles *contra* ius divinum et canonicum in hac materia incompetenter latae omni valore iuridico destituuntur, v. g. si ad baptismum impuberum adultorum contra voluntatem parentum vel tutorum administrandum sub praetextu libertatis conscientiae statuunt aetatem a iure divino plane alienam atque adeo batismo impuberis valide et licite concesso negant effectum iure divino constitutum scl. incorporationis in Ecclesiam catholicam.

Cfr. Bened. XIV Const. « *Postremo* » §§ 32 sq.; Arch. f. k. K. t. XVIII, p. 450; *Reiffenstuel* l. V, t. 6, n. 51; aliter *Hinschius* l. c. p. 51 sine sufficienti fundamento. At in praxi istae leges ad vitanda incommoda sunt cognoscendae et prudenter attendendae. Cfr. *Scherer* l. c. t. II, p. 83 sq. 33 sq. 41 seq. not. 35, p. 44. Quamvis potestas *civilis* nequeat *cogere* parentes *infideles* sive non baptizatos ad baptismum suorum infantium (cfr. *Lugo,* De virt. fidei div. disp. 19. n. 70 sq. 93; *Pesch* l. c. t. VI. n. 462), tamen brachium saeculare praestare potest, quo parentes *christiani* adiguntur, ut suis infantibus legitimo tempore procurent baptismum. Cfr. v. g. cap. 19 Conc. mixt. Paderborn. (a. 785); c. 2 Conc. Angl. (a. 691-692) iunct. *Hefele* l. c. t. III. p. 348 sq.

Nostra vero aetate principes civiles brachium illud saeculare non amplius praestare solent. Cf. *Scherer* l. c. p. 83 sq.

TITULUS II

DE CONFIRMATIONE

54. Fontes et **Scriptores** ut in praecedente titulo. **Notio.** *Confirmatio* (1) licet ex praxi antiqua etiam nunc in Ecclesiis orientalibus retenta *simul* tanquam *complementam* cum baptismo administraretur (2), tamen est sacramentum a baptismatis sacramento omnino *diversum* atque definiri potest: Sacramentum novae legis, quo per sacri chrismatis unctionem in fronte cum manus impositione a legitimo ministro sub praescripta verborum forma factam baptizatis confertur augmentum gratiae ad corroborationem in fide (3).

(1) Cfr. de nomine, notione, existentia confirmationis: *Pesch* l. c. t. VI. n. 490 sq.; *Schanz* l. c. p. 282 sq.; *Devoti* l. c. §§ 38, sq.; *Kraus* l. c. v. Firmung; *Hinschius* l. c. t. IV p. 55 not. 11, ubi exponit theorias protestanticas de confirmationis sacramento.

(2) Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 79; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 76; Collect. Lac. t. II col. 29, 121, sq. 581.

(3) Cfr. c. 1 sq. D. V de cons.; cap. un. § 7 X de sacr. unct. I 15; cap. 1 X de sacram. non inter. I 16; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII de conf. can. 1, 2; *Schmalzgr.* l. I t. 15 n. 3; *Zech* l. c. § 204. — Ratione ritus vocatur etiam *chrisma, chrisma salutis, unctio, unguenti mysterium, impositio manus, signaculum dominicum, sigillum.* Apud graecos nunc in usu est nomen *μύρον.*

CAPUT I

DE MINISTRO ET SUBIECTO CONFIRMATIONIS

55. I. **Minister** *capax* et *ordinarius* validae confirmationis est omnis *Episcopus rite consecratus* etiam non confirmatus, haereticus, schismaticus, excommunicatus; *extraordinarius* vero *quivis presbyter,* dummodo verificetur *conditio essentialis* expressae vel tacitae *delegationis* Sedis Apostolicae sive ipso iure sive peculiari indulto factae et utatur *chrismate* per Episcopum confecto (4) et quoad *locum* et *tempus* et *modum* et *personas* servet *limitationes* in delegatione apostotica appositas (can. 782) (5). A iure facultatem obtinent omnes S. R. E. Cardinales (can. 239, § 1, n. 23). Praeterea Abbates vel Praelati *nullius,* Vicarii et Praefecti Apostolici limitatam tamen ad proprium territorium et ad tempus sui muneris (can. 782, § 3).

Excluditur ne presbyter latini ritus, vi indulti possit confirmationem valide conferre fidelibus *alieni ritus,* nisi id ei expresse concessum fuerit (can. cit. § 4). Item presbyter ritus orientalis,

(4) Cfr. c. 119 (Innoc. I ad Decent. Eugub. Ep. a. 416) D. IV de cons.; c. 1 (Gregor. M. a. 594) 2 (Gelas. I a. 494) D. 95; cap. 4 X de consuet. I 4; cap. unic. § 7 X de sacr. unct. I 15; Conc. Trid. l. c. can. 3, Sess. XXIII can. 7; Innoc. XIII Const. « *Cum ad* » 13 Septemb. 1721; Bened. XIV Const. « *Eo quamvis* » 4 Maii 1745 § 8; Collect. S. C. de Prop. F. n. 663, 664, 668, 669, 673; Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1898; Collect. Lac. l. c.; Synod. Sciarf. (a. 1888) l. c.; *Ben. XIV,* De Synod. dioec. l. VII cap. 7 n. 4 sq. cap. 8, 9, n. 1 sq. l. XIII cap. 15 n. 1; *Pesch* l. c. n. 543 sq. 550 sq.; *Ferraris* l. c. v. Confirmatio art. 2 n. 1 sq.; *Hinschius* l. c. p. 56 not. 1 2.

(5) Nicolaus M. (a. 867) iunct. *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. VII cap. 9 n. 1 sq.; Innoc. IV Const. « *Sub catholicae* » 6 Mart. 1254; Instr. Clem. VIII 30 Aug. 1595; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 3 et Const. « *Suprema* » 16 Apr. 1749; S. C. Inq. 9 Iul. 1853, 1 Apr. 1859, 14 Ian. 1885, et S. C. de Prop. F. 5 Iul. 1886, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 674, 677, 679, 680; decr. S. C. de Prop. F. a Bened. XIII approb. 8 Iul. 1729 in Collect. Lac. t. II col. 440 iunct. col. 525, 530; S. C. C. 11 Dec. 1897 in Anal. eccl. tom. VI p. 107 sq.; S. C. Inq. 19 Apr. 1899 in Anal. eccl. tom. VII p. 283 sq. — Hodie dubitare de valore confirmationis a presbytero ex commissione R. Pontif. collatae, quemadmodum dubitarunt pauci antiqui Doctores, nefas prorsus esset, praesertim cum commissio pluribus fiat ab ipso iure communi. Cfr. concessionem factam a Pio XI, 30 Apr. 1929 pro deputandis presbyteris ad sacr. confirmationis in A. A. S. XXI, 555.

facultate vel privilegio auctus confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, confirmationem non potest conferre infantibus latini ritus (can. cit. § 5).

II. *Legitimus* sive *competens* minister *ordinarius* est *Episcopus loci* pro suis *subditis fidelibus intra* dioecesim constitutis (6), *non extra* dioecesim versantibus, *nisi* de expressa aut saltem rationabiliter praesumpta licentia Ordinarii loci, etiam si fuerit Metropolitanus (7); imo illa licentia non est necessaria, ut Episcopo in aliena dioecesi propriis subditis confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra (can. 783, § 2).

Pro *alienis* subditis in *propria* dioecesi etiam quilibet Episcopus est competens in casu, quo alienus Ordinarius tacite consentiat, (ut communiter fit) vel saltem *expresse* non contradicat (can. 783, § 1) (8).

Quod dictum est de Episcopo, valet quoque de presbytero, qui apostolico privilegio *locali* sit munitus, cui quoque licet in designato territorio confirmare etiam *extraneos*, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint (can. 784). Manet tamen, quod quandocumque simplex sacerdos alias legitime delegatus excedat *limites mandati*, non tantum illicite agit, ut *Episcopus* incompetens, sed etiam *invalide*, nisi constet limitationes vel prohibitiones appositas tantum referri ad *licitum* usum (9).

(6) Conc. Trid. Sess. VII de confir. can. 3; Collect. Lac. v. Confirmatio. Cfr. quoque cap. 2 de const. l. 2 in Sext.; cap. un. de foro comp. II. 2. in Clem.; *Zech* l. c. § 211.

(7) Conc. Trid. Sess. VI cap. 5 de ref. iunct. *Hollweck* l. c. p. 320; S. C. C. 15 Apr. 1575, 1 Mart. 1687, et S. C. Ep. et Reg. 18 Apr. 1599, apud *Ferraris* l. c. n. 8 sq. 20 sq.

(8) Conc. Trid. l. c.; S. C. C. 28 Nov. 1602, 8 Aug. 1682, apud *Ferraris* l. c. n. 10 sq.; S. C. Inq. 19 Apr. 1899, l. c.; Conc. prov. Ravennat. (a. 1855) in Collect. Lac. t. VI. col. 154.

(9) Bened. XIV cit. Const. « *Suprema* »; resp. alleg. SS. CC. in Anal. eccl. l. c. not. 77, 78, h. tit. (de privilegiatis Abbatibus nullius); S. C. de Prop. F. 4 Maii 1774, 12 Sept. 1821, 23 Mart. 1844, 21 Martii 1851, 5 Iul. 1860, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 666, 669, sq. (de Vicar. Apost. et miss.); Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888; Collect. Lac. t. II col. 29, 121, sq. 581; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 79 iunct. S. C. Inq. 1782 et 4 Ian. 1885 in cit. Collectan. n. 668, 679, de *parochis* et *presbyteris* orientalibus et facultate eis *ab Episcopis* delegata; *Devoti* l. c. § 40; *Hinschius* l. c. p. 57 not. 1 sq., ubi ob complures doctrinas dogmaticas non satis perspectas movet difficultates, quae non subsistunt. Nequaquam enim R. Pontifex *per suam delegationem* presbyteris factam *mutat* institutionem quandam Christi, sed potius ponit *conditionem* ex ipsa Christi

III. *Obligatus* quoque minister huius sacramenti est *Episcopus loci*, quatenus *vi offici episcopalis* suis subditis tenetur dare *occasionem* suscipiendi sacramentum confirmationis v. g. singulis annis saltem semel in civitate episcopali et tempore visitationis in dioecesi, neque *rationabiliter* illud petentibus potest licite eius administrationem denegare. Porro ministri extraordinarii, quibus ratione curae animarum a Sede Apostolica delegata est facultas conferendi sacramentum confirmationis, simili *obligatione* obstringuntur erga illos in quorum favorem facultatem obtinuerunt (can. 885, § 1-2) (10).

institutione *essentialiter* requisitam, ut simplex presbyter possit *valide* administrare confirmationem. Multo minus exinde sequitur, quod iam nulla possit assignari ratio, cur R. Pontifex non valeat *quemlibet christianum confirmatum* ad eandem administrationem delegare. Nam administratio confirmationis etiam in presbytero est *exercitatio* potestatis *ordinis sacerdotalis*, non merae *iurisdictionis ecclesiasticae*, ut in aliquo *iudice laico* a R. Pontifice forte specialiter delegato. Quare sicut R. Pontifex nequit clerico primae tonsurae concedere *iurisdictionem*, ut *absque ordine presbyterali* valide administret sacramentum poenitentiae, ita etiam diaconum vel clericum minorem ad confirmationem valide dandam omnino non potest deputare. Neque quidquam mirum, quod illa exercitatio conditionatae, *non absolutae* potestatis *ordinis presbyteralis* in confirmatione sit *invalida*, nisi verificetur conditio delegationis pontificiae. *Hinschius* enim non satis distinguit inter *conditionem essentialem*, quae a iurisdictione competentis Superioris pendet, facile revocari potest, nequaquam datur per modum *characteris indelebilis*, et *simplicem* quandam *licentiam* ad *perfectam* et absolutam *capacitatem* accedentem, ut in Episcopo, cuius defectus non obstat *valori* confirmationis ab Episcopo datae. Ulteriores disquisitiones de natura delegationis pontificiae suppeditant theologi v. g. *Lehmkuhl* in Act. theol. Oenip. t. VI p. 566 sq. et in Theol. mor. vol. II n. 99; *Praxmarer* in Katholik (a. 1884) t. I p. 271 sq.; *Pesch* l. c. n. 554 sq.; *Lercher* l. c. n. 301 sq., ubi n. 303 versat quaestionem, num solus Papa per suam licentiam sive indultum possit complere potestatem simplicis presbyteri. Quodsi in Analect. eccl. t. VI p. 107 dicitur: « *Sacerdos...* **non** *ex potestate* **ordinis,** *sed* **ex obtenta iurisdictione** *confirmare potest* », atque ibidem p. 109 allegantur verba *D'Annibale:* « *Ille* (Episcopus) *hoc sacramentum* (confirmationis) confert *ex* **ordinis comprimis** *episcopalis, hic* (presbyter) **comprimis iurisdictionis potestate** », hisce assertionibus merito non omnes theologi subscribent, nisi iustae apponantur *limitationes* et necessariae dentur *explicationes.*

(10) S. C. C. 18 Iul. 1699, in ed. *Richt.* C. Tr. p. 47 n. 3; Synod. prov. Neapol. (a. 1699), Synod. nation. Alban. (a. 1703), Conc. Roman. (a. 1725), Synod. prov. Firman. (a. 1726) in Collect. Lac. t. I col. 218, 390, 387, sq. 604; Synod. Patriarchae Maronitarum (a. 1596) in cit. Collect. t. II col. 414; Collectan. S. C. de Prop. F. n. 670, 673; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 519; *Ferraris* l. c. n. 24 sq. de *procuratione* ab Episcopo non *exigenda*, si ob *solam* confirmationem, non simul *visitationis* causa vadat per dioecesim; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 514: « *Oblationes autem occasione confirmationis permittuntur* ».

Quodsi Ordinarius legitima causa impeditus sit aut potestate confirmandi careat, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc sacramentum ministretur: in casu vero gravis negligentiae, ad normam can. 274, n. 4, Metropolitanus debet Sanctam Sedem monere (can. 785, § 3-4).

56. I. **Subiectum** *capax* huius sacramenti est *omnis homo valide baptizatus* et nondum confirmatus, dummodo si *adultus* fuerit, veram habeat *intentionem* et voluntatem a vi sive coactione *absoluta* liberam recipiendi confirmationem (can. 786) (11).

II. *Dignum legitimumque* subiectum confirmationis debet esse in gratia, ideoque prohibetur excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, schismaticus et quilibet publicus peccator. Quare *adulti*, ut digne confirmationem recipiant, rite sunt praeparandi et *instruendi*, (can. 886), et valde convenienter illius susceptioni praemittunt *confessionem* sacramentalem nec *extrinsecam* decentiam negligere debent (12). *Infantes* baptizati quamvis procul dubio *ante* adeptum usum rationis sint capacia et digna subiecta confirmationis, tamen ad confirmationem licite offerri et admitti non possunt, nisi in Ecclesiis orientalibus, ubi ex *proprio ritu* id regulariter (non semper) est permissum (13), vel in Ecclesia latina, cum infantes versantur in mortis periculo, vel alia urgeat necessitas sive iusta causa, vel legitima adsit consuetudo v. g. in Hispania et America latina (14). Itaque ex disciplina Ecclesiae latinae a saeculo decimo tertio paulatim introducta salvis laudatis exceptionibus nemo

(11) Cfr. c. 1 D. V. de cons.; Conc. Trid. Sess. VII de sacr. in gen. can. 9, de conf. can. 1; S. C. Inq. 10 Apr. 1861, in cit. Collect. n. 685; *Pesch* l. c. n. 536 sq.; *Ferraris* l. c. n. 31 sq.; *Devoti* l. c. § 41.

(12) Pontificale Rom. tit. de confir.; Instr. S. C. de Prop. F. 28 Martii 1774 et S. C. Inq. 11 Dec. 1850, et cit. Collectan. n. 666, 692; Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 126; alia Conc. prov. in Collect. Lac. v. Confirmatio; c. 2 Conc. Trevir. (a. 1227); c. 39 Conc. Cantuar. (a. 1236); c. 5 Conc. Colon. (c. a. 1279).

(13) Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 79; Collect. Lac. t. II col. 29, 581, iunct. 125 sq. 530; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 9 n. 1 sq. 5 sq.

(14) Bened. XIV Const. « *Eo quamvis* » 4 Maii 1745, § 6 iunct. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 10 n. 1 sq.; cit. Instr. S. C. de Prop. F. 28 Mart. 1774; S. C. Inq. 11 Dec. 1850, m. Iul. 1888; S. C. de Prop. F. 19 Nov. 1854, in cit. Collectan. n. 681 sq.; S. C. C. 23 Apr. 1774, apud *Richter* p. 47 n. 1; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 520.

confirmandus est, nisi saltem septimum annum attigerit; at confirmatio etiam ultra annum duodecimum vel usque ad tempus primam *communionem subsequens* non est differenda (15).

Codex de aetate solum asserit convenientiam, ut in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter annum, et quidem cum duplici exceptione: a) si infans in mortis periculo sit constitutus; b) si Episcopo ante illam aetatem seu ante usum rationis adeptum ob iustas et graves causas confirmationem conferre iudicaverit expedire (can. 788). Cfr. Bened. XIV. De Synod. l. VII, cap. 8, n. 5. Canon nullam habet clausulam quae contrariam consuetudinem in aliqua regione existentem revocet multo minus reprobet. Porro consuetudo quae in universa Ecclesia per duodecim saecula perduravit, profecto dici non potest irrationabilis. Cfr. can. 27,30: ubi vero usque ad Codicem duravit, dici non potest quod sit contra canonem 788, a quo dumtaxat convenientia asseritur, absoluta praeceptio non fit (16). Commissio Codicis 16 Iun. 1931 (A. A. S. XIII, 353) declaravit confirmationem conferri non posse in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum, nisi in casibus exceptis in canone 788: ex quo saltem hoc deducitur canonem 788 habere sensum praeceptivum, non mere directivum quod fortasse alicui prae se ferre videretur verbum *convenienter*, salva tamen duplici exceptione. Et quidem quoad alteram vere iusta et gravis causa ad dandum sacramentum ante usum rationis potest esse si Episcopus valde diuturno tempore debeat abesse aut esse impeditus, aut *personalem* visitationem non possit iterare nisi post valde longum tempus. Porro S. C. de Sacr. cum illam decisionem Commissionis publicavit,

(15) Cfr. c. 5 cit. Conc. Colon. (c. a. 1279) iunct. *Hefele* l. c. t. VI p. 203; Catech. Rom. P. II c. 3 n. 14; Leo XIII ad Ep. Massil. 22 Iunii 1897; S. C. C. 19 Nov. 1854, in cit. Collectan. n. 684, ubi statutum synodale ita proponitur reformandum, « *ut prius locus sit confirmationi conferendae, postea vero opportuno tempore primae communioni suppeditandae* »; Bened. XIV et S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. l. c. in not. praec. h. c. unde satis efficitur *dilationem* illam *ordinariam* saltem usque ad usum rationis non esse tantum *congruum consilium*, sed apud Latinos *ex lege ecclesiastica* praescriptam; Collect. Lac. v. Confirmatio; *Ben. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 10 n. 1 sq.

(16) Inter *graves* et *iustas causas* certe recenseri debet consuetudo, quae in Hispania, in Insulis Philippinis, et in America lat. viget. Conc. Plenar. Americae lat. n. 520; Conc. Manilanum n. 609. - Porro Leo XIII, epist « *Abrogata* » ad Episc. Massilien, laudat « cum maxime » consuetudinem recipiendi pueros ad confirmationem in minore aetate quam ad primam communionem. Cfr. Append. ad Conc. Plen. Amer. lat. n. XCIX.

30 Ium. 1933 (A. A. S. XXIV, 271) declaravit, consuetudinem vigentem in Hispania et alibi, praesertim in America Meridionali servari pose, addita *mente*, ut fideles edoceantur de illo iure Ecclesiae latinae, et de instructione catechetica praemittenda: nec tamen pueros esse reiiciendos a prima communione ob hanc causam quod sacr. Confirmationis recipere non potuerint.

Statuta iuris antiqui magis particularis quam univeralis de sacramento confirmationis nonnisi a *ieiunis* ministris etiam *ieiunis* confirmandis administrando (cfr. Conc. Paris. (a. 829) l. I, c. 33. = c. 7. D. V. de cons.; c. 6. D. V. d. c.) iam pridem generalem *vim obligatoriam* amiserunt. Cfr. Pontif. Rom. tit. de confirm.; Collect. Lac. t. I, col. 71, 388. t. VI. col. 13.

57. III. *Obligatio* suscipiendi sacramentum confirmationis propter *necessitatem* medii iure divino statutam non adstringit ullum fidelem (17). Neque ex *praecepto divino* potest colligi absoluta quaedam obligatio, nisi intercedat negligentia atque adeo contemptus (18). Multo minus fideles tenentur ex universali quadam *lege ecclesiastica* forte etiam *poenis* canonicis munita (19). Nam huiusmodi lex quamvis ab Ecclesia ferri *posset*, tamen hactenus de facto in vigente iure *communi* non reperitur sancita (20). In ipso Codice legislator illam communem obligationem noluit urgere absolute, sed contentus fuit asserere, « nemini licere, oblata occasione, illud Sacramentum negligere et parochis praecipere ut curent ut fideles ad illud opportune accedant » (can. 787): quibus verbis commune et *absolutum* praeceptum imponi probari non potest.

At *conditionata* quaedam *obligatio* recipiendi confirmationem existit pro iis, qui volunt recipere *primam tonsuram* et ordines sa-

(17) Bened. XIV Cons. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § 3 IV; Instr. S. C. de Prop. F. 4 Maii 1774; Catech. Rom. P. II. cap. 3 n. 16 Cfr. quoque can. 77 Conc. Illiberit. (a. 300-306).

(18) Art., de quid. interrog. susp. de error. Wikleffi et Hussii n. 19 apud *Denzinger* l. c. n. 65; Bened. XIV Const. et Instr. S. C. de Prop. cit. not. 86 h. tit. et Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888 iunct. *Suarez*, De leg. l. X cap. 2 n. 16; Bened. XIV l. c. n. 9; *Pesch* l. c. n. 538 sq.; *Zech* l. c. § 210 Cfr. quoque Cappello l. c. n. 211.

(19) Conc. Lambeth. (a. 1281) c. 4; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 125.

(20) *Pesch* l. c. n. 541 sq. post S. Thomam; *Scherer* l. c. p. 72; *Lehmkuhl* l. c. t. II n. 103.

cros (can. 974, § 1, n. 1) (21). Cum iam non raro ex iure particulari requirebatur, ut candidati status religiosi ante ingressum in novitiatum exhiberent testimonium de suscepto sacramento confirmationis (22), Codex illud praescriptum fecit iuris communis in can. 544.

CAPUT II

DE RITU, EFFECTU ET ADNOTATIONE CONFIRMATIONIS

58. Ritus confirmationis alii sunt substantiales (materia et forma) alii accidentales (ceremoniae ab Ecclesiae praescriptae):

I. Ut *Materia remota* requiritur *chrisma* i. e. oleum olivarum balsamo commixtum (23) ab Episcopo benedictum; quod si defuerit *oleum* vel *balsamum* oleo olivarum admixtum (24) vel *benedictio* Episcopi (25), invalida est confirmationis administratio.

21) Cfr. c. 1 D. V. de consecr.; Conc. Trid. Sess. XXII cap. 4 de ref. *Schmalzgr.* l. III t. 43 n. 8, 9. Cfr. quoque Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 127: « *Qui confirmati non sunt, neque ad sacramentum ordinis ab Episcopo neque ad sacramentum matrimonii a parochis admittantur* ».

(22) S. C. Ep. et Reg. 25 Apr. 1860, ad 5; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 328; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868) in Collect. t. VI. col. 503; *Battandier* p. 57.

(23) Innoc. IV Const. « *Sub catholicae* » 6 Mart. 1254; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII de conf. can. 2; Collect. Lac. t. II col. 144 (Bened. XIV) 29, 113, sq.; Catech. Rom. P. II cap. 3 n. 6; *Pesch* l. c. n. 502 sq.; *Devoti* l. c. § 39; *Schanz* l. c. p. 293 sq.

(24) S. C. C. 4 Apr. 1693, iunct. *Ferraris* l. c. v. Confirmatio art. 1 n. 5 sq. Cui doctrinae non obstat cap. 1 X de sacr. non iter. I 16, ut tenent *Schmalzgr.* l. I t. 15 n. 4 et t. 16 n. 3 aliique, qui putant illo capite Innocentium III declarasse unctionem solo oleo, non chrismate factam ut validam confirmationem esse habendam. Cfr. *Fagnan.* in cap. 1 X I 16 n. 53; *Pirhing* l. I t. 16 n. 3; *Reiffenstuel* I t. 16 n. 18 sq.; *Hinschius* l. c. p. 59 sq. Cfr. de hac quaestione *Ferreres* l. c. n. 94, 95, iunct. « Razón y Fe » vol. 5, p. 155, 297, 431, sq. de natura et qualitatibus balsami, de variis balsami speciebus, de modis illud obtinendi et de locis unde potest acquiri modo securo quatenus requiritur ad materiam sacramenti.

(25) Innoc. I ad Decent. Eugub. a. 416 in c. 119 D. IV de cons.; S. C. de Prop. F. 4 Maii 1774, in cit. Collectan. n. 666; Katholik (a. 1885) t. I p. 593 sq. t. II p. 227 sq. (de histor. bened. sacr. oleor.); *Schanz* l. c. p. 301 sq.); Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 79 sq. (de consecratione chrismatis Patriarchae reservata); *Bened. XIV*, De Synod. dioeces. l. VII cap. 8 n. 1 sq. iunct. *Schmalzgr.* l. I t. 15 n. 5; ubi examinant controversiam dogmaticam, num R. Pontifex simplici presbytero non solum administrationem confirmationis chri-

II. *Materia proxima* confirmationis est *unctio chrismate* in fronte confirmandi in modum crucis *manu* ministri facta, excluso usu alicuius instrumenti (can. 781, § 2). Quare nec *sola* (26) impositio manuum nec *sola* chrismatio (27), est sufficiens materia proxima validae confirmationis, sed chrismatio cum impositione manus *coniuncta* (can. 780) (28).

III. *Forma* in Ecclesia latina sunt verba: « *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* », in Ecclesiis vero orientalibus verba quoad substantiam aequivalentia in legitimis libris liturgicis contenta (29).

---

smate ab Episcopo benedicto, sed etiam ipsam benedictionem chrismatis committere possit. Profecto ex disciplina nunc vigente R. Pontifices simplicibus presbyteris *hanc* facultatem benedicendi chrisma concedere non *solent* (cfr. Bened. XIV l. c. n. 2), et *Episcopi* ne valide quidem dare possunt. Quodsi sola natura rei spectetur, quoad ius R. Pontificis in utramque partem possunt afferri rationes. Nam Christus Dominus ita *potuit* hoc sacramentum instituere, ut facultatem valide benedicendi chrisma *unice* alligaret *ordini episcopali* (cfr. *Schmalzgr*. l. c.), at etiam *potuit hac in re* R. Pontifici eandem potestatem concedere, quam pro administratione confirmationis et benedictione olei infirmorum eidem permisit. Quid Christus Dominus *de facto* instituerit, *ex traditione* est eruendum. Quare cum practicus usus huius iuris pontificii saltem in nonnullis casibus a Benedict. XIV l. c. n. 1 allegatis videatur esse satis probatus, et aliunde ex natura rei *limitatio* potestatis R. Pontificis nullo solido argumento demonstretur, imo ex analogia et paritate potius refutetur, magis fundata videtur sententia *affirmans* huiusmodi ius Rom. Pontificum. Cfr. *Zech* l. c. § 211 not. 10.

(26) *Scherer* l. c. p. 70 not. 10 ex Act. Apost. VIII 17 et cap. un. § 7 X de sacr. unct. I 15 deducit in *impositione manuum* reperiri essentiam confirmationis atque ob c. 1 X de sacr. I 16 existimat *chrismationem* ad *valorem* confirmationis *non* esse necessariam. At neutra sententia sustineri atque ex textibus allegatis colligi potest. Cfr. Bened. XIV Const. « *Ex quo primum* » 1 Mart. 1756 §§ 50, 51, 52; *Pesch* l. c. n. 510 sq. 519 sq.; *Zech* l. c. § 206.

(27) S. C. Inq. 12 Ian. 1885, et S. C. de Prop. F. 5 Iul. 1886, in cit. Collect. n. 679, ubi confirmatio Graecorum dicitur *sub conditione* repetenda, si *pennicillum* reperiatur adhibitum fuisse. Qui rigor difficulter intelligeretur, si *sola* unctio chrismatis certo sufficeret; nam v. g. unctio olei in extremae unctionis sacramento cum instrumento fieri potest. Cfr. quoque *Lehmkuhl* l. c. t. II n. 92 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 9 (de perversa interpretatione impositionis manuum in sacra ordinatione).

(28) Cap. unic. § 7 de sacr. unct. I 15; cap. 4 X de consuet. I 4; Innocent. IV Const. « *Sub catholicae* » 6 Mart. 1254; confess. fidei Michael. Palaeologi in Conc. Lugd. II a. 1274 oblata apud *Denzinger-Bamvart* l. c. n. 465; Decret. pro Armen.; Benedict. XIV cit. Const. « *Ex quo primum* » l. c.; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888.) p. 78.: « *Materia proxima sacramenti confirmationis est* **unctio chrismatis in fronte cum manus impositione** ».

(29) Decret. pro Armen.; c. 95 Conc. Trullan. (a. 692) iunct. *Hefele* l. c. t.

IV. *Caeremoniae accidentales* quamvis ad valorem huius sacramenti non requirantur v. g. prima impositio manuum cum oratione *ante* unctionem (30), tamen religiose sunt servandae (31).

V. Quoad *locum* et *tempus* hoc sacramentum *minus solemniter* sive privatim quocunque die, hora et loco decenti ex causa iusta et rationabili ad arbitrium Episcopi conferri potest; at solemniter *in ecclesiis* et praeterea servatis rubricis praesertim de vestibus pontificalibus v. g. saltem quotannis tempore visitationis episcopalis et festis Pentecostes in ecclesia cathedrali est administrandum (32). Intra diocesim etiam in locis exemptis illam administrandi ius est Episcopo (can. 790 - 792).

50. VI. *Patrinus* ex antiqua Ecclesiae disciplina nunc quoque est adhibendus si haberi potest (33), qui saltem manu dextera super humerum dexterum posita confirmandum etiam adultum *teneat* sive physice tangat per se vel per procuratorem in actu confirmationis (34); sed *unus* tantum sit oportet pro uno vel duobus non pro pluribus, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi (35); praeterea debet esse eiusdem sexus atque confirmandus et

---

II p. 26 et t. III p. 342, unde constat can. 7. Concilio Constant. I (a. 381) vulgo attributum non esse authenticum; Collect. Lac. t. II col. 29, 123, sq. 544; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 78 sq.; *Pesch* l. c. n. 521 sq.; *Schanz* l. c. p. 303 sq.; *Ferraris* l. c. n. 18 sq.; *Lehmkhl* l. c. n. 95.

(30) *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 19 n. 17; Conc. prov. Remens. (a. 1849) in Collect. Lac. t. IV col. 115; *Schanz* l. c. p. 300 sq. Codex tamen can. 789 urget, quod Pontificali Romano praescribitur: « confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant ».

(31) Collectan. S. C. de Prop. F. n. 665, 666, 685, sq.

(32) Can. 793-797 Pontif. Rom. tit. de confirm.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 686, 687, 693; S. C. C. 18 Iul. 1699, apud. *Richt*. l. c. p. 47 n. 3; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 515; Collect. Lac. v. Confirmatio, v. g. Conc. prov. Firman. (a. 1726) t. I col. 604, Conc. prov. Colon. (a. 1860) t. V col. 313, Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) t. VI. col. 13 Cfr. de paschate et pentecoste i. e. de antiquis temporibus confirmationis: Conc. Germanic. (a. 742) c. 3; Synod. Paris. (a. 829) lib. l. c. 33 = c. 7 D. V. de cons.

(33) *Kraus* l. c. v. v. Firmung n. 11 Taufe n. 4; *Devoti* l. c. § 42; Pontif. Rom. l. c. iunct. Instr. S. Inq. m. Iul. a. 1888, ubi casus necessitatis pariter excipitur.

(34) S. R. C. 24 Sept. 1749. ad 6 (1).

(35) Cfr. c. 101 D. IV de cons.; Pontif. Rom. l. c.; S. C. C. 12 Iul. 1823, apud *Richter* l. c. p. 47 n. 2; cit. Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888.

a patrino baptismi distinctus, nisi cogant necessitas vel ritus, et insuper alias sit idoneus (36); et in genere nullus in confirmatione admittendus est ut patrinus qui in ipso baptismo ab officio patrini excluditur ad normam canonis 766.

Ad *valide* exercendum munus patrini canon 795 exigit:

1) Ut sit ipse confirmatus, (37) usum rationis assecutus et intentionem habeat id munus implendi;

2) Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam sit notatus poena excommunicationis, infamiae iuris aut exclusionis ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus aut degradatus;

3) Non sit pater, mater, coniux confirmandi:

4) A confirmando eiusve parentibus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus:

5) Tandem designatus legitime nisi in ipso actu confirmandum tetigerit (per se vel per procuratorem) munus patrini de facto non obiit.

De religiosis utriusque sexus et de clericis saecularibus valet quod dictum est de patrinis baptismi (38).

Sacerdos si ex indulto apostolico administret sacramentum confirmationis, nunquam simul potest agere patrinum (39); *Episcopus* vero confirmans, qui in aliquo casu vellet assumere officium patrini erga *confirmandum*, huiusmodi munus gerere deberet per procuratorem (40).

Adnotatio. Finita confirmatione *nomina* confirmatorum (41), parentum, patrinorum, diem et locum confirmationis a parochis iux-

(36) Cfr. c. 100 D. IV de cons.; Pontif. Rom. l. c.; S. C. C. 16 Febr. 1884, in Act. S. Sed. vol. XVI p. 537 sq.; S. C. Inq. 16 Iunii 1848, in cit. Collect. n. 696 et cit. Instr. S. C. Inq.; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888) p. 79: « *Patrinus, cum sacramentum chrismatis confertur,* **debet** *esse idem ac patrinus baptismi* ».

(37) Cfr. c. 103 D. IV de cons.; Pontif. Rom. l. c. — Praeterea S. C. C. 16 Iun. 1654, et cit. Conc. plen. Amer. lat. n. 517 et *Sanchez*, De s. matrim. sacram. l. VII disp. 60 n. 20 aliique auctores tenuerunt patrinum *non* confirmatum non contrahere cognationem spiritualem. Cum autem iure Codicis valide patrinus non sit, certum nunc est a non confirmato cognationem non contrahi.

(38) S. C. Inq. 3 Sept. 1671, in cit. Collect. n. 688.

(39) S. C. de Prop. F. 21 Sept. 1843, in cit. Collect. n. 691.

(40) S. R. C. 14 Iun. 1873, ad 3; cit. Conc. plen. Am. lat. n. 517.

(41) Confirmandi tempore confirmationis, quando Episcopus dicit: « *N. te signo crucis etc.* », *praeter* nomen suum baptismale *possunt* nomen alius Sancti

ta formam in Rituali Romano i. f. et statutis particularibus praescriptam in proprio libro, cui *fides publica* convenit, sunt describenda, ut authentice susceptio confirmationis constet et *facile probari* possit (42).

Fieri quoque debet adnotatio in libro baptizatorum, de quo cavet can. 470, § 2. — Quodsi proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione *minister* vel per se ipse vel per alium quamprimum parochum certiorem faciat.

Probatio confirmationis receptae directe et principaliter habetur ex adnotationibus factis in libris paroecialibus. Qui si non habeantur (v. gr. incendio potuerunt perire), ubi nemini praeiudicium fiat, sufficienter obtinetur per attestationem unius testis omni exceptione maioris, vel per ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili aetate (can. 798 - 800).

60. Effectus confirmationis praeter gratiae sanctificationis augmentum aliaque dona (43) est *impressio characteris*, unde hoc quoque sacramentum certo valideque collatum *reiterari* nequit; secus dicendum, si collatio fuit *certo invalida* (44). Quodsi *probabile dubium* sit de facto vel valore administratae confirmationis, *sub conditione* quidem reiteratio fieri *potest*, at non *debet* (45), nisi quis forte ad primam tonsuram et ordines sit promovendus (46), vel religionem est ingressurus.

Denique confirmatione omnes fideles efficiuntur « *pleni chri-*

sibi imponi curare. Cfr. S. R. C. 20 Sept. 1749, ad 7 (2) et cit. Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888; c. 115 Conc. Trevir. (a. 1310).

(42) Collect. Lac. t. I col. 72 t. IV col. 989 t. VI col. 13 Cfr. quoque de alia probatione confirmationis per *iuramentum*, quo promovendus ad primam tonsuram et ordines sacros coram Episcopo attestatur, *se reminisci sibi* confirmationis sacramentum fuisse collatum: S. C. C. in caus. Interamn. 6 Maii 1517, apud *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. II sect. 91.

(43) *Pesch* l. c. n. 530 sq.

(44) Cfr. c. 8, 9, D. V. de cons.; Conc. Trid. Sess. VII de sacram. in gen. can. 9; Pontif. Rom. l. c.; S. C. Inq. 3 Iul. 1853, in cit. Collect. n. 674; Instr. S. C. Inq. m. Iul. 1888.

(45) Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § 3; text. cit. in not. 115, h. tit.

(46) S. C. Inq. 16 Mart. 1872, 1 Apr. 1879, 14 Ian. 1885, et S. C. de P. F. 5 Iul. 1886, in cit. Collect. n. 676, 677, 679, 680.

stiani » (47) neque amplius ob defectum fidei confirmatae prohibentur a *prima tonsura* et *ordinibus* suscipiendis vel ab ingressu in statum religiosum (48); porro inducitur *cognatio spiritualis* inter confirmatum et patrinum, ex quo patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi (can. 797); at iure Codicis a valido matrimonio inter se contrahendo non amplius impediuntur. Cf. can. 1079 (49).

TITULUS III

De sanctissima Eucharistia

61. Codex simul agit can. 801 sq. et de Missae sacrificio et Eucharistiae sacramento; Eucharistia quippe est sacramentum permanens quod conficitur in Missa; deinde sive intra sive extra Missam dispensatur in communione fidelium et praeterea custoditur in ecclesiis estque praecipum obiectum cultus divini. Tria haec significantur canone praeliminari et dogmatico 801: « In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus *continetur, offertur, sumitur* ». Remissis ad Partem III (can. 1265 - sq.) iis quae pertinent ad custodiam et cultum Eucharistiae, hoc loco ordine legali duobus distinctis capitibus agitur de sacrificio et de Sacramento Eucharistiae.

CAPUT I

De sacrosancto Missae sacrificio

62. Fontes: Decret. Grat. c. 1 sq. D. I. de consecr.; c. 13 sq. D. V. de consecr. — Cpl. III, lib. III, tit. 33, de cel. et sacr. euch. et aqua, quae exivit ex latere Christi; cpl. V, lib. III tit. 24, de celebr. Missar. — Decret. Gregor. IX l. III, tit. 41, de celebr. Missarum; tit. 44, de custodia euchar.; Const. Clem.

(47) Cfr. cap. 1 Dist. 5 de consecr. (caput Pseudoisidori).
(48) Cfr. infra, ubi de irregularitatibus, iunct. can. 974; can. 544.
(49) De iure praeced. cfr. cap. 1, § 1, *de cognat. spirit.* IV, 3 in Sext. iunct. Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2 de ref. matr.; S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr. p. 265, n. 105 sq.; Collect. 1 C. P. F. n. 1248 sq.; S. C. C. 11 Iunii 1881 in A. S. S. XIV, 411 sq.

V lib. III tit. 14; Extravg. lib. III tit. 11. — Concil. Trid. Sess. XIII. decr. de ss. euch. sacr.; Sess. XXII. doctr. de sacrif. M. cum decr. de observ.; Decret. Clem. Pap. VIII ed. *Sentis* p. 112, sq. — Decret. auth. S. R. C. ed. *Muehlbauer* v. v. Missa, nov. ed. Rom.; Act. S. Sed. v. Missa; Collect. S. C. de Prop. F. n. 774 sq. 2166 sq.; S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 129 sq. et apud *Lingen* et *Reuss,* Caus. sel. p. 273 sq., 578 sq. 783 sq., 876 sq. — Collect. Lac. v. v. Missa, Eucharistia; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 81 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 36 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. — *Zech,* De iure rer. eccl. sect. 2, tit. 4, de euch. sacr. tit. 5, de sacrif. M.; *Devoti,* Inst. canon. l. II. t. 2, sect. 3, de euchar.; *Scherer* l. c. t. II. p. 648, sq.; *Hinschius* l. c. t. IV. p. 178, sq.; *Gasparri,* De ss. eucharist. n. 1, sq.; *Van de Burgt,* De celebr. Miss. *Bened. XIV.,* De sacros. Miss. sacrif.; *Ferraris* l. c. v. v. Missa, Eucharistia; *Thalhofer* l. c. t. II. p. 1, sq.; *Zaccaria,* Biblioth. ritual.; *Kraus* l. c. v. v. Eucharistia, Missa. — *Cappello* l. c. 549 sq.; *Ferreres,* Derecho sacramental n. 111 sq.

Praenotiones

63. Actus particulares quibus *cultus divinus* in Ecclesia catholica exercetur ad quatuor (1) revocari possunt scl. *sacrificium Missae, oratio, iuramentum, votum;* inter quos profecto sacrificium Missae pro sua eximia dignitate et excellentia principem occupat locum. Quare de sacrificio Missae etiam ordine quodam logico potuisset agi in tractatu canonico de cultu divino, ut factum est a *Wernz* sequutus ordinem Decretalium (2), in quo coniungitur cum tractatione de *reliquo cultu eucharistico,* quatenus a *sacramento eucharistiae* sive a *sacra communione* distinguitur, de qua sub rubrica de *sacramentis* et sacramentalibus apte disseri potuit. In Codice vero obtinuit alius ordo, et sub generali rubrica de Sacramentis agitur de huius sacramenti Confectione (Missa) et dispensatione (Communio).

Qua in disputatione *canonica* merito ea supponuntur, quae in institutionibus *dogmaticis* et *theoreticis* sive speculativis de reali praesentia Christi in eucharistia, de sacrificio Missae, de sacramento eucharistiae ex professo sunt discussa atque demonstrata ideoque

(1) *Suarez,* De virt. et stat. relig. tract. II l. 1 cap. 3 n. 9 sq.; tract. IV, V, VI.
(2) Cfr. cit. antiq. compil. in font. et cpl. IV l. III t. 15 de celebr. divini officii iunt. rubricam lib. III tit. 41 de celebr. Miss. et sacr. euch.; *Suarez* l. c. tract. II, De sacramento eucharistiae disp. 77. Cfr. quoque Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 83 sq. 99 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 36 sq. 21.

ex theologis hoc loco tantum in memoriam revocanda (3). At disquisitiones *morales* et *practicae* de eucharistia, quas non raro veteres theologi scholastici v. g. Suarez, Bellarminus aliique suis commentariis dogmaticis illico subiungebant, certe a iure Decretalium non possunt dici alienae, si quis vel modice inspiciat capita tit. 41, 44, libri tertii illius Collectionis interpretationi canonistarum permissa. Huc etiam spectant plures canones novi Codicis. Porro sepositis disputationibus dogmaticis et theoreticis multae quaestiones *practicae* de eucharistia remanent, quae spectant ad forum *externum*, non ad forum mere internum, propriam *moralistarum* provinciam, atque nequaquam solo *iure divino*, sed multis *legibus disciplinaribus* ab ipsa Ecclesia latis resolutae sunt (4).

§ 1. - DE IPSO SACRIFICIO MISSAE.

I. - Nomen, notio, divisio, historia sacrificii Missae.

64. Sacrificium eucharisticum a Christo Domino in ultima coena institutum postquam primis temporibus in Ecclesia occidentali et orientali diversa nomina sortitum est v. g. *εὐχαριστία, λειτουργία, προσφορά, θυσία*, dominicum, sacrificium, collecta (5), tandem ex saeculo quarto saltem in Ecclesia occidentali paulatim ex usu magis divulgato dicebatur *Missa* (6). Quod vocabulum Missae prima vice

(3) Cfr. v. g. *S. Thom.*, Summa theol. P. III q. 73 sq.; *Suarez*, De sacram. euchar. disp. 39 sq.; *Bellarm.*, De sacram. euchar. (tertia controv. gener.); *Lugo*, De venerab. euchar. sacram.; *Franzelin, Billot, Pesch, Schanz, Lercher*, aliosque; *Gasparri* l. c. n. 1 sq. 8 sq., ubi recte primo loco breviter explicat doctrinam catholicam de *reali praesentia* Christi sub speciebus panis et vini in eucharistia, *deinde illico* de *sacrificio* Missae, denique *ultimo* loco de *sacramento eucharistiae*.

(4) *Pirhing* l. III t. 41 prooem.; *Reiffenstuel* l. III t. 41 t. 42 sq., unde facile eruitur, quod veteres iuris Decretalium commentatores tantum ob rationes practicas penitus fere omiserint explicationem quaestionum « *quae a canonistis et summulistis hic* (i. e. titulo 41 sq. Decret.) *tractari solent* ». *Pirhing*, l. c.

(5) *Thalhofer* l. c. t. I p. 214 sq. t. II p. 3 sq.; *Probst*, Liturgie d. erst. christl. Iahrh. p. 1 sq.

(6) Cfr. c. 30 Conc. Agath. (a. 506)=c. 13 D. V. de consecr.; c. 47 eiusd. Conc. et c. 26 Conc. Aurel. I (a. 511)=c. 64, 65 D. I de consecr.; c. 4 Conc. Ilerd. (a. 524)=c. 9 C. XXXV q. 2, 3; c. 3 Conc. Vasens. (a. 529) iunct. *Hefele* l. c. t. II p. 741; c. 29 Conc. Aurel. III (a. 588); *Kraus* Real-Encykl. d. chr. Alterth. v. Missa.

apud S. Ambrosium († 397) certo occurrens manifeste *ex lingua latina* (collecta=collectio, confessa=confessio, ingressa=ingressio) *posterioris aetatis* (missa=missio), non ex lingua hebraica vel graeca est derivandum. Etenim in liturgia facta est *solemnis* missio sive dimissio primum catechumenorum post evangelium, deinde in fine etiam fidelium data benedictione atque inde universa « *dominica solemnia* » obtinuerunt nomen *Missae* (7). Concilium vero Tridentinum Sess. XXII., ubi proponit doctrinam catholicam « *de magno eucharistiae mysterio..., quatenus verum et singulare sacrificium est* », convenientissime universae definitioni dat hanc rubricam: « *Doctrina de sacrificio Missae* ».

65. Sacrificium, quod sensu quodam lato potest designare quemlibet actum religionis etiam internum veluti sacrificium laudis divinae, hoc loco intelligitur sensu stricto de sacrificatione sive de *actione sacrificandi*, quae denotat peculiarem actum religionis ab oratione, voto, iuramento distinctum atque simpliciter appellatur sacrificium. Cuius sacrificii in genere aliae atque aliae suppeditantur definitiones v. g. oblatio rei permanentis, cuius immutatione per legitimum ministrum facta recognoscitur Deus ut supremus omnium dominus vitaeque et mortis auctor (8). Qua disputatione theologis atque philosophis relicta unice hoc titulo, quatenus ad *canonistas* spectat, disserendum est de illo vero et visibili et incruento sacrificio a Christo Domino in novissima coena instituto, in quo corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit. Quod sacrificium Christus tradidit Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Iam nomine *Missae* nunc intelligitur hoc sacrificium eucharisticum a Christo institutum, quod in

(7) *Benedict. XIV.*, De ss. Miss. sacrif. l. II cap. 1; *Hefele* l. c. t. II p. 632, ubi ex verbis Aviti Viennensis probatur saeculo quinto non solum in ecclesiis, sed etiam in praetoriis solemni illa formula « *Missa est* » populum ab observatione fuisse dimissum; *Kraus* l. c.; *Thalhofer* l. c. t. II p. 4 sq.; *Schanz*, D. Lehre v. d. h. Sacram. p. 465; *Schmalzgr.* l. III t. 41 n. 32; Act. theol. Tubing. t. 71 p. 531 sq.; *Ferreres* l. c. n. 114 et in « Historia del Misal Romano » n. 1-7, n. 8. Cfr. quoque Epistolam S. Aviti († 518) apud *Migne* P. L. vol. 59, col. 199.

(8) *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. II l. 1 cap. 3 n. 1. sq.; *Schmalzgr* l. c. n. 31; *Gasparri* l. c. n. 16.

Ecclesia catholica offertur non solum secundum omnes partes iure divino definitas, sed etiam sum omnibus partibus *accidentalibus* sive *ritibus* et *caeremoniis ab Ecclesia praescriptis* (9).

66. Sacrificium eucharisticum in unaquaque Missa ex iure divino quoad *essentiam* consistit in *sola consecratione,* ad quam *communio sacerdotis* solummodo ut *pars integrans* accedit; at praesertim ratione *ritus accidentalis* et applicationis Missae multiplici ratione *dividuntur* (10):

I. In Missas *de tempore,* quae dicuntur secundum ordinem officii et respondent variis *anni ecclesiastici* temporibus, in quibus vitae, passionis, doctrinae *Christi* mysteria fideique sacramenta recoluntur, et denuo subdividuntur in Missas *de festo, de vigilia, de octava* et in Missas *dominicales* et *feriales;* item in Missas *de Sanctis,* quae in ipsorum honorem celebrari solent secundum annuam solemnitatem ab Ecclesia institutam (11).

II. In Missas *solemnes* (generales, conventuales, publicas) et *privatas* sive *lectas* (particulares, solitarias) (12). Illae celebrantur cum sacris ministris et clericis inservientibus (13), cum cantu solemnique caeremoniarum apparatu (14) v. g. Missa papalis, pontificalis sive episcopalis, abbatialis. Quo nomine Missae solemnis etiam continetur Missa *cantata*, quae a *sacerdote cantatur* absque

(9) Conc. Trident. Sess. XXII doctr. cap. 1, 5; *Schmalzgr.* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 16 sq. n. 853 sq.

(10) *Thalhofer* l. c. t. II p. 315 sq.; *Maringola,* Inst. liturgicae vol. II p. 319 sq.

(11) Missale Rom.; Proprium Missar. *de tempore,* Propr. Missar. *de Sanctis* iunct. Rubr. gener. pr. tit. I sq. tit. IV n. 3. « *Et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat* »; *Thalhofer* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 863.

(12) Missale Rom., Rubr. gener. tit. XV sq.; Ordo serv. I sq.; Caerem. Episcop. l. I cap. 12 n. 11; *Thalhofer* l. c. p. 317 sq.; *Gasparri* l. c. n. 647. sq. 780. Illa denominatio missae *privatae* prout se refert ad ritum et caeremonias retineri potest cum ab ipso legislatore in liturgicis legibus adhibeatur, licet in se videatur minus propria; nam quod attinet ad naturam seu essentiam sacrificii, missa, quovis ritu celebretur, semper est *publicum* et *commune* sacrificium, quod a *publico* ministro ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem offertur.

(13) S. R. C. in caus. S. Iacob. 14 Mart. 1861 ad 2.

(14) Missale Rom. l. c.; S. R. C. in caus. Salutiar. 29 Nov. 1856 ad 6, 24 Sept. 1884; *Thalhofer* l. c. p. 320; *Gasparri* l. c. n. 858 sq.

diacono et subdiacono, sed cum sufficienti numero aliorum ministrorum (15).

Privatae sive melius *lectae* vel planae *a sacerdote non cantantur,* sed *leguntur* cum unico clerico vel ministro serviente.

Quae Missae mere lectae non raro rationem *publicarum* Missarum habere possunt. Quibus in casibus complures rubricae de Missis stricte privatis v. g. de unico ministro, de duabus candelis urgeri nequeunt (16).

III. In Missas *votivas* (solemnes et privatas), quae *extra* ordinem officii pro aliqua speciali causa sive publica sive privata in casibus a rubricis permissis secundum devotam *voluntatem* sive votum petentium vel sacerdotis vel interdum etiam ex *iuris* vel Superioris ecclesiastici *praescripto* celebrantur (17), in Missas *pro defunctis* (solemnes et privatas), quae, ut ipsa verba insinuant, pro animabus defunctorum legitime applicatae celebrantur secundum speciales ritus ab Ecclesia praescriptos (18).

IV. In Missas *praesanctificatorum,* in quibus sacerdos non consecrat, sed tantum communicat sive sumit hostiam antea consecratam. Quae Missae non sunt verae et propriae Missae, ut iam patet ex addito vocabulo; attamen *legitime* certis diebus fiunt in Ecclesia occidentali (19) v. g. secundum ritum Romanum fer. VI

(15) Missale Rom., Rit. servand. VI n. 8; S. C. de Prop. F. 8 Iun. 1844 in Collect. S. C. d. Pr. n. 883; S. R. C. in caus. Plocen. 25 Iun. 1898; Anal. eccl. t. V. p. 360 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 320 sq.

(16) Conc. Trid. l. c. can. 6; *Bened. XIV.*, De ss. Miss. sacrif. l. II cap. 22; *Gasparri,* l. c.; *Thalhofer* l. c. p. 321 sq. Cfr. c. 43 Conc. Mogunt. (a. 813) de prohibitis Missis solitariis a solo sacerdote sine *ullo* ministro celebratis.

(17) Missale Rom., Rubr. gener. tit. IV. Quae Missae votivae sunt triplicis generis. Primi generis sunt illae, quae dicuntur de aliquo Sancto vel mysterio sive aliqua solemnitate. Cfr. S. R. C. in caus. Wilnen. 22 Dec. 1753. Secundi generis sunt octo illae, quae habentur in Missali post commune Sanctorum et dedicationis ecclesiae pro singulis feriis. Tertii generis sunt decem et octo Missae votivae, quae in fine Missalis Romani recensentur. Cfr. quoque de Missis votivis: S. R. C. in caus. Placent. 19 Maii. 1607 ad 12, in caus. Asturic. 7 Sept. 1851 ad 3; in caus. Strigon. 3 Iul. 1896 ad 2; in caus. Mont. Polit. 20 Maii 1890 ad 1 iunct. decr. 28 Iun. 1889; *Gasparri* l. c. n. 869 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 330 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 196.

(18) Missale Rom. l. c. tit. V; Conc. Trid. l. c. cap. 2; recentiores decisiones S. R. C. v. g. in caus. Calagurit. 13 Febr. 1892, decr. 19 Maii 1896 iunct. declar. 12 Ian. 1897, decr. gen. 2 Dec. 1891; *Gasparri* l. c. n. 873 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 323 sq.

(19) S. R. C. resol. 5 Mart. 1825; *Gasparri* l. c. n. 24, 69.

hebd. sanctae et orientali (20), ideoque probe distinguendae sunt a Missis *siccis* olim sine consecratione et comunione sacerdotis per abusum celebratis (21).

V. *Ex iure antiquo* in Missas *catechumenorum* (22), quae constabant sacris ritibus usque ad offertorium peractis et idcirco veris Missis adnumerari non potuerunt, et in Missas *fidelium* i. e. reliquas liturgiae sive *verae* Missae partes ab offertorio usque ad finem, quibus tantum fideles et poenitentes consistentes interesse poterant.

Praeterea distinguebantur Missae *matutinae* i. e. mane celebratae et Missae *vespertinae* sive *serotinae,* quae certis diebus v. g. quadragesimali tempore sub vesperam circa quintam vel sextam horam celebrari solebant (23).

67. Quemadmodum theologi catholici iam ex ipsa sacra scriptura demonstrant existentiam sacrificii eucharistici (24), ita ex constanti traditione luculenter probant semper in Ecclesia catholica inde a primis saeculis de sacrificio Missae eandem viguisse fidem atque praxim (25). Quae praxis quamvis in partibus *substantialibus* nullam unquam subierit mutationem, tamen in rebus *accidentalibus* per legitimas consuetudines vel expressas leges Ecclesiae multiplicem potuit subire mutationem. Qua ratione factum est, ut Missae sacrificium inde ab antiquis temporibus fuerit celebratum secundum ritum *de tempore* et conformiter *officio divino.* Missae vero *speciales* de Sanctis sunt posterioris aetatis, etiamsi festa *quaedam* Sanctorum v. g. B. V. M. et memoriae martyrum iam antiquo tempore reperiantur (26).

(20) Cfr. c. 49 Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 52 Conc. Trull. (a. 692) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 772; Collect. Lac. t. II v. Missa n. 25, 27, 49; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 36 sq.; *Gasparri* l. c. n. 68; *Nilles,* Kalendar. t. II p. 251 sq.
(21) Cfr. c. 11 Conc. Paris. (a. 1212-1213); *Durand.,* Rationale divinor. offic. l. IV cp. 1 n. 23; *Thalhofer* l. c. p. 322 sq.; *Hefele* l. c. t. V p. 866 not. 1.
(22) Cfr. c. 4 Conc. Ilerd. (a. 524-546)=c. 9 C. XXXV q. 2, 3.
(23) *Tertull.,* De orat. cap. 19; c. 3 Conc. Vasen. (a. 529) iunct. *Hefele* l. c. t. II p. 741; *Maringola* l. c. p. 325 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II p. 318 not. 1.
(24) Luc. XXII 20; Marc. XIV 24; Matth. XXVI 28; I Cor. XI 24; *Franzelin,* De ss. euchar. sacr. et sacrif. p. 355 sq.
(25) Doctrina Apostolor. cap. 14; *Irenaeus,* Advers. haeres. l. IV cap. 17 n. 5 iunct. *Schanz* l. c. p. 436 sq. 445 sq.; *Franzelin* l. c. p. 339 sq.; cap. 1 § 3 X. de sum. Trinit. I 1.
(26) *Thalhofer* l. c. t. I p. 309 sq. t. II p. 315 sq. 331 sq.; *Duchesne* l. c. p. 45 sq. 218 sq. 431 sq.

Porro primis temporibus sacrificium Missae potissimum fuit celebratum *coram populo fidelium* et *clero* congregato (σύναξις=collecta), imo assistentibus presbyteris, qui cum suo Episcopo concelebrabant. Id quod diebus dominicis et festis in eadem ara (maiore, cardinali) nonnisi *semel* factum est. At saltem solemnioribus festivitatibus ob numerosioris populi conventum iam tempore S. Leonis M. mos fuit, ut sacrificii oblatio in eadem basilica *iteraretur* (27). *Concelebratio* vero Episcopi cum presbyteris vel complurium sacerdotum, quae etiam nunc in Ecclesia orientali (28) viget, in Ecclesia occidentali ex saeculo decimo tertio fere penitus cessavit, nisi excipias Missam, in qua Episcopus consecratur vel presbyter ordinatur (29). Quae praxis latina eo facilius fuit introducta, quo magis ibidem iam *ante* saeculum octavum et deinceps dilatatus est usus legitimus Missarum *privatarum* (30) excluso abusu Missarum solitariarum.

Praeterea sacrificium Missae semper in Ecclesia pro vivis atque defunctis oblatum est, sed ex antiquissimis libris liturgicis v. g. ex sacramentario Gelasiano et Gregoriano constat, quod propter singulares necessitates publicas vel privatas etiam speciales exstiterint formulae Missarum v. g. pro pace, pro infirmis. Teste Micrologo deinde saeculo octavo Alcuinus ad instantiam S. Bonifacii formulas Missarum votivarum composuit, quae singulis hebdomadae diebus assignatae, loco formulae ferialis possent adhiberi. Quae formulae Missarum votivarum aliquantulum immutatae, ut patet ex Durando, postea novis correctionibus factis in Missale Pii V transierunt. Mandante S. Pontifice Clemente XI Cardinalis Thomasius concinnavit formulam Missae ad postulandam gratiam bene moriendi, quae nunc Missali Romano est inserta. Tandem Leo XIII per indultum generale 5 Iul. 1883 iunct. declar. S. R. C. concessit nova officia votiva loco officiorum ferialum vel festorum simplicium (31).

(27) *Durand.* l. c. n. 25; *Thalhofer* l. c. t. I p. 758 sq. t. II p. 317 sq.
(28) Const. Apost. l. VIII cap. 12; Collect. Lac. t. II col. 222 sq. 524; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 42.
(29) *S. Thom.,* Summa theol. P. III q. 82 art. 2 iunct. *Catalan.,* Comment. in Pont. Rom. t. I p. 140 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II p. 319.
(30) *Bellarm.,* De sacram. euchar. l. VI cap. 9; *Thalhofer* l. c. p. 322.
(31) *S. August.,* De civit. Dei l. XXII cap. 8; *Durand.* l. c. n. 28 sq.; *Maringola* l. c. p. 321 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 330 sq.

Similiter *pro defunctis* ex antiquissimo usu Ecclesiae non solum generaliter (32), sed speciali quadam ratione sacrificium Missae oblatum est tum ante sepulturam ipso die obitus vel depositionis tum etiam die anniversario mortis (33). Quibus diebus pro diversitate regionum et disciplinae accesserunt dies tertius, septimus (nonus), tricesimus (quadragesimus) etc. (34), donec tandem a Pio V ordo dierum, qui nunc viget, ex antiquo more Romano fuerit stabilitus et praeditus singularibus privilegiis, a quibus praesertim in favorem pauperum etiam Missae lectae non sunt penitus exclusae (35).

68. *Notio sacrificii* ex theologis repetenda est, de qua plures ultimis temporibus facta sunt disputationes non semper claritate et soliditate commendabiles. Cfr. *Lercher*, Inst. Theol. dogm. vol. III, n. 307 sq.; vol. IV, n. 390 sq. — Ea videtur esse praeferenda qua sacrificium dicitur esse: Oblatio externa rei sensibilis cum eius destructione vel immutatione soli Deo facta per legitimum ministrum in supremi eius domini protestationem.

Missam esse verum N. L. sacrificium definivit Conc. Tridentinum sess. 22, can. 1. Cuius essentia reponenda est in sola consecratione: communio autem sacerdotis extrinsece integrat sacrificium, quatenus victima per actionem sacrificalem ponitur sub speciebus panis et vini et ita ad sumptionem ordinatur ab Ecclesia rigorose praescriptam.

In quo sacrificio N. L. rationes omnium sacrificiorum L. A. perfecte continentur, estque: *a) latreuticum*, quatenus Deo offertur in agnitionem supremi dominii; *b) eucharisticum* quatenus in gratiarum actionem pro divinis beneficiis offertur; *c) propitiatorium* et *satisfactorium* vel *expiatorium* prout Deo offertur ad obtinendam veniam peccatorum et remissionem poenae pro illis debitae; *d)* denique *impetratorium* dum offertur Deo ad beneficia ab eo per merita Christi obtinenda (Cfr. Conc. Trid. sess. 22, can. 3).

(32) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 2; *Bellarmin.* l. c. cap. 7; *Franzelin* l. c. p. 363 sq.; *Gasparri* l. c. n. 873 sq.

(33) *Tertull.*, De coron. mil. cap. 5; c. 2 Conc. Vasens. (a. 442); *Thalhofer* l. c. t. II p. 240 sq. 323 sq.

(34) *Durand.* l. c. l. VII cap. 35 n. 5 sq.

(35) S. R. C. 9 Maii 1899; *Gasparri* l. c. n. 875 sq.; *Talhofer*, l. c. p. 324 sq. de certis Missis in honorem Sanctorum vel pro defunctis: Conc. Trid. sess. XXII, doctr. cap. 3, can. 6; *Bellarminus* l. c. cap. 8; *Gasparri* l. c. n. 864 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 327 sq.

Hi quatuor fines seu rationes sacrificii Missae sunt etiam quatuor fructus qui ex ipso proveniunt *ex opere operato* independenter a merito et devotione celebrantis, in quantum est oblatio Christi et Ecclesiae, cuius delegatus minister est sacerdos: dum *ex opere operantis* conferuntur intuitu dignitatis et meriti offerentis.

69. Respectum magis canonicum habet (applicatio Missae ex variis obligationis titulis) distinctio in fructum *generalem, specialem, specialissimum. a) Generalis,* quem alii dicunt *communem* vel *universalem* qui provenit ex sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote prout operante *nomine Christi et totius Ecclesiae*, de quo participant omnes fideles quantum ad *impetrationem* et *placationem*, abundantiori seu magis speciali modo adstantes sacrificio et a fortiori cooperantes v. gr. sacerdoti inservientes. *b) Specialis,* quem alii vocant *medium* vel *ministerialem,* est ille qui advenit iis, quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat (hoc est applicare Missam ad intentionem offerentis stipendium), qui ex opere operato participant de sacrificio ut est *impetratorium* et *propitiatorium* et etiam ut est *satisfactorium,* si nihil obstet. *c) Specialissimus,* quem alii dicunt *personalem,* ille est qui obvenit sacerdoti quatenus est persona privata offerens, qui pariter particeps fit ex opere operato sacrificii fructus in quantum est *impetratorius, propitiatorius* et *satisfactorius* independenter ab eius voluntate seu intentione (36).

II. - De sacerdote sacrificii Missae.

70. Sacrificium et sacerdotium cum ex Dei ordinatione sint coniuncta, etiam in Ecclesia catholica ob sanctum et visibile eucharistiae sacrificium existit visibile et externum sacerdotium (37). Qua in re quaeri potest, quinam sint sacerdotes *capaces* vel *legitimi* vel *obligati* ad celebrandum sacrificium Missae.

71. Ministri **capaces** vel habiles ad *conficiendam* eucharistiam sive **validam** Missae celebrationem sunt omnes et soli sacerdotes

(36) Quoad fusiorem tractationem consulendi sunt theologi cfr. interim *Ballerini-Palmieri* IV, n. 991 sq.; *Cappello,* l. c. n. 569 sq.

(37) Conc. Trid. Sess. XXIII doctr. cap. 1.

(presbyteri et Episcopi) valide ordinati, etiamsi sint apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati vel degradati (38). Quamvis ex iure divino complures sacerdotes sacrificium Missae *concelebrare valeant*, ita ut sint tot sacrificia, quot sint sacerdotes simul consecrantes (39), tamen in Ecclesia occidentali ex disciplina vigente huiusmodi praxis *non* amplius est *permissa* excepta Missa ordinationis presbyteri vel consecrationis Episcopi (can. 803). Quodsi in Ecclesia orientali (40) concelebratio complurium sacerdotum nunc quoque frequentius est recepta quam in Ecclesia latina, tamen quoad ius percipiendi *stipendium* pro Missa concelebrata standum est legitimis consuetudinibus vel statutis unicuique ritui propriis et *intentioni* illorum, qui dant stipendium (41).

72. Legitimi sive competentes sacerdotes ad **licitam** celebrationem sacrificii eucharistici sunt illi, qui non solum *immunes* sunt a gravibus delictis (42), irregularitatibus, censuris aliisque poenis et impedimentis canonicis in exercitio ordinis sacerdotalis (43), sed etiam a competente Superiore ecclesiastico debita *licentia* ad Missam celebrandam muniti sunt (44).

(38) Cap. 1 § 3 X. de summ. Trin. l. 1; Conc. Trid. l. c. cap. 4; *Lugo* l. c. disp. 18 sect. 1; *Gasparri* l. c. n. 359 sq.; *Cappello* l. c. n. 567 sq.; Cfr. de usurpato ordine sacerdotali per laicum vel inferiorem clericum: can. 2322 iunt. cap. 1, 2 X. de clerico non ordin. V. 28; *Urbani VIII* Const. « *Apostolatus* » 23 Mart. 1628; *Bened. XIV* Const. « *Sacerdos* » 20 Apr. 1744 et Const. « *Divinarum* » 2 Aug. 1757; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 179 sq.

(39) *Benedict. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 16 n. 10.

(40) Cfr. *Bened. XIV* Const. « *Demandatam* » 24 Dec. 1743 § 9 de ritib. Graeco-Melchitarum; Collect. Lac. t. II, col. 222 sq., 524; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 42.

(41) *Bened. XIV* Const. « *Demandatam* » § 10. et Synod. Mont. Libani (a. 1736) (cfr. Collect. Lac. t. II col. 524, 223) singulis concelebrantibus sacerdotibus stipendium accipere permittit; at Synod. provinc. Ruthen. (a. 1891) p. 42 haec statuit: *Nihilominus* (concelebrans sacerdos) *applicationem pro aliquo stipendio speciatim sibi oblato, alia die in Missa particulari faciat, eo quod communiter loquendo talis apparet esse intentio dantis; secus vero, si dans in id consenserit*. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 547.

(42) Conc. Trid. Sess. XXII decret. de observ. « (Ordinarii) *neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare aut sacris interesse permittant* ».

(43) Missale Rom., De defect. in celebr. Mis. VI sq. VIII; *Gasparri* l. c. n. 439.

(44) Conc. Trid. Sess. XXIII doctr. can. 7.; Synod. dioec. Neapolit. (a. 1882) const. III cap. 2 n. 3 sq.

Qua in re quoad sacerdotes *peregrinos* i. e. extraneos praesertim non dioecesanos *et* vagos atque ignotos (cfr. Conc. Trid. Sess. XXII decr. de observ.) abrogatis cap. 1, 3, X. de cleric. peregr. I, 22, antiqui iuris Decretalium (45) (cfr. c. 9, Conc. Paris a. 1212 — 1213) imprimis standum est Conc. Trid. Sess. XXII decr. de obser. et Sess. XXIII cap. 16 de reform.): « *Nullus praeterea clericus peregrinus* **sine commendatitiis** *sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur* » (46). Quo iure Tridentino etiam ligantur *regulares*. Quare nec regulares peregrini in ecclesiis ad propriam sodalitatem non spectantibus sine litteris commendatitiis suorum Superiorum regularium sacrum peragere possunt (47), nec vicissim permissum est, ut regulares, in *suis* ecclesiis peregrinos sacerdotes *saeculares* vel *regulares* saltem alieni ordinis legitimis litteris commendatitiis carentes admittant ad celebrationem Missae (48). Hanc necessitatem urget can. 804 his verbis: « Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel S. C. pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur e Missae celebratione repelli debeat ». Quodsi Episcopus pro iure suo prohibeat, ne exteri sacerdotes sacrum facere valeant, nisi ipsorum litterae commendatitiae *a se* vel a suo Vicario generali vel delegato fuerint *recognitae* et approbatae, regulares quoque salva exceptione can. 804, § 3 in suis ecclesiis huiusmodi *statuto*, quod Episcopus condere et censuris munire potest, omnino obedire tenentur (49). At cum ex tali statuto dioe-

(45) *Reiffenstuel* l. I t. 22 n. 4; *Maschat*, Inst. can., summar. l. I t. 22; *Gasparri* l. c. n. 364 sq.

(46) Cfr. c. 13 Conc. Chalced. (a. 451) iunct. *Hefele* l. c. t. II n. 518; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 34 n. 4.

(47) *Benedict. XIV* Const. « *Apostolicum ministerium* » 30 Maii 1753 § 6; *Bouix*, De iure regular. t. II p. 189; *Gasparri* l. c. n. 372 sq.; *Piat*, Praelect. iur. regul. t. II q. 278.

(48) Conc. Trid. l. c.; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 34 n. 4, ubi refert declarationes SS. CC.; *Schmalzgr*. l. III t. 41 n. 50.

(49) Conc. Trid. Sess. XXII decret. de observ.; S. C. C. 7 Nov. 1594; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX cap. 15 n. 5; *Bened. XIV* Const. « *Quam grave* » 2 Aug. 1757 § 12, unde satis patet istam recognitionem et approbationem Episcopi non esse extendendam ad regulares peregrinos, *qui in propriis*

cesano iustis querelis locus relinqui possit, si sacerdotibus peregrinis etiam legitimis documentis munitis celebratio Missae temere denegetur vel differatur, Episcopi secundum praxim probatam diversarum regionum etiam Urbis rectoribus ecclesiarum vel vicariis foraneis concedere solent facultates limitato tempore circumscriptas v. g. per tres vel octo vel quindecim dies (50). Multo magis in iure Codicis oportet ut Episcopus revereatur praescriptum can. 804, § 2, vi cuius etiam is qui litteris careat, « si rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, ab hoc admitti ad celebrandum *possit;* si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc *potest* semel aut bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quavis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim se peculiari libro signet ».

73. Sacerdotes ut sint *legitimi* ministri altaris non solum carere debent *impedimentis* canonicis modo enumeratis, sed etiam *positivis* gaudeant necesse est dispositionibus *corporis* et *animi* (51).

I. Qua in dispositione corporis ab omnibus irregularitatibus (52) immunis imprimis requiritur, ut sacerdos sit *ieiunus naturali ieiunio* (53) a media nocte iuxta modum computandi tempus naturale vel etiam medium nunc *permissum* (54). Quae lex ieiunii, nisi

---

ecclesiis Missas celebrare intendunt, « cum eius rei cura reservata sit eorum Superioribus regularibus »; Bouix l. c. p. 188 sq.

(50) Synod. dioec. Neapol. (a. 1882) l. c. n. 4; Collect. Lac. v. Missa t. III n. 10 t. IV n. 20 t. VI n. 19; *Gasparri* l. c. n. 373; qui recte monet sacerdoti extraneo, qui legitimas habeat *proprii* Ordinarii litteras commendatitias, per se non posse *recusari* licentiam celebrandi Missam. Cui sententiae non obstat responsio S. C. C. 26 Aug. 1826 (*Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 879) in casibus particularibus propter speciales circumstantias, non per modum principii generalis data.

(51) Missale Rom., De defect. VIII, IX.

(52) Inferius hoc tom. de defectibus corporis, quae constituunt irregularitatem.

(53) Cfr. c. 28 Conc. Hippon. (a. 393); *S. August.* in c. 54 D. II de consecr.; c. 10 Conc. Paris. IV (a. 573); c. 6 Conc. Matiscon. II (a. 585); c. 29 Conc. Trull. (a. 692); cap. 5 X. de celebr. III 41; Missale Rom. l. c. IX. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 19 sq.; *Wernz* Ius Decretal. t. III n. 409; *Gasparri* l. c. n. 448 sq. (de ieiunio naturali); *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. XI cap. 13 (de usu tabaci); S. C. Inq. 23 Apr. 1890 (de artificiali stomachi lavamine saltem *ex gratia* concesso ante celebrationem Missae).

(54) Can. 34. S. R. C. in caus. Ocean. 7 Sept. 1850; S. R. C. in caus. Trevir. 22 Iul. 1893; S. C. Inq. 9 Aug. 1899; *Gasparri* l. c. n. 105 sq.

agatur de casibus *a iure* exceptis (55) aut per legitimam *dispensationem* rigori iuris subductis (56), graviter obligat sacerdotes, eiusque violatores, quibus poenae *latae* sententiae in iure non sunt statutae, certe gravi poena suspensionis prudenti arbitrio Superioris ecclesiastici quoad tempus definienda plecti possunt et debent (57). Praeterea sacerdos accessurus ad celebrationem Missae curam habeat cultus decentis, modesti, gravis sui corporis ideoque gestet caligas, calceos, vestem talarem suo gradui convenientes (can. 811) (58). Pileolum et annulum nullus in missae celebratione gestare potest, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus aut habeat ad hoc indultum apostolicum.

II. Inter dispositiones *animi* sacerdotis celebrantis principem locum occupat *status gratiae*, in quo debet esse constitutus (59). Quare etiam sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius est, habita copia confessarii absque praemissa confessione sacramentali sacrificium eucharisticum celebrare nequit; quodsi *necessitate urgente* et *deficiente copia confessarii* absque praevia confessione celebravit, quamprimum potest, confiteri debet (can. 807) (60). Porro ut cum debita devotione accedat, priusquam Missam celebret, saltem matutinum cum laudibus recitare curet; at ista rubrica ad summum

---

(55) Missale Rom. l. c. III, IV; *Schmalzgr.* l. c. n. 23 sq.; *Gasparri* l. c. n. 434 sq.; *Hollweck* l. c. p. 325.

(56) *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. VI cap. 8 n. 10 sq. 19 sq. At ex disciplina vigente huiusmodi dispensatio ad sumendum cibum vel potum ante Missae celebrationem ad S. C. Inq. pertinet, quae saltem ad privatam utilitatem minus facilis esse solet.

(57) Cfr. can. 2322 et de iure praecedenti: cit. c. 10 Conc. Paris. IV (a. 593); c. 2 Conc. Tolet. VII (a. 646) = c. 16 CVII q. 1; S. C. C. in caus. Tolet. 25 Ian. 1772, ubi tantum « *ad cautelam* » data est dispensatio ab irregularitate; *Hollweck* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 438.

(58) Missale Rom., Rit. serv. I n. 2; S. R. C. in caus. Gerund. 31 Aug. 1872; Collect. Lac. v. Missa v. g. t. III n. 9, t. IV n. 13, 14, t. V n. 11, t. VI n. 12; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 38; *Gasparri* l. c. n. 415 sq. Quae in Missali Rom., De defect. IX n. 5 dicuntur aut coniugatis presbyteris orientalibus iunguntur (cfr. Conc. provinc. Alba-Iul. a. 1872 p. 140; *Gasparri* l. c. n. 424) magis ad puritatem animi quam defectum corporis videntur referri.

(59) Cap. 7 X. de celebr. III, 41; *Bened. XIV* Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 1; Collect. Lac. v. Missa v. g. t. IV n. 5, 6, t. VI n. 6; *Schmalzgr.* l. c. n. 18.

(60) Conc. Trid. Sess. XIII decr. de ss. euch. cap. 7 can. 11 iunct. Missale Rom., De defect. VIII n. 3; *Alexand. VII* prop. damn. 18 Mart. 1666 n. 38; *Lugo* l. c. disp. 14 sect. 4 sq.; *Gasparri* l. c. n. 440.

levem imponit obligationem (61); praeterea ne omittat ad Eucharistici sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere (can. 810).

74. Obligati ad celebrandum sacrificium Missae sacerdotes possunt esse ex compluribus *titulis*, sc. ratione *sacerdotii, officii* vel *beneficii, stipendii, obedientiae, promissionis.*

75. I. **Ratione sacerdotii** omnes sacerdotes iuxta magis fundatam sententiam vi *iuris divini* ex obligatione *personali* saltem aliquoties Missam celebrare tenentur (62); ex *iure vero ecclesiastico* ut saltem *ter* vel *quater* in anno sacrum faciant graviter obligantur, nisi iusta causa excuset; secus ab Episcopo per suspensionem vel alias congruas *poenas* ferendae sententiae puniri possunt (63), monitione praemissa.

Praeterea iuxta Concilium Tridentinum Sess. XXIII cap. 14 de ref. *Episcopus curet,* ut sacerdotes *simplices* saltem diebus dominicis et festis solemnibus Missas celebrent. Quae cura licet *Episcopo* sit *praescripta,* tamen non poenis et censuris, sed potius *exhortationibus* et admonitionibus est in praxim deducenda, nisi agatur de casu merito excipiendo, quo populus vel illius pars non

(61) Missale Rom. l. c. X. et Ritus serv. I n. 1; *Gasparri* l. c. n. 452, qui recte rigidam sententiam Benedicti XIV posthaberi posse docet.

(62) Luc. XXII 19; Hebr. I 5; Conc. Trident. Sess. XXII doctr. cap. 1 can. 2; *S. Thom.*, Summa theol. P. III. q. 82 a. 10; *Schmalzgr.* l. c. n. 39; *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacr. l. III. cap. 1 aliique communius v. g. De Angelis, Lehmkuhl; aliter *Lugo* l. c. disp. 20 sect. 1 cum nonnullis antiquis doctoribus. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 411 sq.; *Hollweck* l. c. p. 324 sq.; *Van de Burgt,* De celebr. Missar. p. 22 sq. — *Cappello* l. c. n. 631 sq.; *Ferreres,* Theol. mor. n. 463 sq.

(63) Cap. 9 X. de celebrat. III 41 iunct. declar. S. C. C. mense Dec. 1669. Cfr. quoque c. 6 Conc. Tarracon. (a. 1316); cap. 7 Conc. Tolet. (a. 1324); cap. 12 Conc. Tolet. (Arand. a. 1473); *Van de Burgt* l. c. p. 5 sq. — Obligatio *celebrandi* distinguitur ab obligatione *applicandi*. Cum potestate sacrificandi ab ipso Christo accipit sacerdos potestatem applicandi fructum sacrificii, quae est etiam potestas sacerdotalis in ipsa ordinatione cum potestate sacrificandi collata: « accipe potestatem offerendi sacrificium *pro vivis et defunctis* » Atque in genere Apostolus ad Hebr. docet « omnis namque pontifex pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »; offerre autem pro aliis est ipsis applicare fructus sacrificii. Cfr. proposit. (30) pseudo-syn. Pistor. a Pio VI damnatam in const. « *Auctorem fidei* »; *Denzinger,* Euchar. n. 599, 1530.

possit satisfacere praecepto ecclesiastico (64). Quare quamvis summopere desiderandum sit, ut omnes sacerdotes *singulis diebus* etiam *ferialibus* digne Missam celebrent (65), tamen vera lege ecclesiastica tale onus ab Episcopis *simplicibus* sacerdotibus nulla ratione potest imponi; imo vel ipsi Episcopi ex iure communi ad hoc non compelluntur, quamvis *non deceat* eos absque rationabili causa transire ullum diem, quo a Missa celebranda *vel* audienda abstineant (66). Haec doctrina de obligatione celebrandi ratione sacerdotii recepti quoad substantiam refertur can. 805: « Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum: curet autem Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur ».

76. II. **Ratione officii vel beneficii ecclesiastici:**

A. - **Missa pro populo.** I. Omnes, qui *officium curae animarum* habent, generatim pro populo sibi commisso ex obligatione *personali* et *reali* Missam celebrare *et* applicare debent (67), nisi ex causa canonica saltem ab onere personali liberentur.

a) Quae obligatio speciatim adstringit *Episcopos residentiales* et *Praelatos* seu *Abbates nullius,* Vicarios et Praefectos Apostolicos Administratores Apostolici permanenter constituti, Vicarii Capitula-

(64) Cfr. can. 127, 128. *Bened. XIV* Const. « *Declarasti* » 16 Mart. 1746 § Minus; S. C. C. 25 Febr. 1617. Hinc nimis *generaliter Hinschius* l. c. t. IV p. 182 negat ab Episcopis posse sacerdotibus simplicibus imponi *obligationem iuridicam* celebrandi Missam. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 413.

(65) Cap. 12 X. de celebr. III 41; Collect. Lac. t. III col. 930, 859 t. V col. 22, 49, 54, 462, 379, 676, 901 t. VI col. 48, 544; *Bened. XIV* De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 2; *Schmalzgr.* l. c. n. 36.

(66) Cap. 12. de privileg. V. 7 in Sext. Quo capite non continetur *praeceptum* Episcopis datum singulis diebus celebrandi *vel* audiendi Missam, ut putat *Hinschius* l. c. p. 182. Potius quam ad rigorosum praeceptum et ad poenas, quivis sacerdos ad digne celebrandum etiam quotidie moveatur illa vera admonitione S. Bonaventura (De praepar. ad Miss. cap. 5) « Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos letitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates ». Cfr. quoque *Lehmkuhl* l. c. n. 260; *Suarez,* disp. 86, sec. 1, n. 3; *Lugo,* d. 21, sec. 1, n. 19 sq.

(67) Hebr. V, 1 sq.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 1, 14 de ref.; S. C. de Prop. F. 23 Mart. 1863 et *Tarquini* in Act. S. Sed. vol. 1 p. 389 sq.; *Gasparri* l. c. n. 496 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 23 sq.; Act. S. Sed. vol. VII p. 192 sq. not. 1 sq.; *Hinschius* l. c. p. 202 sq.

res, Vicarii generales et Episcopi titulares vel Auxiliares non tenentur (68).

Porro tenentur *parochi,* qui in parochia *canonice* erecta *vi officii* ab Episcopo forte ad *nutum* tantum commissi actu habent curam animarum (69), et quotquot iisdem aequiparantur velut administratores parochiae vacantis, vicarii perpetui vel temporanei parochi habitualis (70). Parochis aequiparantur *quasi-parochi.* At ab illa obligatione immunes sunt missionarii in omnibus regionibus, ubi parochiae aut quasi-paroeciae nondum existunt; porro coadiutores, qui vivo parocho in cura animarum tantum opem ferunt, item capellani omnium illorum institutorum v. g. hospitalium, collegiorum, quae in veras parochias non sunt erecta (71). — Cfr. can. 471, § 4; 473, § 1; 466, § 1; 475, § 2; 476, § 6.

Superiores regulares quamvis ex certa lege ecclesiastica pro suis subditis regularibus Missam celebrare et applicare non teneantur (72), tamen idcirco non soluti sunt a praecepto divino pro ovibus sibi commissis saltem aliquoties durante officio offerendi sacrificium Missae (73).

Cum non sint veri parochi non tenentur Rectores Seminariorum, licet pro omnibus qui in Seminario degant numera parochi obeant; nec ob eamdem rationem sacerdotes qui curam exercent in pias vel religiosas domos a parochi iurisdictione subductas. At qui titulo parochi curam animarum exercet in paroecias familiares

(68) Inde patet non levis immutatio facta per Codicem. Cfr. De Episc. titul. Leo XIII Const. « *In suprema* » 10 Iun. 1882; *pro Ecclesia orientali* S. C. de Prop. F. 8 Nov. 1882; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 228; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 41 sq. iunct. can. 348. — *De Vicario Generali:* Collect. S. C. de Prop. F. n. 93, 205, ubi referuntur decreta S. C. de Prop. F. per cit. Const. Leonis XIII non abrogata. — *De Vicar. Apostol.;* S. R. C. in caus. Marsor. 12 Nov. 1831 ad 22, 23.

(69) Conc. Trid. l. c.; Bened. XIV « *Cum semper* » 19 Aug. 1744 ad Ordin. Ital.; S. C. C. 30 Mart. 1867 14 Dec. 1872; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 250; Synod. prov. Ruthenor. (a. 1891) p. 41 sq.; Act. S. Sed. v. Missa pro pop.

(70) Bened. XIV l. c. §§ 4, 9, 10; S. C. C. in caus. Ostiens. 29 Ian. 1724.

(71) S. C. de Prop. F. 8 Nov. 1882; Collect. S. C. de Prop. F. n. 191 iunct. n. 204, 205, 206, 207, 209, 210; S. C. C. in caus. Policastr. 23 Maii 1857 et *Lingen* et *Reuss,* Caus. select. S. C. C. p. 790 sq. 794 sq.

(72) S. C. C. 15 Mart. 1710 in caus. ord. S. August. distulit resolutionem. Cfr. *Giraldi,* Expos. iur. pont. P. II sect. 85.

(73) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 1 de ref.; *Lehmkuhl,* Theolog. mor. vol. II n. 196; *Gasparri* l. c. n. 506, 514, 534. Catalogum festorum denuo publicavit S. C. C. 28 Dec. 1919.

vel personales eadem obligatione tenetur qua parochus territorialis. Quoad capellanos militum idem dicendum est, si sint veri militum parochi, nisi aliter statutum fuerit, quod eruendum est ex peculiaribus S. Sedis praescriptis (cf. can. 451, § 3).

b) **Quoad tempus** illa obligatio celebrandi et applicandi Missam urget omnes pastores animarum *a momento* suscepti muneris pastoralis i. e. in Rom. Pontifice ab electione acceptata et in Episcopis et parochis a die captae possessionis atque omnibus *diebus dominicis* et *festis de praecepto* iuxta catalogum festorum Urbani VIII et Clementis XI, nisi a Sede Apostolica obtenta fuerit reductio vel translatio huius oneris. Nam obligatio curatorum celebrandi et applicandi illis diebus ita est *adnexa,* ut privato arbitrio vel quacunque consuetudine in alium diem *transferri* nequeat, nisi in casu quorundam pauperum parochorum a Benedicto XIV de iure communi iam excepto et Episcoporum dispensationi concesso atque in aliis casibus per indultum apostolicum ampliore favore permissis (74). Cui catalogo standum esse declaravit Commissio Codic. 17 Febr. 1918, ad II. — At Vicarii et Praefecti Apost. de novo certa lege obligati ad missam pro populo, solum ad hoc tenentur in solemnioribus festis can. 306 enumeratis.

c) **Quoad locum** Episcopi Praelati nullius ceterique Praelati aequiparati non obligantur *omnibus* diebus praescriptis ad celebrandam et applicandam Missam pro populo in *ecclesia cathedrali* vel praelatitia, imo salva lege residentiae nec *intra* dioecesim vel territorium nullius; ipsorum enim obligatio magis est *personalis* et *realis* quam *localis,* ideoque si *duabus* dioecesibus vel Praelaturis nullius *aeque principaliter unitis* praesunt, *unam* solummodo Mis-

(74) Pii IX, const. « *Amantissimi* » 3 Maii 1858; *Bouix,* De parocho p. 565 sq.; *Gasparri* l. c. n. 515 sq. *Parochi* ut singulis diebus *ferialibus* in sua ecclesia parochiali Missam privatam saltem *celebrent,* ex iure communi non obligantur. At recentiora Concilia provincialia parochos enixe *hortari* solent ad quotidianam Missae *celebrationem,* nisi gravis iustaque causa obstet. Cfr. Collect. Lac. v. Missa v. g. t. III n. 22 t. V. n. 14 t. VI n. 14. Neque ex disciplina vigente quidquam videtur obstare, quominus Episcopi legitimo impedimento cessante etiam maiore cum rigore urgeant *quotidianam* Missae *celebrationem* in ecclesiis parochialibus. Cfr. S. C. C. 10 Maii 1681 apud *Ferraris* l. c. v. Missa art. 3 n. 3 iunct. Collect. Lac. l. c. t. V n. 14. Quae maior severitas eo magis est applicanda, si in beneficiato verificentur conditiones causae Firmanae a S. R. C. 16 Mart. 1833 decisae. Benedict. XIV cit. Const. « *Cum semper* » 19 Aug. 1744 § 8; S. C. C. in caus. Portugall. 30 Maii 1867.

sam pro utroque populo applicare tenentur. Const. « *In suprema* » Leonis XIII (can. 339, § 5). At *parochi aliique curati* ipsis aequiparati propter obligationem *etiam localem in ecclesia parochiali*, ad quam populus ad audiendam Missam accedere *solet*, sacrificium eucharisticum pro populo celebrare et applicare debent, nisi legitime absint vel in ecclesia quadam filiali Missam celebrent (75); ex tali obligatione *etiam locali* deductum fuerat quod si simul duas vel tres regunt parochias aeque principaliter vel subiective vel nullo modo unitas, tot Missas applicare deberent, quot parochias administrarent, nisi indultum apostolicum obtinerent *una* Missa omnibus satisfaciendi obligationibus (76); at, retenta locali obligatione, Codex unam dumtaxat missam reddidit obligatoriam (can. 466, § 2).

At si parochus sit simul canonicus seu capitularis, ideoque urgeatur simul onere missae conventualis et pro populo, duas tenetur applicare, sc. conventualem eo ipso die per se celebrare et applicare debet, aliam pro populo vel per alium vel per se die sequenti (can. 419, § 2).

In festis patronorum, urget missa pro populo, si fuerint legitime assumpti i. e. a populo electi cum assensu S. Sedis. Non urget in festis quae non erant de praecepto ex Const. Urbani VIII, sed ex consuetudine, ex decreto Episcopi vel ex voto, et nunc sunt festa suppressa ex can. 1247, iunct. responso Comiss. Codicis 17, Febr. 1918, ad III. Cfr. *Cappello* l. c. n. 644. sq.

In festo Nativitatis Domini et si quod festum de praecepto incidat in diem dominicam, satis est ut Missa una applicetur pro populo (can. 339, § 2).

Si festum transferatur ita, ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*; secus in die *a quo* (can. cit. § 3).

d) Quod onus in curatis nec per *consuetudinem* etiam immemorialem nec per *dispensationem tolli* potest, quatenus nititur

(75) Bened. XIV Const. « *Cum semper* »; S. C. C. in caus. Mechlin. 25 Sept. 1847 ad 3; *Lingen et Reuss* l. c. p. 783 sq.; *Gasparri* l. c. n. 533, 507 sq. 523 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 21 sq.

(76) S. C. de Prop. F. 26 Febr. 1875; S. C. C. in caus. Catalaum. 8 Iun. 1873, in caus. Metens. 8 Febr. 1849; *Lingen et Reuss* l. c. p. 786 sq. 799 sq.

iure divino (77); porro etiamsi *iure ecclesiastico* est magis determinatum et *extensum*, tamen urget « omni exiguitatis redituum aut alia quavis exceptione remota » (can. 339, 1), nec consuetudo contraria generatim admittitur (78), sed ad summum quoad *accidentales* quasdam determinationes (v. g. circa numerum dierum in Ecclesia orientali) in casibus a iure speciatim expressis (79). Quodsi ab Episcopo vel parocho ulterior desideratur limitatio iuris ab Ecclesia constituti, a sola Sede Apostolica per dispensationem interdum obtineri potest (80). Quare secluso indulto vel dispensatione, qui oneri non satisfecit v. gr. ob infirmitatem, inadvertentiam aut aliquod legitimum impedimentum, quam citius tot missas applicare debet pro populo, quot omisit (can. 339, § 6).

77. B. - **Obligatio ex beneficio.** *Beneficiati* etiam *non curati*, quorum officiis onus celebrandarum Missarum sive quotidie sive quibusdam tantum diebus sive cum certis conditionibus solemnitatis, loci, temporis etc. adnexum est, Missae sacrificium offerre tenentur. Qua in re si simpliciter *quotidiana* celebratio Missae *per ipsum* beneficiatum claris et expressis verbis requiritur, voluntas fundatoris ex aequitate canonica accipit interpretationem ad tramites iuris communis et resolutionum S. C. C. et doctrinae probatorum doctorum. Quare huiusmodi beneficiati a celebratione Missae *vacare* possunt, quotiescumque aliqua legitima causa concurrat, nec *per*

(77) Bened. XIV « *Cum semper* » § 5; S. C. C. in caus. Mechlin. 25 Sept. 1847 ad 1, 2 et in caus. Brixien. 3 Mart. 1855; S. C. de Prop. F. 8 Nov. 1882.

(78) S. C. de Prop. F. l. c. et 23 Mart. 1863 (de Ecclesia orientali); S. C. C. in cit. caus. Mechlin. ad 4 et in caus. Celimont. 9 Apr. 1891. At quamvis parochus diebus dominicis et festis ex iure communi suae obligationi satisfaciat per Missam *lectam* in ecclesia parochiali rite applicatam, tamen iure particulari potest esse adstrictus (Collect. Lac. v. Missa v. g. t. III n. 22, 28 t. V col. 341, 463), ut cessante gravi incommodo *ipse* Missam principalem hora fixa *cantet*. Quodsi alius sacerdos Missam illam solemnem vel cantatam celebret loco parochi, qui in ecclesia parochiali aliam dicit Missam privatam, *applicatio* pro populo nequaquam *alteri* illi sacerdoti committi potest, sed ab *ipso* parocho *personaliter* in sua Missa privata fieri debet Cfr. *Bouix* l. c. p. 575 sq.; *Gasparri* l. c. n. 522 sq.; *Hinschius* l. c. p. 197, sq. 201.

(79) S. C. C. in caus. Camerin. 16 Dec. 1820 et in caus. Spolet. 14 Maii 1831; *Gasparri* l. c. n. 520, sq. 525, sq.

(80) S. C. C. in cit. caus. Catalaun., in caus. Rupell. 8 Iul. 1843, in caus. Trevir. 18 Iul. 1893. Cfr. de reiectis postulatis: *Lingen et Reuss* l. c. p. 800 sq.; S. C. C. in caus. Spolet. 27 Maii 1893.

alium oneri Missarum satisfacere debent, si propter infirmitatem tantum per quindecim dies aut ex causa, honestatis vel devotionis semel in mense a celebranda Missa vacent. Imo quamvis ex declaratione S. C. C. diebus licitae vacationis nequeant pro seipsis vel aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare, tamen *regula* illa *generali* non videntur prohiberi, quominus *aliquoties in anno* v. g. quater vel sexies iisdem diebus pro se vel pro suis cognatis, amicis, benefactoribus Missam applicent.

Quodsi in fundatione *absolute* dicitur per beneficiatum *vel per alium* quotidie Missam esse celebrandam, beneficiatus ad *personalem* celebrationem pariter non adigitur, sed *per alium* omnino suae obligationi satisfacere *potest et debet* (81).

Speciatim ratione beneficii *choralis* in omnibus *Capitulis* sive cathedralibus sive collegiatis Missa conventualis, quae *singulis diebus* tempore a rubricis praescripto celebranda atque ordinarie solemniter *cantanda* est a clero, ex iure ecclesiastico pro benefactoribus *in genere* debet *applicari* « *eodem prorsus modo, quo Missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus* » (82).

78. III. - **Ratione stipendii** sive *fundati* sive *manualis ex iustitia obligantur* omnes sacerdotes, qui more consueto in Ecclesia eleemosynas seu stipendia Missarum sibi data acceptant (83).

(81) Cap. 11, X. de praeb. III, 5, iunct. S. C. C. in caus. Gallin. 24 Febr. 1872 et in caus. Collensi 18 Sept. 1683 et in caus. Rom. 4 Iun. 1689 et 17 Nov. 1695 et 2 Oct. 1721; *Schmalzgr.* l. c. n. 38; *Giraldi*, Exposit. iur. pont. P. I sect. 366; *Gasparri* l. c. n. 622 sq. et de sacr. ordin. n. 599; *Van de Burgt* l. c. p. 69 sq.; *Lehmkuhl* l. c. vol. II n. 202 not. 1; Act. S. Sed. vol. VII p. 173 sq. 181 not. 1; *Ferreres*, Missas manuales n. 170 sq.

(82) Can. 413. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Cum semper* » §§ 11 sq.; cap. 11 X. de celebr. III 41 iunct. *Fagnano* in h. c.; decis. S. C. C. in Act. S. Sed. v. Miss. conventualis et in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 133 sq. et apud *Lingen et Reuss* l. c. p. 578 sq.; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 107 n. 11 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 28 sq.; *Gasparri* l. c. n. 627 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 106 sq. Cfr. de Missa conventuali in Ecclesia orientali: Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 112 sq., et in ecclesiis *regularibus:* Cap. 1 de celebr. III 14 in Clem.; S. R. C. 13 Febr. 1666 (Not.) ad 6; Arch. f. k. K. t. 36 p. 208 sq.

(83) Cfr. *Ferreres*, Las misas manuales (1924), ubi pag. 9 sq. accurate et ordinate commemorat omnia S. Sedis decreta in finem evitandi quosvis in hac materia abusus; *Cappello* l. c. 660 sq. 554 sq. 573 sq.

79. I. - **Principium** hac in re inconcussum est illud, quod stipendium non sit nec esse possit *pretium* temporale pro Missa vel pro fructu medio sacrificii eucharistici, quem theologi fusius explicant. Id enim esset manifeste simoniacum ipsoque iure divino prohibitum. At ex natura rei vel iure ecclesiastico nihil obstat, quominus sacerdos *in propriam sustentationem* saltem partialem accipiat donationem, cui ad instar *modi* appositum est onus celebrandi et applicandi Missam secundum intentionem et voluntatem donatoris. Nam qui altari deserviunt, cum altari participant sive habent *ius naturale* ad honestam sustentationem neque suis stipendiis militare tenentur (84). Quare non solum Wikleffitae, Lutherani, Calvinistae, sed etiam Synodus Pistoriensis doctrinam et praxim Ecclesiae ut simoniacam perperam impugnarunt, atque Pius VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 30, 54 Pistoriensium, qua inter alia ut turpem abusum notarunt unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis pro suprema sua auctoritate damnavit ut falsam, temerariam, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesivam, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosam. Codex quoque can. 824 vocat receptum et probatum Ecclesiae morem seu institutum receptionem stipendii a sacerdote Missam celebrante et applicante.

(84) *S. Thom.*, Summa theol. IIa IIae q. 100 a. 2; *Lugo* l. c. disp. 21 sect. 1, ubi reiectis modis falsis ex debito *obedientiae* vel *ex donatione* sub *mera conditione* vel ex religione vel labore explicandi et probandi praxim stipendiorum praeclare exponit, quomodo legitimum stipendium ut praerequisitum ad Missam i. e. ut *partialis sustentatio* a sacerdote celebrante licite exigi et acceptari possit, ita ut ex contractu *do, ut facias*, vel *facio, ut des* sive ex *donatione* cum *onere* sive cum *modo* vel ex promissione *onerosa* utrimque oriatur vera obligatio *ex iustitia; Gasparri* l. c. n. 540 sq. 584 sq.; *Lehmkuhl*, Theolog. moral. vol. II n. 199; *Van de Burgt* l. c. p. 47 sq.; *Wernz.* Ius Decret. III n. 195 sq. 255 (*de fundationibus* ecclesiasticis). Quae *Hinschius* l. c. t. V n. 209 sq. contra explicationem supra propositam et veteres quosdam canonistas v. g. *Schmalzgr.* l. V t. 3 n. 89 sq. affert, solidis argumentis non innituntur; nequaquam enim sufficit ad vitandam simoniam, ut quis cum *Hinschius* recurrat ad *modum* donationi appositum, sed demonstrandum est *modum* illum onerosum niti *titulo iusto* ex natura rei iureque divino admisso; huiusmodi titulus ex natura rei approbatus atque ab Ecclesia servatis servandis permissus est illa *partialis sustentatio* sacerdotis celebrantis, *si quis eius ministerium spirituale implorat.* Cfr. *Lugo* l. c. n. 3. Quare difficulter intelliguntur, quae *Scherer* l. c. t. II p. 654 de *meritis* Hinschius in hac quaestione iuridica docet. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 82 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 68 sq.

80. II. - **Historia.** Quodsi *historia* consulatur, stipendia Missae, quae nunc sacerdotibus dantur, suam habent *praeformationem* in antiquis *oblationibus*, quae a fidelibus tempore offertorii in ipsa Missa factae sunt (85). Quibus oblationibus, quae primis saeculis nequaquam tantum pane et vino constabant (86), saltem iam saeculo septimo pecunia numerata accessit (87), quae ex saeculo duodecimo magis magisque locum obtinuit reliquarum oblationum (89). At illae oblationes *generales* etiam tempore sacrae liturgiae datae vim *stricti stipendii,* quod quis sacerdoti elargitur ad obtinendum fructum medium sive specialem applicationem sacrificii eucharistici, nondum habuerunt (89). Quae praxis veri stipendii saltem saeculo octavo fuit recepta; nam in regula Chrodegangi canonicis conceditur facultas accipiendi eleemosynam pro Missa sibi oblatam atque libere de illa disponendi; multo magis autem ex saec. 11. et 12. est divulgata (90).

At saeculis quoque sequentibus non defuerunt Concilia particularia, quae stipendiis Missarum per rigida pacta exactis vel datis parum faverent (91) aut iustis querelis de avaritia et simoniacis artibus sacerdotum novis decretis afferrent medelam (92). Postquam Martinus V Const. « *Inter cunctas* » 24 Apr. 1418 n. 19 sententias haereticorum proscripsit, Patres Tridentini Sess. XXII decr. de observ. novo vigore abusus inter catholicos eradicare studuerunt. Quorum vestigia usque ad nostram aetatem secuti sunt Romani

(85) I Cor. IX 13; *S. Irenaeus*, Adversus haeres. l. IV cap. 18; c. 28 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 111, 167, 800 sq.; c. 28 Conc. Hippon. (a. 393); Innoc. I ad Decent. Eugub. (a. 416)=c. 73 D. I de consecr.; c. 2 Conc. Vasens. (a. 442); c. 14 Conc. Aurel. I (a. 511); c. 4 Conc. Matiscon. II (a. 585); c. 12 Conc. Roman. (a. 1078)=c. 69 D. I de consecr.; *Berlendis*, De oblationibus ad altare; *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 1 n. 1 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Oblatio; *Thalhofer* l. c. t. II p. 148 sq.; *Mauy*, De Missa n. 36; *Ferreres* l. c. n. 19 sq. Cfr. quoque *Lugo*, De sacr. Euchar. d. 21, n. 1 sq; *Gasparri* l. c. I, n. 535 sq.; *Scherer* l. c. t. II p. 653, not. 13.

(86) Cfr. c. 3, 4, 5 Apost.; *Kraus* l. c.

(87) Cfr. c. 14 Conc. Emerit. (a. 666).

(88) *Thalhofer* l. c. p. 150 sq.

(89) *Benedict. XIV* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 535; *Kraus* l. c. v. Diptychen; *Thalhofer* l. c. p. 153.

(90) *Benedict. XIV* l. c.; *Ferreres* l. c. n. 20.

(91) Cfr. c. 41 Conc. Strigon. (a. 1114); c. 3 Conc. Eborac. (a. 1195); cap. 5 Conc. Tolet. (a. 1324). Cfr. quoque cap. 8 X. de pactis I 35, quo *generatim* pacta in spiritualibus prohibentur.

(92) Cfr. c. 11 Conc. Paris. (a. 1212-1213); capit. 8 Synod. Cantuar. (a. 1236).

Pontifices, qui sive per Litteras Apostolicas sive per decreta SS. CC. reprobatis abusibus etiam quamplurima solverunt dubia de stipendiis Missarum (93).

81. III. **A.** - **Ius vigens.** *Ex disciplina vigente* solummodo *pro dato iam stipendio* Missam applicare licet, non eam anticipando pro eo, qui postea forte Missam atque stipendium dabit (can. 825, 1°) (94). Nec fieri potest *acceptatio stipendii,* si iure ecclesiastico pro certis Missis est expresse prohibita velut in casu binationis vel trinationis praeter primam Missam (95), nisi adsit privilegium generale v. g. in festo nativitatis D. N. I. Chr. (96) vel indultum quoddam speciale Sedis Apostolicae v. g. in favorem pauperis seminarii (can. 824, § 2), nisi agatur de aliqua retributione ex titulo extrinseco (97).

Pariter non licet eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur; aut duplicem recipere pro eiusdem Missae applicatione, ita ut una Missa fiat satis obligationi provenienti ex duplici stipendio; aut alterum stipendium pro Missae celebratione, alterum pro eius applicatione recipere, nisi certo modo constet unam stipem esse oblatam pro sola celebratione, v. gr. in

(93) Cfr. v. g. Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » prop. 30, 54; Innoc. XII Const. « *Nuper* » (S. C. C.) 23 Nov. 23 Dec. 1697; S. C. C. in caus. congr. Pass. 16 Dec. 1893 iunct. resp. declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 136 sq.; *Ferreres* l. c. n. 2 sq. 12 sq.

(94) Quem abusum in Hispania vigentem damnarunt Paulus V (S. C. C., 15 Nov. 1605) et Urbanus VIII (S. C. C.) 21 Iun. 1625. Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 92; *Gasparri* l. c. n. 537; *Ferreres* l. c. n. 114 sq. 379 sq.

(95) Benedict. XIV Const. « *Quod expensis* » 26 Aug. 1748 § Quam vero; S. C. C. in caus. Camerac. 25 Sept. 1858 et in caus. Salamant. 22 Febr. 1862; *Gasparri* l. c. n. 395 sq.

(96) Cap. 3 X. de celebr. III 41 iunct. *Lugo* l. c. n. 18.

(97) Cfr. v. g. S. C. pro neg. eccl. extr. 16 Dec. 1873; S. C. de Prop. F. 15 Octob 1863. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 30 sq. ubi late et erudite disserit de privilegiis etiam quoad stipendia in pluribus Missis permissis in Hispania, Lusitania, America Latina et Insulis Philippinis in die Commemorationis Omnium fidel. defunct. De extensione facultatis tres Missas praedicto die, celebrandi, sed sine receptione triplicis stipendii, ibid. n. 73 sq. — De alio privilegio binas Missas celebrandi in die Commemorat. Omnium Sanctorum in civitate Oriolensi et in pluribus oppidis dioec. Derthusensis, ibidem n. 96 sq. et pag. 303.

Sancta Sedes haud raro permittit ut recipiatur stipendium pro Missa binationis aut pro Missa pro populo applicanda cum obligatione illud tradendi pro aliquo opere pio. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 104 sq.

determinato loco, sine applicatione (can. 825). *Ferreres* l. c. n. 124 sq.

Taxa stipendii.

Quod stipendium Missae *exigi et acceptari* tantum potest secundum *taxam synodalem* ab Ordinario loci sive expressa lege dioecesana sive legitima consuetudine rite definitam (98). Cui taxae synodali etiam regulares exempti omnino stare tenentur (99). At sacerdotes saeculares et regulares etiam stipendium *maius* taxa synodali *sponte* oblatum licite *acceptare* valent atque adeo ab Episcopo nequeunt prohiberi (can. 832) (100); vicissim *minore* stipendio contenti esse possunt, nisi Episcopus relicta libertate *gratuito* Missam applicandi, pro suo iure prohibeat stipendium *infra* taxam synodalem saltem regulariter *admittere* (cit. can. 832) (101).

Taxa in Missis fundatis.

Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earumdem numerum, hic supputari debet secundum eleemosynam loci in quo oblator morabatur dum summam reliquit, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat (can. 830). Qua in re praecesserat decr. Urbani VIII « *Cum saepe* ». Cfr. *Ferreres* l. c. n. 187 sq., 436, 438, 534.

82. B. - Missae manuales et Missae fundatae.

Codex distinguit tres stipendiorum species, sc. *manualia,* ad *instar manualium,* et *fundata;* et ratione diversi stipendii ipse missae dicuntur *manuales,* ad *instar manualium* et *fundatae.* Notiones hoc modo proponuntur: *a)* stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obli-

(98) Can. 831 Conc. Trid. Sess. XXII decr. de observ. iunct. S. C. C. 15 Nov. 1698; Collect. Lac. v. Missa v. g. t. III n. 35 sq. t. IV n. 28 t. V n. 23 sq. t. VI n. 31 sq.; *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. V cap. 5 n 1 sq.; Decreta Urbani VIII, ad V; Const. « *Nuper* » Innocentii XII.

(99) Can. 831, iunct. S. C. C. in caus. Roman. 15 Ianuar. 1639; *Benedict. XIV,* De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 21 n. 13. At illa obligatio ad *alia* statuta Episcoporum de stipendiis Missae non est arbitrarie extendenda. Cfr. v. g. decretum Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V. col. 852, quo prohibetur Missas celebrandas dare extra uniuscuiusque dioecesis ambitum absque Ordinarii permissione iunct. decreto « *Vigilanti* » S. C. C. 25 Maii 1893; *Gasparri* l. c. n. 565 sq. 581 sq.; *Pial* l. c. t. II p. 240 sq.

(100) S. C. C. in caus. Pistoriens. 16 Ianuar. 1649.

(101) S. C. C. in caus. S. Severini 16 Iul. 1689; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V. col. 464 sq. iunct. t. III. col. 498. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 197 sq.

gatione etiam perpetua a testatore propriis haeredibus facta, dicuntur *manualia.* Videlicet non solum quando ex propria devotione, sed etiam quando per obligationem impositam proprio haeredi aut legatario missa est celebranda, stipendium illius missae quasi ad manum traditur, nec habetur Missarum fundatio, sed ipsa bona haereditaria aut legatum onerantur illo onere cui haeres aut legatarius tenetur satisfacere dando sacerdotibus sibi benevisis tot stipendia quot Missarum celebrationes in illo onere includuntur.

b) dicuntur *ad instar manualium* illa stipendia (respectivae Missae) Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco aut ab iis qui eas applicare deberent secundum fundationis tabulas; et ideo de iure aut de Stae. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat.

c) alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur appellantur *fundata* seu *Missae fundatae* (can. 826) (102).

Ubi inter *manuales* Missas et *non manuales* videtur illud poni discrimen, quod hae sunt fundatae, illae fundatae non sunt. Vicissim *aequiparatae manualibus* a *fundatis* videntur distingui in hoc, quod priores licet fundatae non celebrentur in loco aut a persona requisitis a fundatore; posteriores vero celebrantur in forma praescripta in tabulis fundationis. Quae distinctio est aliquantulum obscura, si ita esset intelligenda quasi fundatae non essent dicendae nisi quae constituant *piam fundationem* ad normam canonis 1544, § 1 iunct. canoni 100, § 1. Quare dicendae sunt fundatae etiam illae, quae perpetuo adnexae sunt causae piae, (103) i. e. cuivis fundationi ad finem pium seu beneficum factae cum propriis bonis et titulis seu tabulis fundationis, sive sit sive non sit canonice erecta, v. gr. adnexae capellaniae laicali, hospitali, domui beneficentiae (cfr. can. 1516) (104).

(102) Quoad substantiam notiones conhaerent cum notionibus propositis in Decr. « *Ut debita* » Prooemium.

(103) De notione *causae piae* cfr. L. 27 C. I, 2; *Lugo,* De iust. d. 22, n. 265; *Ballerini Palmieri* III, n. 1019; *Reiffenstuel* III, 26, n. 811 sq.; *Ferreres,* Theol. mor. I, 961.

(104) Cfr. *Ferreres,* Misas manuales n. 134 sq. Quae distinctio inter *manuales* et *aequiparatas manualibus* praecipuum habet momentum relate ad observantiam can. 840, *Ferreres* l. c. n. 142. Cfr. Decisiones S. C. C. in causa *Aliphana* 11 Maii 1904.

83. C. - *Species quaevis negotiationis vel mercaturae arcenda* in stipendiis Missarum (can. 827). Quae prohibitio vetat: *a)* Ne *colligantur* eleemosynae *maioris* pretii et ex his lucrum captetur faciendo eas celebrari in locis ubi *minoris* pretii esse solent minori eleemosyna vel retinendo sibi beneficium cambii.

Quod factum evidentem habens naturam negotiationis, merito per Const. « *Apost. Sedis* » fuerat punitum excommunicatione latae sententiae Rom. Pontifici reservata (105). Porro iam inde erat damnandum, quod iam diu statutum erat « *a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti huiusmodi Missam celebraturo stipendium seu elemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset* » (106). Poena tamen iure Codicis commutata fuit in poenam ferendae sententiae ad normam can. 2324 decernenda (107).

b) Saltem speciem negotiationis prohibitae habet sacerdoti Missam celebranti *loco stipendii* a fidelibus vel locis piis accepti libros aut alias merces dare, et vicissim *recipere pro Missis celebrandis aut celebratis* libros aliasve merces in locum stipendii quod alius a fidelibus vel locis piis accepit. Habetur *permutatio* stipendii cum aliis rebus, quae loco stipendii dantur celebranti (108).

(105) Bened. XIV Const. « *Quanta cura* » 30 Iun. 1741. §§ 1, 2, 5; Pii IX Const. « *Apost. Sed.* », S. C. Inq. 13 Ian. 1892; *Gasparri* l. c. n. 600; *Hollweck* l. c. p. 191 sq.; comment. Const. « *Ap. Sed.* » v. g. *D'Annibale, Pennacchi, Bucceroni* aliique, qui interdum nimis inhaeserunt cortici verborum aut vicissim verbis addiderunt *limitationes*, quae in *textu* non habent fundamentum. Quae disputationes multum pendebant a notione missae manualis, ante Decr. « *Ut debita* » non satis declarata. Cfr. *Ferreres*, l. c. n. 144 sq.

(106) Bened. XIV cit. Const. « *Quanta cura* » §§ 2, 3 iunct. Alexandr. VII prop. damn. 9 d. 24 Sept. 1665; *De Angelis*, Praelect. iur. can. l. III t. 41 n. 6; *Gasparri* l. c. n. 599; cfr. quoque S. C. C. 6 Maii 1865 de reprobata conventione permutandi Missarum *applicationem* non facta permutatione stipendiorum in Act. S. Sed. vol. II p. 194 sq. 199 not. 1 et *Van de Burgt* l. c. p. 92 sq. et *Gasparri* l. c. n. 610.

(107) V. g. si Missae celebrandae sunt onus *adnexum beneficio* vel *capellaniae* (Innoc. XII Const. « *Nuper* » § 22 n. 8; S. C. C. 15 Martii 1745), aut certa stipendia Missarum ordinario maiora constituunt *partem congruae parochialis* vel iurium stolae (S. C. C. in caus. Monac. et Colon. 25 Iul. 1874 et in caus. Trevir. 11 Maii 1888), aut pinguius stipendium revera datum est *intuitu personae*. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 602 sq.; *Bargilliat* l. c. n. 958.

c) Ope Missarum res quascumque emere, subscriptionesque cum diariis vel ephemeridibus inire.

Illa *collectio* stipendiorum Missae in praedictos fines facta, quae vel est turpe mercimonium (109) vel saltem *speciem* habet turpis mercimonii, iam a S. C. C. 25 Iul. 1874 fuerat proscripta. Quod responsum nequaquam ubique observatum eadem S. C. C. novo decreto « *Vigilanti* » 25 Maii 1893 confirmavit gravibusque munivit poenis (110). Cum decretum « *Vigilanti* » non paucas nancisceretur difficultates, S. C. C. 24 Febr. 1894 nimis subtilibus interpretationibus praeclusit aditum atque in epistola circulari ad Ordinarios Italiae 28 Aug. 1897 data denuo inculcavit decreti executionem et sanctionem. Quare mitior quaedam praxis innixa responsis particularibus S. Poenitentiariae 6 Octob. 1862 et S. C. C. 24 Apr. 1875 certe post illas decisiones solummodo vi novi et specialis *indulti apostolici* retineri legitime potuit (111).

84. D. - Natura obligationis. Stipendiis Missarum a sacerdote legitime *acceptis* etiam exiguis ex obligatione *iustitiae* ita satisfaciendum est (112), ut *tot* Missae secundum *substantiam* (113) et

(108) Cfr. Decr. « *Ut debita* » art. 8-10. At stipendium pro Missa, sicut potest consistere in pecunia, ita etiam in qualibet alia re pretio stimabili; et inde solutionem habent plures casus. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 148 sq., 301, 385-412, 530. Id. Theol. mor. II n. 481. Cfr. quoque S. C. C. decisionem in *S. Deodati* ad I (27 Febr. 1905) et in *Bredanen* ad I et II et alias in A. S. S. XII, 70. *Ferreres* l. c. n. 163 sq.

(109) Benedict. XIV Const. « *Apostolicae servitutis* » 25 Feb. 1741; S. Poenitent. 19 Nov. 1863.

(110) « *Si quis ex* **sacerdotali ordine** *contra enuntiata decreta* (i. e. S. C. C. 25 Iul. 1874) *deliquerit*, **suspensioni a divinis S. Sedi** *reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit;* **clericus** *autem sacerdotio nondum initiatus eidem* **suspensioni** *quoad* **susceptos ordines** *similiter subiaceat et* **inhabilis** *praeterea fiat ad* **superiores ordines suscipiendos; laici** *demum* **excommunicationi** *latae sententiae* **Episcopis** *reservatae obstringantur* ». Cfr. *Bucceroni* in Analect. eccl. t. IV p. 374 sq.; *Hollweck* l. c. p. 192 sq. Quoad poenas vero standum est iuri Codicis.

(111) Analect. eccles. t. IV p. 209 sq.; Act. S. Sed. vol. XXVI p. 533 sq.; *Hollweck* l. c. p. 193 not 11; aliter ut videtur *Gasparri* l. c. n. 575.

(112) Innoc. XII Const. « *Nuper* » 23 Nov. 23 Dec. 1697 §§ 3, 4; *Gasparri* l. c. n. 584 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 68 sq. 98 sq.; *Ferreres* l. c. n. 167 sq. Quae obligatio iustitiae nititur in contractu *do ut facias*, quo unus se obligat ex iustitia ad dandum stipendium, alius vero ad celebrandam et applicandam Missam.

(113) Alex. VII prop. damn. 8, 10 d. 24 Sept. 1665; Innoc. XII l. c.; *Benedict. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 21 n. 8.

circumstantias loci, temporis, qualitatis (114) expetitas *celebrentur et applicentur, quot* eleemosynae datae fuerunt, nisi donatores stipendiorum manifeste voluerint habere pro compluribus stipendiis tantum *unius* Missae *applicationem* vel tot Missarum *celebrationem*, quot dederant eleemosynas relicta sacerdoti plena libertate de earundem Missarum applicatione (115). Sicut autem praesumitur oblatorem stipendii, nisi alid exprimat, non solam Missae celebrationem sed eius quoque applicationem petiisse, ita praeter hanc non praesumitur petiisse alias circumstantias, nisi illas exprimat (can. 833).

Quae obligatio celebrandi et applicandi Missas *cessat*, si *absque culpa* illius, qui onere gravatur, *bona* vel reditus (dos) fundationis Missarum *pereant;* nam quamdiu stipendium non recepit est merus depositarius, qui tenetur de dolo et culpa, non de casu at sola *praescriptione* etiam immemoriali non perimitur (116). Obligatio vero

(114) S. C. C. in caus. Aretina 16 Sept. 1826, in caus. Patavin. 23 Apr. 1861 etc. apud *Lingen et Reuss* l. c. p. 317 sq. 369 sq. (de loco); S. C. Indulg. 16 Febr. 1852 (de Missa in *altari* privilegiato) iunct. *Gasparri* l. c. n. 590 sq.; Innoc. XIII cit. Const. « *Nuper* » §§ 9, 21 n. 11, 16 iunct. S. C. C. 17 Iul. 1755, unde constat ex mente S. C. C. etiam a *privatis* sacerdotibus omnes Missas per stipendia susceptas « *infra mensem* » esse celebrandas; at sententia mitior a gravibus doctoribus generatim admissa et in praxi saltem tolerata, nisi propter speciales circumstantias brevius tempus exigatur, solummodo *pro recenter defunctis* requirit celebrationem infra mensem, *pro vivis* autem concedit dilationem per bimestre. Cfr. Conc. prov. Viennens. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V col. 166; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 116; Synod. dioec. Neapol. (a. 1882) const. III cap. 2 n. 14. Susceptae Missae demum *post* bimestre celebrari possunt, si fundatores vel oblatores sufficienter suum consensum manifestarint, vel indultum Sedis Apostolicae habeatur, a qua tamen dilatio ultra sex menses concedi non solet. Cfr. S. C. C. 24 Apr. 1875 ad 7. Similiter *dies* et *horae* celebrationis servari debent, quae fundationi vel donationi *legitime* fuerunt appositae atque ne ab Episcopo quidem mutari possunt. Cfr. S. R. C. in caus. Neritonen. 17 Nov. 1657 et in caus. Placentina 28 Februar. 1682 (nunc omissa); Act. S. Sed. vol. VIII p. 650 sq. 660 Circa *qualitatem* Missae v. g. cantatae, votivae, pro defunctis standum est *speciali* et *expressae* intentioni fidelium. Quae intentio specialis de qualitate, si non fuerit expressa, imo omnibus attentis sola *applicatio* Missae requiratur, etiam sacerdos ex rigorosa obligatione illam qualitatem servare non tenetur. Cfr. S. C. de Prop. F. 8 Iun. 1844 in Collect. eiusdem S. C. n. 883; *Lehmkuhl* l. c. n. 197 sq. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 204 sq. de speciali circumstantia altaris privilegiati et de tricenario Gregoriano.

(115) S. C. de Prop. F. 13 Sept. 1807, 30 Iun. 1877 in Collect. S. C. de Pr. F. n. 875, 893; S. C. C. 13 Iun. 1630 et 21 Mart. 1868, 9 Apr. 1870 in Act. S. Sed. vol. III p. 525 sq. vol. V p. 577 sq.; *Gasparri* l. c. n. 494, 548, 586 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 103 sq.

(116) Cfr. can. 1, 509, S. C. C. in caus. Monac. 27 Aug. 1853 et in caus. Imol. 7 Iul. 1853 apud *Lingen et Reuss* l. c. p. 376 sq. S. C. C. in caus. Bonon.,

non cessat, si Missarum eleemosynae *iam perceptae* sint et inde, contracta obligatione applicandi, perierint etiam absque culpa illius, qui obligationem contraxit (can. 829). Cfr. Arch. f. k. K. t. 56, p. 3. sq.

Quodsi obligatio celebrandi Missas, ex fundatione ecclesiastica vel ex stipendiis manualibus orta nec legitime sublata, *hucusque de facto* impleta non sit vel *futuro tempore* videatur impossibilis aut saltem admodum difficilis, ordinarie tantum per Sedem Apostolicam i. e. per S. C. Fabr. S. Petri vel S. C. C. vel S. Poenit. quoad tempus *praeteritum condonatione* sive absolutione, quoad tempus *futurum* vera *reductione* vel *translatione* v. g. diei vel loci tolli vel mutari potest (can. 1551) (117).

Cum illae condonationes non raro sint necessariae, quod debitus *ordo* in administrandis fundationibus ecclesiasticis atque persolvendis stipendiis non fuerit servatus, et legitima desit visitatio Superiorum ecclesiasticorum, potissimum curandum est, ut quae iure communi et particulari de *libris* et *tabellis* et de *visitatione* quotannis facienda rite sunt praescripta, diligenter executioni mandentur (can. 1547, 1549).

85. E. - Pecularia praescripta. - Tempus infra quod Missae celebrari debent. *a)* Si tempus ab oblatore expresse praescriptum fuerit, eo omnino tempore sunt celebrandae (can. 834, § 1). Quae obligatio etiam quoad tempus videtur esse iustitiae, si oblator praecisa ratione tempori insistat.

b) Si oblator nullum praescripsit tempus: 1° Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae. Talis causa urgens esset v. gr. oblata seu petita Missa pro obtinenda morbi gravis curatione, cui oblatori evidenter non satisfieret

---

17 Dec. 1718; *Gasparri* l. c. n. 588; *Van de Burgt* l. c. p. 131 sq.; *Hinschius* l. c. p. 203. *Ferreres* l. c. n. 181 sq. Cfr. quoque ib. n. 179 sq. de cautelis a S. Sede praescriptis ad evitandum ne bona fundationis Missarum aut ipsorum stipendia pereant. Cfr. quoque can. 1547, 1549.

(117) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 7 de ref., Sess. XXII cap. 6 de ref., Sess. XXV cap. 4 de ref.; S. C. C. 21 Iun. 1625 n. 2 (ex speciali mandato Urbani VIII); Innoc. XII cit. Const. « *Nuper* » §§ 2, 25; S. C. C. in ed. *Richt.* C. Trid. p. 139 sq. et apud *Lingen et Reuss* l. c. p. 317 sq.; *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII cap. 25 n. 1 sq. 8 sq. 15 sq. 25 sq.; *Gasparri* l. c. n. 612 sq.; Act. S. Sed. vol. I p. 569 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 118 sq. 125 sq.; *Hinschius* l. c. p. 214 sq.

si dilata applicatione tum demum fieret cum iam aegrotus morbo succubuisset. 2°) In aliis casibus Missae sunt celebrandae *intra modicum tempus* pro maiore vel minore Missarum numero (cit. can. § 2). *Modicum* hocce *tempus* prudenter censeri potest tempus unius mensis pro una Missa, semestris pro centum, et ita porro iuxta decr. « *Ut debita* » (118); quod tamen intelligendum de casu, quo plures illae Missae *eidem* sacerdoti tradantur *ab uno eodemque* benefactore, qui sit dominus stipendiorum, non autem si traditae fuerint a pluribus oblatoribus (119).

c) Si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit Missas celebrare (cit. can. § 3). Nihilominus fixum semper manet nemini licere tot Missarum onera *per se* celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat (can. 835). (120)

d) Supputatio temporis legitimi pro Missarum celebratione ab eo qui stipendium recipit, incipit a die quo sacerdos celebraturus stipendium recipit (can. 837). Quare qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuere debet (can. cit.).

e) Ad tempus legitimum reducitur praescriptio canonis 836 circa *locum* celebrationis, quando ibidem *debito tempore* celebrari non possunt, videlicet: « In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi ». Quo monito habetur consensus oblatoris relate ad tempus legitimum celebrationis, vel eodem oblatore consentiente in loco diverso celebrari possunt (121).

86. Qua ratione liceat Missas acceptas aliis tradere. - I. Per se prohibitum non est a fidelibus Missas celebrandas accipere, quas

(118) Cfr. praecedent. notam... *Ferreres* l. c. n. 209 ubi scite probat praescriptum Codicis de tempore interpretandum esse ad normam decr. « *Ut debita* » cum ipsius declarationibus, cui plerumque consentiunt ceteri interpretes.

(119) S. C. C. *in Leopolien* 27 Febr. 1905. Cfr. *Ferreres* l. c. praesertim n. 231 sq.

(120) *Ferreres* l. c. n. 233 sq.

(121) Praecesserat decis. S. C. C. in una *Mediolanen* 8 Mart. 1659. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 240 sq. iunct. 484, 490.

quis ipse per se celebret vel per alium (Arg. can. 837). Porro obligatio Missas per alium celebrandi incumbere potest etiam laicis: talis est casus executoris testamentarii vel haeredis, cui testator imposuit onus faciendi ut certus numerus Missarum pro testatore applicetur.

II. Qui tale onus habet aliis Missas distribuendi debet eas quam primum distribuere ita ut intra annum celebrari possint ad normam can. 841. Item qui accepit a fidelibus Missas de quibus libere disponere possit debet illas quamprimum distribuere ut *intra modicum* tempus ad normam can. 834, § 2, 2° celebrari possint (122).

III. Praeterea omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiusvis anni, Missarum onera, quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradere debent secundum modum ab his definiendum. Tempus autem unius anni ita computari debet, ut in Missis ad instar manualium obligatio eas apud Ordinarium deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera debuissent impleri; in manualibus vero post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate (can. 841).

IV. Non licet Missas distribuere nisi sacerdotibus distributori acceptis, de quibus ipsi constet esse omni exceptione maiores vel saltem testimonio proprii Ordinarii esse commendatos (can. 838) (123).

V. Quovis in casu, qui Missas a fidelibus receptas aut quovis modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderit, obligatione tenetur usque dum acceptae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerit authenticum (can. 839) (124).

(122) Semper tamen fixum manet, quod is qui Missas ab alio accipit, siquidem ipsi iniunctum fuerit tempus intra quod celebrandae sint, huic tempori stare debeat; secus potest sibi sumere normale temp. can. 834 constitutum et computandum a die quo stipendia seu onus ipse recepit. Cfr. decis. S. C. C. in caus *Leopolien.* (27 Febr. 1905) ad III, IV, V; *Ferreres* l. c. n. 243 sq. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 323 sq. ubi plura pro praxi declarantur.

(123) Praecesserat decr. « *Ut debita* » art. 5°, 7° et decr. « *Recenti* » 22 Maii 1907. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 246, ubi scite notat n. 255 praeceptum non impleri per solam receptionem testimonii, de quo agit can. 839, quod tantum probat receptum fuisse stipendium et cum eo onus celebrandi; sed quoad impletionem oneris tantum valet, quantam fidem meretur qui testimonium dat.

(124) Praecesserat decr. « *Ut debita* » art. 6°. Cfr. *Ferreres*, l. c. n. 256 sq. iunct. n. 506.

VI. Stipendium a fidelibus oblatum sequi debet celebrantem Missam, nec qui stipes manuales ad alios transmittit quidquam detrahere et sibi retinere potest sed integre ad celebrantes transmittere debet (125).

Excipiuntur hi casus: 1^{0}) si oblator expresse permittit aliquid retinere, cum alteri committit Missas per se vel per alios celebrandas; 2^{0}) si certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae; 3^{0}) in Missis ad instar manualium celebrandis, salva contraria fundatoris voluntate, legitime retinetur excessus supra taxam dioecesanam et satis est remittere solam eleemosynam manualem *dioecesis in qua Missa celebratur*, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae (126); 4^{0}) si sacerdos cui onus celebrandi committitur, omnino sponte et liberaliter partem stipendiorum sibi debitam condonet, cum de stipendio accepto vel sibi debito possit disponere, nisi aliud obstet (127).

87. Vigilantia circa onera Missarum. Advigilandi ius et officium ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in religiosorum ecclesiis ad eorum Superiores (can. 842). Quae vigilantia debet quoque extendi etiam ad accuratam et diligentem celebrationem Missarum manualium et in genere ad observantiam praescriptionum omnium circa adimpletionem onerum Missarum.

Imprimis autem curare debent observantiam praescripti can. 843, § 1, quo iubetur ut « Rectores ecclesiarum aliorumque piorum

(125) Cfr. decr. « *Cum saepe* » Urbani VIII, art. 6 et ad X iunct. dec. S. C. C. in caus. *Anconitana* (5 Iul. 1664); proposit. 6 damnatam ab Alexandro VII apud *Denzinger* n. 1109; Benedict. XIV cont. « *Quanta cura* » (30 Iul. 1741); decr. « *Ut debita* » art. 9, 11; *Ferreres* l. c. n. 261 sq. Laesionem fieri iustitiae commutativae in retentione partis stipendii optime probat *Ferreres* l. c. n. 286 sq. cum *Pignatelli*, Consult. can. vol. IV, cons. 227, n. 8, 12, 13 et *Arendt*, De laesione iust. commut. in Missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto (Prati, 1914) ubi historiam controversiae praeclare exponit.

(126) Cfr. Innoct. XII const. « *Nuper* » § 22, n. 8; S. C. C. 15 Mart. 1745 et in caus. *Moncen et Colonien* 25 Iul. 1874, in *Treviren* 11 Maii 1888; *Gasparri* l. c. n. 602 sq.; *Ferreres* l. c. n. 289 sq.

(127) S. C. C. 25 Iul. 1874 ad 7 et 24 April. 1875; *Gasparri* l. c. n. 607 sq.; *Van de Burgt* l. c. n. 292 sq., 310 sq.; A. S. S. VIII, 650 sq., item n. 273 sq., 277 sq. quod non possit sine indulto retineri pars stipendii ad ornatum et splendorem templi, aut ad alias expensas necessarias in celebratione Missarum.

locorum sive saecularium sive religiosorum, in quibus eleemosynae Missarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem ». Quae vigilantia imprimis debet consistere in explenda obligatione ipsis Ordinariis imposita singulis saltem annis illos libros sive per se ipsi sive per alios recognoscendi (can. 843, § 2) (128).

Insuper iidem Ordinarii locorum et Superiores religiosi, qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, quas acceperint Missas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referre debent et curare pro viribus ut quamprimum celebrentur (can. 844, § 1).

Singuli etiam sacerdotes sive saeculares sive religiosi accurate adnotare debent quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit (can. 844, § 2).

Quoad poenas in haec materia nunc standum Codici.

In mittendis Missarum stipendiis ad ecclesias ritus Orientalis attendenda declaratio S. C. P. F. 15 Iulii 1908. *Ferreres* l. c. n. 353 sq.

88. IV. - **Ratione debitae obedientiae** in sacerdote oriri potest obligatio *celebrandi* **vel** *etiam applicandi* sacrificium Missae ad determinatum finem.

Potestas praescribendi vel prohibendi Missae celebrationem vel etiam applicationem in foro externo vi iurisdictionis spiritualis sive per legem sive per praeceptum exercendae propria est Romano Pontifici atque Episcopis quoad sacerdotes sibi subiectos. Nequaquam enim agitur de praecipiendo vel prohibendo actu *mere interno*, ad quem ex communi magisque fundata sententia iurisdictio ecclesiastica sese non extendit. Nam ipsa *celebratio* Missae praescripta vel prohibita certe est iam per se actus mixtus, non mere internus; mandatum vero adiunctum de facienda vel vitanda applicatione refertur ad actum mixtum, qui illa applicatione *completur* (129). Quodsi *de facto* agatur, sane Romani Pontifices et Episcopi quandoque praescribunt Missae *celebrationem;* attamen ob iustas rationes

(128) *Ferreres* l. c. n. 338 sq.

(129) *Van de Burgt* l. c. p. 45, 98 sq.; *Gasparri* l. c. p. 636 sq. Cfr. quoque c. 73 D. I de consecr. et Act. S. Sed. vol. V p. 577 sq. de expressis benefactorum nominibus.

non *solent* sacerdotibus praescribere ipsam quoque *applicationem*. V. g. Pius IX tempore Concilii Vaticani Const. « *Nemo* » 11 Aprilis 1869 praescripserat celebrationem Missarum votivarum absque onere applicandi; Episcopi neopresbyteris iuxta meliorem interpretationem Pontificalis Romani *vere praecipiunt* tres illas Missas *celebrare*, sed non *applicare* ad intentionem Episcopi (130). Nihilominus exempla applicationis ab Ecclesia *praescriptae* vel *vetitae* non desunt, in quibus ex natura rei iureque divino applicatio non fuit debita vel prohibita (131). Porro dum Benedictus XV universaliter permisit ut in commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missae celebrari possent, unius dumtaxat applicationem reliquit liberam, quoad alias duas determinatam applicationem praescripsit.

Multo facilius sacerdotes *regulares* ex compluribus *titulis* ad celebrationem vel applicationem Missae obligati esse possunt. Nam vi *iurisdictionis ecclesiasticae* a Capitulis et Superioribus regularibus propriae potest dari *regula* (constitutio) vel *praeceptum* de frequenti celebratione v. g. singulis diebus vel etiam de applicatione propter rationes de R. Pontifice atque Episcopis iam allatas. Insuper Superiores regulares ex communi voto obedientiae gaudent *potestate dominativa* praecipiendi *saltem* actus externos et mixtos, quibus indubitanter celebratio et applicatio Missae est adnumeranda (132). Quae obligatio in religiosis procul dubio est obligatio *iustitiae*, si constet Missam esse impositam ad satisfaciendum stipendiis a Superiore acceptis.

In foro poenitentiali confessarius *potest* sacerdoti confitenti imponere poenitentiam celebrandi et applicandi Missam, dummodo ab omni studio captandi lucri *pro se* vel *pro aliis* omnino alienus sit. Iis autem, qui revera suis poenitentibus Missas celebrandas iniungunt, ab Episcopis etiam sub *poena suspensionis* ab audiendis confessionibus ipso facto incurrenda praecipi potest, ne confessarii capiant stipendia Missarum sibi vel suis ecclesiis tribuenda, quibus ipsi vel alii sacerdotes in iisdem ecclesiis satisfaciant (133).

(130) S. R. C. in caus. Dalmat. 4 Aug. 1663 de libera applicatione in anniversario omnium defunctorum.

(131) S. C. C. 15 Nov. 1605; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 92; *Gasparri* l. c. n. 537, 638; *Hinschius* l. c. t. IV p. 198.

(132) *Schmalzgr.* l. 1 t. 31 n. 33 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 207; *Gasparri* l. c.

(133) Synod. Sutchuens. (a. 1803) in Collect. Lac. t. VI col. 605; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 92; *Hefele* l. c. t. V p. 761, 948 t. VI p. 502.

89. Ratione promissionis vel **conventionis** sacerdos ad Missam celebrandam *vel* applicandam obligari potest saltem ex *fidelitate*, imo etiam ex *iustitia* vi veri *pacti unilateralis*. Quodsi promissio *mutuo* facta et acceptata fuerit per strictum pactum *bilaterale*, in *utroque* promittente oritur obligatio ex iustitia (134). Pariter missae celebrandae atque adeo applicandae obligatio oriri potest ex voto seu promissione Deo facta.

III. - De ministris sacerdotis celebrantis, assistentibus, subiectis applicationis in sacrificio Missae.

90. Inter **ministros** sacerdotis celebrantis recensendi sunt:

I. *Presbyter assistens pluviali* indutus in Missa *pontificali* ab Episcopo (135) vel Abbate (136) adhiberi potest. Sola honoris, aut solemnitatis causa vetitum est sacerdoti celebranti habere presbyterum assistentem, excepto Episcopo et Praelato usum pontificalium habente (can. 812). Quodsi tantum assistat *ad librum*, toleratur etiam in Missa *solemni* a novello presbytero (137) vel, ubi consuetudo immemorialis viget, a *canonico* (138) vel ex solo indulto *apostolico* (139) ab alio quodam sacerdote celebrata.

At si solo *superpelliceo* sit indutus, permittitur in Missa *solemni* vel *cantata* simplicis sacerdotis secundum rubricas et de-

(134) Cap. 1 X. de pact. I 35; *Fagnan.* in cap. 3 X. de sepult. III 28 n. 81; *Gasparri* l. c. n. 641 sq.; *D'Annibale*, Summula theolog. mor. P. III n. 190 not. 19; *Van de Burgt* l. c. p. 135. Cfr. quoque declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 140 n. 80 de oneribus Missarum *per contractum* susceptis.

(135) Caerem. Episc. l. I cap. 7; S. R. C. in caus. Alex. 8 Aprilis 1702 ad 1; *Gasparri* l. c. n. 652. Cfr. de aliis ministris Episcopi pontificaliter celebrantis: *Muehlbauer* l. c. v. Minister n. 1 sq.

(136) Decret. S. R. C. 27 Sept. 1659 ab Alex. VII confirm. ad 7. Non permittitur Praelatis usum Pontificalium habentibus, si Missae adsistat Episcopus Ordinarius aut Praesul Episcopo maior. Pii X motu proprio « *Inter multiplices* » 21 Febr. 1905, n. 5, 29, 47.

(137) S. R. C. in caus. Vincent. 1 Dec. 1882 ad 2.

(138) S. R. C. in cit. caus. Vicent. ad 1.

(139) S. R. C. in caus. Mont. Pessul. 11 Iul. 1857.

cisiones S. R. C. (140); in Missa vero *privata* ex iure communi conceditur Episcopis (141), vi privilegii apostolici saltem Protonotariis tum participantibus tum supranumerariis ubique, Romae vero etiam protonotariis *ad instar* (142), denique ex consuetudine legitima etiam Urbis in tribus primis Missis novi sacerdotis. Quae assistentia sacerdotis (vel diaconi) in Missa privata potest esse *obligatoria*, si a Sede Apostol. v. g. a S. R. C. vel a S. C. C. propter speciales circumstantias v. g. ob celebrationem in navi vel propter defectum corporis *expresse* sit praescripta (143).

II. *Diaconi* (144) *et subdiaconi* sunt ministri ordinarii, qui in Missa *solemni* omnino adhiberi *debent* (145), sed in Missa *lecta* dalmatica vel tunica induti inservire *prohibentur* (146). Quodsi Missa a celebrante sacerdote *cantetur* sine *sacris* ministris, *lector* superpelliceo indutus loco consueto *cantet epistolam;* at deficiente lectore ipse sacerdos celebrans in cantanda epistola illius vices ex legitima consuetudine supplere potest (147).

III. *Ministri inferiores* in Missis *privatis* quamvis *convenienter* sint *clerici* habitu talari et cotta induti atque saltem ad *primam tonsuram* rite promoti (148), tamen *laici* quoque catholici digni et idonei admittuntur (149); at mulieres etiam moniales ut *veri ministri* altaris adhiberi nequeunt, nisi urgeat necessitas, et ipsarum ministerium tantum inserviat *pro responsis* (150). In qualibet Missa

(140) Missale Rom., Rit. serv. VII n. 11 VIII n. 8; S. R. C. in caus. Baionen. 25 Sept. 1875.
(141) Caerem. Episcop. l. I cap. 29.
(142) Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » 29 Aug. 1872 n. 19 iunt. Pii X motu proprio « Inter multiplices » 21 Febr. 1905, n. 10, 31, 49.
(143) Bened. XIV Const. « *Exponi* » 15 Ian. 1742; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 39 sq.; *Muehlbauer* l. c. v. Missa n. 51.
(144) *Lugo* l. c. disp. 18 sect. 1 de potestate diaconi, disp. 19 sect. 11 *Wernz* l. c. n. 159.
(145) Missale Rom. l. c.; S. R. C. 5 Oct. 1652 (nunc omiss.).
(146) S. R. C. in caus. Vic. Ap. 21 Iul. 1855.
(147) Missale Rom., Rit. serv. VI n. 8; S. R. C. 23 Apr. 1875; *Thalhofer* l. c. t. II p. 321.
(148) S. R. C. in caus. Egitanien. 23 Nov. 1602 ad 6; *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. I cap. 11 n. 1; *Iakob* l. c. p. 358; *Gasparri* l. c. n. 645 sq.
(149) Conc. Trid. Sess. XXII decr. de observ.; S. C. Inqu. 20 Novembr. 1850 ad 2, 7 Iul. 1864 ad 2 in Collect. S. C. de Prop. Fide n. 1840, 1845.
(150) Cap. 1 X. de coh. cler. III 2; Missale Rom., De defect. X.; S. R. C. in caus. Veron. 27 Aug. 1836 iunct. resp. eiusd. S. C. 4 Aug. 1893 et 12 Ian. 1894 Cfr. quoque de Ecclesia orient.: Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 21.

privata *unus* minister, qui respondeat et inserviat (151), intervenire debet; nam solus presbyter sine ullo ministri suffragio ne Missam quidem *privatam* celebrare potest, nisi gravis necessitas urgeat vel apostolicum habeatur indultum (can. 813) (152). At *duo* ministri in Missa privata adhiberi non *possunt*, nisi intuitu *personae* Cardinalis vel Episcopi celebrantis, non inferioris Praelati (153), aut quatenus ratione circumstantiarum Missa *stricte* privata non sit (154).

91. I. Assistere (155) sacrificio Missae in ecclesia publica et *loco* sibi congruo (156) et *forma* convenienti (157) possunt omnes, qui a iure speciatim non *prohibentur* velut excommunicati vitandi porro interdicti *personali* interdicto ab ingressu ecclesiae (158), denique ipsi fideles innocentes propter praesentiam excommunicati *vitandi* aut ratione *loci* interdicti (cfr. can. 2259, 2277). At sanctiones iuris antiqui, quibus a fidelibus officia divina sacerdotum concubinariorum vel simoniacorum saltem notoriorum (159) dicebantur esse vitanda, iam pridem in desuetudinem abierunt.

Catechumeni, certi peccatores etc. pro antiqua disciplina (160) nunc non amplius a Missa « *fidelium* » audienda repelluntur, multoque minus ipsis specialis quidam locus *deterior* (161) a reliquis laicis distinctus in ecclesia assignatur. Quodsi iure antiquo infideles

(151) Cap. 6, 15 X. de fil. presbyt. I, 17; S. R. C. in caus. Ascul. 27 Maii 1778 ad I, in caus. Tuden. 7 Sept. 1816 ad 5, 6, in caus. S. I. 11 Maii 1778 ad 20.
(152) Cit. cap. 6 X. de fil. presbyt.; S. R. C. in caus. Erien. 4 Septemb. 1875 ad 1 Cfr. supra h. tit. de Miss. solitariis. n. 528 not. 18.
(153) S. R. C. in caus. Castri Dur. 7 Aug. 1627; *Gaparri* l. c. n. 780.
(154) S. R. C. in caus. Tuden. l. c., in caus. Molinen. 12 Sept. 1857 ad 7, 8.
(155) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 6 can. 8; *Lugo* l. c. disp. 19 n. 230 sq.; *Gasparri* l. c. n. 930 sq. 854; *Thalhofer* l. c. t. I p. 247 sq.
(156) Cap. 1 X. de vit. III, 1; S. R. C. in decr. gener. 13 Mart. 1688; in caus. Melit. 26 Apr. 1704.
(157) Cap. 10 X. de celebr. III, 41.
(158) Cap. 5 X. de cleric. excom. V, 27; cap. 16, 18, 24 de sent. excom. V, 11 in Sext.; cap. 8 de priv. V, 7 in Sext.; cap. 2 de sent. excom. V, 10 in Clem.; *Schmalzgr.* l. V t. 39 n. 130; *Suarez*, De cens. disp. 12 sect. 1 sq.; *Kober*, D. Kirchenb. p. 519 sq. — Quae praescripta iuris praecedentis moderanda sunt ad normam Codicis iuxta citatos canones.
(159) Cap. 10 X. de cohab. III, 2.
(160) Cfr. c. 45 Apost.; c. 6, 32, 33 Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 67 D. I. de consecr.; *Devoti*, Inst. can. l. III t. 7 § 10; *Kober* l. c. p. 326 sq.; *Hefele* l. c. t. I p. 753, 815.
(161) Collect. S. C. de Prop. F. n. 1786, 1787.

(cfr. c. 1. § 1. D. 25.) ab ostiariis fuerunt excludendi, atque coram haereticis quoque et *schismaticis* sacra mysteria non erant celebranda, paulatim praxis facta est mitior, et quatenus opus erat, missionariis concedebantur facultates, ut « *praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus, excommunicatis* » celebrare possent (162).

II. Quinam *fideles* certis diebus sacrificio Missae rite *assistere* **debeant,** decernitur can. 1247 sq., de quo infra sub propria rubrica (163).

92. Subiectum, *pro quo* Missa *applicatur, debet* esse persona certa et *determinata;* secus nulla et irrita est applicatio (164). Praeterea inter certas et determinatas personas sacrificium Missae applicari *potest* pro omnibus sive vivis sive defunctis, qui neque ex natura rei iureque divino in foro *externo* sunt *incapaces* applicati fructus sacrificii eucharistici (165) neque positivo competentis Superioris ecclesiastici praecepto *prohibentur.*

(162) Collect. Const. S. Sed. p. 18 sq. facult. Vicar. Apost. n. 23.

(163) Cfr. quoque *Lehmkuhl* l. c. vol. I n. 567; *Gasparri* l. c. n. 946; *Cappello* l. c. n. 602 sq. ubi n. 606 agit de applicatione conditionata et n. 612 quando oblatores ignoti sunt.

(164) *Lehmkuhl* l. c. vol. II n. 166 sq. 175 sq.; *Gasparri* l. c. n. 466 sq.

(165) Quae incapacitas fusius explicatur a theologis. Ex fontibus quoque *canonicis* revera incapaces, *pro quibus* sensu stricto applicetur Missa, sunt omnes, quos in foro externo constat esse in *paradiso* scl. a) *Sancti canonizati* (cfr. cap. 6 X. de celebr. III, 41; S. C. de Prop. F. 16 Ianuar. 6 Aug. 1840 in Collect. S. C. de Pr. F. n. 878, 880), quibus *Beati beatificati* merito videntur posse addi; nam etiamsi beatificatio non sit sententia definitiva et absolute infallibilis, tamen tanta pollet auctoritate, ut absque temeritate in dubium vocari non possit; denique videtur esse satis mirum, si *pro illo* publice celebraretur Missa, qui ipse iam ad altaris honores fuit evectus; b) *infantes baptizati,* qui *indubitanter* ante omnem usum rationis ex hac vita migrarunt.

Praeterea incapaces sunt, quos in foro externo constat esse *damnatos.* Huc spectant a) *infantes,* qui ante usum rationis absque baptismo cum peccato originali decedentes versantur in limbo parvulorum; damnati in *inferno* ignis, qui in statu peccati *mortalis* decesserunt velut peccatores mortui absque ullis signis poenitentiae, haeretici et schismatici, apostatae et infideles, qui in sua manifesta haeresi, schismate, apostasia, infidelitate decedunt. Cfr. c. 21 C. XIII q. 2 (Gregor. III c. a. 732); c. 91 C. XI q. 3; S. C. de Prop. F. 6 Iun. 1817; Gregor. XVI epist. ad Episc. August. in Bavar. 16 Febr. 1842; S. C. Inq. 7 Apr. 1875; S. C. de Prop. F. 12 Sept. 1645; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1598, 891, 1801. Qua incapacitate non tenentur catechumeni, qui ante baptismum « *in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione* » *mortui* sunt. Cfr. cap. 2 X. de presbyt. non bapt. III, 43; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) et Conc. prov. Vienn. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V. col. 91, 180.

Quae prohibitio Ecclesiae ea ratione sese extendit ad omnes *sacerdotes celebrantes,* ut sacrificium Missae saltem *publice* (166) celebrare et applicare nequeant generatim (167) pro his, qui foris sunt, i. e. pro infidelibus, apostatis, haereticis, schismaticis, excommunicatis vitandis vel toleratis sive vivis sive defunctis, si de eorum excommunicatione publice constat. At huiusmodi prohibitio non excludit *secretam* applicationem *pro vivis* ad obtinendam *conversionem* illorum (168), nec pro defunctis, si *probabilis* sit ipsorum bona fides et resipiscentia (can. 809, innt. can. 2262) (169). Quodsi haec limitatio prohibitionis ecclesiasticae recte admittitur quoad *sacerdotes celebrantes,* inde nequaquam iisdem *excommunicatis* etc. conceditur *ius* ad *postulanda* illa suffragia Missarum v. g. Missas votivas, ut fieri potest a fidelibus (170). Multo magis sacerdotes

(166) Cap. 28, 38 X. de sent. excom. V, 39 iunct. Bened. XIV Const. « *Ex quo primum* » 1 Mart. 1756 §§ 23 sq. 27 sq., ubi R. Pontifex capita illa aliosque sacros canones interpretatur de *publica* Missae celebratione et applicatione; sed eousque certe porrigitur prohibitio Ecclesiae pro sacerdote celebrante, quousque sese extendit *privatio* excommunicati. Cfr. *Schmalzgr.* l. V t. 39 n. 134; *Suarez,* De cens. disp. 9 sect. 1 n. 4 sq. sect. 2 n. 20 sq. sect. 4; *Kober* l. c. p. 238 sq. 267 sq.; *Gasparri* l. c. n. 478, 483, 486; *Hollweck* l. c. p. 118 sq.; *Cappello* l. c. n. 614 sq.

(167) Quodsi Ecclesia feria VI hebdomadae sanctae *publice* orat pro vivis Iudaeis, haereticis, schismaticis (et excommunicatis) aut quandoque pro *vivis regibus* paganis vel etiam haereticis et excommunicatis *ut gubernatoribus* civitatum, sunt *exceptiones,* quae confirmant *regulam.* Cfr. Bened. XIV in cit. Const. §§ 23 sq. 27; S. R. C. 18 Nov. 1852 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 811; *Suarez* l. c. disp. 9 sect. 1 n. 5; *Kober* l. c. p. 271 sq. At huiusmodi exceptio nequit extendi ad reges paganos, haereticos, schismaticos in suis sectis *mortuos* ideoque etiam pro ipsis Missa *publica* celebrari et applicari nequit. Nam Gregor. XVI in cit. epist. ad Ep. August. a. 1842 docet: « *Vetere ac nova Ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur* ».

(168) Ex *natura* rei nihil impedit, quominus saltem *secreta* illa applicatio Missae ad *alios* quoque fines *honestos* fiat pro infidelibus, haereticis, schismaticis, excommunicatis (cfr. Bened. XIV l. c. § 27; *Suarez* l. c. disp. 9 sect. 1 n. 5; *Gasparri* l. c. n. 883); at *de facto* etiam ex *disciplina* vigente non est extendenda ad illos *casus* et *modos,* quibus expressa et specialis *prohibitio Ecclesiae* (cfr. S. C. Inq. 19 Apr. 1837; S. C. de Prop. F. 19 Aug. 1776, 14 Maii 1779, 18 Apr. 1757 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 877, 873, 874, 870) vel vetita communicatio cum *vitandis* excommunicatis vel ratio *scandali* obstant, multoque minus est *reprobanda* in iis casibus, quibus ab Ecclesia saltem, pro *infidelibus* est expresse permissa. Cfr. S. C. Inq. 12 Iul. 1865 et S. C. de Prop. F. 11 Mart. 1848 in cit. Collect. n. 888, 885.

(169) *Kober* l. c. p. 273 sq. 279 sq.; *Gasparri* l. c. n. 483 i. f. n. 489.

(170) *Schmalzgr.* l. c. n. 125, 139; *Lehmkuhl* l. c. n. 177.

caveant necesse est, ne admittant *stipendia* vel fundationes sibi oblata pro infidelibus vel haereticis schismaticis vel excommunicatis in manifesta infidelitate vel haeresi vel secta schismatica vel contumacia defunctis (171). At Ecclesia pro *vivis infidelibus* etiam accepto *stipendio* Missas celebrare et applicare permisit, « *dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynas offerentibus subesse* » (172). Quae permissio Ecclesiae ad accipienda **stipendia** Missarum pro haereticis vel schismaticis non est extendenda, nisi quatenus « *constet expresse* **eleemosynam** a *schismatico* (vel haeretico) *praeberi ad impetrandram conversionem ad veram fidem* » (173). Propter paritatem rationis eadem prohibitio videtur applicanda ad accipiendas elemosynas Missarum a publicis excommunicatis etiam toleratis (174).

IV. - De tempore et loco sacrificii Missae.

93. Tempus *legitimum* (175) celebrandi Missam ex disciplina nunc vigente (176) est *quilibet* anni ecclesiastici dies in iure non

(171) S. C. de Prop. F. 12 Sept. 1645, 6 Iun. 1817; cap. 13 § 5 X. de haeret. V, 7 et S. C. Inq. 7 Apr. 1875 ad duo quaesita: *1. An liceat Missam offerre pro illis, qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando huiusmodi applicatio* **nota** *esset. 2. An liceat etiam in casu, quo huiusmodi applicatio Missae tantum sacerdoti et illi, qui* **dat eleemosynam** *nota esset,* respondit: *Ad* 1um. *et* 2um. *Negative*. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1801, 1598, 891; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V, col. 86 sq.; *Gasparri* l. c. n. 484, 489.

(172) S. C. Inq. 12 Iul. 1865.

(173) Cap. 13 § 5 X. de haeret.; S. C. Inq. 19 Apr. 1837; Conc. prov. Strigon. l. c.

(174) Cfr. cap. 38 X. de sent. excom. V, 39; *Suarez* l. c. sect. 2 n. 16 sq.; *Kober* l. c. p. 267 sq.; aliter *Schmalzgr.* l. c. n. 139 aliique.

(175) Cfr. *Schmalzgrueb.* l. III t. 41 n. 40 sq., ubi v. g. n. 45 de Missis *privatis* feria quinta maioris hebdomadae sacerdotibus *generaliter* permissis antiquatam et improbabilem sequitur sententiam.

(176) Antiqua quoque Ecclesia a *frequenti* celebratione sacrificii eucharistici non fuit aliena, ut facile eruitur ex Act. Apost. II, 42. Quae celebratio potissimum facta est diebus *dominicis, festis, stationum*, quibus *fideles* ad ecclesias accesserunt. Cfr. Act. Apost. XX, 7; I Corinth. XVI, 2.

At saltem ex saeculo quarto et quinto prima occurrunt vestigia *quotidianae* celebrationis Missae in ecclesiis. Cfr. c. 29 Conc. Arelat. (a. 314) (?) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 216 sq.; c. 49 Conc. Laodic. (a. 343-381); Innoc. I in epist. ad Decent. scr. a. 416 = c. 13 D. III de consecr. Quamvis saeculo sexto, ut

exceptus a proprio sacerdotis celebrantis ritu (can. 821) (177). Quoad **horam** Missa quidem *privata* (178) saltem post matutinum et laudes (179) quacumque *hora* inde ab aurora (180),

patet ex c. 7. Conc. Tarrac. (a. 516), saltem in ecclesiis *ruralibus* nondum ubique Missa *quotidie* celebraretur (cfr. *Hefele* l. c. t. II p. 676), tamen exinde haec praxis magis magisque generaliter est recepta. Cfr. c. 72 (Conc. Cabil. a. 813) D. I de consecr.; c. 71 (Paschas. Radb.) D. II de consecr.; *Armellini,* Lezioni di archeolog. crist. p. 306 sq. 337. Quae disciplina vigens in Missali Rom., Rubr. general. pr. hisce verbis enuntiatur: « *Missa quotidie celebratur iuxta ordinem officii* ».

(177) In Ecclesia *orientali* iam ex antiquissimo tempore (cfr. cit. c. 49 Conc. Laod.; c. 52 Conc. Trull. a. 692) est consuetudo tempore quadragesimae celebrandi solummodo Missam praesanctificatorum (quae vera Missa non est) exceptis sabbatis, dominicis, festo annuntiationis B. V. M.; imo feria sexta hebdomadae sanctae vel ipsa Missa praesanctificatorum a Graecis non celebratur. Cfr. Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 37 sq. Cfr. exceptionem factam pro Italo-graecis a Benedicto XIV in const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § 6, n. 16; et de praxi *Maronitarum* ecclesiae latinae conformi: Conc. Maronit. a. 1736, part. II, cap. 13, n. 17 in Collect. Lac. vol. II, p. 222.

In Ecclesia *occidentali* secundum ritum *Ambrosianum* a prima dominica quadragesimae usque ad Pascha qualibet feria sexta Missae celebratio non est permissa, nisi incidat festum de praecepto; at feria sexta maioris hebdomadae pro more Graecorum etiam Missa praesanctificatorum absolute prohibetur.

Ex ritu vero Romano *celebratio* sacrificii Missae solummodo *feria quinta et sabbato* maioris hebdomadae *limitata* est ad Missam *solemnem* cum *aliis* praescriptis functionibus in solis ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus, parochialibus, penitus exclusis Missis *privatis,* nisi in casibus generaliter a iure vel specialiter per indultum apostolicum exceptis (cfr. decret. Clem. XI 15 Mart. 1712; S. R. C. in decret. gener. 12 Septembr. 1716 et 27 Maii 1895); *feria autem sexta* eiusdem hebdomadae quaelibet Missa solemnis vel privata omnino prohibetur, atque in iisdem tantum ecclesiis supra enumeratis Missa praesanctificatorum conceditur, dummodo in forma a rubricis praescripta vel permissa cum omnibus caeremoniis, non ritu privato celebretur. Cfr. S. R. C. l. c. 27 Maii 1895 et in resol. 31 Iul. 1821; *Bened. XIV,* Inst. eccles. 38; *Gasparri* l. c. n. 65 sq.; *Duchesne* l. c. p. 218 sq.

(178) Missae *conventuales* aliaeque v. g. fundatae celebrandae sunt *horis specialiter* praescriptis, quatenus rubricae non obstant. Cfr. Missale Rom., Rubr. gen. t. XV n. 1 sq. atque c. 48, 51 D. I de consecr. de praxi antiquissima celebrandi Missas *publicas* regulariter hora tertia diei i. e. hora nona matutina.

(179) Missale Rom. tit. I de preparatione sacerdotis; quae obligatio non habetur gravis (*Benedict. XIV,* De sacr. Miss. l. 3, cap. 13), imo *Ballerini-Pal,* IV, n. 405 etiam levem culpam excludit.

(180) Antiquitus celebratio Missae *ante* auroram ipso noctis tempore frequentius fuit permissa v. g. in vigiliis, in festo natalis Domini (c. 48 D. I de consecr.), sabbato sancto, diebus collationis ordinum, festo S. Ioannis Baptistae. Qua in re potius consuetudine quam lege scripta tempus liberae celebrationi concessum saltem ex saeculo 13 magis est coarctatum. Hinc vel ipsum Concilium Tridentinum Sess. XXII Decret. de observ. Episcopis nonnisi

i. e. ab initio crepusculi matutini usque ad *meridiem* (181) dici potuit (182); Codex vero tempus extendit permittens Missam inchoari una ante auroram usque ad unam horam post meridiem.

A qua rubrica generali praeter casus ipso iure iam exceptos recedere non licet, nisi ex indulto *apostolico* tempus legitimum anticipari vel protrahi possit (183).

Ex disciplina ante Pium X vigente in festo nativitatis Domini Nostri I. Ch. ob speciales rationes tantum *una* Missa *solemnis* « *post mediam noctem* » servatis tamen rubricis licite celebrari pot-

---

generaliter praescribit, ut edicto et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent. *Thalhofer* l. c. t. II p. 341 sq.; *Gasparri* l. c. n. 98, 111.

(181) Cum primis saeculis vigeret rigidior praxis ieiuniorum, Missae *vespertinae* circa horam nonam saepius per annum celebrari solebant. Cfr. c. 49, 50 D. I de consecr. cum dict. Grat.; *Durand.* l. c. l. IV cap. 1 n. 20; *Thalhofer* l. c.; *Hefele* l. c. t. II p. 741, 58.

At postquam illa disciplina liturgica per consuetudinem paulatim est immutata, tandem Pius V Const. « *Ad cuius* » 29 Mart. 1566 sub *poena* suspensionis a divinis ipso facto incurrenda (in Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » *abrogata*) omnino vetuit in Ecclesia latina (cfr. de Ecclesia orientali: Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 6) Missas *vespere* celebrare omnesque facultates revocavit. Cfr. Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 220; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VI cap. 8 n. 4 sq. 13 sq. de more alicubi v. g. in capella pontificia celebrandi primam Missam in natali Dom. N. I Chr. *ante* mediam noctem; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 101 sq.

(182) Quae computatio non cum rigore quodam mathematico, sed ex aequitate canonica facienda erat.

Quare Benedictus XIII expresse declaraverat Missam celebrari posse qualibet hora « *a tertia horae parte ante auroram, ad tertiam horae partem post meridiem* ». Cfr. decret. Bened. XIII 20 Dec. 1724 iunct. *Bened. XIV*, Inst. eccl. 68 n. 11; *Gasparri* l. c. n. 100 sq. Quae moderatio in extensione per Codicem facta non videtur esse applicanda. In computandis horis, ubi agatur de *privata* celebratione, nunc licet sequi tempus sive verum, sive medium, sive legale (can. 33, § 1). Pro regionibus poli arctici, in quibus est singularis difficultas determinandi auroram, tempus etiam in hac re practice determinari potest ex horis, quibus secundum probatas consuetudines regionum etiam septentrionalium homines surgere solent ad opera (cfr. S. R. C. Miss. Rom. 18 Sept. 2 Nov. 1634), *aut* secundum methodum a S. R. C. in caus. miss. pol. arct. 7 Septemb. 1850 approbatam. Cfr. Act. S. Sed. vol. III p. 602 sq. et vol. VII p. 400 not. 1; *Lehmkuhl* l. c. n. 218 sq.; *Gasparri* l. c. n. 106 sq.; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 352; *Schmalzgr.* l. c. n. 46.

(183) Cfr. exempla indultorum apostolicorum sive *personalium* v. g. pro missionariis vel Cardinalibus sive *localium* v. g. pro certis ecclesiis: Collect. S. C. de Prop. F. n. 773, 774, 785; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 13. n. 5 et Inst. 68 n. 12 sq., De ss. Miss. sacrif. l. III app. 4; *Gasparri* l. c. n. 110, 112 sq. causas excusantes afferunt moralistae, cfr. v. gr. *Ferreres* Theol. mor. II, n. 486, 2º.

erat Cfr. Missale Rom. l. c. n. 4; S. R. C. in caus. S. I. 11 Iun. 1878 ad 21, in caus. Cuneen. 2 Iun. 1883 ad 10. Hinc sine indulto Sedis Apostolicae etiam sacerdos, qui celebrasset illam Missam solemnem, non poterat illico ante auroram duas alias Missas privatas dicere, neque *alii* sacerdotes eadem media nocte vel *unicam* Missam privatam celebrare. Sed servato in reliquis memorato iure (can. 821, § 1, 2), ex privilegio concesso a Pio X per decr. S. Offic. 1 Aug. 1907 per Codicem can. 821, § 3 confirmatum, in omnibus religiosis seu piis domibus oratorium (publicum vel semipublicum) habentibus cum facultate SS.mam Eucharistiam habitualiter asservandi, Nocte Nativitatis D. N. I. Chr. unus sacerdos *tres rituales Missas*, vel, servatis servandis, *unam* tantum, quae adstantibus omnibus ad praecepti satisfactionem, celebrare potest et communionem ministrare.

94. Plurium Missarum celebratio. Celebratio Missae ab *eodem* sacerdote (184) ordinarie *semel* tantum *in die* alias non impedita licite fieri potest (185), nisi ex privilegio generali vel particulari Sedis Apostolicae duae vel tres Missae concedantur (186), aut *ne-*

---

(184) In Ecclesia *occidentali* S. Leo (cfr. c. 51 D. I de consecr.) commemorat observantiam Romanam in *eadem* festivitate atque ecclesia forte per eundem sacerdotem iterand sacrificii oblationem, quotiescumque praesentia novae plebis id postulet. Neque defuerunt dies (polyliturgici), quibus in *diversis ecclesiis* solemnis liturgiae celebratio fuit ab *uno* sacerdote repetita. Cfr. *Roesch* in Arch. f. k. K. t. 77 p. 43 sq.; *Armellini* l. c. p. 307, 337; *Thalhofer* l. c. t. II p. 318, 336 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 184 sq.

Antiqua Ecclesia orientalis ab illa praxi erat aliena, cum nonnisi aegre permitteret, ut *a diversis* sacerdotibus in *eadem* ecclesia complures celebrarentur Missae. Cfr. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 220 sq.

At magna illa libertas pluries in die offerendi sacrificium eucharisticum, qua in Ecclesia latina etiam viri sancti usi sunt v. g. S. Udalricus († 973), propter abusus magis fuit coercenda, ut patet ex c. 5 Conc. Tolet. XII (a. 681); cap. 5 Conc. Seligenst. (a. 1022); Alex. II (?) int. a. 1061-1073 in c. 53 D. I de consecr. Cfr. quoque *Hefele* l. c. t. IV p. 592, 603; *Roesch* l. c. p. 50 sq.

(185) Cap. 3, 12 X. de celebr. III 41 = resp. Innoc. III ad Episc. Vigor. in Angl. (a. 1206) et Honor. III ad Archiep. Sipont. (a. 1216-1227).

Quod decretum Innocentii III propter verba: « *Nisi causa necessitatis suadeat* » subsequenti quoque tempore satis amplam accepit interpretationem. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Declarasti* » 16 Mart. 1746; *Durand.* l. c. l. IV cap. 1 n. 25; *Thalhofer* l. c. p. 337 sq.; *Hefele* l. c. t. VI p. 182, 200, 510; *Roesch* l. c. p. 56 sq.; *Nilles*, Kalend. t. I p. 188 (de tribus Missis in festo S. Ioann. Bapt.).

(186) In Ecclesia *latina* quilibet sacerdos in festo nativitatis Domini *tres*

cessitas in casibus a iure exceptis et forma legitima servata binationem reddat licitam (187). Privatus sacerdos licentiam debet habere Ordinarii, qui de necessitate iudex est: Ordinarius vero ne-

---

Missas celebrare *potest.* Cfr cit. cap. 3 X. de celebr. III 41 iunct. c. 48 D. I de consecr.; *Hefele* l. c. t. VI p. 182; *Gasparri* l. c. n. 374 sq.

Quae consuetudo latina in Ecclesiam *orientalem* nunquam invecta est. Cfr. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 221; Synod. Sciarf. (a. 1888) l. c.; *Bened. XIV*, Const. « *In superiori* » 29 Dec. 1755.

Ex Benedicti XIV Const. « *Quod expensis* » 26 Aug. 1748 omnibus et singulis sacerdotibus in regnis et dominiis Hispaniae et Portugalliae actu commorantibus conceditur facultas in die commemorationis omnium defunctorum tres Missas celebrandi, etiam duabus horis post meridiem, sed cum onere duas Missas absque stipendio applicandi pro omnibus fidelibus defunctis. Cfr. S. R. C. in caus. Lusit. 20 Dec. 1783 ad 2; Conc. plenar. Americ. latin. (a. 1899) *Gasparri* l. c. n. 377; *Thalhofer* l. c. p. 339; *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 487; Id, Misas manuales cap. IV, n. 30 sq. Benedictus XV, const. « *Incruentum* » 10 Aug. 1915 (A. A. S. VII, 403) post extensionem iam factam a Leone XIII ad Americam latin. (Appendix ad C. Plen. A. L. p. 614) et a Pio X ad Insulas Philippinas (A. A. S. II, 220) favorem trium Missarum ad universum orbem extendit, prohibito tamen stipendio pro secunda et tertia Missa, quae applicari debent pro omnibus defunctis altera, ad mentem R. P. tertia. Id firmavit Codex can. 806, § 1.

(187) Can. 19 Conc. Emerit. (a. 666) statuitur, ut *unus* sacerdos, qui complures ecclesias pauperes administrat, singulis diebus dominicis in unaquaque ecclesia celebret Missam. Innocentius III cit. cap. 3 X. de celebr. a prohibitione iterandi Missam praeter festum Natalis Domini tantum excepit *casum necessitatis.*

Quae *necessitas* praesertim ex Instr. S. C. de Prop. F. 24 Maii 1870 et Benedict. XIV Const. « *Declarasti* » 16 Mart. 1746 intelligi nequit de mera *utilitate* vel *consuetudine* vel *praesumptione*, neque de facultate etiam *ter* vel *quater* dicendi Missam, neque de *paupertate* quadam *sacerdotis*, sed unice de *necessitate spirituali populi* et *raritate sacerdotum*, i. e. quoties *alius* sacerdos haberi non possit, qui populi necessitati valeat satisfacere.

At ex cit. Const. « *Declarasti* » requisita necessitas concurrit, ut vi concessionis in iure *communi* factae et dependenter a iudicio *Ordinarii* Missa iteretur, si sacerdos duas obtinet parochias **vel** duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos de praecepto et non suppressos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam, vel quando *una* tantum sit ecclesia, in qua celebratur Missa, et ad quam simul universus populus convenire non potest, et alioquin alius sacerdos inveniri nequit; imo in priori casu unius parochi *duas parochias* regentis parochus nedum *potest*, sed plane *tenetur* bis eodem die (festo) Missam celebrare. Quibus in casibus strictae necessitatis indultum apostolicum non requiritur, cum Episcopi pro sua potestate ordinaria licentiam binandi concedere valeant. Cfr. Bened. XIV cit. Const. « *Declarasti* »; cit. Instr. S. C. de Prop. F. 24 Maii 1870 n. 10, 11 in Collect. eiusd. S. C. n. 792; S. C. C. 20 Sept. 1622 in ed. *Richt.* Conc. Tr. p. 129 et S. C. C. 22 Febr. 1862 in Act. S. Sed. vol. I p. 7 sq.; Collect. Lac. t. III col. 764 t. IV col. 339, 529, 1195 t. V col. 852. Quodsi nihilominus de

cessitatem eruere inde debet, quod secus ob sacerdotum penuriam notabilis fidelium pars Missae adstare non posset; attendere autem debet non solum ad periculum ortum ex adiunctis externis, sed etiam ad periculum ortum ex mala hominum voluntate. Semper autem excluditur quod plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittat, nisi expressum ad hoc indultum obtinuerit (can. 806, § 1, 2). Quare sententia quam defendit *Avanzini* et D'Annibale de facultate Episcopi permittendi tertiam Missam hodie non sustinetur. Cfr. tamen novam disciplinam S. C. de Sacr. per decisionem 22 April. 1927 inductam apud *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 488, not. 5.

Facultas binandi *ab Ordinario loci concessa* non est privilegium personale, sed remedium pro necessitate: quare si sacerdos cui tributa est nequeat celebrare, potest binare is, qui eius vices suppleat; quae habetur ex privilegio S. Sedis, personalis est, nisi aliter in rescripto cautum fuerit. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 381; *Cappello* n. 733.

95. Tempus, quod in Missa *privata* decenter et devote celebranda impendi debet, regulariter est dimidia circiter hora. Sacerdotes, qui minus quam tertiam horae partem impendant, certe ab Episcopo opportune moneri atque castigari possunt.

In Missa quoque solemni etsi mathematica quaedam definitio fieri non soleat, certe illud tempus debet impendi, quod ad accuratam et decentem observationem rubricarum requiritur, neque cum

---

facto non pauci Episcopi ad Sedem Apostolicam v. g. ad S. C. Inq. vel S. C. de Prop. F. vel S. C. C. pro concedenda iteratione Missae recursum habuerunt, id fuit factum propter casus *dubios*, aut quod *ampliores* vellent consequi facultates in ipsorum iure *ordinario* non contentas v. g. pro festo suppresso vel *trina* celebratione. Cfr. cit. Instr. S. C. de Prop. Fid. n. 11 sq.; Conc. plenar. Americ. lat. (a. 1899) n. 351; *Gasparri* l. c. n. 378 sq. 389 sq.; *Roesch* l. c. p. 65, 70; *Lingen et Reuss* l. c. p. 876 sq.; Act. S. Sed. vol. XXV p. 734 sq.

Quodsi facultas binandi legitime fuerit obtenta, non licet unquam excepto festo Nativitatis Domini pro secunda (vel tertia) Missa ordinaria acceptare *stipendium* sive ad proprium commodum sive in favorem causae piae, nisi Sedes Apostolica speciale concesserit indultum. Cfr. Bened. XIV Const. « *Declarasti* »; S. C. C. 22 Febr. 1862 l. c.; Conc. plenar. Americ. lat. (a. 1899) n. 350, 356; *Gasparri* l. c. n. 395 sq.; *Roesch* l. c. p. 74 sq.

Praeterea quoad ritum binationis sive in eadem sive diversa ecclesia serventur necesse est: Instr. S. R. C. 11 Mart. 1858 et supplementum Instr. S. C. de Prop. F. 24 Maii 1870; *Roesch* l. c. p. 78 sq. Cfr. quoque Rit. Rom. (ed. a. 1925) pag. 564 sq.

taedio fidelium *ultra* limites iure particulari forte constitutos est extendendum (188).

96. Locus *proximus,* in quo sacrificium Missae unice celebrari licite potest, est *altare* rite consecratum nec pollutum vel exsecratum vel interdictum (189). *Locus vero remotus* sunt ecclesiae vel oratoria publica rite consecrata vel saltem benedicta nec polluta vel exsecrata vel interdicta aut saltem oratoria semipublica legitime ab Ordinariis competentibus erecta nec usui profano denuo restituta (can. 882, 1) (190).

Quare *extra* aedes sacras recensitas v. g. in domibus privatis super altari *portatili* sive extra oratorium *privatum* sive intra illud oratorium erecto nemini Missam etiam lectam celebrare licet, nisi ex speciali favore vi iuris communis aut per privilegium vel indultum Sedis Apostolicae concesso (191) aut ex *necessitate,* qua *multitudo* quaedam fidelium, quae ad Missam audiendam *obligata* est, illa careret, *nisi* extra ecclesiam vel oratorium celebratio esset permissa (can. 822, § 2). Privilegium *altaris portatilis* ita decernitur intelligendum, ut facultatem secum ferat ubique celebrandi, honesto tamen et decenti loco et super petram sacram, non auten in mari (cit. can. § 2) (192). Gaudent privilegio *altaris portatilis* ex iure: 1º) S. R. Eccl. Cardinales (can. 233, § 1, 3º); 2º) Episcopi sive re-

(188) Collect. Lac. v. Missa v. g. t. IV n. 16 t. V n. 17 t. VI n. 9, 15; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 341.

(189) Cfr. c. 11 D. I de cons ; Miss. Rom., Rubr. gen. tit. XX; S. C. Inq. 7 Iun. 1726 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 827; *Schmalzgrueb.* l. III t. 41 n. 47; *Gasparri* l. c. n. 280 sq. 351 sq. Cfr. de indultis; S. R. C. in caus. Limburg. 27 Febr. 1847; Collect. cit. S. C. de Prop. F. n. 825, 828, 829, 831; Collect. Lac. t. II col. 562 sq. Uberius ubi de ecclesiis et altaribus.

(190) Cfr. c. 12, 14, 15 D. I de consecr.; Conc. Trid. Sess. XXII decr. de observ.; Missal Rom., De defect. X.; *Gasparri* l. c. n. 121 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 183 sq. Cfr. quoque novum decretum generale S. R. C. 5 Iun. 1899 nunc in Analect. eccl. t. VIII p. 165 publicatum, quo festum titularis dicitur quotannis sub ritu duplicis primae classis cum octava celebrandum *etiam* in oratoriis *publicis* solemniter tantum **benedictis.** Quae obligatio in oratoriis *semipublicis* non existit, « *nisi in casu, quo aliqua ex iis consecrata* **vel solemniter benedicta fuerint** ».

(191) Cap. 12 de privil. V 7 in Sext.; Conc. Trid. l. c.; Clem. XI decret. 15 Dec. 1703; Conc. Rom. (a. 1725) in Collect. Lac. t. I col. 367; *Gasparri* l. c. n. 260 sq.

(192) Bened. XIV Const. « *Inter omnigenas* » 2 Febr. 1744 § 22; S. R. C. in caus. Sedun. 27 Aug. 1836; c. 1, 2 (Pseudoisid.) 30 (c. 9 Conc. Mogunt. a. 888, non Tribur. a. 895, ut legitur in Decr. Grat.) D. I de consecr. iunct. *Bened.,*

sidentiales sive titulares (can. 349, § 1, 1º); 3º) Vicarii et Praefecti Apostol. (can. 294, § 1, 308); 4º) Abbates et Praelati *nullius* (can. 323); 5º) Administratores Apostolici (can. 315); 6º) Protonotarii *participantes,* non autem supranumerarii vel *ad instar* aut honorarii (Pii X, const. « *Inter multiplices* » n. 2, 22.) — Ex peculiari indulto solent habere missionarii aut S. C. de P. F. condedit Vicariis et Praefectis Apostol. ut missionariis communicare possint. — Etiam nonnullis regularibus illud Privilegium post Tridentinum concessum fuit vel restitutum, cum a Tridentino fuisset revocatum (sess. XX, de obs. et evit. in celebr. Missae).

Episcopus non amplius potest, ut olim, concedere facultatem celebrandi *per modum habitus* in privatorum domibus neque in oratorio stricte privato. Potest tamen ex iustis et rationabilibus causis id concedere in aliquo *extraordinario casu* et *per modum actus,* non tamen in cubiculo, sed in loco decenti super petram sacram, quae facultas restrictive interpretanda est (Commiss. Cod. 16. Oct. 1919 — A. A. S. XI, 478) — Eadem facultate pollet Superior maior intra domum religiosam exemptam.

Denique sacerdotibus peregrinantibus absque *indulto apostolico* non licet *in navi* celebrare Missam. Quod indultum conceditur etiam absque assistentia alterius sacerdotis, dummodo mare sit tranquillum et locus *decens* (193). Ex iure illud habent Cardinales et Episcopi etiam titulares (can. 239, 349).

Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto (can. 823, § 1). — Solum in casu necessitatis, si prorsus scandalum absit, illa celebratio licita fieri potest (Cfr. S. C. S. Officii 5 Iun. 1889; Collect. S. C. P. I. II, n. 1707.)

Deficiente in ecclesia vel oratorio altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum antimensiis (can. 823, § 2). Antimensium tenet locum nostrae arae portatilis; ara igitur latino adhibenda loco antimensii in ecclesia vel altari ritus orientalis celebranti.

XIV, De ss. Miss. sacrif. l. III cap. 6 n. 7; *Gasparri* l. c. n. 273 sq. Cfr. quoque facultates speciales missionariis vel capellanis castrensibus concessas. Cfr. in A. A. S. XVIII, 988.

(193) *Bened. XIV,* De ss. Miss. sacrif. l. c. n. 8 sq.; *Gasparri* l. c. n. 277; supra h. tit. n. 540 not. 131. Confer. concessionem ad decennium factam Ordinariis Amer. Lat. a Pio XI in A. A. S. XXI, 556.

In altaribus papalibus nemo celebrare potest sine indulto apostolico; ipsa denominatio papalis significat altare pro celebratione Papae reservatum (can. 823, § 3).

V. - De materia et forma, ritibus, utensilibus sacrificii Missae.

97. *Materia* et *forma* sacrificii eucharistici quoad substantiam ipso iure divino sunt panis triticeus et vinum de vite cui modicissima aqua admiscenda est (194) cum verbis essentialibus consecrationis (195), ut theologi latius exponunt (can. 814). At non paucae existunt *leges disciplinares,* quae v. g. materiam in rebus *accidentalibus* magis determinant aut ad meliorem *tutelam* iuris divini inserviunt. Qua ratione pro diversis ritibus *praescribitur* panis *azymus* vel *fermentatus* (196), admixtio *aquae* vino consecrando vel iam consecrato (197), certa *forma* farinae et hostiarum (198), aut vicis-

(194) Cap. 6 § 1 cap. 7, 8, 13, X. de celebr. III, 41; decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 1, Sess. XXII doctr. cap. 1; Missale Rom., De defect. II sq. V; *Gasparri* l. c. n. 788 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II p. 136 sq.

(195) Cap. 6 pr. 7 X. de celebr. III 41; cit. decret. pro Armen.; Conc. Trid. l. c. *Thalhofer* l. c. p. 218 sq.; *Gasparri* l. c. n. 827 sq.

(196) Cap. 14 X. de celebr. III 41; decretum unionis Graecorum sive Eugenii IV Const. « *Laetentur coeli* »; Missale Rom., De defect. III n. 3; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 10 Const. « *Allatae* » 26 Iul. 1765 § 34; *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. VIII p. 173 sq.; *Gasparri* l. c. n. 803 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 136 sq.; *Nilles,* Kalendar. t. II p. 221 sq.; *Hefele* l. c. t. IV p. 766 sq. Cfr. quoque Syn. Sciarf. (a. 1888) p. 85 de pane fermentato apud Syros; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 190 sq. de pane azymo apud Maronitas et Armenios.

(197) Cfr. c. 19 Conc. Tribur. (a. 895); c. 2 (S. Cypr. a. 254) 83 (S. Ambros. ?) D. II de consecr.; cap. 6 § 1 cap. 13, 14 X. de celebr.; decret. pro Armen. iunct. c. 32 Concilii Trullan. (a. 692), ubi usus antiquorum Armeniorum celebrandi Missam cum solo vino sine aquae admixtione sub poena depositionis prohibetur; Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 7 can. 9; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 88 sq.; *Gasparri* l. c. n. 820 sq. Cfr. de praxi Graecorum *post* consecrationem vini infundendi aquam tepidam: Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 2 et Const. « *Allatae* » 26 Iul. 1755 § 26; *Card. Hergenroether* l. c. p. 174; at apud Ruthenos aliosque Orientales illa praxis est prohibita, ut patet ex cit. Const. « *Allatae* » l. c. et Synod. prov. Ruthen. (a. 1720) et Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 34, 195 multoque magis ab Ecclesia latina est penitus aliena.

(198) S. C. Inq. 25 Iun. 1852 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 701 (de farina); Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85 sq. et Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. t. II col.,

sim *prohibetur,* ne consecrentur hostiae v. g. ante tres menses (199) vel hebdomadas vel a viris laicis (non iuratis) vel feminis *saecularibus* confectae (200), vel panis et vinum, quibus *prohibita materia* fuerat admixta (201).

De *forma* quoque non solum *essentialia* verba consecrationis sunt servanda, sed etiam alia, quae pro diversitate rituum ad *licitam* consecrationem sunt graviter praescripta (202).

98. Praeter *ritus substantiales* iure divino institutos (203) in celebratione Missae observandae sunt omnes *caeremoniae* ab Ecclesia catholica per rubricas *vere praescriptae* (204) pro diversitate *liturgiarum* sive *rituum* (205). Quae exacta observantia exigit, ut

188, 189, 208 (de forma *rotunda* hostiae et modo conficiendi) iunct. S. R. C. in caus. Imol. 26 Apr. 1834: « *Servetur consuetudo* » i. e. imaginem Crucifixi hostiis imprimendi; *Card. Hergenroether* l. c. p. 175; *Thalhofer* l. c. p. 137 sq.

(199) S. R. C. in caus. Gandav. 16 Dec. 1826 ad prim. f. m. iunct. Ritual. Rom., De ss. euch. sacram. pr.; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 347 cum S. Carlo statuit, ut hostiae consecrandae nunquam plus quam viginti dies a sua confectione habeant. Quodsi ex severiore praxi Ecclesiae orientalis *singulis* diebus hostiae dicuntur conficiendae, nisi necessitas excuset usum hostiarum a duobus vel tribus diebus coctarum (cfr. Synod. Sciarf. a. 1888 p. 68; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 191), id ex faciliore corruptione panis *fermentati* est explicandum et ad hostias latino more confectas, quae « *per integram hebdomadam* » commode reservari possunt, extendi nequit.

(200) Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85 sq.; Mont. Liban. (a. 1736) l. c.; Collect. Lac. t. III col. 226, 562; t. V col. 851; *Thalhofer* l. c. p. 139 sq. 143 sq.

(201) Cfr. S. C. de Prop. F. 22 Iun. 1633; Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 3; *Cardin. Hergenroether* l. c. de abusu hostiis *consecratis* vel *consecrandis* quandoque in Ecclesia orientali apponendi *oleum,* cum ibidem v. g. apud Syros in conficiendis hostiis exigua admixtio *salis* sit praescripta (Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85 sq.), apud Maronitas vero (cfr. Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 191) interdicta. Vino consecrando praeter modicissimam illam partem aquae solummodo potest addi *alcool* in casibus specialiter permissis et forma legitima servata. Cfr. S. C. Inq. 4 Mart. 1887, 25 Iun. 1891 5 Augusti 1896.

(202) Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 196 sq. iunct. col. 439 sq. 551, 584; Synod. Sciart. (a. 1888) l. c. p. 89 sq.

(203) Cfr. *theologos* dogmaticos, ubi disputant de partibus essentialibus et integrantibus sacrificii Missae v. g. *Lugo* l. c. disp. 19 et *Gasparri* l. c. n. 23 sq. iunct. *Wernz* l. c. t. III n. 318 sq.

(204) Cap. 4, 5 X. de celebr. III 41; Conc. Trid. Sess. XXII doct. cap. 4, 5 can. 6, 7, 9 et decr. de observ.; Bened. XIV Const. « *Accepimus* » 16 Iul. 1746 § Itaque; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 108 sq.; *Schmalzgr.* l. III t. 41 n. 48; *Gasparri* l. c. n. 840 sq.; *Wernz* l. c. n. 341 sq.

(205) Sacerdos catholicus in ecclesia alterius ritus a Sede Aportolica approbati Missam celebrare generali lege non prohibetur, dummodo ritum *sibi*

non solum caeremoniae in Missa fiant *modo praescripto* (206), sed etiam per *omissionem* vel *additionem* (207) vel *interruptionem* (208) non immutentur, nisi agatur de casibus a iure vel ex privilegio exceptis (209).

Quae sint *singulae* illae caeremoniae ab initio usque ad finem privatarum vel solemnium Missarum, ex fontibus liturgicis v. g. ex Missali Romano atque doctrina probatorum rubricistarum est eruendum (210).

99. *Utensilia* ad celebrationem Missae requisita infra h. tom. IV, sub propria rubrica *de sacra supellectili* exponuntur, ideoque ad illum locum ad vitandas inutiles repetitiones est remittendum.

CAPUT II

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

(In Decret. Lib. III, tit. 41 de celebr. miss. et *sacramento eucharistiae* (211), tit. 44 de custod. eucharist.)

100. Fontes: Decret. Grat. c. 1 sq. D. I. de con.; c. 13 sq. D. V. de cons.; alii fontes cit. h. tit. cap. 1, — Bened. XIV. Const. « *Certiores effecti* » 13 Nov. 1742, const. « *Quadam* » 24 Mart. 1756.

---

proprium servet, nisi specialis quaedam exceptio sit statuta de iure sese accommodandi *alieno* ritui. Cfr. Pii V Const. « *Providentia* » 21 Augusti 1566; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 10, 16 et Const. « *Allatae* » 26 Iul. 1756 § 35; Collect. Lac. t. II col. 190, 562 sq.; S. R. C. in caus. Novarien. 24 Febr. 1890; *Card. Hergenroether* l. c. p. 176 sq.; *Gasparri* l. c. n. 842.

(206) Missale Rom., Rubricae gener., Rit. servand., De defect.; *Wernz* l. c. t. III n. 495 sq.

(207) Conc. Trid. Sess. VII doctr. de sacr. in gen. can. 13; Analect. eccles. t. VIII p. 184 sq.

(208) Cfr. c. 2 Conc. Tolet. VII (a. 646) et c. 14 Conc. Tol. XI (a. 675) = c. 16, 15 C. VII q. 1; c. 14 Conc. Roman. (a. 743) = c. 56 D. I de consecr.; Missale Rom., De defect. VIII n. 5, X. n. 2, 3.

(209) Cap. 18 de sent. excum. V, 11 in Sext.; Missale Rom. l. c.; S. R. C. 27 Aug. 1894 et 5 Iun. 1696; *Thalhofer* l. c. t. II p. 123 sq.; *Gasparri* l. c. n. 943.

(210) *Thalhofer* l. c. t. II p. 39 sq.; *Gasparri* l. c. n. 883 sq.; *Duchesne* l. c. p. 153 sq.

(211) Cfr. fontes de *sacrificio* Missae: in cap. praeced.

Scriptores: Comment. Iur. Decret. in cit. tit. — *Zech*, De iure rer. eccl. sect. 2, tit. 4 de euchar. sacram.; *Devoti*, Inst. canon. l. II, t. 2, sect. 3, de eucharistia; *Hinschius*, Syst. d. k. K. t. IV. p. 63 sq. — *Gasparri*, De sanctiss. euchar. n. 1066 sq. de sanctiss. commun.; alii scriptores cit. h. t. III. n. 524 et theologi l. c. not. 5; *Ferraris*, Bibl. v. Communio; *Maier*, D. Litur. Behandl. d. Allerch.; Kirchenlex. v. v. Altarsakr., Communion. — *Thomassin*, Vet. et nov. Eccl. disc. P. I, l. 2, cap. 83, n. 6 sq.; *Duchesne*, Les origines du culte chrétien p. 303 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Communicanten, Communion, Eucharistie; *Corblet*, Histoire... du sacr. de l'Euchar.; *Hoffmann*, Gesch. d. Laienkommunion.

Praenotiones

101. I. **Connexio materiae.** Fideles postquam renati per baptismum atque confirmati chrismate salutis facti sunt « *pleni christiani* », optimo iure etiam ad sacram communionem admittuntur. Idcirco ex antiqua Ecclesiae praxi non solum adultis, sed haud raro etiam parvulis immediate post baptismum et confirmationem sacramentum quoque eucharistiae fuit administratum (212). Ordo igitur *logicus* congruit ordini *historico*, si post disputationem de baptismo et confirmatione disseratur de sacramento eucharistiae, quatenus a fidelibus recipitur in sancta communione.

II. **Definitio.** Sacramentum *eucharistiae* est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animae refectionem sive alimoniam a Cristo Domino institutum (213).

III. **Divisio.** Communio eucharistica (214) distinguitur:

a) In *sacramentalem* et *spiritualem* (215). Illa consistit in vera et reali receptione sacrosancti eucharistiae sacramenti; haec est *de-*

(212) *Duchesne* l. c. p. 308 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 76 sq.; Collect. Lac. t. II col. 29 sq. 120, 200 sq. 414, 442, 509.

(213) Cap. 1 § 3 X. de summ. Trin. I, 1; Conc. Trid. Sess. XIII, XXI, XXII; Catech. Rom. P. II c. 4 n. 1 sq. De nominibus, existentia, essentia, partibus constitutivis, unitate sacramenti eucharistiae consulendi sunt theologi v. g. *Franzelin*, De s. euchar.; *Pesch* l. c. t. VI n. 750 sq. 785; *Schanz* l. c. p. 318 sq.

(214) Praeter communionem *eucharisticam*, quae per excellentiam vocatur communio (*κοινωνία*), aliae quoque in foro ecclesiastico distinguuntur *communiones* haud raro addito nomine magis declaratae v. g. communio clericalis, communio *laica*, communio *peregrina*. Cfr. can. 1, 28 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 155, 167; *Kober*, D. Suspens. p. 8 sq., D. Deposit. p. 41 sq. 56 sq.

(215) Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 8 (de usu admirabilis huius sacramenti); *Gasparri* l. c. n. 1067; *Pesch* l. c. n. 826.

siderium recipiendi eucharistiam sive Christum sub speciebus sacramentalibus ex *viva* fide procedens.

b) Communio vero *sacramentalis* subdividitur in *simplicem* sive ordinariam et in *viaticum*, in *praescriptam* sive ex lege ecclesiastica vel regula impositam v. g. com. paschal. et in *liberam*, in *solemnem* vel publicam et *privatam*, in communionem *intra Missam* et in *ecclesia* et *extra Missam* vel *ecclesiam* receptam. Quae subdivisiones praesertim in disputationibus *canonicis* haud raro usum habent practicum.

102. IV. **Notae historicae**. Quae *revelatio divina* de eucharistia nobis manifestavit, id theologi dogmatici in propria provincia colligunt ex sacra scriptura et traditione divina et explicant disquisitionibus speculativis. At non pauca in sacrosancto eucharistiae sacramento sunt attendenda, quae nequaquam nituntur *revelatione Christi iureque divino*, sed *legibus disciplinaribus Ecclesiae* vicissitudinibus et mutationi obnoxiis. Quare etiam de eucharistiae sacramento amplus patet campus disputationibus *historicis* et *canonicis*. Cuius rei exemplum est imprimis ipsa *materia remota* eucharistiae. Quamvis enim negari non possit *panem triticeum* esse materiam huius sacramenti, tamen non levis est varietas *disciplinae* antiquae et novae de pane *azymo* et *fermentato* (216). Neque dubium existit,

(216) Cfr. c. 23 Conc. Hippon. (a. 393); c. 4 Conc. Aurel. IV (a. 541); c. 2 Conc. Bracar. (a. 675); cap. 5 epist. Leon. IX ad Michael. Cer. et Leon. Acrid. iunct. *Hefele* l. c. t. IV p. 766 sq.; c. 1-5 D. II de cons.; cap. 1 § 3 X. de sum. Trin. I 1; cap. 6 § 1 X. de celebr. III 41 (Innoc. III a. 1202); Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 4; Collect. Lac. t. II col. 30 sq. 187 sq. 191 sq. 502; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85 sq.; *Devoti* l. c. § 44 not. 2. Qua in re dubium solidum moveri nequit contra opinionem, quae tenet Christum Dominum in ultima coena consecrasse panem *azymum*. Cfr. Matth. XXVI 17; Marc. XIV 12; Luc. XXII 7. Quare iam exinde vigens praxis Ecclesiae latinae consecrandi panem azymum optime commendatur. Neque quidquam mirum est, quod Latini saepe non contradicentibus ipsis Graecis in favorem suae disciplinae provocarint ad traditionem apostolicam. Quodsi doctores quidam scholastici putarunt Ecclesiam ab initio adhibuisse panem azymum, deinde contra errores Ebionitarum introduxisse usum panis fermentati, atque illa haeresi exstincta denuo rediisse ad antiquam disciplinam, huiusmodi opinio, ut recte monet *Devoti* l. c., « *nullum habet idoneum fundamentum* » neque documentis historicis comprobatur. Ex tribus sententiis de antiqua praxi ecclesiae occidentalis est opinio *Sirmondi* scl. Latinos usque ad saeculum nonum consecrasse panem *fermentatum*. *Bona* quoque modum excedere videtur, si tenet Latinos *utrumque* panem *promiscue* et *licite* adhibuisse. Praeferenda igitur est sententia *Mabillonii*, qui stat pro perpetuo et *ordinario* usu azymorum apud Latinos et praesertim in Ecclesia Romana.

quin vino admisceri possit et debeat *modicissima* pars aquae; at illa admixtio ex antiquissima traditione nititur *lege mere ecclesiastica* (217). *Verba* quoque *formae* etsi in *substantialibus* sunt certa iureque divino definita, tamen in *accidentalibus* admittunt varietatem pro diversitate rituum, qui ex *praecepto Ecclesiae* nec per diminutionem vel additionem vel qualemcumque mutationem sunt violandi (218). Quodsi iure divino nequaquam est praescripta communio sub *utraque specie*, documenta historica magnam suppeditant varietatem *disciplinae* in sumenda eucharistiae *sub una* vel sub *utraque specie* (219).

Similiter de ministro *conficiendae* eucharistiae capaci nonnisi per errores dogmaticos potuit induci varietas (220); at nihil obstabat, quominus Ecclesia pro diversitate temporum magis minusve extenderet *ius licitae distributionis* sacrae communionis (221).

(217) Cfr. cit. text. in not. 6 h. tit.; cap. 13 X. de celebr. III 41; Conc. Trid. Sess. XXII doct. cap. 7 can. 9; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 192 sq., ubi tantum heterodoxi quidam Armenii commemorantur, « *qui vinum purum sine aqua offerunt* »; at iam Conc. Trull. (a. 692) c. 32 Armeniis sub poena depositionis hanc praxim prohibuerat; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 88 sq.; *Devoti* l. c. § 45.

(218) Cap. 6 pr. X. de celebr. III 41; Decret. pro Armen. iunct. *Hefele* l. c. t. VII p. 728, 736, 740 sq.; Pii VII Const. « *Adorabile* » 8 Maii 1822; Collect. Lac. t. II col. 196 sq. 439 sq. 584; cit. Synod. Sciarf. p. 89 sq.; *Devoti* l. c. § 46.

(219) Primis saeculis fideles regulariter sub utraque specie sacram communionem receperunt. Qui mos optimo iure severe fuit inculcatus contra Manichaeos, qui ob suas haereticas doctrinas communionem etiam sub specie vini repudiarunt. Cfr. Gelas. I in c. 12 D. II de cons. Ex saeculo duodecimo invaluit praxis in Ecclesia latina sub sola specie *panis* fidelibus administrandi sacramentum eucharistiae. Cum saeculo decimo quarto orti essent errores Wikleffi et Hus, Ecclesia in Concilio Constantiensi Sess. XIII 15 Iun. 1415 morem receptum per modum *legis* praescripsit atque errores dogmaticos huic praxi oppositos condemnavit. Cfr. *Hefele* l. c. t. VII p. 173 sq. 143 Concilium quoque Tridentinum Sess. XXI doctr. cap. 1, 2 can. 1, 2, 3 reiectis erroribus pseudoreformatorum eandem disciplinam ratam habuit, qua Ecclesia *occidentalis* etiam nunc utitur. At pleraeque Ecclesiae *orientales* (non omnes) salva fide antiquum morem communicandi sub utraque specie usque ad nostram aetatem retinuerunt. Cfr. Collect. Lac. t. II col. 199 sq. 206, 513; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 95 sq.; *Heuser* in Kirchenlex. v. Communion n. V, VI; *Gasparri* l. c. n. 1175 sq.; *Devoti* l. c. § 51 not. 7.

(220) Cfr. c. 15 Illiber. (a. 300-306); c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 213 sq. 423 sq.

(221) *Tertullian.*, Ad uxorem cap. 2; *S. Cypr.*, De lapsis cap. 26; *Eusebius*, Histor. eccles. l. VI cap. 44; Innocent. I ad Decent. Eugub. Episc. cap. 5; c. 38 stat. Eccles. antiq.; c. 58 Conc. Trull. (a. 692); c. 29 t. II de cons.; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 270 sq. 198, quae docet in Ec-

Denique salvis praeceptis *divinis* de *obligatione* ad recipiendam sacram communionem, non levis existit varietas disciplinae circa practicam observantiam et obligationem ex praecepto *ecclesiastico* suscipiendi sacramentum eucharistiae. Nam primis temporibus religionis christianae fideles, qui sacrificio Missae intererant, etiam eucharistiam accipiebant. Inde orta est praxis quotidie aut saltem ter vel quater in hebdomada scl. die dominica, feria IV et VI, et etiam sabbato ad sacram mensam accedendi, si singulis diebus Missa fuit celebrata (222). At refrigescente christianorum caritate frequens illa communio in praxi cessavit. Quare fideles *legibus ecclesiasticis* fuerunt adacti, ut saltem ter in anno scl. in natali Domini, in paschate, in pentecoste acciperent eucharistiae sacramentum (223). Postea Innocentius III in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) illam obligationem ita reduxit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenisset, « *ad minus in pascha* » eucharistiae sacramentum reverenter susciperet (224). Cum Eugen. IV Const. « *Fide digna* » 8 Iul. 1440 tempus paschale accuratius definivisset, Patres Tridentini Sess. XIII doctr. can. 9 decretum Concilii Lateranensis IV denuo confirmarunt. Qua disciplina etiam nunc in Ecclesia latina utimur, a qua Ecclesiae orientales non solent esse alienae. Imo Synodus Montis Libani (a. 1736) statuerat, ut fideles praeter pascha etiam in natali Domini et in festo SS. Petri et Pauli *tenerentur* (sed sine poena interdicti, ut in paschate) recipere sacram communionem (225).

De subiecto ex iure divino *capaci* ad eucharistiae sacramentum inter Ecclesiam latinam et orientalem non fuit dissidium. Hinc primis saeculis apud Latinos et Graecos vigebat consuetudo etiam infantibus statim post baptismum et confirmationem concedendi eucha-

---

clesia orientali diaconis ampliorem competere facultatem distribuendi eucharistiam, quam in Ecclesia occidentali, ubi id nonnisi ex necessitate et legitimo mandato sit permissum; *Schanz* l. c. p. 418 sq.

(222) Act. Apost. II, 46; *Tertullian.*, De orat. cap. 19, De idol. cap. 7; S. Cyprian. in epist. 58; c. 10 Apost. iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 803; c. 2 Conc. Antioch. (a. 341); *S. Basil.* in epist. (93) ad Caesariam; *S. Hieronym.* in epist. 30, 52, 54. Cfr. *Devoti* l. c. § 50; *Heuser* l. c. n. VII; *Schanz* l. c. p. 420 sq.

(223) Cfr. c. 18 Conc. Agath. (a. 506) = c. 19 D. II de cons.; cap. 50 Conc. Turon. (a. 813); c. 13 Conc. Tolosan. (a. 1229); c. 29 Conc. Albien. (a. 1254); c. 6 Conc. Tarracon. (a. 1317).

(224) Cap. 12 X. de poenit. V, 38 = cap. 21 Conc. Later. IV (a. 1215).

(225) Collect. Lac. t. II col. 221 sq. 224.

ristiam (226); item parvuli quoque innocentes tum in Oriente tum in Occidente participes facti sunt eucharistiae, si multae supererant particulae eucharisticae (227). A qua praxi Latini certe iam saeculo duodecimo recedere coeperunt et multo magis ex saeculo decimo tertio (228); Graeci vero quamvis diutius communionem infantium retinerent, tamen paulatim *magna ex parte* etiam ex iuris dispositione v. g. in Italia, apud Maronitas, Syros secuti sunt disciplinam Ecclesiae Romanae (229).

Christus Dominus, qui Apostolis *non ieiunis* distribuit sacram communionem, sane nullum dedit praeceptum divinum a solis fidelibus ieiunis digne et reverenter eucharistiam esse sumendam neque Ecclesiae negavit potestatem stabiliendi legem *ordinariam* ieiunii ante sacram communionem. Quae lex ieiunii haud sine fundamento ad apostolicam institutionem et traditionem revocatur; at exemplum Christi Domini in ultima coena effecit, ut praeter casus etiam nunc ab illa lege ieiunii exceptos alii quoque admitterentur. Qua ratione v. g. in ecclesiis quibusdam saltem *feria quinta* hebdomadae maioris eucharistia a fidelibus *non ieiunis* sumi consuevit (230). *Infantes* quoque, quibus ex antiqua consuetudine sacramentum eucharistiae fuit administratum, rigido ieiunio non erant subiiciendi (231). Quae consuetudines singulares iam pridem in desuetudinem abierunt novisque Ecclesiae legibus omnino sunt abrogatae (232).

Disquisitiones historicae de *ritibus formisque accidentalibus, loco*

---

(226) *S. Cyprian.*, De lapsis cap. 25; Innoc. I (a. 417) in epist. ad Conc. Milevit.; *Devoti* l. c. § 48; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 12 n. 1.

(227) Cfr. c. 6 Conc. Matiscon. II (a. 585); cap. 19 Conc. Turon. (a. 813); Conc. Trid. Sess. XXI doctr. cap. 4.

(228) Cfr. c. 3 Conc. Trevir. (a. 1227); c. 5 Synod. Burdig. (a. 1255); Conc. Trid. l. c.

(229) Cfr. respons. Armenior. (a. 1342) ad 58 iunct. *Hefele* l. c. t. VI p. 653 sq.; S. C. de Prop. F. 5 Apr. 1729 in Collect. Lac. t. II col. 442; S. C. Inquis. 14 Iun. 1741 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 713; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 2 VII; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 120, 200 sq. 414 iunct. 29 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 91 sq.

(230) Cfr. c. 28 Conc. Hippon. (a. 393) = c. 49 D. II de cons.; c. 54 D. II de cons. (S. August.); cit. c. 6 Conc. Matisc. II (a. 585); *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VI cap. 8 n. 10; *Devoti* l. c. § 49. Cfr. c. 13 Conc. Nicaen. (a. 325) de viatico iunct. *Hefele* l. c. t. I. p. 417.

(231) *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VI cap. 8 n. 4; cit. c. 6 Conc. Matisc. II (a. 585) de *parvulis* a ieiunio *non* exceptis.

(232) Nicolaus I in resp. ad consulta Bulgar. (a. 866) n. 65; Conc. Constant. Sess. XIII, 15 Iun. 1415 iunct. *Hefele* l. c. t. VII p. 173 sq.

et *tempore* distributionis sacrae communionis etsi in non paucis demonstrant congruentiam disciplinae antiquae et novae v. g. in ordine externo sive praecedentia personarum (233), quoad locum clericis (ad altare) et laicis (extra chorum) praescriptum (234), tamen etiam suggerunt praxes iam diu antiquatas vel saltem non leviter immutatas. V. g. sacra eucharistiae particula tradebatur in communicantis fidelis *manum*, quae a mulieribus saltem in Occidente fuit *linteolo* tegenda (235); Latini nunc regulariter utuntur forma *deprecativa* Ecclesiae Romanae: Corpus D. N. etc., quae aliquantulum discrepat ab antiquiore formula: Corpus (sanguis) Christi. Amen (236). Porro in Ecclesia Rom. certe iam saeculo nono in *parasceve* Domini nemo sacram communionem recipere potuit, ut testatur *Amalarius*, De eccles. off. l. I c. 15, in aliis vero regionibus etiam post saeculum nonum vigebat contraria praxis (237). At cum ex saeculo decimo tertio magis divulgaretur disciplina mane *extra Missam* fidelibus bene valentibus concedendi sacram communionem, distributio eucharistiae in *domibus privatis* in dies ad angustiores limites redacta est (238).

§ 1. - DE MINISTRO ET SUBIECTO SACRAE COMMUNIONIS

103. I. **Capax minister** sacramentum eucharistiae *conficiendi* est *solus* sacerdos, qui rite fuerit ordinatus (239). Pariter solus sa-

(233) Cfr. c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 423 sq.
(234) Cfr. c. 4 Conc. Turon. (a. 567); c. 18 Conc. Tolet. IV (a. 633); c. 69 Conc. Trull. (a. 692) iunct. *Theodoret.*, Histor. eccl. l. V cap. 18 et *Hefele* l. c. t. III p. 339 not. 2; cap. 1 X. de vit. III 1 iunct. Rit. Rom. (de sacram. euchar., ordo ministr. sacr. com.); *Devoti* l. c. § 51 not. 3.
(235) *S. Cyprian.*, De lapsis cap. 25, 26; *S. Cyrill. Hier.* in catech. 21, 23; c. 36, 42, Conc. Antissiodor. (a. 585); c. 101 Conc. Trullan. (a. 692); c. 2 Conc. Rothomag. (c. a. 650-880) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 96 sq.; Synod. Cordub. (a. 839) contra Casianos volentes eucharistiam propria manu recipere iunct. *Hefele* l. c. t. IV p. 99; *Devoti* l. c. § 51 not. 6.
(236) *Euseb.*, Histor. eccl. l. VI cap. 43; c. 2 cit. Conc. Rothomag.; *Devoti* l. c. § 51 not. 1.
(237) Capit. *Theodulphi* Ep. Aurel. cap. 41; *Thomassin.* l. c. P. I l. 2 cap. 83 n. 6; *Muehlbauer*, Decr. auth. C. S. R. t. III p. 564 sq.
(238) *S. Cypr.*, De lapsis cap. 26; *S. Basil.* in ep. (93) ad Caesariam; c. 14 Conc. Tolet. (a. 400); Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 VII; *Schanz* l. c. p. 419.
(239) Cfr. c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 15 Conc. Arelat. (a. 314) iunct.

cerdos, qui Missam celebrans seipsum communicat, vi ordinationis presbyteralis ex iure divino habet *principalem* et ordinariam *potestatem ordinis* ad *distribuendam* sive ministrandam *etiam aliis* omnibus fidelibus sacram communionem (240). *Diaconus* quoque vi ordinationis diaconalis consequitur potestatem quandam distribuendi eucharistiam, sed *secundario* tanquam *minister* sacerdotis ex eiusdem commissione (241). Alii *inferiores clerici vi suae ordinationis* potestatem dispensandi eucharistiam non obtinent multoque minus laici vel feminae omni ordinatione carentes (242).

II. Quae potestas *ordinis* ad *distribuendam* eucharistiam cum quoad **legitimum exercitium** *iurisdictioni ecclesiasticae* sit subiecta, ex statuto Ecclesiae *licite* et *ordinarie* exerceri potest a solis *sacerdotibus*; ab iis autem *omnibus* libere exercetur intra missam privatam et etiam proxime ante et statim post erga *omnes* accedentes quovis loco legitime celebretur, etiam in privato oratorio, nisi hoc *in casu particulari* Ordinarius prohibuerit, non arbitrarie, sed *iustis de causis* casum illum particularem respicientibus, (can. 846, 869); nec amplius est restrictum hoc exercitium ad personas sacerdoti *ex officio* seu iure *ordinario* aut per delegationem legitimam subiectas (243). Porro etiam extra missam erga quoslibet quivis sacer-

---

Hefele l. c. t. I p. 213 sq. 423 sq.; cap. 1 § 3 X. de sum. Trinit. I 1 (Conc. Later. IV a. 1215); Collect. Lac. t. II col. 197 sq.; *Schmalzgr.* l. III t. 41 n. 10.
(240) Cfr. c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325); Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 8; *Suarez* De eucharistia disp. 72 (38) sect. 1 n. 1 sq. 4 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1068; *Hefele* l. c. p. 425 sq.
(241) Stat. Eccl. antiq. c. 38; c. 15 Conc. Arelat. II (a. 443-452); Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 271 iunct. col. 198; *Suarez* l. c. n. 2, 6 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1079; Infra hoc tom. ubi de sacr. ordinis.
(242) Cfr. c. 25 Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 16 D. 93 iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 766; *Gasparri* l. c. n. 1080; — Quodsi *Hinschius* l. c. t. IV p. 64 « *non solum clericis, sed etiam laicis* » dicit competere habilitatem administrandi sacram eucharistiam, non satis distinguit ministrum *publicum* vi ordinationis specialiter *consecratum* a simplice mandatario vel portatore huius permanentis sacramenti in casu necessitatis. Cfr. *Suarez* l. c. n. 3, 6 sq. 10; *Pesch* l. c. t. VI n. 229.
(243) Ex principiis iuris praecedentis competentia de se habebatur in *subditos* sive ordinaria sive delegata. Cfr. cap. 12 X. de poenit. V, 38; cap. 1 pr. de priv. I, 7 in Clam.; *Suarez* l. c. sect. 2 n. 1 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1070 sq.; *Piat* l. c. t. II q. 283 sq. Quae potestas competebat omnibus *Episcopis residentialibus*, *parochis* aliisque *ex officio* curam animarum exercentibus in territorio sibi assignato etiam quoad extraneos et peregrinos, dummodo aliunde nihil obstaret. Cfr. c. 7 Conc. Carthag. (a. 345-348) de litteris testimonialibus

dos eadem libera facultate pollet ex licentia saltem *praesumpta* rectoris ecclesiae, si sacerdos ecclesiae sit extraneus (can. 846). *Extraordinarie* vero etiam in consueta forma liturgica a *diaconis* rite deputatis licite exercetur facultas sacram communionem dispensandi, si in casu *necessitatis* (gravis, non extremae) aut ob aliam causam gravem licentiam obtineant a parocho vel Episcopo, quam in casu necessitatis legitime praesumere possunt (can. 845, § 2) (244). Quae licentia ad liturgicam eucharistiae distributionem aliis infe-

---

olim a peregrinis exhibendis. Quare cum ex disciplina praxi ipsa introducta fidelibus quoad recipiendam sacram communionem *simplicem* per diversas ecclesias etiam regularium, excepta tamen dominica paschatis (cfr. *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. IX cap. 16 n. 3 sq.) maxima relicta esset libertas, *competentia exclusiva* parochi restringebatur ad communionem *paschalem* et sacram communionem *extra* ecclesiam praesertim per modum *viatici* distribuendam *exceptis* personis, quae saltem hac in re a iurisdictione parochorum habebantur exemptae, velut familiares domestici vel pauperes *degentes* in monasteriis vel hospitalibus exemptorum regularium (cfr. cap. 1 § 2 de priv. in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 1 de ref., Sess. XXV cap. 11 de reg.; S. C. C. 25 Ian. 1738, 27 Sept. 1670; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 55 n. 7) aliique privilegiati sive specialibus indultis Sedis Apostolicae sive concessione Episcopi dioecesani v. g. Tertiarii collegialiter viventes; item pueri vel adolescentes, qui educationis et studiorum causa in propriis collegiis regularium exemptorum degerent, iam propter *privilegiorum* apostolicorum *communicationem*. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1073 sq.; *Piat* l. c. q. 286 sq. Inde paulatim factum est, ut ex consuetudine universaliter recepta quilibet sacerdos celebrans legitime admissus etiam haberet licentiam *in ecclesia* fidelibus *suae Missae* assistentibus dispensandi sacram communionem. Quae licentia nisi speciatim exprimeretur, non comprehendebat facultatem administrandi eucharistiam *extra* ecclesiam in territorio parochiae praesertim in forma quadam publica et solemni vel per modum viatici praeter casum necessitatis. Quae privativa in hac parte facultas ita urgebatur, ut si sacerdotes religiosi *praesumerent clericis* vel *laicis* extra casum *necessitatis* sacramentum extremae unctionis aut eucharistiae per *viaticum* ministrare absque parochi *licentia*, ipso facto incurrerent excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam. Cfr. cit. cap. 1 de priv. in Clem. iunct. Pii IX Const. « *Apost. Sed.* »; *D'Annibale*, Comment. in Const. *Ap. Sed.* n. 145 sq.; *Hollweck* l. c. p. 334 sq.; *Piat* l. c. q. 292 sq. *Alii* autem sacerdotes, qui ius parochorum invaderent hanc *censuram* non incurrebant nec alias poenas in iure *expresse* statutas. Denique fixa iurisprudentia effectum iam erat, ut non admitteretur privativa competentia parochorum admittendi pueros et puellas ad *primam* communionem etiam in forma *privata*. (Cfr. *Bouix*, De iure regul. t. II p. 209 sq.; *Piat* l. c. q. 288; *Scherer* l. c. t. II p. 663 not. 34); at laudabiles consuetudines iure particulari confirmatae, quae illi parochorum competentiae faverent, non erant nec temere negligendae nec nimium urgendae. Cfr. S. C. de Prop. F. 6 Iunii 1839 in cit. Collect. n. 727; *Gasparri* l. c. n. 1171.

(244) Cfr. Stat. Eccles. antiq. can. 38 = c. 18 D. 93 iunct. S. R. C. 25 Febr. 1777, 14 Aug. 1858 ad 1; *Schmalzgr.* l. c. 11 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1079, 1103; *Wernz* l. c. t. III h. tit. not. 11.

rioribus clericis etiam in gravi necessitate dari nequit, nisi a Rom. Pontifice; at in casibus *extremae necessitatis* ab ipsa S. C. de Prop. F. 21 Iul. 1841 et probatis doctoribus merito exceptis, pro more antiquo *simplex delatio* eucharistiae per clericos inferiores vel laicos v. g. ad confessores fidei in carcere detentos servatis servandis non est prohibita (245).

Qui ministri ordinarii vel extraordinarii etiam aliunde ex ordinatione idonei, sunt ministri omnino *illegitimi* et ab administranda sacra communione *prohibentur*, si *censura* per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam sint ligati, nisi agatur de viatico infirmo ministrando, et alius sacerdos vel diaconus desit; secus etiam incurrunt irregularitatem (246).

Ex dictis de facultate a iure facta sacerdotibus ministrandi privatim S. Communionem, infertur practice nullam requiri iurisdictionem aut externam potestatem ad instar potestatis paroecialis ad talem privatam administrationem, licet principia iuris praecedentis expresso modo non fuerint mutata. Et certe privata administratio sive cum missa coniuncta sive a missa separata in ecclesia vel oratorio, ubi legitime Eucharistia servatur, non recensetur inter functiones parocho reservatas (can. 462), ideoque ab eo est independens et libera.

104. III. **Obligati** ministri ad eucharistiae *dispensationem* sunt omnes sacerdotes, qui ex officio obligantur ad curam animarum velut *Episcopi, parochi, Superiores regulares,* et a quibus fideles *subditi* pro suo iure *rationabiliter* petere possunt administrationem sacramentorum. Reliqui sacerdotes, qui officium curatum non habent, *ex caritate* praesertim in articulo mortis eucharistiam dispensare debent, nisi ex gravi incommodo excusentur (247).

105. Quoad delationem publicam communionis extra ecclesias, haec delatio aut fit *a)* ad infirmos qui communionem in ecclesia

---

(245) Cfr. c. 45 Conc. Paris. (a. 829); c. 29 D. II de cons.; c. 7 Conc. Londin. (a. 1138); Collect. S. C. de Prop. F. n. 728; *Suarez* l. c. disp. 72 sect. 1 n. 10; *Gasparri* l. c. n. 1080, 1081; *Devoti* l. c. § 47 not. 2.

(246) *Gasparri* l. c. n. 1083. De ipsa regularitate inferius, ubi de ordine. Num et quando sacerdos, diaconus, clericus inferior aunt laicus possit Eucharistiam sibi ministrare cfr. quod *Cappello* l. c. n. 337 sq. allegat.

(247) *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 19 n. 6 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1082. Cfr. quoque Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 551.

recipere non possunt, aut *b)* ad infirmos in periculo mortis constitutos per modum viatici.

De qua delatione extra ecclesias ad infirmos in propria ipsorum domo communicandos, praesertim per modum viatici, valet principium: ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. *Publica* delatio est illa quae describitur in Rit. Rom. Tit. IV, c. 4, a n. 10 ad 28; privatae vero delationis forma ibidem n. 29 describitur.

Ad parochum intra suum territorium pertinet: *a)* sacram communionem *publice* ad infirmos etiam non paroecianos *extra ecclesiam* deferre (can. 848, 1), et haec publica administratio inter paroeciales functiones recensetur canone 462, 3°; *b)* parocho quoque exclusive competit deferre sive *publice* sive *privatim* communionem per modum viatici ad moribundos (can. 850) cum pluribus tamen exceptionibus v. gr. de Rectore Seminarii, de confessario monialium, de Superiore religioso in religione clericali, de capellano cui commissa est spiritualis cura familiae religiosae aut piae domus, de viatico Episcopo ministrando. — Quoad hanc publicam ad infirmos delationem communionis etiam per modum viatici, ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis, aut extra casum necessitatis de licentia *saltem praesumpta* parochi vel Ordinarii (can. 848, § 2), sublata per Codicem odiosa censura lata in regulares, qui extra casum necessitatis sine parochi licentia praesumerent clericis aut laicis Viaticum aut Extremam Unctionem ministrare.

At communionem **privatim** ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta (non parochi aut Ordinarii), sed sacerdotis, cui custodia Sanctissimi Sacramenti commissa est, servata forma quae pro privata delatione praescribitur in Rituali (can. 849) (248). Pariter sublata est prohibitio ne Regulares

(248) Si facta est quaestio, quis debeat iudicare de existentia iustae et rationabilis causae *suadentis* ut communio privatim ad infirmum deferatur; imprimis non ponitur hic quaestio de communi et generali usu vel praxi in aliquo loco adhibenda, pro qua generali praxi inducta vel inducenda causa debet esse iusta et rationabilis respectu loci vel regionis, ita ut ex ipsa suadendum sit, ut datis loci et temporis circumstantiis, potius quam id quod esset iuris desideratum, ibi adhibeatur generalis praxis ad infirmos communionem privatim deferendi. Iudicium de existentia talis generalis causae evidenter pertinet ad Ordinarium loci, cum ipsa inductio generalis cuiusdam praxis, praesertim iuris desideratis difformis sita ctus gubernationis ad privatos sacerdotes non pertinens. Iam vero nostris temporibus in magnis urbibus modernis, facile Ordinarii

in suis respective ecclesiis communionem dispensent die Paschatis et, Romae, feria V in Coena Domini.

106. I. **Subiectum** iure divino **capax** suscipiendi sacramentum eucharistiae est omnis et solus homo viator et baptizatus etiam infans ante usum rationis, inde a nativitate perpetuo amens (249); at nequaquam *catechumenus*, quippe qui sine baptismo reliquorum sacramentorum recipiendorum nondum est capax (250), neque fidelis iam *defunctus* (251).

II. **Legitimum atque dignum subiectum** eucharistiae est omnis homo iure divino capax *et praeterea* per sufficientem *intentionem* (252) atque immunitatem *animi* a peccato *mortali* (253) et *ieiunium* naturale a media nocte (254) et decentiam *corporis* (255)

videre poterunt, quod, si satis faciendum sit iustae voluntati et desiderio morbo detentorum, sit moraliter impossibile ut sacra communio ad omnes infirmos rationabiliter petentes *publice* deferatur, cum practice sit moraliter impossibile ut consulatur reverentiae et venerationi debitae augustissimo sacramento; et pro Ordinariis exemplo esse poterit praxis Urbis.

Quaestio in casu potius est de singulari quodam infirmo, sive in loco adsit praxis communis delationis publicae, sive potius praxis delationis privatae et occultae. Iam vero huic casui videtur applicandum principium iuridicum quod valet in aliis casibus et materiis; silente lege, ad eum pertinet iudicare de verificato casu (existentia sc. iustae causae), cui pro tali casu datur in iure potestas alia ratione non limitata.

(249) Cap. 3 X. de presbyt. non bapt. III 43; Conc. Trid. Sess. XXI doctr. cap. 4 can. 4; S. C. Inq. 14 Iun, 1741 in Collectan. S. C. de Prop. F. n. 713; Collect. Lac. t. II col. 442; *Lugo* l. c. disp. 13 n. 8 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 14 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1116 sq.

(250) Cit. cap. 3 X. de presbyt.; Decret. pro Armen.; *Lugo* l. c. disp. 13 n. 1 sq.

(251) Cfr. c. 4 Conc. Hippon. (a. 393); c. 12 Conc. Antissiod. (a. 585); c. 83 Conc. Trull. (a. 692) contra abusum mortuis dandi eucharistiam; *Zech* l. c. § 229.

(252) S. C. Inq. 10 Apr. 1861; in Collect. S. C. de Pr. F. n. 734; *Gasparri* l. c. n. 1133.

(253) Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 2, 7 can. 5, 11, unde constat reos peccati *mortalis* sibi per *confessionem* debere antea procurare statum gratiae. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 18; *Gasparri* l. c. n. 440 sq. 1134, 1136, 1162, 1164. Consonat can. 856 ubi obligatio confessionis urgetur etiam in se existimante contritum, salvo casu necessitatis et deficiente copia confessarii. *Hinschius* l. c. IV p. 74, ubi nimis absolute ante communionem paschalem exigit confessionem atque p. 79 sq. non satis distinguit ius commune a iure particulari.

(254) Cfr. *Bened. XIV*, De Synod. l. VI cap. 8 n. 10 sq. 18, ubi refert antiquiora exempla dispensationum, quae Sedi Apostolicae sunt reservatae et ex praxi vigente a S. C. de Sacr. peti et concedi solent v. g. certis personis infirmis

rite dispositus et speciali lege *ecclesiastica* non *prohibitus* (256). A ieiunio tamen naturali datur excusatio ubi mortis periculum urgeat aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum. Quare imprimis in periculo mortis viaticum non ieiuno ministratur. Porro infirmi, qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus autea sumant (can. 858). Ad ulteriorem extensionem facultatis communionem recipiendi, non servato praedicto modo naturali ieiuno, requiritur peculiare indultum. Lex tamen ipsa benigno modo est interpretanda, cum data videatur ut connexa cum decr. « S. Trid. Synod. S. C. C. 20 Dec. 1905 » ad fovendam frequentem atque adeo quotidianam comunionem (257). Arcendi sunt hi, qui communionem eadem die iam receperunt (can. 857), nisi agatur de viatico. Deinde iusta ratione a sacra communione prohibentur omnes *publice* indigni, quales sunt haeretici, schismatici, excommunicati, interdicti manifesto infames (258), publici peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. *Occultos* vero peccatores, si occulte petant, et minister sacramenti nondum emendatos agnoverit, repellat, non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos prae-

---

ad sacram *communionem* recipiendam, non sacerdotibus pro celebratione *Missae*. Cfr. quoque Bened. XIV Const. « *Quadam* » 24 Mart. 1756; *Gasparri* l. c. n. 1127 sq. 425 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 10 sq. Res nunc est multo amplior et S. O. reservata est sola dispensatio pro celebratione Missae; quae Congr. rigorosior est quam S. C. de Sacr. pro non Sacerdote.

(255) S. C. de Prop. F. 18 Oct. 1883 in cit. Collect. n. 742; *Gasparri* l. c. n. 1132.

(256) Collect. Lac. t. IV col. 118; *Gasparri* l. c. n. 1123 sq.

(257) Quare mensis non debet accipi nimis stricto sensu; infirmorum nomine veniunt etiam ii, qui ob senium, debilitatem, infirmam quomodolibet valetudinem, coguntur lecto decumbere; immo etiam hi qui in lecto decumbere nequeunt, aut ex eo aliquibus diei horis surgere possunt (S. C. C. 6 Mart. 1907). Praeterea hi quoque, comprehenduntur, qui in rigore possent surgentes ad propinquam ecclesiam accedere, modo cetera verificentur. His qui habitant in pia domo, praesertim religiosis S. C. de Sacr. largior solet esse in concedenda etiam communione quotidiana ante morbum usitata. Sacr. Congr. S. O., cum primum Missam non ieiuno concederet, solum respiciendo bonum animarum, quibus inservit Missa a non ieiuno celebrata, postea etiam concessit ad privatum bonum et consolationem spiritualem celebrantis, licet criterio multo rigidiore.

(258) Cap. 59 X. de sent. excomm. V 39; cap. 11 X. de poenit. V 38; *Kober*, D. Kirchenb. p. 280 sq.; *Suarez*, De cens. disp. 33 sect. 1 n. 30 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 11 n. 1 sq.

terire nequeat. *Amentes* quoque seu phrenetici a sacra communione sunt arcendi, nisi quando lucida habent intervalla et devotionem ostendunt, dum in eo statu manent, et absit indignitatis periculum (259). Denique *infantes* ex vigente disciplina Ecclesiae *latinae* nequeunt admitti ad eucharistiae sacramentum (260), quamdiu propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent. At, *a*) in *periculo mortis*, ut pueris communio ministrari *possit* et *debeat*, satis est ut sciant corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare (can. 854); *b*) *extra mortis periculum* plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio est exigenda, ea videlicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanct. Eucharistiam accedant. *c*) Porro de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicare pertinet ad confessarium et ad eorum parentes vel qui parentum locum tenent. *d*) Parocho autem incumbit potius officium invigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter indicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum divino Eucharistiae cibo reficiantur (can. 854). Quae Codicis praescripta quoad substantiam desumpta sunt ex decreto « *Quam singulari* » mandato Pii X publicati a S. C. de Sacr. 8 Aug. 1910, quo antiqua controversia penitus dirempta fuit. — Ex memorato can. 854 iunct. can. 462 manifeste infertur, parocho non competere ius proprium et exclusivum pueros ad primam communionem sive privatim sive solemniter admittere; sed ius et officium est quod ipsius esse dicitur can. 854 et quod praeterea in Decr. « *Quam singulari* » n. 5. ipsi vehementer commendatur (261).

107. Communionis frequentia. Quae esset dignitas subiecti ad *frequentem* sacram communionem a confessario *indiscriminatim* nec permittendam nec prohibendam, colligendum erat ex decr. S. C. C.

(259) Cfr. c. 76 stat. Eccl. antiq., ad quem provocat Catech. Rom. P. II cap. 4 n. 69; Rituale Rom. Tit. IV, cap. I n. 10; *Suarez* l. c. disp. 69 sect. 2 n. 5 sq.; *Lugo* l. c. disp. 13 n. 24 sq.; *S. Alph.*, Theol. mor. l. VI n. 302 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1124.

(260) Cfr. supra h. tit. not. 16 sq. 19 de praxi Ecclesiae orientalis.

(261) *Cappello* l. c. n. 529 sq.

12 Februar. 1679 et S. C. Ep. et Reg. 17 Dec. 1890 atque normis a probatis doctoribus theologiae traditis. Cfr. Conc. plenar. Amer. latin. (a. 1899) n. 526; *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. VI cap. 12 n. 4 sq. 6 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1137 sq. Nunc autem, praeter Decr. « *Quam singulari* » de aetate admittendorum ad primam communionem, standum est Decreto « *Sacra Tridentina Synodus* » S. C. C. 20 Dec. 1905 iussu et auctoritate Pii X edito, ex quo omnibus controversiis olim existentibus silentium imponendum est, explicatio vero moralistis est relinquenda (262); cuius Decr. substantiam refert can. 863, hoc pacto: « Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent ».

108. III. **Obligatum subiectum** ad recipiendam sacram communionem ex *lege divina* saltem aliquoties in vita et in periculo mortis est omnis fidelis baptizatus et adultus praeciptique capax nec iure ecclesiastico prohibitus, ut latius exponunt theologi (263). At ex *lege ecclesiastica* (264) etiam nunc vigente *omnis* utriusque sexus fidelis postquam ad *annos discretionis* pervenerit (265), *tenetur* suscipere *reverenter* (266) *ad minus* in *pascha* eucharistiae sacramentum, nisi forte de *proprii sacerdotis* consilio ob aliquam rationabilem causam *ad tempus* ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum (267): cui praecepto annuae paschalis communionis non satis-

(262) *Cappello* l. c. n. 535 sq.

(263) Cfr. c. 13 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 9 C. XXVI q. 6; S. C. de Prop. F. 21 Iul. 1841 in cit. Collect. n. 728; *Suarez* l. c. disp. 69 sect. 1 sq., ubi sect. 3 n. 2 de obligatione *in periculo mortis* modestiores proponit assertiones quam non pauci alii theologi; *Lugo* l. c. disp. 16 n. 1 sq. 33 sq.; *Pesch* l. c. p. 807 sq.; *Bened. XIV,* De Syn. dioec. l. VIII cap. 11 n. 1 sq.; *Devoti* l. c. § 52; *Gasparri* l. c. n. 1142 sq. 1147 sq. 1155.

(264) Cfr. cap. 12 X. de poenit. V 38; Conc. Trid. Sess. XIII doct. can. 9.

(265) Ita can. 859, § 1 ex Conc. Trid. Sess. XXI doctr. cap. 4 can. 4; S. C. de Prop. F. 12 Ian. 1869 in cit. Collectan. n. 737; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 528 sq.

(266) Cfr. prop. 55 damn. ab Innoc. XI, 2 Mart. 1679.

(267) Quod *tempus paschale* a paschate ad pascha, non a prima die adventus vel Ianuarii est computandum, et ex Eugenii IV Const. « *Fide digna* » 8 Iul. 1440 currit a *dominica palmarum* usque *ad dominicam in albis*; quod tempus ab Episcopo *generaliter* pro *tota* dioecesi anticipari vel prorogari non poterat, nisi adesset indultum pontificium vel diuturna consuetudo a Sede Apostolica tole-

fit per sacrilegam communionem (can. 861); praeceptum autem pergit adhuc obligare, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit (can. 859, § 4). Obligatio praecepti communionis quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum (268).

Non amplius adest obligatio communionem etiam paschalem seu annuam in propria ecclesia paroeciali recipiendi; suadendum tamen fidelibus ut faciant; qui vero in aliena paroecia satisfecerint, curent oportet proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere (can. 859, § 3).

Expedit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a sacro litando abstinent, Sanctissimo Christi Corpore in Missa solemni seu conventuali reficiantur (can. 862).

109. Communio in periculo mortis.

Praeceptum, quoad substantiam divinum, de communione in periculo mortis recipiendae, etiam iure ecclesiastico (can. 864, § 3) urgetur, quavis ex causa illud periculum habeatur; quae communio in tali periculo dicitur dari *per modum viatici* ad normam Ritualis; et dari potest non ieiuno, tametsi is, qui in mortis periculum

rata vel saltem in forma communi approbata. Cfr. *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. XII cap. 6 n. 10; Collect. Lac. t. III col. 464, 962; *Bangen,* D. Roem. Curie p. 496 de facultate Secretarii S. C. C. indulgendi Episcopis ad triennium ius dilatandi tempus paschale; at Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 503 *ex diuturno more* tempus paschale extendit. Codex can. 859, § 2, eisdem limitibus definivit tempus paschale; sed generali modo locorum Ordinariis indulsit ut, si ita personarum et locorum adiuncta exigerent, possent hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum SS. Trinitatis; non tamen in Codice excluduntur legitimae antiquae consuetudines, quibus amplius adhuc tempus assignatur pro annua communione recipienda. Cfr. quoque *Gasparri* l. c. n. 1156 ubi recte docuit ad normam cap. 12 X. de poenit. *in casibus particularibus* parochos suis parochianis atque confessarios suis poenitentibus posse prorogare tempus paschale.

(268) De poenis iuris praecedentis in neglecto praecepto annuae communionis cfr. cap. 12, X, de poenit.; Rituale Rom., De exequiis tit. VI, c. II, n. 3, 6°, de peccatoribus publicis et manifestis S. C. C. 4 Maii 1726 in ed. *Richt.* C. Tr. p. 69; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899), n. 523, 923, 926; *Gasparri* l. c. n. 1172 sq.; *Hollweck* l. c. p. 202; *Ferraris* l. c. t. V p. 766 t. IV p. 74 sq., ubi sine sufficientibus rationibus impugnat maiorem quendam rigorem antiqui iuris particularis nunc passim non amplius receptum. Codicis lib. V, de poenis silet.

incidit, eodem die sanus communionem recepit. Porro perdurante mortis periculo Sanctum Viaticum, secundum prudentis confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet (can. 864).

Viaticum infirmis non est nimium differendum; et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilare debent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur (can. 865). Dandum porro est Viaticum etiam pueris nondum ad primam sacram communionem admissis, dummodo ad normam can. 854, § 2, sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. Est autem *detestabilis omnino abusus* (ita Decr. *Quam singulari* n. VIII) non ministrandi Viaticum pueris post usum rationis.

§ 2. - DE RITIBUS, TEMPORE, LOCO SACRAE COMMUNIONIS

110. Unusquisque sacerdos sive graecus sive latinus sacramentum eucharistiae non solum servata materia et forma substantiali (269), sed etiam secundum **ritum** *accidentalem* unicuique Ecclesiae proprium fidelibus administrare debet vel in *azymo* vel in *fermentato* (270), sub sola specie panis i. e. *unius* particulae in forma consueta Ecclesiae (271) vel sub utraque specie panis et vini (272). Porro iure Codicis (can. 886) generali modo omnibus fidelibus cuiusvis ritus fit facultas ut, pietatis causa sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant; licet suadendum sit ut suo quisque ritu praecepto communionis paschalis satisfaciat. A fortiori, urgente necessitate, fas est Viaticum quolibet ritu recipere (273).

(269) S. C. Inq. 22 Iul. 1706, 25 Iun. 1852, 7 Maii 1879, 30 Iulii 1890, in Collectan. S. C. de Prop. F. n. 697, 701, 705, 706.

(270) Can. 851, Cfr. Bened. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. XI, Const « *Allatae* » 26 Iul. 1755 § 23; S. C. de Prop. F. 24 Sept. 1863, 30 Apr. 1866, 13 Aug. 1891, in cit. Collectan. n. 703 704; *Gasparri* l. c. n. 1094 sq.

(271) Can. 852; Decr. S. C. C. 12 Febr. 1679 ab Innoc. XI approb. in ed. *Richt.* C. Tr. p. 67 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85 sq.; S. R. C. in c. Veron. 16 Mart. 1833 ad 1. In Ecclesia latina solummodo Cardinal. Diaconus et Card. Subdiaconus in solemni Missa R. Pontificis sub utraque specie communicant. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 798, 1175.

(272) Cfr. S. R. C. in c. Urbis 25 Aug. 1818; S. C. de Prop. F. 30 Apr. 1866 in cit. Collect. n. 704; *Gasparri* l. c. n. 1175 sq.

(273) Praecesserat ius quo fideles cuiuscumque ritus in locis, in quibus

Quae distributio sacrae Eucharistiae sive *intra Missam* sive *extra illam,* per modum simplicis et ordinariae communionis sive viatici vel communionis infirmorum fiat, a sacerdote etiam facienda est cum accurata observantia rubricarum et caeremoniarum, quae in libris liturgicis praescriptae sunt v. g. de lotione manuum ministri, de clerico sive ministro inserviente, de legitima formula in lingua liturgica, non vulgari, pronuntianda pro diversis modis eucharistiae administrandae (274), de stola et bursa, de benedictione, de ritibus servandis in solemni delatione viatici (275), de loco, genuflexione, ordine fidelium sacram communionem recipientium (276).

111. Tempus quam maxime congruum, sed non absolute necessarium ad distribuendam et recipiendam sacram communionem est intra Missam, cui fideles assistunt, statim post communionem sacerdotis, nisi speciale Ecclesiae vetitum obstet v. g. in altari expositionis SS. Sacramenti, vel si fideles ita distent, ut celebrans altare e conspectu suo amittat (277). Multo minus fideles habent *ius* ab omnibus sacerdotibus, quorum Missis intersunt, exigendi sacram communionem, nec omnibus sacerdotibus celebrantibus incumbit *obligatio* administrandi eucharistiam fidelibus assistentibus, qui potius hac in re ordinationibus Episcoporum sese accommodent necesse est (278). Praeterea *generali* lege ecclesiastica non prohibetur,

non esset ecclesia aut sacerdos proprii ritus, aut licet adesset propter longinquitatem nonnisi cum gravi incommodo (de quo iudicium erat penes Ordinarium) adiri posset, non solum in articulo mortis et pro praecepto paschali implendo, sed etiam devotionis gratia possent vi concessionis Leonis XIII sacram communionem recipere iuxta ritum *aliarum* ecclesiarum *catholicarum* in praedictis locis existentium atque adeo pro lubitu una die in azymo et alia in fermentato. Cfr. S. C. de Prop. F. 18 Aug. 1893 iunct. Leon. XIII, Const. « *Orientalium* » 30 Nov. 1894 et Commiss. pontif. pro Ecclesiar. reunione 14 Febr. 1896. Cfr. quoque Collect. Lac. t. II col. 513, 564 de antiquioribus concessionibus.

(274) S. R. C. in c. Helvet. 23 Maii 1835 ad 5, in c. Tlascal. 26 Sept. 1868.

(275) Ritual. Rom. tit. IV, cap. 4; S. R. C. in c. Tunkin. occ. 14 Aug. 1858; *Gasparri* l. c. n. 1103 sq.

(276) S. R. C. in c. Tarnov. 26 Mart. 1859 ad 2, in c. Caesaraugust 8 Apr. 1690; *Gasparri* l. c. n. 1175 sq. Cfr. de ritibus Ecclesiae orientalis: Collect. Lac. t. II v. Eucharistia n. 16; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 95 sq.

(277) Conc. Trid. Sess. XXII, doctr. cap. 6 can. 8; Rit. Rom., tit. IV, cap. 1 n. 17; S. R. C. in c. Florent. 19 Dec. 1829; *Gasparri* l. c. n. 1087 sq. 1092.

(278) Bened. XIV Const. « *Certiores* » 13 Nov. 1742 §§ 4, 5, Const. « *Ma-*

quominus etiam immediate ante vel post Missam vel etiam extra Missam sacra communio dispensetur, dummodo non adsit specialis Ecclesiae prohibitio v. g. in altari, ubi SS. Sacramentum est expositum, salvo tamen casu necessitatis, quo alterum altare deficiat (279).

Denique sacra communio distribui potest fidelibus *qualibet die*. Quae regula *pro viatico* valet absque *ulla* exceptione, pro simplice vero communione *sanis* dispensanda excipitur *feria sexta* hebdomadae maioris, nisi obtineatur indultum apostolicum (280), et praeterea sabbatum sanctum, at minore rigore; nam in sabbato sancto inter Missarum solemnia vel continuo et statim ab iis expletis fideles licite recipiunt sacram communionem et per eandem etiam adimplent praeceptum paschale (281).

Quoad *horam* autem diei, certe *noctu* sacra communio dispensari nequit, nisi necessitas urgeat v. g. viatici administrandi (282). *Generatim* vero iisdem horis diei sacra communio est distribuenda, quibus Missam celebrare licet i. e. ab una hora ante auroram usque ad unam horam post meridiem, nisi obtineatur indultum apostolicum vel specialis urgeat necessitas (283) aut rationabilis adsit causa (can. 867 § 4) etiam devotionis.

112. Locus a iure generaliter approbatus vel permissus *sanis* fidelibus sacram communionem distribuendi est non solum ecclesia vel oratorium publicum vel etiam semipublicum, sed quivis locus ubi licet Missam celebrare, etiam oratorium privatum, nisi in casu particulari ex iusta causa particularem casum respiciente (can. 869) prohibeatur (284).

---

gno » 2 Iun. 1751 § 23. Sed sicut non expedit ut publice celebranti prohibeatur communionis administratio; ita non decet ut celebrans fidelibus communionem petentibus non obsecundet.

(279) S. R. C. in c. Remensi 26 Sept. 1858 (nunc in nov. collect. auth. deest) et in c. Pap. 23 Nov. 1880 ad 5.

(280) S. C. C. 12 Febr. 1679; S. R. C. in c. Luc. 15 Maii 1745; *Gasparri* l. c. n. 1090.

(281) S. R. C. in n. Tifernaten. 22 Mart. 1806, ubi orator provocat ad «*antiquam consuetudinem*» in sua ecclesia; quae consuetudo nunc non est necessaria.

(282) *Gasparri* l. c. n. 1091 sq.

(283) S. R. C. in c. Tuden. 7 Sept. 1816 ad 23. De Missa et communione in media nocte Nativitatis Domini cfr. can. 821.

(284) De iure praecedenti cfr. cap. 11, X. de poenit. V. 38; cap. 24 de sent. excomm. V 11 in Sext.; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 200; *Suarez*, De cens. disp. 33 sect. 1 n. 21 sq. 30 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1088 sq.; S. C. C. 12 Febr. 1679; Benedict. XIV Const. «*Magno*» 2 Iun. 1751 § 23.

Sacra eucharistia in forma ab Ecclesia praescripta etiam ad *domos* deferri potest et debet, ut viaticum morituris vel simplex communio infirmis vel aliis fidelibus impeditis dispensetur, non ad alios scopos v. g. praetextu devotionis ad adorandum (285).

113. *Communio paschalis* non amplius *ex obligatione*, licet suadendum sit ut in sua quisque paroecia a fidelibus recipiatur, (can. 859, § 3), suscipi debet in *ecclesia parochiali* illius parochiae, in qua fidelis habet *domicilium* (286).

114. Scholion. De effectibus sacrae communionis. Quinam sint **fructuosae** receptionis eucharistiae principales effectus *interni* v. g. augmentum gratiae, a theologis dogmaticis et moralistis est explicandum (287); effectus vero canonici in foro externo nonnisi pauci recenseri possunt. V. g. quandoque iure particulari nemo ad munus *patrini* admittitur, nisi primam communionem rite receperit, aut sacra communio est praevia conditio, quae iure communi et particulari *suadetur*, non stricte praecipitur ante *matrimonii* celebrationem (288). Quodsi olim sumptio sacrae hostiae habuit effectum *purgationis canonicae* et *probationis innocentiae*, huiusmodi praxis, qua eucharistia ordinabatur ad effectus ex sua institutione non intentos, iam pridem est abrogata, utpote multorum sacrilegiorum occasio (289).

115. In iure canonico potius attendendae sunt *poenae ecclesiasticae*, quae *effectus* sunt **perversi** et sacrilegi *usus* sacramenti

---

(285) Cfr. 10 X. de celebr. III 41; Rit. Rom. tit. IV, c. 4, Collect. S. C. de Prop. F. n. 708, 712, 714, 715, 731, 738; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 97.

(286) De iure praecedenti cfr. cap. 12 X. de poenit. V 38 iunct. Sixt. V Const. «*Circumspecta*» 9 Aug. 1586 §§ 1, 2; Bened. XIV cit. Const. «*Magno*» § 21; S. C. C. in ed. *Richt.* C. Tr. p. 69 n. 3 sq.; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) et Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 21, 503 sq.; Synod. dioec. Neapol. (a. 1882), ubi «*antiquissima consuetudo*» allegatur in favorem ecclesiae metropolitanae.

(287) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 2, 7 can. 5, 11; *Suarez* l. c. disp. 63, 64; *Lugo* l. c. disp. 12; *Pesch* l. c. n. 787 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1186 sq.; *Zech* l. c. § 228; *Schanz* l. c. p. 397 sq.

(288) Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 492; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) l. c. col. 25 iunct. col. 353, 518, 658, 841; Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 1 de ref. matr.

(289) Cfr. c. 10, 15 Conc. Wormat. (a. 868) = c. 26, 23 C. II q. 5; *Hefele* l. c. t. IV, p. 552, 735; t. V, p. 97 sq.; *Zech* l. c. § 229.

eucharistiae praesertim ad fines plane scelestos et superstitiosos (290). Qua ratione v. g. sacrilega communio nequaquam habet effectum, quod quis per illam satisfaciat praecepto annuae communionis (can. 861). Cfr. prop. 55 ab Innoc. XI 2 Martii 1679 damn. Quoad poenas vero standum est iuri Codicis (can. 2320, 2322, 2325) (291).

TITULUS IV

DE POENITENTIAE SACRAMENTO

116. Fontes: Decr. Grat. C. XXXIII, q. 3; Decret. Gregor. IX (V, 38) de poenit. et remission.; id. tit. (V, 10) in 6°; id. tit. (V, 9) in Clem.; id. tit. (V, 9) in Extravg. comm.; Conc. Trid. sess. XIV doctr. de sacr. poenit. et 15 canon.; sess. XXIII, cap. 15 de ref. — Const. Pii V « *Super gregem* » 8 Mart. 1566, « *Rom. Pontificis* » 6 Aug. 1571; Clem. VIII, « *SS. Dominus* » 20 Iul. 1602; Clem. X, « *Superna* » 21 Iun. 1679; Benedicti XIV « *Inter praeteritas* » 3 Dec. 1749; Pii VI « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 (prop. 36, 38).

Auctores. Imprimis consulendi sunt theologi dogmatici et moralistae, qui speciales tractatus ediderunt de sacr. Poenit. (1). Commentatores iuris Decret. in cit. tit. (V 38) de poenit. et remiss. velut *Schmalzgr.*, *Reiffenstuel*, etc., *Cappello*, De sacram. vol. II, P. I, De Poenit.; *Vermeersch-Creussen* Epitome II, n. 139 sq.; *Prümmer*, Manuale q. 302 sq. — *Mattiussi*, Della penitenza nei primi secoli; *Pignataro*, De discipl. poenit. primorum Ecc. saecul.; *Probst*, Sakramente und Sakramentalien in d. ersten 3 christl. Iahrh.; *Poschman*, Die abendländische Kirchenbusse in Ausgang d. christl. Altertums.; *Galtier*, De Poenit. tract. histor-dogmat.; *Vacandard* in Dict. de théol. cath. v. Confession (2).

117. Praenotiones. I. *Sacramentum Poenitentiae* est illud Sacramentum, per quod gratia iustificationis post baptismum per peccatum personale ab homine perdita restituitur (Conc. Trid. sess. XIV

(290) Cfr. c. 14 Conc. Tolet. (a. 400); c. 11 Conc. Tolet. XI, (a. 675).

(291) De iure praeced.: Innocent. XI, const. « *Ad nostri* » 12 Mart. 1677; Alex. VIII const. « *Cum alias* » 22 Dec. 1690; Benedict. XIV const. « *Ab Augustissimo* » 5 Mart. 1744; *Kober*, D. Depos. p. 787 sq.; *Hollweck* l. c. p. 179; *Hinschius* t. V, p. 775 sq.

(1) S. Thom. 3, q. 84 sq.; *Suarez*, De poenit. et extrem. unct. disp. 39 sq; *Bellarminus*, De Sacr. Poenit.; *De Lugo*, De virt. et sacr. Poenit.; *Pesch*, Praelect. tom. 7; *Palmieri*, De poenit.; *De San*, De poenit.; *Lercher*, Instit. dogmat. IV, n. 426 sq. — *Lehmkuhl*, *Ferreres*, *Noldin*, *Vermeersch*, alii.

(2) *Zeiger* in « *Gregorianum* » XiV, fasc. 3, de ultimis disquisitionibus historicis circa disciplinam poenitentialem antiquae ecclesiae.

de Poenit. cap. 1, can. 1). Quod sacramentum baptizatis, qui post baptismum lapsi sunt, tam necessarium est, quam baptismus non baptizatis, ac proinde cum baptismo comparatum et ab eo distinguendum merito dicitur « secunda post naufragium tabula » (Conc. Trid. l. c. cap. 2 in fine et can. 2) (3). Definitur autem theologice: « *Sacramentum N. L., quo homini fideli baptizato contrito et confesso et ad satisfactionem parato per iudicialem sacerdotis sententiam confertur gratia remissiva peccatorum post baptismum commissorum* » (cfr. can. 870). Unde hoc est huic sacramento proprium, quod in eo exercetur iudicialis potestas Ecclesiae concessa remittendi et retinendi peccata et quod potestas remittendi exerceatur per ritum vere sacramentalem. Adest in hoc iudicio poenitens, qui simul est reus, testis et accusator, et sacerdos iudex ferens sententiam. Quae iudicialis potestas Ecclesiae tributa respectu peccatorum ab hominibus post baptisma commissorum, brevitatis causa, etiam dicitur *potestas clavium*, licet haec iura multo plura complectatur (4).

118. II. In memorata definitione satis aperte declaratur minister sacramenti (sacerdos), subiectum (homo peccator), materia remota (peccata post baptismum), materia proxima (actus penitentis), forma i. e. sententia absolutoria a sacerdote pronuntiata et etiam id quod pertinet ad integritatem sacramenti (poenitentia), quorum omnium demonstratio dogmatica theologis relinquenda et a canonistis ex theologia supponenda est.

Codex, omissis aliis quaestionibus dogmaticis, solum agit de ministro in quantum est praeditus potestate cum connexa quaestione de reservatione, de subiecto et de loco confessionis faciendae, in quibus, licet plura sint dogmatica, plura tamen dependent a legibus disciplinaribus Ecclesiae qui est praesertim respectus canonicus. Quare ceterae quaestiones dogmaticae, praesertim quoad demonstrationem, theologis relinquendae sunt, theologis vero et historicis sub ductu principiorum dogmaticorum speciales quaestiones de praxi poenitentiali priorum Ecclesiae saeculorum, quae prolixiores requirerent disquisitiones.

(3) Cfr. can. 72 Dist. 1 de Poenit. (Hieron); c. 81 (Aug.) Dist. cit.

(4) Cfr. Con. Trid. cit. sen. XIV, cap. 2, 56, can. 9.

CAPUT I

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

119. III. Iam ex praemissis de hoc sacramento infertur relate ad ministrum, duplicem in illo requiri potestatem, ordinis videlicet et iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae (can. 872). *Solum* sacerdotem esse ministrum Sacr. Poenitentiae definitum fuit a Conc. Trid. (sess. XIV, cap. 6, can. 9) (can. 871). Porro ad valide absolvendum seu sacramentum subiecto apto et rite disposito ministrandum non sufficere potestatem ordinis presbyteralis sed requiri praeterea iurisdictionem definit et explicat idem Conc. Trid cit. sess. XIV, cap. 7 (can. 872). Duplex ergo potestas concurrit ministri ad conficiendum sacramentum seu ad applicandam formam actibus poenitentis: altera est potestas ordinis quae recipitur in ordinatione presbyterali et haec est conditio necessaria et essentialis ad recipiendam expeditam alteram potestatem sc. iurisdictionis pariter iure divino requisitae; sacramentum quippe poenitentiae institutum fuit per modum iudicii; et quia *iudicium* est nequit exerceri nisi a *iudice*, quia *sacramentum* est nequit administrari nisi ab eo, qui ex Christi institutione ab ipso Christo assumitur ut minister instrumentalis ad gratiam supernaturalem, peccatorum remissivam, hominibus communicandam. Quare in ordinatione presbyterali, potius quam potestas iudicialiter remittendi peccata, datur potestas qua in sacerdotem consecratus, si iudex fuerit et circa peccata iudicare auctoritative possit, id facere possit sacramentaliter seu cum effectu, ex divina institutione proprio sacramenti, i. e. infundendi gratiam peccati deletivam (5).

(5) Admitti non potest, potestatem absolvendi per ipsam ordinationem esse datam omnibus sacerdotibus, et iurisdictionem esse novam conditionem ut potestas in ordinatione recepta expedita sit; aut potestatem etiam expeditam per ipsam ordinationem recipi, quae tamen ligari ita possit ut in actum transire nequidem valide possit; aut per ordinationem acquiri iurisdictionem. Nam in ordinatione ex doctrina Ecclesiae nulla acquiritur iurisdictio. Cfr. *Suarez*, Disp. 16, sect. 3. n. 27; *Cappello*, De Poenit. n. 359; praeclare *Palmieri*, De poenit. (a. 1879) p. 171 sq.

Inde infertur hoc singulare discrimen inter poenitentiam et alia sacramenta: in aliis administrandis iurisdictio est conditio extrinseca actui et regit *usum*

120. Hanc iurisdictionis potestatem Christus Ecclesiae institutor, tradidit ecclesiae hierarchicae, ideoque membra hierarchiae a se constitutae sua potestate theandrica iudices constituit, qui suo loco ac nomine in causa peccatorum iudicium visibiliter exercerent, *vicaria* quidem auctoritate sed *ordinaria* cum ipso munere a Christo instituto coniuncta: hi porro iudices a Christo instituti sunt Apostoli eorumque sucessores (6) sc. R. Pontifex et Episcopi, qui tamen adiutores sibi assumere possent. Quare qui ex publico munere ecclesiastico secundum divinum ius instituto subditos habent, quos regant et iudicent, ordinaria etiam potestate in sacro tribunali iurisdictionem exercent, si tamen requisitam habent ordinis potestatem sacerdotalem, cum efficaciam ex ipsa Christi institutione non habeant actus ministrorum ad remittenda peccata, nisi in quantum sunt actus sacramentales ad conferendam gratiam destinati, cum solum per dispensationem sacramentorum data est potestas Ecclesiae ad gratiam sanctificantem conferendam. Quam catholicam doctrinam (cfr. Conc. Trid. cit. sess. XIV, cap. 7) complexus est can. 872: « Praeter potestatem ordinis ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem » (7).

---

potestatis ordinis, ut sit legitimus; in hoc sacramento est conditio intrinseca actus, qui est essentialiter actus iudicialis, ideoque iurisdictionis. Cfr. *Palmieri* l. c. p. 174.

(6) Ioann. XX, 22 sq.; Conc. Trid. sess. XIV, de Poenit., cap. 6, can. 10.

(7) Inde autem patet quod potestas iurisdictionis, quae per ordinationem non habetur, accipi quidem a Deo, sed mediante Ecclesia, nempe per concessionem eorum, qui illam habent in eos, in quos iurisdictionem conferunt: unde tandem a quocumque habetur talis iurisdictio habetur derivata immediate vel mediate a Rom. Pontifice, qui illam habet immediate a Deo in plenitudine Primatus. Est autem maximum discrimen cum iurisdictione fori externi; nam exercitium iurisdictionis fori interni non subest iudicio Superioris et cuiusvis sacerdotis sententia est inappellabilis in foro humano, quia est actio sacramentalis, in qua exercenda sacerdos est immediate minister unius Dei, qui est semper causa principalis in sacramentis. *Palmieri*, De Poenit. p. 175; *Lercher*, Inst. theol. dogm. IV, n. 433, nota.

Non proponitur difficultas insolubilis dum quaeritur a quo iurisdictionem habeat, qui Rom. Pontificem in Sacr. absolvit. Non videtur necessarius recursus ad concessionem divinam, quasi sacerdos a Rom. Pontifice in confessarium electus immediate a Christo acciperet iurisdictionem, ut videtur voluisse *Canus*, Relect. de Poenit. p. 5, quem recentius etiam secutus est *Straub*, De Eccl. II, n. 797; nam ut optime monet *Lugo*, Disp. XV, sect. 2, non repugnat in terminis quod alteri quis det iurisdictionem supra se, praesertim in diverso foro. Con-

Scholion. I. Dum can. 872 requirit iurisdictionem ordinariam vel delegatam *in poenitentem* clare indicat iurisdictionem esse aliquid relativum non solum respectu rei de qua agitur, seu de potestate ad sacr. Poenitentiae adminitrandum, sed etiam respectu personae in quam sacramentalis iurisdictio exercenda est, id quod est ex natura rei. Nihilominus novum ius ita rem clare ordinavit, ut quoad exercitium huius iurisdictionis, poenitentes qui se sistunt confessario praedito iurisdictione, ipso actu confessionis se subdunt praedicto confessario eiusque quoad forum sacramentale subditi fiunt perinde ac domiciliati vel alio titulo subiecti; et qui iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam habent, possunt in territorio ubi iurisdictionem habent valide et licite absolvere omnes, quotquot ad eos accedunt tam saeculares quam religiosos, tum *peregrinos* tum *vagos* et etiam fideles rituum orientalium (can. 881). Quare antiquata manet controversia, olim agitata cuius iurisdictione absolveretur peregrinus, an Episcopi confessarii, an potius Episcopi peregrini. Cfr. *Ballerini-Palm.* V, n. 345 sq. 379 sq.; *Lehmkuhl,* v. II, n. 384. Delegantur ad hoc ab ipso iure.

II. Qui *ordinaria* pollent iurisdictione ad confessiones possunt *subditos* ex communi titulo tales absolvere ubique terrarum, non alios qui ex solo accessu vellent fieri tales; qui autem habent iurisdictionem delegatam, neque *extra territorium* illam exercere possunt: ideo delegatio est *territorialis* et semper accipienda est ab Ordinario loci ubi confessiones audiuntur. Porro quilibet Ordinarius sacerdoti alius dioecesis iurisdictionem delegare potest, quam tamen exerceat in territorio delegantis (Arg. can. 874).

§ 1. - UNDE DERIVATA HABEATUR IURISDICTIO

121. Ex praemissis iurisdictio, praeter ordinem, necessaria in ministro sacramenti potest esse *ordinaria* vel *delegata* (8).

---

fessario electo certe Rom. Pontifex, utens iurisdictione fori externi, potest dare iurisdictionem fori interni; tali iurisdictione praedito Papa ut homo privatus et peccator in *tribunali divino* sacr. Poenitentiae se subiicit, perinde ac alii poenitentes, cum pro omnibus institutum sit. Cfr. *Palmieri*, De poenit. pag. 177; *Gallier*, De Poenit. n. 521. Multo minus ex hac difficultate deduci potest iurisdictionem per ipsam ordinationem quovis modo haberi. Cfr. quoque S. Thom. supplem. q. 20, art. 3, ad 9.

(8) De conceptu iurisdictionis ordinariae et delegatae cfr. Wernz-Vidal, II, n. 366.

Iurisdictio Ordinaria habetur: *a)* A Romano Pontifice, ut per se patet in universa Ecclesia, idque ex ipso iure divino, quam nemo limitare potest.

b) A S. R. E. Cardinalibus pariter in universa Ecclesia; et quoad omnes fideles monialibus et sororibus non exceptis; sed in illis tum ipsa iurisdictio tum eius extensio ad universam Ecclesiam et universos fideles est ex iure ecclesiastico; de facto illa extensio facta est prima vice a Pio X et in Codice fuit confirmata can. 873, § 1. Quae iurisdictio licet ex iuris dispositione adnexa muneri Cardinalitio, attento can. 239, § 1, 1°, videtur esse habenda ut privilegium personale propter eminentem in Ecclesia dignitatem, ideoque non esse in universo orbe aliis delegabilem, sed solum delegari potest sacerdotibus, in quos Cardinalis habeat specialem iurisdictionem praeter generalem quam habent ut adiutores Rom. Pontificis (can. 230) in regimine universalis Ecclesiae.

c) Pro suo quisque territorio ab Ordinariis locorum idque ab ipso momento suscepti muneris seu officii. Quare competit Episcopis residentialibus; Abbati et Praelato *nullius;* Vicariis generalibus praedictorum necnon Vicariis Capitularibus; Administratori Apostolico; Vicariis et Praefectis Apostolicis necnon his qui praedictis deficientibus, ad normam can. 309, interim succedunt in regimine.

d) A parochis proprie dictis aliisque qui loco parochi sunt (can. 873), pariter pro territorio proprio (9).

Loco parochi, hac in re parochis aequiparati, sunt: 1°) *quasi-parochi* qui quasi-paroecias regunt (can. 216, § 3 iunct. can. 451, § 2, 1°); 2°) *vicarii paroeciales,* qui plena potestate paroeciali potiuntur, nimirum (can. 451, § 2, 2): *vicarius oeconomus* in paroecia vacanti ab Ordinario positus ut paroeciam regat, (can. 472, 1°); item *vicarius cooperator* (respective *parochus vicinior* aut *domus Superior*), qui ante nominationem oeconomi interim regimen paroeciae

---

(9) Usus iamdiu induxit, ut parochus iurisdictionem sacramentalem censeatur habere in tota dioecesi, et quidem quoad non paroecianos ex iuris communis delegatione seu facultate perinde ac ceteri confessarii quoad extraneos quosvis; stante vero memorato usu, iurisdictionem delegatam *in tota dioecesi* extra propriam paroeciam erga non paroecianos accipit parochus in ipso actu quo parochus constituitur et officium paroeciale legitime suscipit, quae concessio, ubi contrarium expresse non statuat Ordinarius, vere est concessio expressa ad normam can. 879 Confer *Cappello* l. c. n. 384.

assumit (can. 472, 2°); *vicarius adiutor* qui vicem parochi supplet in omnibus ob causam permanentem (can. 475); *vicarius substitutus*, qui absentis parochi locum tenet, si eidem fuerit legitime suffectus (can. 465, 474) (10).

e) pro toto territorio dioecesano a canonico poenitentiario ecclesiae sive cathedralis sive collegiatae, cum potestate absolvendi etiam a peccatis et censuris Episcopo reservatis, quam in dioecesi exercere potest etiam in extraneos et in dioecesanos etiam extra territorium.

f) tandem iurisdictione ordinaria potiuntur pro suis subditis Superiores religiosi exempti ad normam constitutionum (cit. can. 873). De hac re in constitutionibus possunt haberi speciales praescriptiones; sed potestate ordinaria pollent Superiores maiores, qui veniunt nomine Ordinarii, et Superiores locales vere tales, qui saltem loco parochi sunt respectu religiosorum domus, quam exercere possunt non solum in professos sed etiam in novitios, postulantes et familiares.

122. Scholion. Quamvis iurisdictionis Ordinariae sit proprius character, ut eam possidens possit illam alteri delegari (can. 199), haberi tamen ea in re exceptio potest, « nisi aliud expresse in iure caveatur » ut dicitur citato canone. Haec expressa exceptio de canonico poenitentiario fit canone 401. De Cardinalibus iam dictum est eorum iurisdictionem ordinariam relate ad sacr. Poenitentiae esse privilegium personale. Quoad parochos et eos qui loco parochi sunt constat ex authentica interpretatione Comm. Codic. (16 Oct. 1919) ab illis iurisdictionem sacramentalem non posse delegari; quod ceteroquin omnino congruit cum can. 874, ubi generaliter iurisdictio sacramentalis delegata recipienda est ab Ordinariis locorum (A. A. S. VI, 477). Atque inde manet antiquata quaestio olim agitata (11), num parochus possit advocare parochum eiusdem vel diversae dioecesis ad confessiones in sua paroecia audiendas. Atque quoad parochos eiusdem dioecesis, stante consuetudine fere universali, quod in tota dioecesi possint confessiones excipere, nulla est difficultas,

(10) Horum ad confessiones iurisdictionem esse ordinariam merito videtur inferri ex canone 873 collato cum aliis canonibus in textu citatis. Cfr. *Ferreres*, Theol. mor. II n. 652; *Cappello* l. c. n. 385.

(11) Cfr. v. g. *Lugo*, disp. 21, n. 21; *Ballerini-Palmieri* V, n. 336 sq.

et manet antiqua disciplina quam firmavit resp. S. C. C. a Clemente VIII confirmatum 26 Sept. 1596 apud *Richter*, pag. 381, n. 26; quoad parochos *alienae dioecesis* manet omnino exclusa illa facultas ex citata decisione Commis. Codic. (12).

123. Cessat iurisdictio ordinaria: 1) amissione officii, cui ipsa inhaeret, ad normam can. 183, videlicet officii renuntiatione, privatione, amotione, translatione et lapsu temporis praefiniti; 2) post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicationis, suspensionis ab officio et interdicti; ante sententiam vero *valide* absolvit, licet *illicite* nisi a fidelibus requiratur. Cfr. can. 2291, 2275, 2284. Suspensioni ab officio aequiparanda suspensio *ab audiendis confessionibus*, *a iurisdictione*, *ab ordinibus* vel *ab ordine sacerdotali*, *a divinis*.

124. Potestas seu iurisdictio delegata. Delegatio fieri potest vel *a iure* vel *ab homine* i. e. *ab habente potestatem ordinariam.*

A iure comuni delegantur: 1) omnes sacerdotes in periculo mortis, non obstante quavis irregularitate vel censura (can. 882).

2) Sacerdotes qui absolvunt in errore communi iurisdictione carentes aut in dubio positivo et probabili, in quantum dubium coniungitur cum defectu iurisdictionis (can. 209), quamvis iurisdictio a iure suppeditatur in singulis casibus. Cfr. *Wernz-Vidal*, vol. II, n. 380.

3) Sacerdotes iter maritimum facientes, quantum ad amplitudinem potestatis, quam ipsis suppeditat can. 883.

4) Huc reducitur facultas, quam habent: 1°. Cardinales sibi et suis familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis cum illa potestatis amplitudine quam confessario electo tribuit can. 239, § 1, 2°. Atque idem dicendum de simili potestate quam Episcopis tribuit can. 349, § 1.

Ab homine: 1) *Ordinarius loci, in quo confessiones audiuntur*, iurisdictionem delegatam tribuit quoad omnes poenitentes tum saeculares tum religiosos quibuslibet sacerdotibus tam saecularibus quam religiosis *etiam exemptis* (can. 874, § 1). Quae facultas Ordinarii loci, salva facultate Praelati regularis est privativa: quare

(12) Cfr. *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 652; *Cappello* l. c. n. 384, qui n. 387 scite asserit et probat rectori Seminarii non competere iurisdictionem audiendi confessiones alumnorum ipsa iuris dispositione collatam.

pro absolvendis saecularibus aut religiosis non exemptis vel religiosis alterius religionis ab Ordinario loci haberi debet iurisdictio delegata; at facultas est *cumulativa* cum Superiore religionis exemptae eiusque delegato, si agitur de absolvendo subdito huius religionis.

2) *Superior religionis clericalis exemptae* tribuit iurisdictionem ad excipiendas confessiones suorum subditorum (sc. professorum, novitiorum, familiarium) non solum sacerdotibus subditis, sed etiam aliis sive saecularibus sive alterius religionis, tametsi hi omnes careant iurisdictione ab Ordinario loci delegata.

3) Cum autem pro excipienda confessione religiosarum requiratur *specialis* iurisdictio, hanc exclusive confert Ordinarius loci, ubi ipsarum religiosarum domus sita est.

Unde patet, confessarium religiosum posse quoad religiosos sui ordinis vel congregationis iurisdictionem habere tum ab Ordinario loci tum a proprio Superiore; per hanc absolvit illos solos poenitentes, qui tali Superiori sunt subiecti; per illam omnes poenitentes.

125. Iurisdictionis restrictio. Iurisdictio *delegata* concedi a delegante potest *certis quibusdam circumscripta limitibus* (can, 878, § 1), sive limites referantur ad tempus (v. gr. ad trimestre, ad annum) sive ad peculiarem personarum coetum (v. gr. pro viris non pro mulieribus, pro pueris etc), sive etiam ad determinatum locum (v. gr. solum in tali oppido vel paroecia, in tali ecclesia vel sacello et non alibi). Quae restrictio respicit ipsum valorem, nisi aliud expresse constet; delegatus enim non habet nisi quod accepit a delegante. Ordinariis vero locorum iniungitur (can. 878, § 2), ne iurisdictionem sine rationabili causa *nimis* coarctent. - Praecipua et generalis ac maxime usitata restrictio illa est quae fit per casuum reservationem de qua postea. Quoad *religiosos* vero in particulari commendatur Ordinariis locorum, ne iurisdictionem *habitualiter* concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur (can. 874, 2). Qui autem iam in alia vel aliis dioecesibus in sacris ministeriis laborant cum facultate audiendi confessiones, etiam novo Episcopo generatim loquendo habendi sunt ut implicite praesentati. - His vero, qui a proprio Superiore praesentantur sine gravi causa iurisdictio denegari non debet, salvo iure illos examini supponendi ut Ordinario constet de idoneitate (can. 874, § 2, 877).

Alia restrictio iurisdictionis habetur quoad omnes confessarios in hoc, quod pro confessionibus religiosarum non sufficit generalis delegatio, sed requiritur *peculiaris* iurisdictio (can. 876), salvo praescripto can. 233, § 1, n. 1, 522, 523. Cfr. *Wernz-Vidal,* De religiosis n. 170.

Praeterea quoad sacerdotes religiosos attendenda est admonitio can. 874 § 1, qua firmatur obligatio subordinationis erga proprios Superiores etiam in exercitio sacri ministerii, dum monentur, ne iurisdictione eis ab Ordinario loci concessa *sine licentia* saltem *praesumpta* proprii Superioris utantur; quae admonitio cohaeret cum alio praescripto, quo ius vult ut iurisdictio ab Ordinariis locorum nonnisi religiosis a Superiore praesentatis concedatur. Admonitio est, non strictum praeceptum, nisi praeceptum de non usu fiat ex legitima causa a Superiore, per quod exercitium iurisdictionis receptae fieret quidem *illicitum*, sed non invalidum. Salva tamen manet in Superiore religioso potestas suis subditis infligendi, servatis servandis, illas poenas canonicas, quibus vel ipsum validum exercitium iurisdictionis receptae aufertur. Porro licentia praesumpta, extra casum memorati Superioris praecepti, in casu vix deesse potest, praesertim ubi potestas recepta non habitualiter sed per modum actus exercetur. Ipsum ius facit exceptionem circa necessitatem licentiae pro casu quo talem religiosum facultate praeditum adeat is, qui ad normam can. 519 apud ipsum vult facere confessionem ad suae conscientiae quietem.

Restrictio, non *ipsius iurisdictionis,* aliunde habitae, sed *usus* habetur in praescripto can. 891, quo Magister noviciorum eiusque socius, Superior Seminarii aut collegii prohibentur audire confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium, nisi ipsi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant. Quae prohibitio est similis illi, quae fit can. 518, ubi Superiores religiosi iubentur ne sine gravi et iusta causa saltem per modum habitus audiant confessiones suorum subditorum, etiamsi id sponte sua et motu proprio petant. Cfr. *Wernz-Vidal,* De religiosis, n. 105 sq.

126. Modus concessionis. Ad confessiones valide audiendas iurisdictio concedi debet *scripto* aut *verbis* et debet esse concessio *expressa* (can. 879, § 1), ideoque excludenda est concessio *tacita* et multo magis concessio *praesumpta* de futuro et a fortiori nihil valet ratihabitio post auditam confessionem. At concessio *expressa* non est confundenda cum *explicita,* sed opponitur *tacitae,* non *implicitae.* Quare si Episcopus aliquem mittit ad exercendum aliquod

sacrum ministerium, cum quo sive ex lege sive ex usu et consuetudine recepta coniunctum est munus excipiendarum confessionum, illa vocatio ad tale ministerium est concessio iurisdictionis *implicita,* licet non expressa, et ea sufficit non obstante cit. canone 879.

Concessio iurisdictionis, ad confessiones audiendas debet esse omnino *gratuita* (can. 879, § 2), et si propter iurisdictionis concessionem exigeretur taxa aliqua committeretur delictum simoniae iuris divini, cum stante iuris prohibitione non adest titulus aliquis distinctus ab ipsa concessione iurisdictionis spiritualis ad talem taxam exigendam. Quae exigentia taxae speciatim etiam hoc sensu est disciplinaliter odiosa, quod iurisdictio poenitentialis nullum commodum temporale confert confessario et eius carentia est in damnum animarum saltem multoties (13).

127. Extensio iurisdictionis ad fideles diversi ritus. « Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt catholicos cuiusque ritus orientalis valide et licite absolvere » (can. 881, § 1). Praecesserant hac de re: 1º) Instructio S. C. P. F. 2 Iun. 1835 ad Arch. Aleppen. (Collectanea S. C. P. F. I, n. 839) — 2º) Decisiones eiusdem S. C. 12 dec. 1838 (cit. Collect. I, n. 879) — 3º) Instructio eiusdem S. C. ad Deleg. Apost. Aegypti, 8 Aprilis 1862. In quibus instructionibus et decisionibus etiam indicatur ratio praescripti canonis, videlicet reddere omnibus fidelibus facillimum usum sacr. Poenitentiae adeo necessarii et consulere omnimodae libertati conscientiae. Ceterum, licet orientales ex iure tum antiquo tum novo Codicis (cfr. can. 1) non subiiciantur legibus mere disciplinaribus Ecclesiae latinae, in utroque iure et antiquo et novo semper sive expresse sive tacite intellectum est, cum illa exceptione nisi expressis verbis legislator in determinato puncto disciplinae ipsos orientales comprehendere voluerit. Hac autem praescriptione firmatur certo modo nova disciplina, qua iurisdictio sine limitatione concessa competentem reddit confessarium pro

(13) Cfr. hac de re Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 15 de ref.; Gregorius XV Const. « *Inscrutabilis* » 5 Febr. 1622, § 1, 5; Clement. X const. « *Superna* » 29 Iun. 1670, § 1; Clementis XII const. « *Admonet nos* » 11 Aug. 1735, § 1, 3; Benedicti XIV, epist. encycl. « *Decet quam maxime* » 21 Sept. 1769, § 24.

omnibus ad se venientes, quin teneatur exquirere de Superiore, cui alias subduntur.

128. Cessatio iurisdictionis delegatae. I. Delegata iurisdictio ad confessiones ex generalibus iuris principiis (cfr. can. 207, 61), cessat expleto mandato; elapso tempore aut expleto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegato directe intimata, vel renuntiatione directe intimata deleganti et ab eodem acceptata; resoluto iure delegantis si id in clausulis concessionis appareat, vel potestas tantum facta sit ad sacramentaliter audiendas personas in rescripto seu indulto expressas et res adhuc sit integra. Quare morte delegantis cessat iurisdictio quae concessa fuit a delegante cum clausula *ad beneplacitum nostrum* vel *donec vixero* aut *durante meo munere.* Valide tamen absolvit sacerdos qui inadvertenter utitur iurisdictione post elapsum tempus aut expleto numero casuum pro quo data ipsi fuit iurisdictio (can. 207, § 2).

II. Cessat praeterea *revocatione* et *suspensione* diverso tamen modo: per *revocationem* aufertur iurisdictio habita et consequenter ex defectu potestatis essentialis absolutio post revocationem esset invalida; per *suspensionem* iurisdictio non aufertur sed prohibetur eius usus sive exercitium, ideoque iurisdictione suspensa *illicite* quidem absolvitur, *valide* tamen, nisi suspensio fuerit inflicta per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 2284).

III. Iurisdictionem concessam ad audiendas confessiones nequit Ordinarius loci *revocare* aut *suspendere* nisi *ob gravem causam* (can. 880, § 1). Id ipsum valet de iurisdictione vel licentia ad audiendas confessiones data religioso a proprio ipsius Superiore. Revocatio vel suspensio sine gravi causa facta illicita quidem, sed generatim valida est, idque videtur esse ex natura rei (14).

(14) Non desunt qui teneant iurisdictionis revocationem sine gravi causa factam saltem eo in casu probabiliter esse invalidam si iurisdictio data sit *praevio examine:* cfr. v. g. *Suarez,* disp. 28, sect. 8, n. 7; *Ferreres,* Theologia mor. II, n. 650; *Genicot* II, n. 327, etc.; videlicet quia in tali casu iurisdictio non conceditur ex favore a beneplacito concedentis pendente, sed est ius ex iuridica sententia acquisitum et ex iustitia debitum: quae ratio non omnibus probatur; sed sicut iurisdictio ita etiam admissio ad examen est libera Episcopo, non debita petenti nisi iurisdictio sit aduexa officio.

Episcopo tamen non licet, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur, omnibus alicuius religiosae domus confessariis una simul iuris-

Gravi causa existente non solum iurisdictio delegata revocari aut suspendi potest, sed etiam parocho aut canonico poenitentiario potest Ordinarius munus confessarii interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam (can. 880, § 2), quo recursu pendente, ob negatum effectum suspensivum, decretum episcopale suos effectus producit.

129. Scholion. *a)* Ex exposita Codicis doctrina apparet hanc (can. 874) induxisse substantialem immutationem praecedentis disciplinae quod attinet ad confessiones religiosorum exemptorum. In praecedenti disciplina ad excipiendas confessiones horum religiosorum iurisdictionem concedebat solus Superior religiosus. Etiam religioso extra domum religiosam existente et confessionem apud sacerdotem saecularem peragente, huic a subdito religioso electo intelligebatur iurisdictio concedi a Superiore regulari (15).

Pius X per decr. de die 5 Aug. 1913 concessit religiosis omnibus etiam exemptis ut confiteri possent apud quemcumque confessarium saecularem vel religiosum eiusdem vel diversae religionis, qui esset approbatus ab Ordinario loci ubi confessio perageretur. Sed nondum mutatis principiis de concessione iurisdictionis, intelligebatur tali confessario, supposita Ordinarii loci approbatione, iurisdictionem sacramentalem in religiosum exemptum exercendam non ab Ordinario loci sed ab ipso Papa concedi. Suo hoc decreto Pius X prolusit disciplinae per Codicem postea inductae, vi cuius iurisdictionem etiam in exemptos exercendam iam iure suo proprio concedit Ordinarius loci, licet eam quoque possit concedere Superior exemptus tum propriis subditis sacerdotibus tum aliis non subditis respectu omnium qui ad normam can. 514, § 1 talis Superioris exempti subditi sint.

---

dictionem adimere (can. 880, § 3): ubi non fit distinctio inter domum exemptam et non exemptam, modo sit legitime constituta. Cfr. can. 497, § 2, unde apparet in hac collectiva iurisdictionis ablatione ius quaesitum laedi.

(15) Quae antiqua disciplina maxime congruebat ipsi naturae exemptionis. Per exemptionem subducti a iurisdictione Episcoporum, non poterant absolvi iurisdictione accepta ab Episcopo, qui in illos iurisdictionem non habebat, et potestas iudicialis, qualis est ipsa iurisdictio sacramentalis exerceri non potest nisi in subditos. Nihilominus ipsa exemptio potest esse maior et minor, et non repugnat quod a Rom. Pontifice, remanente in ceteris exemptione, tribuatur Ordinariis loci iurisdictio cumulativa cum Superiori regulari.

b) Alia gravis innovatio facta est ex hoc quod etiam quoad religiosos exemptos iurisdictio ad confessiones personarum saecularium audiendas omnino recipienda sit ab Ordinario loci ubi confessiones audiuntur. Negari non potest ante Concilium Tridentinum regulares exemptos etiam ad confessiones personarum saecularium audiendas iurisdictionem per proprios Superiores regulares accepisse a Romano Pontifice, qui in illa concessione iurisdictionem tribuebat in proprios suos subditos, cum per subiectionem erga determinatum Episcopum non idcirco desinebant *immediate* ipsi Rom. Pontifici subiici (16).

c) Conc. Tridentinum sess. XXIII, cap. 15 de Ref. disciplinam praecedentem eatenus immutavit, quatenus ad usum iurisdictionis exigebat praeviam Episcopi loci *approbationem:* « nullum, etiam regularium, posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen, si id illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus reputetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili

---

(16) Constat iurisdictionem etiam quoad confessiones saecularium a Papa receptam fuisse ante Bonifacium VIII (1294-1303) saltem de mendicantibus ex const. Benedicti XI; quam aliqua ratione arctavit Bonifacius VIII (cap. *Super cathedram* 2, De sepulturis l. III in Extrav. comm.); eam tamen, sublatis restrictionibus, plene restituit Benedictus XI (cap. *Inter cunctas* 1. De privil. l. V in Extrav. comm.). Eius tamen successor Clemens V, cassata Benedictina constitutione, Bonifacii VIII restrictionem in plenum vigorem restituit (cap. *Dudum* 2, de sepult. in Clement. III, 7), addita Episcopis et parochis hortatione ut erga religiosos se benevolos praebeant eorumque opera libenter utantur.

Deinde tamen nova concessa sunt diversis Ordinibus privilegia, ut confessiones absque Ordinariorum licentia audire possent; v. gr. a Sixto IV Eremitis S. Francisci de Paula (const. « *Sedes Apost.* » a. 1474, quam const. confirmavit Iulius II, const. « *Dudum* » a. 1506); ab eodex Sixto IV Minoribus et Praedicatoribus (const. « *Regimini* » a. 1474, § 10); a Iulio II Olivetanis (const. « *Etsi* » a. 1507, § 32). — Leo vero X, dum in const. « *Dudum intra* » a. 1516 privilegia Mendicantium aliorumque Regularium voluit moderari, etiam quoad confessiones § 6, statuit ut confessarii a Superioribus electi Episcopo aut eius Vicario praesentarentur, concesso Episcopis ius praesentatos examinandi, supposita adhuc iurisdictione per proprios Praelatos a Rom. Pontifice accepta. Sed successores Leonis X, huius legem non observarunt, et perrexerunt sine limitatione et subiectione ad Episcopos, concedere regularibus iurisdictionem ad confessiones audiendas etiam personarum saecularium (cfr. Pauli III const. « *Cum inter* » a. 1545 et const. « *Licet debitum* » a. 1549 favore alumnorum Societatis Iesu. Porro talia privilegia per communicationem omnibus mendicantibus facta sunt communia. Cfr. *Wernez-Vidal* t. III, n. 388.

minime obstantibus ». Quae necessitas approbationis nullatenus derogavit iuri praecedenti, quo iurisdictionem a Rom. Pontifice per proprios Superiores regulares exempti recipiebant, sed erat conditio necessaria pro pleno et libero exercitio potestatis aliunde habitae, nam praeter iudicium de capacitate seu idoneitate importabat consensum in iurisdictionis usum.

Quoniam autem usus paulatim tulit, ut Episcopus, approbando, simul, quantum esset ex se, conferret iurisdictionem, in praxi stante tali usu fere evasit inutilis illa iurisdictio, id tantum inde effectum est, ut plerique regulares e duplici fonte iurisdictionem haurirent, saepe tamen aliis finibus circumscriptam.

d) Atque his paratum est novum ius Codicis, ut videlicet quoad saeculares iurisdictio non haberetur nisi ab Ordinario loci; quoad religiosos vero exemptos iurisdictio ex duplici fonte haberi posset, ab Ordinario loci et a Superiore regulari.

130. Approbatio et Licentia. Cum iurisdictio sit habenda ab Ordinario loci ubi audiuntur confessiones ab omnibus etiam a regularibus exemptis, illa distinctio inter *approbationem* et *concessionem iurisdictionis* in iure Codicis disparuit, et solum mansit conceptus approbationis in eo sensu quod iurisdictio non sit concedenda nisi his, qui per examen probati fuerint idonei: « Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant » (can. § 1) — Porro: « si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, *etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario* » (cit. can. § 2).

Licentia in memorato canone plane distinguitur a *iurisdictione* et pertinet ad solos religiosos, estque actus quo Superior religiosus permittit seu concedit, ut sacerdos religiosus sibi subditus, aliunde iurisdictione instruendus, confessiones audiat, Superiori enim religiosi subsunt etiam in exercitio sacri ministerii — De se *licentia* in habente iurisdictionem non pertinet ad *valorem* sacramenti, nisi iurisdictionis concessio fuerit quoad usum alligata conditioni habendi praeviam licentiam. Quam licentiam Superior concedere potest *certis limitibus circumscriptam*, (can. 878 § 1).

§ 2. - IURISDICTIO IN CASIBUS PECULIARIBUS

131. I. In periculo mortis standum est canoni 882. Ab ipso iure pro illo determinato casu conceditur iurisdictio omnibus sacerdotibus (sine ulla exceptione), ne secundum traditionem accidat ut aliquis pereat ex defectu sacerdotis competentis, ut ait Con. Trid. sess. XIV, can. 7. De ref.

II. **Potestas competens sacerdotibus navigantibus,** ita describitur in iure (can. 883, § 1): « *Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquamdiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis* ». Textus iuris est clarus; iurisdictio a iure defertur et durat toto tempore itineris moraliter sumpti a momento quo censetur arripi iter i. e. ingressus in navim usque ad discessum a navi in fine itineris maritimi. Vocabulum *proprii* Ordinarii in disciplina Codicis videtur intelligendum de Ordinario loci, non de Ordinario religiosi seu de eius Superiore maiori exempto, licet non desint qui aliud teneant ut probabile propter can. 198.

Praeterea in § 2 eiusdem can. 893 extenditur iurisdictio etiam ad fideles non navigantes hoc pacto: « *Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis* (sacerdotibus navigantibus) *ad terram obiter* (17) *appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario reservatis* » (18).

(17) Cfr. decis. Comm. Codicis, 20 Maii 1923 in A. A. S. XVI, 144.

(18) Praecesserant decreta S. Off. 9 April. 1900, 13 Dec. 1901, 23 Aug. 1905, 13 Dec. 1906 quae confirmata veniunt et ampliata, sublata verborum ambiguitate. Cfr. *Ferreres*, Razón y Fe vol. 17, p. 512 sq., vol. 18, p. 98 sq.; *Mach-Ferreres*, Tesoro del sacerdote II, n. 529. Cfr. quoque *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 654, et Razon y Fe, vol. 19 p. 104 ubi refert concessionem Pii X per decr. S. C. P. F. de die 4 Febr. 1907: « Omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros, *ad Sinenses Missiones destinatos*, qui duo vel numero plures consociati, ad littora

III. **Iurisdictio in capellanis militum.** Nihil de hac re statuit in particulari Codex nisi quod praescribitur can. 451, § 3 in titulo « De parochis », sc. « Circa militum Capellanos sive maiores sive minores, standum peculiaribus S.tae Sedis praescriptis ». Ubi illa peculiaria praescripta non adsint, iurisdictio sacramentalis huiusmodi capellanorum, regitur generalibus normis de ceteris sacerdotibus. Quod si de facto sint veri militum parochi iam ex hoc solo intelligitur in ipsis ordinaria iurisdictio ad audiendas ipsorum confessiones.

IV. **Absolutio complicis** in peccato turpi « invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis, Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae* 1 Iun. 1741 » (can. 884); qua de re consulendi sunt moralistae (19).

§ 3. - MODUS EXERCENDI IURISDICTIONEM

132. Modus quo iurisdictio sacramentalis exerceri debet continetur in orali pronuntiatione formae sacramentalis, qua supra materiam actibus poenitentis exhibitam edatur ministerialiter sententia iudicialis, et in variis officiis, quibus tenetur confessarius in usu suae potestatis, quorum praecipua in ipso Codice recensentur.

Forma sacramenti poenitentiae consistit in illis verbis ore prolatis (20), quibus exprimitur actus iudicialis, quo minister cla-

---

Sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali, usque dum perve-
nerint ad Missionem sibi respective assignatam, posse excipere confessiones:
a) aliorum missionariorum cum ipsis iter agentium, sive clerici sint sive laici,
sive religiosi sive saeculares, sive eiusdem sive diversae Congregationis;
b) religiosarum sororum si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad
missiones destinatas; *c*) reliquorum vehicula aut cymbas ducentium aut sarci-
nas per iter ferentium vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum ».
Sufficit approbatio proprii Superioris quoad regulares; quoad alios a proprio
Ordinario unde discesserunt, vel portus in quo navem conscenderunt, vel portus
intermedii, etiam ante praestitum iuramentum circa ritus sinenses.

(19) Cfr. *De Smet*, Tractatus de casibus reserv. de sollicit. et de absolutione complicis Brugis. a. 1914; *Cappello* l. c. n. 670 sq.

(20) Licet non sit contra naturam iudicii *in genere* ut sententia iudicialis scripto proferatur, in casu tamen hoc esset contra naturam *sacramentalis* iudicii a Christo instituti.

vium peccatorem praesentem ab eius peccatis absolvit. Inde substantia formae salvatur in verbis: « *Te absolvo a peccatis tuis* ». Cfr. Conc. Trident. sess. XIV, cap. 3, ubi additur: « quibus quidem de Ecclesiae sanctae more, preces quedam laudabiliter adiunguntur ». Forma *praeceptiva* seu *ritualis* consistit in precibus quae antecedunt vel subsequuntur formam essentialem et habentur in Rituali Romano. Quae preces formulae absolutoriae adiunctae omitti non debent sine iusta causa (can. 885); qua de re moralistae sunt consulendi (21).

Absolutio danda. In arbitrio plene libero ministri non est absolutionem concedere, negare aut differre; sed « si dubitare ne-

---

(21) Quod absolutio sit pronuntianda *in poenitentem praesentem* (Christus peccatores baptizatos *ante hoc tribunal reos sisti* voluit. Conc. Trid. sess. XIV, cap. 2), constat ex doctrina proscripta a Clemente VIII (Denz-Bannwart, n. 1088), quamvis, servatis servandis, possit absolvi moribundus sensibus destitutus a sacerdote adveniente. (Cfr. de vera sententia Suarezii in relatione ad tale decr. *Palmieri*, De Poenit. thes. 13 append. et *Pesch* VII, n. 193 sq.) Excluditur pariter absolutio per *telephonium* vel simile medium artificiosum data: 1° Poenitentiaria ad dubium propositum 1 Iul. 1884 responsum recusavit dare his verbis: « Nihil est respondendum ». Si ope instrumenti poenitens reddi potest certior de verbis absolutionis a sacerdote prolatis, deest nihilominus *illa praesentia* in qua sacerdos et poenitens naturali modo inter se colloqui possint, quam necessariam reddidisse videtur institutor sacramenti Christus. Cfr. *Pesch*, VII, n. 303; *Lercher*, Instit. dogmat. IV, n. 474; *Lehmkuhl*, II, n, 369; *Galtier*, De Poenit. n. 510 in nota; *Cappello* l. c. n. 35; *Ballerini-Palmieri* V, n. 25.

Forma absolutionis secundum sensum *indicativa* esse debet; *grammaticaliter* per se *deprecativa* esse potest, si tamen minister disserte indicat, se uti ministerio remittendi peccata vel ex circumstantiis induat sensum formae indicativae. Cfr. *Palmieri*, De poenit. th. 12, Parergon.; *Suarez*, disp. 19, sect. I, n. 23; *Lugo*, disp. 13, sect. 4, n. 106. Quare licet fatendum sit in antiquis euchologiis ecclesiarum praesertim Orientalium formam haberi *materialiter* deprecativam et etiam nunc in nonnullis huiusmodi ecclesiis adhuc formam materialiter seu grammaticaliter deprecativam servari; tamen etiam nunc in plurimis ecclesiis Orientalibus antiquae formae quoad verba deprecativae addita est forma indicativa, cuius sensus iam continebatur in formulis deprecatoriis Cfr. *Papp-Szilaggi*, Enchirid. iuris Eccl. orient. n. 77; Conc. Alba-Iuliense et Fogariense (a. 1872) tit. V, cap. 5; Synodus prov. Ruthenorum (a. 1720), tit. 3, § 5; Synodus prov. in Monte Libano (a. 1736) p. II, cap. 4, n. 3; Synodus Sciarfensis Syrorom (a. 1888) cap. V, art. 6, n. 3; Coll. Lacensis II, p. 129; Synodus Alexandr. Coptorum (a. 1889) sect. 2, cap. 3, art. 5.

De hac controversia consulatur ex una parte *Suarez*, disp. 19, sect. 1 n. 25; *Lugo*, disp. 13, sect. 4, n. 92, 106; *Franzelin*, De sacram. (ed. 2) p. 48; *Palmieri* l. c. Ex alia parte: *Martène*, De antiqu. Eccl. rit. l. I, cap. 6 art. 5, 7; *Goar*, Euchol. p. 673 sq.; *Galtier*, De poenit. n. 503; *Morinus*, De admin. Sacr. Poenit. l. VIII; *Denzinger*, Ritus orientalium p. 101.

queat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est (can. 886). — Moralistae subtilius prosequuntur quaestionem hanc de neganda vel differenda absolutione. Hic sufficit in memoriam revocare principium, poenitentem certo dispositum ius habere suscipiendi sacramentum, quod Christus pro fidelibus eorumque spirituali utilitate instituit; confessarius autem poenitentem admittens eiusque confessionem excipiens ex quasicontractu se obligat ad sententiam secundum Christi institutionem ferendam; porro prudens iudicium de certa dispositione poenitentis in hoc sacramento latius sumi debet, quam certitudo de apta materia in aliis sacramentis; secus contra Christi institutionem huius sacramenti administratio redderetur odiosa et moraliter impossibilis.

133. Poenitentia imponenda. « Pro qualitate et numero peccatorum et contritione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungere debet; quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere » (can. 887). Theologis relinquenda est demonstratio, qua ratione satisfactio imposita a confessario sit pars integralis sacr. poenitentiae, non essentialis; a moralistis vero repetendae sunt normae unde confessarius dignoscere possit quantitatem et qualitates satisfactionis sacramentalis imponendae, ad hoc ut verae dici possint *salutares* et convenientes.

134. Officium confessarii. A theologis communiter quadruplex officium seu munus confessario assignatur: 1⁰) patris; 2⁰) medici; 3⁰) doctoris; 4⁰) iudicis; quae officia nituntur in generali obligatione ministri huius sacramenti procurandi quae necessaria sunt ad validam et licitam ac fructuosam sacramenti administrationem et receptionem. — Codex insistit in officio *iudicis,* et *medici* hoc pacto: « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat » (can. 888, § 1). Officia supra memorata diffuse explicant moralistae, quae eorum provincia est.

Cum officio iudicis, cuius est causam instruere et iuvare poenitentem ad sinceram et plenam sui manifestationem in iis quae sunt de necessitate sacramenti, connectitur prohibitio canonis 888, § 2: « *Caveat omnino sacerdos confessarius, ne complicis nomen*

inquirat »; item cum eodem officio et cum officio medici connectitur altera eiusdem canonis prohibitio: « ne curiosis et inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget ».

Prohibitionem exquirendi nomen complicis graviter urserat Benedictus XIV tribus constitutionibus hac de re editis, sc. encycl. « *Suprema* » (Iulii 1745); const. « *Ubi primum* » (2 Iunii 1746); const. « *Ad eradicandum* » (28 sept. 1747); quae constitutiones confirmationem et sanctionem poenalem in transgressores habuerunt in const. « *Apost. Sedis* » sect. II, n. 1. In illis constit. praxis damnatur tamquam scandalosa et perniciosa ac tam famae proximorum quam ipsi etiam sacramento iniuriosa, tandem ad sigilli sacramentalis violationem inducens et ab eiusdem sacramenti usu fideles alienans.

135. Sigillum sacramentale (22). I. Eius *natura* est strictissima obligatio sub secreto servandi ea quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Nititur lege divina naturali per legem ecclesiasticam confirmata; et oritur ex ipsa lege qua fideles gravia peccata confiteri debent nec tenentur id facere nisi *secreto* cum *iure* ad confitenda etiam peccata levia et etiam pro his quaerendi spirituale et divinum remedium sacramenti: quae lex et commune ius in tuto non essent, nisi strictissima obligatio teneret confessarios secreti servandi; imo et in vitam humanam et socialem grave periculum perturbationis induceretur, nisi summa securitas praeberetur fidelibus, qua confidere possent numquam fore, ut secreti laesio esset timenda. Porro facile daretur occasio hallucinationis et ingentis abusus periculum immineret, si eadem severitate non esset prohibita revelatio rei, quam confessarius levem putaret, ideoque secreti lex ita imponitur, ut ne in levissima quidem re eam infringere liceat.

Violatio sigilli est contra virtutem religionis et continet sacri-

(22) Cfr. Conc. Later. IV, cap. 21; Decret. Gregor. IX tit. de poenit. V, 38; S. C. de P.F. 14 Ian. 1806; 29 Febr. 1836 in Collect. n. 937, 939; Clementis VIII Decr. 26 Maii 1593; S. O. 18 Nov. 1682; 9 Iulii 1915. Commentatores in tit. Decret. v. gr. *Reiffenstuel, Schmalzgr.*; *Ballerini-Palmieri* t. V, 591 sq. et generatim moralistas v. gr. *D' Annibale* Summ. III, n. 357 sq.; *Lehmkuhl* l. c. II, n. 455 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 752 sq.; *Cappello* l. c. n. 878 sq.

legii rationem, est enim manifestus abusus sacramenti quo reguntur relationes hominis ad Deum; cui obligationi accedit violatio iustitiae ex quasi-contractu et adiungi potest atque plerumque adiungetur alterius iniustitiae malitia si secum ferat poenitentis diffamationem ideoque iniustam famae laesionem. Quare, si totaliter respiciatur, parvitatem materiae non admittit, saltem ex radicali, respectu ad religionem, huius virtutis violatione, licet forte iustitiae violatio in re levi censeri posset parva (23).

II. **Notae historicae.** Primis saeculis religionis christianae canones non reperiuntur, quibus laesio sigilli poenis canonicis subiiceretur. At postquam Leo I (can. 89, D. 1 de poenit.) declaravit secretum servandum esse de peccatis cognitis ex occulta confessione, prima vice c. 20 Conc. Davin. in Armenia (a. 527-531) sacerdotes violantes sigillum sacramentale anathemate plectuntur. Cfr. quoque *Denzinger,* Ritus Orientalium p. 101. Eadem obligatio sigilli urgetur in aliis Conciliis provincialibus, velut in Duciensi (a. 874), in Rothomagensi (a. 1074) can. 8. Gratianus vero ante can. 2, Dist. VI, de Poenit. (cap. incert.) poenam *depositionis* commemorat in frangentem sigillum (24). Concil. Lateran. IV, cap. 21 = cap. 12 X. de Penit. V, 38, praeeunte Conc. Diocleens. in Dalmatia (a. 1199) c. 4, urgens obligationem sigilli, severissimas decrevit poenas in sigilli violatores, quas retulerunt plura Concilia provincialia postea celebrata. Cfr. *Cappello* l. c. n. 933 sq.

136. III. *Lege ecclesiastica* urgetur: 1°) quatenus strictissime prohibetur confessarius, ne verbo aut signo aut *alio quovis modo et quavis de causa* prodat aliquatenus peccatorem (can. 885, § 1); 2°) praeterea ipsi omnino prohibetur usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, etiam quando exclusum sit quodvis revelationis periculum (can. 890, § 1); 3°) Superiores pro tempore existentes et confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, prohibentur ne ullo modo ad exteriorem gubernationem uti

(23) Cfr. *Ballerini-Palmieri* V, n. 591 sq.; *Suarez,* De poenit. d. 33, sect. 1, sq.; *Lehmkuhl,* II n. 455 sq.; *Cappello* l. c. n. 878 sq.; 884 sq.; *Ferreres,* Theol. mor. II, n. 752 sq.

(24) Ibi statuitur haec poena: « si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat »; quae poena, utpote in dedecus ordinis sacerdotalis vergens, postea in poenam perpetuae reclusionis fuit mutata. Con. Later. IV l. c.

possint notitia quam de peccatis in confessione habuerint (can. 890, § 2).

Prohibitio sub n. 1° relata, est illa quae directe refertur ad sigillum stricto modo intellectum et iure naturali et divino strictissime praeceptum: prohibitiones sub n. 2° et 3° commemoratae prohibitionem divini iuris extendunt et magis in tuto ponunt iuris divini observantiam.

Violatio sigilli confessionis sacramentalis in primo sensu intellecti esse potest aut *directa* aut *indirecta.* Illa consistit in *expressa* revelatione materiae sub sigillo confessionis sacramentalis cognitae cum manifestatione personae poenitentis. Altera vero habetur, si quis vi cognitionis ex sola confessione sacramentali haustae aliquid dicit vel facit aut non dicit vel non facit, ex quo periculum oriatur, ne peccatum poenitentis ex sola confessione sacramentali cognitum aliis innotescat aut saltem poenitenti vel ipsius complicibus gravamen procuretur (25).

Subiectum huius obligationis est imprimis et *principaliter* sacerdos, cui poenitens in confessione sacramentali peccata sua detexit; *secundario* sunt omnes alii ad quos notitia confessionis quoquo modo sive immediate sive mediate, iuste vel iniuste pervenit (can. 889, § 2) (26).

Obiectum dolosae et prohibitae revelationis sunt omnia peccata confessa, et quae ad peccatorum explicationem spectant, insuper quidquid in confessione a poenitente manifestatum est, cuius revelatio cedit in odium sacramenti vel in gravamen poenitentis (27).

Subiecta, quibuscum omnis communicatio notitiae sigillo confessionis munitae est interdicta, non solum sunt tertiae personae destitutae scientia seu notitia materiae sigillo confessionis tectae, sed etiam illae, quibus res in confessione manifestae satis notae sunt velut complici vel alteri confessario poenitentis, imo vel ipse poenitens extra confessionem, nisi is confessario sponte et expresse licentiam dederit (28).

(25) Cfr. *Lehmkuhl* l. c. n. 465; *D'Annibale* l. c. n. 362; *Ferreres* l. c. n. 770 sq.; *Cappello* n. 910 sq. Quae distinctio etiam fit in Codice can. 2369.

(26) Semper autem tenendum obligationem sigilli oriri ex omni et sola confessione sacramentali, quod valet et de sacerdote et de aliis. *Ferreres* l. c. n. 757 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 361, 362; *Cappello* l. c. n. 889 sq.

(27) *Ferreres* l. c. n. 761 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 459 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 360; *Cappello* l. c. n. 897 sq.

(28) *Ferreres* l. c.; *D'Annibale* l. c.

Nulla autem causa excusat a violatione sigilli; quare secreti obligatio *a*) praevalet cuivis obligationi seu legi ex adverso occurrenti; *b*) nullam rei parvitatem admittit saltem violatio directa; *c*) in dubiis heic semper tutiora tenenda sunt et sigillo favorabiliora, sive dubium sit *facti*, sive iuris (29).

Quoad poenas nunc standum est canoni 2369, ubi in § 2, etiam dicuntur puniendi alii praeter ipsum sacerdotem confessarium, licet diverso modo (30).

Quoad usum notitiae habitae in confessione, sine revelatione aut eius periculo, imprimis attendenda est damnatio doctrinae, saltem quoad partem oppositae praescriptis can. 890, facta a S. Officio 18 Nov. 1862 (Cfr. *Denzinger-Bannwart*, Enchir. n. 1220). Cum praedictis can. cit. praescriptis connexa est Instr. S. Officii 9 Iunii 1915 (*Ferreres* l. c. n. 771 sq.), ubi traditur, confessarios, qui sive in privatis colloquiis, sive in publicis ad populum concionibus loquuntur de submissis in sacramentali confessione potestati clavium, etsi reticeant omnia quae poenitentis personam quomodocumque manifestare queant, violari *aliquo modo* ipsum sigillum;

(29) Cfr. *D'Annibale* l. c. n. 359; *Ferreres* l. c. n. 756.

(30) Canonica procedura ad puniendum delictum violationis sigilli specialem habet difficultatem ob ipsam naturam delicti, quod pendet a facto notitiae habitae ex sacramentali confessione, quae est res prorsus impervia et soli confessario et poenitenti nota; insuper adest singulare periculum ne in ipsa procedura incaute sigillum violetur, et notitia forte uni data ad alios perveniat cum novo poenitentis gravamine. Ob vehementem suspicionem circa fidem, quam saltem directa et plene deliberata violatio sigilli secumfert, competentia circa hoc delictum pertinet ad S. O. in quo ob speciale et rigorosum secretum illis incommodis quoad maximam partem occurritur; de se tamen iudicium primae instantiae spectat ad Ordinarium, cui reus ex titulo legitimae competentiae subiectus est, nisi tamen ad vitanda probabilia scandala satius ducat Ordinarius iam in prima instantia causam deferre ad iudicium S. Officii.

Iudex ecclesiasticus contra reum violationis sigilli sacramentalis sine dubio legitime procedit, si poenitens, cuius peccatum revelatum est, licentiam concedit; at huiusmodi licentia absolute et simpliciter seu pro omni casu ad proceduram iudicialem instituendam necessaria esse non videtur; secus post mortem poenitentis in sacrilegum sigilli violatorem inquisitio iudicialis et coercitio canonica non iam locum habere possent. Porro in ipsa procedura iudiciali, nisi reus delictum suum confiteatur, accusatori vel denuntianti incumbit onus probandi. Quae probatio ob delicti naturam et enormitatem etiam per testes singulares fieri potest, et ad condemnationem poenasque infligendas sufficit, dummodo eae concurrant circumstantiae, ut ex omnibus illis testimoniis singularibus *plena certitudo* de delicto habeatur, et reus suis exceptionibus vim probandi attestationum elidere non valeat. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 83 sq.

porro in hoc saltem peccari, quod praebetur aliqua species sive apparentia atque *suspicio iniuriae*, quod *piae aures audientium* offendantur, quod excitetur *diffidentia* contra sacramentum. Ceterum quaestionem ipsam de usu notitiae habitae ex confessione, sine ulla revelatione breviter et concinne tractat *D'Annibale* l. c. 363, 364 relatis aliorum doctorum sententiis; *Cappello* l. c. n. 914, 919, sq., 928 sq.

137. Obligatio confessiones audiendi. « Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi *iustitiae* obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant » (can. 892, § 1). Quae obligatio gravior est in casu *gravis* et multo magis extremae vel quasi-extremae necessitatis. — Oritur haec obligatio ex quasi-contractu.

« Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur *ex caritate* confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes » (can. 892, § 2).

De huiusmodi obligatione speciatim conferendi sunt moralistae.

CAPUT II

De reservatione peccatorum

138. **Fontes:** C. 2 de poenit. et remiss. V, 10 in VI°; c. 1 de priv. V, 7, in Clem.; c. 1 de priv. V, 7, in Extravg. com.; Conc. Trid. sess. XIV, de poenit. cap. 7, can. 11; Clemens VIII, Decr. « *Sanctissimus* » 26 Maii 1653; Clemens X, const. « *Superna* », 21 Iun. 1630; Clemens XII, const. « *Admonet nos* » 11 Aug. 1735; Pius VI, const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. damn. 44, 45; Instr. S. Officii 9 Iun. 1915.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in tit. XXXVIII, l. V v. gr. *Schmalzgrueber* in hoc tit. n. 47 sq.; *Suarez*, De censuris. disp. VII; de Poenit. d. XXIX, sect. I; *Ojetti*, Synopsis v. reservatio; *Lehmkuhl* II, n. 402 sq. 535 sq. *D'Annibale* Summ. III, n. 323 sq. 365 sq.; *Ballerini-Palmieri* V, n. 645 sq. 1085 sq.; *Ferreres*, Thel. mor. II, n. 667 sq.; *Cappello* l. c. n. 503 sq. et generatim Doctores theol. moralis.

139. Notio. Reservatio nihil aliud est quam actus Superioris quo avocat ad suum iudicium quosdam casus, limitans absolvendi

facultatem inferioribus confessariis (can. 893). Directe hic agitur de peccatorum reservatione; quoniam autem sunt censurae quae impediunt sacramentorum receptionem, in tali casu reservatio censurae importat reservationem peccati, ideoque inter unam et aliam reservationem est maxima connexio (can. 893, § 1).

Per reservationem immediate attingitur sacerdos, communis confessarius, cuius iurisdictio restringitur; mediante confessario attingitur ipse poenitens, qui pro absolutione tenetur recurrere ad superiorem vel ad alium ab eo deputatum (can. 893, § 1).

140. Divisio. *Species duplex* datur reservationis, altera est *peccatorum* directe et immediate, altera mediante censura reservata; seu, ut dicitur: alii sunt casus reservati *ratione sui* seu *ratione peccati;* alii reservati *ratione censurae;* nec repugnat dari reservationem, quae immediate attingat et peccatum et censuram qua punitur, licet de facto haec tertia species non detur.

Plerique casus *episcopales* sunt simpliciter reservati sine censura; *papales* omnes habent censuram et ratione ipsius reservantur uno excepto, sc. calumniosa accusatione seu denuntiatione de crimine sollicitationis (can. 894) (31).

Disquisitiones historicae de disciplina et praxi priorum saeculorum in administrando sacramento poenitentiae, praesertim circa maiorem rigorem eo tempore adhibitum, potius quam in textu iuris canonici, specialibus monographiis sunt instituendae nec in ordinario cursu etiam superiori iuris canonici sunt proponendae, sed historiae ecclesiasticae et studio privato sunt relinquendae. Interim cfr. *Hausmann* Geschichte der päpslichen Reservatfälle — Ein Beitrag zur Rechts und Sittengeschichte. — Regensburg, 1868. — Primum exemplum notum reservationis papalis, qua de determinato delicto, per ius commune impositus est recursus Romanus pro poe-

(31) Illud est discrimen valde practicum, quod si peccatum reservatur propter censuram, ubi delinquens a censura excusatur non inducitur reservatio peccati et quod absolutus a censura v. gr. in foro externo non amplius subiacet reservationi peccati. Peccatum vero *ratione sui* reservatum, si habeat adnexam censuram manet reservatum licet censura non fuerit contracta aut fuerit sublata.

Secundum criterium Codicis est, ut ubi habetur censura reservata, peccatum non ratione sui reservetur sed ratione censurae; et ita intelligendae sunt reservationes Episcoporum nisi modo omnino expresso aliud dicat Episcopus in suo decreto.

nitentiae impositione et absolutione habetur sub Innocentio II contra percussores clericorum (primum a. 1131, postea a. 1139 in Conc. Lateran. II): « ut nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat », quae est formula solemnis reservationem significans (cap. 29, C. XVII, q. 4).

141. Triplex finis passim assignatur, ob quem reservatio induci potest: vel *in poenam delicti* ad deterrendos fideles a certis flagitiis, veniae difficultate proposita; vel in *medicinam peccantis,* seclusa poenae ratione, in quantum ad graviora et periculosiora vulnera animae peritior medicus iubetur adiri; vel *in hierarchici ordinis tuitionem* (finis *disciplinaris*) seu, ut loquitur Tridentinum l. c. « ut atrociora peccata a summis dumtaxat sacerdotibus absolvantur » et hoc « pertinere dicitur ad christiani populi disciplinam »; obligatio haec recursus est implicita recognitio ordinis hierarchici.

Finis *poenalis,* iure Codicis, a reservatione *peccati* est excludendus, licet poenitenti gravamen imponat; nec reservatio ponitur inter poenas, nec puniuntur iure Codicis nisi delicta: gravamen igitur inservit ad conservationem disciplinae ecclesiasticae, et ipse recursus ad praeditum potestate in reservata rationem habet medicinae saltem per se, licet in casu particulari *per accidens* possit absolvere communis et non specialiter delectus confessarius. At reservatio censurae eumdem habet finem ac ipsa censura cuius est aggravatio; sicut directe per censuram intenditur puniri delictum, poena utique medicinali, ita per reservationem censurae intenditur ipsius poenae aggravatio, ita ut censura reservata sit gravior non reservata, reservata potestati altiori sc. Rom. Pontificis sit gravior quam reservata potestati inferiori, puta Episcopi. In ipsis reservatis Rom. Pontifici statuitur gradatio poenae prout simpliciter, speciali modo, specialissimo modo reservatio decernatur. Ideo in reservatione censurarum attendenda principia iuris poenalis in libro V proposita.

142. Potestas reservandi peccata. Hanc habent qui *ordinario iure* concedere possunt potestatem audiendi confessiones. Pariter quoad censuras, qui potestate pollent illas ferendi (can. 933, § 1). Id autem est ex natura rei, cum is qui potest iurisdictionem concedere, eam valeat restringere seu limitare nisi iure communi prohibeatur. Excipiuntur in ipso canone Vicarius Capitularis, qui

regimen dioecesis habet provisorium et Vicarius Generalis: utriusque exceptionis ratio illa est, quod agatur de re valde gravi ad disciplinam ecclesiasticam et pro illo valet principium « sede vacante nihil innovetur », pro hoc eadem ratio qua efficitur ut requiratur *speciale* mandatum (cfr. can. 368, 2220, § 2).

Quare in particulari potest: 1°) Rom. Pontifex; 2°) Ordinarii locorum; 3°) *Superior Generalis* religionis clericalis exemptae et in monasteriis sui iuris *Abbas* cum proprio Consilio.

143. Modus utendi potestate. « *Locorum Ordinarii* peccata ne reservent, nisi re in Synodo dioecesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis *necessitas* aut *utilitas* comprobata fuerit » (can. 895).

Eadem regula tenetur Superior Generalis et Abbas sui iuris, qui ad hoc tenetur adhibere sum Consilium. At quoad reservationem in religione clericali exempta, firmum manet principium canonis 518, § 1, et 519 (can. 896).

Criteria prae oculis habenda in inducendis reservationibus, ad haec capita reducuntur: *a)* « Casus reservandi sint pauci omnino, tres sc. vel ad summum quatuor ex gravioribus et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum et collapsam forte disciplinam christianam instaurandam » (can. 897).

b) « Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit » (can. 898). Cfr. can. 2247, § 1.

c) « Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Ordinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videbitur modo, eaedem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant » (can. 899 § 1) (32).

(32) Cfr. Instr. S. Officii, die 13 Iulii 1916, unde Codicis canones desumpti sunt. Praecesserat S. C. Ep. et Reg. 9 Ian. 1601 apud *Benedict. XIV*, De Syn. l. V, c. V, n. 4; S. C. C. die 29 Ian. 1661 iubens reducere numerum reservatorum (ibidem); Clemens VIII, suo decreto 26 Maii 1593 pro regularibus ad undecim reducens casus reservatos.

144. Subiectum passivum reservationis sunt omnes, qui sunt capaces peccati reservati, nisi aliquis expresse excipiatur. Porro reservationibus subsunt *peregrini,* qui confessionem faciunt in loco ubi viget reservatio, cum absolvantur iurisdictione accepta ab Ordinario loci, qui eam limitavit quoad reservata. Habetur de hac re expressa decisio Commiss. Codic. 24 Nov. 1920. Nec excipiuntur religiosi exempti si confessionem peragant apud sacerdotem saecularem vel religiosum, qui utatur iurisdictione accepta ab Ordinario loci, ubi statuta est reservatio, ob eamdem rationem. At religiosi exempti, aliique de quibus in can. 514, reservationibus ab Ordinario loci statutis non tenentur relate ad confessarium qui iurisdictionem non limitatam accepit a proprio Superiore exempto. Ignorantia reservationis *peccati,* quidquid sit de iure praecedenti, in quo gravis extitit controversia (33), de iure Codicis a reservatione non liberat, seu caret iurisdictione simplex confessarius ad absolvendum peccatum reservatum poenitentis qui reservationem ignoravit; certum est enim iure Codicis reservationem peccati non esse poenalem sed limitationem iurisdictionis communis confessarii, quae fit, ut supponitur, sine distinctione. Ceterum iam hoc deducitur e decis. Commiss. Codicis (24 Nov. 1920, A. A. S. XII, 575) quod reservationibus teneantur peregrini, qui profecto censendi sunt ignorare reservationes loci, ubi ut peregrini versantur (34). De censura reservata standum est praescripto can. 2229.

145. Cessatio reservationis. Dantur casus, in quibus reservatio ex ipsa iuris communis dispositione cessat absque ullo actu Praelati reservantis; cuius cessationis is est effectus, ut perinde illud peccatum a communi confessario absolvi possit, ac si numquam fuisset reservatum; nec in poenitente ita absoluto ulla remanet obligatio aut iterandi peccati confessionem aut recurrendi ad Superiorem ut mandata recipiat.

De iure communi Codicis reservatio cessat seu, quod in idem recidit, omni vi caret: 1°) Cum confitentur *aegroti* qui domo egredi nequeunt, vel *sponsi* matrimonii ineundi causa.

(33) Cfr. *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 476, sq.

(34) *Ferreres* l. c. n. 672 sq; *Cappello* l. c. n. 529 sq.; *Vermeersch-Creusen,* Epitome II, n. 174. Cfr. tamen *Fuster* in Razón y Fe vol. 52, p. 510 sq., vol. 53 p. 103, 216, 510 sq.

2⁰) Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit (35), vel, prudenti confessarii iudicio, facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis (36).

3⁰) *Extra territorium reservantis*, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ab eo discesserit (can. 900).

146. Facultas absolvendi a reservatis. I. Facultatem absolvendi a reservatis ex potestate *ordinaria* competit Praelato qui reservationem statuit, eius successori, superiori qui iurisdictionem habet in subditos Praelati inferioris, Vicario generali et Capitulari quoad reservationes sive a iure sive ab Episcopo statutas.

II. Potestatem *delegatam* is habet, qui a praedictis numero praecedenti *specialem* facultatem acceperit.

III. *Ipso iure* absolvendi facultas competit canonico poenitentiario; quae facultas attento canone 401, § 1 videtur dicenda ordinaria, non a iure delegata, licet a poenitentiario subdelegari non possit, quod videtur etiam inde inferri ex hoc quod exerceri possit in dioecesanos etiam extra territorium dioecesis (cfr. can. 881, § 2).

IV. Imponitur Ordinariis, ut facultatem delegatam habitualiter impertiantur *saltem vicariis foraneis*, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo casu ad eos recurrant (can. 889, § 2).

V. Praeterea iurisdictione ab ipso iure delegata a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum habentur (can. 889, § 3).

Inde autem patet, in hodierna disciplina, reservationi peccatorum non multum insisti, ita ut vere possit dici iuris favorem non habere, nec ullo modo reprehensionem mereri Ordinarios qui nullam peccatorum reservationem statuant.

(35) Cfr. simile praescriptum Clementis VIII; pro regularibus, Decr. « *Sanctissimus* » 26 Maii 1593; *Ferreres* l. c. n. 684.

(36) Grave incommodum plerumque erit: gravis difficultas redeundi ad confessarium postquam hic petitam facultatem obtinuerit; necessitas celebrandi, difficultas abstinendi a communione sine nota vel suspicione etc. *Vermeersch* l. c. n. 174; *Cappello* l. c. n. 554.

CAPUT III

DE SUBIECTO SACRAMENTI POENITENTIAE

147. Uberior explanatio canonum sub hoc capite subiectorum potius ad provinciam moralistarum pertinet, ad quos facile remitti potest ut consulatur brevitati et vitentur repetitiones.

I. Subiicienda sunt huic sacramento per humilem et sinceram confessionem omnia peccata mortalia nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam quis habeat, cum declaratione circumstantiarum, quae speciem peccati mutent (can. 901).

II. Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti poenitentiae (can. 902).

III. Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri (can. 906). Cui praecepto non satisfacit, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam (can. 907).

IV. Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, si velint, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firma in interprete obligatione servandi sacramentale sigillum (can. 903).

V. Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri (can. 905).

VI. Quilibet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare debet loci Ordinario vel S. C. S. Officii; et respective confessarius tenetur graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere, idque fieri debet ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Paenitentiae* 1 Iun. 1741 (37).

(37) Cfr. *De Smet*, De casibus reservatis et de sollicitatione etc. Brugis, a. 1914; *Cappello* l. c. n. 640 sq.; *Vermeersch*, Epitome, II n. 186 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. II n. 691 sq.

Scholion. Nondum videtur authentico et certo modo dirempta quaestio controversa, num adultus sub conditione baptizandus ob dubium de priori baptismo accusare seu confiteri debeat peccata nondum clavibus subiecta ab eodem commissa post primum baptismum, quod resultat dubium; quam controversiam etiam moralistis relinquendam putamus (38).

CAPUT IV

DE LOCO AD CONFESSIONES EXCIPIENDAS

148. Praecepta disciplinaria Ecclesiae de hac re ad haec pauca reducuntur:

I. Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semipublicum (can. 908). Agitur de recipiendo sacramento, cui maxime congruit ut in loco sacro ministretur. — Nihilominus generali modo edicitur licere virorum confessiones etiam in aedibus privatis excipere (can. 910, § 2).

II. Mulierum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit (can. 910, § 1).

III. De ipsa sede ad confessiones audiendas mulierum ea iubetur collocari in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semipublico mulieribus destinato — Debet autem esse instructa crate fixa et tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium (can. 909) (39).

(38) Cfr. V. gr. *Vermeersch* in Epitome II, n. 184 et *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 527. Circa quam controversiam utiliter consulitur longa Disquisitio *Man-najoli*, De obligationibus christianorum propriis, Romae 1913.

(39) Codex nihil praecipit *de tempore*; ex natura autem rei quolibet tem-pore confessiones audiri possunt, quia quovis die et quavis hora hoc sacra-mentum potest esse necessarium. Confessiones vero mulierum expedit ut non audiantur nisi horis diurnis, seclusa necessitate; qua existente, si nocturnis horis excipiantur debitae cautelae servandae sunt tum bonae aedificationis causa tum ut evitentur quilibet abusus.

Pariter nihil statuitur *de veste* adhibenda in audiendis confessionibus; quare in hac re standum est Rituali Romano, in cuius editione post Codicem (a. 1925)

Cfr. de hac re plures S. Sedis declarationes et responsa v. gr. S. C. S. Offic. (40); S. C. P. F. (41) — Porro Commissio Codic. (24 Nov. 1920) declaravit praescriptum can. 909 § 2 de modo sedis confessionalis, servandum esse generaliter in omnibus confessionibus, non in solis confessionibus mulierum; unde per se confessiones virorum, quando in ecclesia vel oratorio publico excipiuntur in sede confessionali excipiendae sunt, quae tamen pro viro potest esse specialis, et distincta a sede pro confessionibus mulierum audiendis. In hac re necessaria est Episcoporum vigilantia et inspectio ne abusus introducantur, quorum mandatis omnino parendum est.

CAPUT V

DE INDULGENTIIS

149. Fontes: Grat. decret. tract. de poenit. C. XXXIII q. 3. — Compl. I, lib. V tit. 33 d. poenit. et rem.; Compl. II, lib. V, tit. 17, eod.; Compl. III, lib. V, tit. 20 de poenitentiis; Compl. IV, lib. V, tit. 14 de poenit.; Compl. V, lib. V, tit. 17 de remiss. — Decret. Greg. IX, l. V, tit. 38, de poenit. et remiss.; Decretal. Bonif. VIII lib. V, tit. 10, d. p. et r.; Constit. Clem. V, lib. V, tit. 9 eod.; Extravg. com. lib. V, tit. 9 eod. — Conc. Trid. Sess. XIV, doctr. de s. poenit. sacram.; Sess. XXIV, cap. 8, de ref. de poenit. publica; Sess. XXV, cap. 6, decret. de indulg. — Decretal. Clem. P. VIII, ed. Sentis p. 183 cum Constit. R. Pontif. ibidem allegatis. — Decreta auth. S. C. Indulg. a. 1883; Rescripta auth. S. C. Indulg. a. 1885.

Scriptores: Commentat. iur. Decretal. in h. l. V, 38. — *S. Raymundus*, Summa l. III, tit. 34 de poenit. et remiss. — *Devoti*, Inst. can. lib. II, tit. 2, sect. 4, de poenit.; *Theodor. a Sp. Sancto*, Tract. de indulgentiis; *Amort*, De orig.; progressu, valore et fructu indulgent. — Theologi dogmatici et moralistae de sacram. poenit. et de indulgentiis (42). — *Thomassin.*, Vet. et nova Eccl.

---

tit. III, cap. 1 n. 10 edicitur: « Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo ». Alias iam responderat S. R. C. « *Conveniens est*, ut *in ecclesia* adhibeatur *stola*, iuxta S. R. C. decreta » (31 Aug. 1867, Decr. Auth. n. 3658). Cfr. alia decreta in ead. collectione n. 3426, 3542.

(40) S. Offic. 25 Nov. 1874 in Collect. S. C. P. F. n. 1424.

(41) S. C. de P. F. 26 Aug. 1780, (in cit. Collect. n. 545); 17 Mart. 1785, (in Collect. n. 572); 13 April. 1807, 12 Febr. 1821 (in Collect. n. 692, 754).

(42) *Bellarminus*, De indulg.; *Caietanus*, Opusc. tr. VIII, De indulgent. *Suarez*, De poenitentia disp. 49 sq.; *Lugo*, De poenitentia disp. 29; *Ballerini-Palmieri*, Opus morale, tom. V; *Palmieri*, Tract. de poenitent. n. 766 sq.; *De San*, Tract. de poenitent.; *Pesch*, Theolog. dogmat. tom. VII, de sacr. poenit. pag. 461 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. II, n. 784 sq.

discipl. P. I, lib. 2, cap. 10-16; *Sirmond,* Histor. poenit. public.; *Beringer-Mazoyer* (1905), Les Indulgences vol. I, p. 1; *Paulus,* Geschichtl. d. Ablasses im Mittelalter vom Ursprung bis zur Hälfte d. 14 Jahrh. 3 vol.; *Frank,* D. Bussdisciplin; *Iungmann,* Dissertationes select. in hist. eccl. t. II, p. 137 sq.; *Funk* in Kirchenlex. v. Bussdiscipl. II, 1561 sq.; *Galtier* in Dict. Apologét. v. Indulgences; *Maguin* in Diction. d. Theol. v. Indulgences. *Schmitz,* D. Bussbuecher; *Pignataro,* De discipl. poenitent. priorum Eccl. saec.; *Bloetzer* in Act. theol. Oenip. tom. XI, p. 483 sq. 593 sq.; *Hinschius* l. c. tom. IV, p. 84 sq. 694 sq. 715 sq. 816 sq., tom. V, p. 85 sq. 153 sq. pro suis principiis protestanticis de his rebus catholicis disputat.; *Meurer* suo modo in Archiv f. k. K. tom. 49, p. 177 sq.; *Vermeersch,* Epitome, II, n. 200 sq.; *Cappello,* De poenit. n. 946 sq.

Connexio materiae. Indulgentiae considerari possunt quasi complementum quoddam sacr. poenitentiae, cum per ipsas remittatur poena temporalis, quae in homine iustificato per sacramentum, etiam expleta satisfactione sacramentali, remanet luenda; atque ita ipsum divinae iustitiae rigorem, quem in sacramentali absolutione misericordia non plane absorbuit, per novam hanc potestatem indulgentiarum Ecclesia devincit, applicatis novo hoc modo Christi Domini infinitis meritis et satisfactionibus.

150. Notio. « Omnes magni faciant *indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis, debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii* » can. 911. Quibus habetur completa et accurata indulgentiarum notio, unde constat haec elementa contineri: 1⁰ remissio poenae temporalis Deo debitae; 2⁰) quae extra sacramentum datur; 3⁰) ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum, qui in Ecclesia esse dicitur; 4⁰) auctoritas concedentis; 5⁰) causa aliqua pia, propter quam indulgentiae conceduntur; 6⁰) subiectum capax eiusdem indulgentiae.

Itaque: *a)* est remissio *poenae, non culpae* nequidem venialis (43): nam ad veniales culpas remittendas requiritur aliquis actus eius qui peccavit, qui sit vel formalis vel virtualis detestatio culpae; qui actus a solo poenitente ponitur, non ab altero confertur ei qui reus est; nec remissio quae hunc actum sequitur est indulgentia

(43) Venialem culpam remitti videtur censuisse *Paludanus* cfr. *Bellarminum,* De indulg. l. 1 c. 7; *Palmieri,* De Poenit. p. 444 sq.

concessa ab Ecclesia, est indulgentia Dei, qui posita ea detestatione immediate ex se solo culpam remittit (44).

Est remissio poenae *debitae Deo,* non poenae subeundae eo quod ab Ecclesia fuerit imposita, a qua sola liberet indulgentia, datur enim his qui nulla obligatione tenentur poenae ab Ecclesia impositae (45).

II. Datur *extra sacramentum,* ut est manifestum et sine ulla actione sacramentali v. gr. etiam per modum legis, vigentis quoque post mortem concedentis, et dantur ab eo quoque qui sacramentum administrare non valet v. gr. a diacono electo in Pontificem vel in in Episcopum instituto, nec ulla in dandis indulgentiis potestate pollet sacerdos ex eo tantum quod plena potestate sit instructus ad confessiones audiendas.

III. Conceditur per modum absolutionis vivis, per modum suffragii pro defunctis. Indulgentiam esse absolutionem quamdam per modum sententiae aperte indicat Alexander III (c. *Quod autem consuluisti* hoc tit.) docens neminem posse concedere indulgentiam nisi propriis subditis; defunctis autem, qui non amplius sunt suditi Ecclesiae, solum per modum suffragii.

IV. Absolutio, cum sit actus potestatis, oportuit hanc potestatem concedendi indulgentias fieri Ecclesiae a Deo; nisi enim ipse concedat, nemo poenam Deo debitam propter offensam eidem factam remittere potest.

V. Dispensantur indulgentiae de thesauro meritorum Christi,

(44) Si in nonnullis antiquis documentis seu formulis occurrunt verba *a culpa et poena,* ea deberi quibusdam praeteritorum saeculorum *quaestoribus* affirmat *Benedictus XIV,* De Synodo l. XIII, c. 18 n. 7, quos revera coarguit Clemens V (Clementin. V, 9, c. 2); non sunt ergo verba Ecclesiae concedentis indulgentias, sed imprudentium hominum credulitate fidelium abutentium, *Palmieri* l. c. p. 445. Si in nonnullis documentis antiquioribus fit sermo de condonandis *peccatis,* pariter notum est, eo praesertim tempore, nomine peccati designari non solum reatum culpae, sed passim etiam reatum poenae. Cfr. 2 Macchab. 12, 46; 1 Ptr. 2, 24 *Benedict. XIV* l. c.; *Suarez,* disp. 50, sect. 1 n. 14; *Ballerini-Palmieri* V, n. 763. Cfr. *Hilgers,* Die Katholische Lehre von den Ablässen p. 147 ubi refert codicem manuscriptum saec. XIII (Romae, Codex Vallicellanus B. 44), in quo habetur absolutio *a culpa et poena* ex facultate a Papa obtenta sed post peccatorum confessionem.

(45) Remissionem habere effectum coram Deo apud divinam iustitiam constat ex art. 19 Lutheri a Leone X proscripto et a damnata propositione 40 pseudo-Synod. Pistor. per const. « *Auctorem fidei* » Pii VI.

quibus accedunt satisfactiones sanctorum. Cfr. de huiusmodi thesauro Clementis VI Decret. « *Unigenitus* » *de Poenitentiis et remissionibus;* propos. 17 Lutheri damnata (46).

Ideo absolutio Ecclesiae non est tantum actus iurisdictionis remittentis poenam ex potestate divinitus accepta, sed etiam *solutio* seu exhibitio Deo alicuius pretii seu satisfactionis loco illius satisfactionis, quam deberet ille, cui indulgentia conceditur: accipiuntur nimirum satisfactiones ex thesauro meritorum Christi et sanctorum et hae offeruntur Deo pro remissione poenae, quam fideles debent. De essentia indulgentiae est, ut liberatio a debito poenae *auctoritative* fiat *vi solutionis* ex thesauro Ecclesiae.

VI. Cum Ecclesia domina non sit, sed solum administratrix thesauri meritorum Christi, ei non licet pro lubitu illud dispensare, requiritur aliqua iusta causa, quae Domino probari possit ut rata ab ipso habeatur haec dispensatio, causa sc. finalis pia seu aliquod bonum, cuius consecutio, ratione habita divinae gloriae et eorum quae a nobis Deus secundum ordinariam providentiam exigit, censeatur vel aeque vel magis accepta Deo quam personalis satisfactio quam fideles ipsi exhibent pro suis peccatis (47).

VII. Tandem requiritur subiectum capax, sc. membrum Ecclesiae actu pertinens ad unitatem Ecclesiae, quia potestas ligandi atque solvendi non exercetur nisi in subditos; porro indulgentiarum thesaurus spectat ad communionem sanctorum (48), cuius participes non sunt qui v. gr. per apostasiam vel excommunicationem avulsi sunt ab Ecclesia.

151. Divisio. Distinguitur: I. Ratione effectus: in *plenariam* seu *totalem* et *partialem;* illa, complete obtenta, omnem tollit poenam peccatis debitam; haec solummodo poenae partem aufert. Si partialis dicitur unius vel aliquot annorum, vel tot dierum aut quadragenarum, non intelliguntur dies, anni etc. quos quis deberet in igne purgatorii manere ad congruam satispassionem, sed anni poenitentiae canonicae, i. e. tot remittuntur poenae, quot remitterentur

(46) Cfr. *Beringer-Mazoyer* l. c. I, p. 29 sq.; Cappello l. c. n. 551 sq.
(47) Cfr. S. Thom. suppl. q. XXVI, a. 2; *Lugo* cit. disp. XXVI; *Palmieri* l. c. pag. 449 sq.
(48) *Beringer-Mazoyer* l. c. p. 24 sq.

ex propria satisfactione per expletionem canonicae poenitentiae, quando viguit severior antiquae Ecclesiae disciplina de poenitentia canonica (49).

Partialis vero subdividitur in *indeterminatam* et *determinatam:* illa habetur si remittitur tertia vel quarta pars poenae debitae, cum in diversis subiectis debitum sit inaequale; hac quando remittitur in determinata quantitate v. gr. decem annorum *Schmalzgr.* h. t. n. 1.

II. Ratione durationis, potest esse *perpetua* aut *temporaria.*

III. Ratione obiecti cui adnectitur: in *personalem* quae certis personis directe conceditur; *localem* quae tantum in certo loco obtinetur; *realem* quae coniungitur cum possessione vel usu certae rei.

IV. Ratione subiecti cui prodesse possunt: in applicabiles defunctis et profuturas tantum iis, *qui eas lucrantur:* priores ab iis, qui eas lucrantur, possunt pro lubitu aut sibi aut defunctis applicari; posteriores tantum prosunt iis, qui eas lucrantur. Adsunt etiam, quae solis defunctis prosunt v. gr. illae quae conceduntur pro iubilaeo, in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

152. Scholion I. Solet assignari discrimen inter indulgentias *pro vivis* et indulgentias *pro defunctis* in hoc, quod vivis datur per modum *absolutionis,* defunctis per modum *suffragii.*

At ex dictis illa *absolutio* poenae quae fit per indulgentiam vivo concessam adiunctam habet *solutionem* quae fit per applicationem meritorum sive satisfactionum Christi et Sanctorum, quia secundum ordinem divinae sanctitatis et iustitiae nullus reatus sive culpae sive poenae sine satisfactione remittitur.

Pro defunctis nulla indulgentia ut talis prodest, nisi a R. Pontifice concessa fuerit ut defunctis applicabilis. Dari non possunt defunctis per modum absolutionis quia Ecclesiae non amplius sunt subditi. Posse autem per indulgentias animas defunctorum iuvari satis colligitur ex communione Sanctorum, quae inter membra ecclesiae triumphantis, militantis, patientis, intercedit; ex qua constat et efficaciter probatur propriis fidelium bonis operibus atque sacrificio Missae defunctorum animas in purgatorio existentes iuvari posse: inde autem facile infertur R. Pontificem, mediantibus bonis

(49) Cfr. de severa illa antiqua disciplina poenitentiali: *Morinus,* De discipl. in administr. sacr. Poenit. l. 6; *Schmitz,* Die Dussbücher; *Beringer-Mazoyer,* l. c. p. 18 sq.

operibus fidelium ex thesauro Ecclesiae augere posse illam opem, quam alias fideles ex sese defunctis praestare iam possunt. Quando indulgentia dicitur applicabilis defunctis, *directe* datur vivis, *indirecte* et mediate defunctis. Ille indulgentiam directe accipit, qui facit id pro quo indulgentia conceditur v. gr. visitationem ecclesiae; indirecte datur ei, pro quo aliquis facit id, quod est indulgentiae causa, quod certe defunctus per se ipse praestare non potest. At hic quoque intervenit actus quidam potestatis et dispensatio thesauri Ecclesiae, quam etiam in favorem defunctorum habet. Qui actus potestatis Ecclesiae erga defunctum si non est absolutio, etiam non videtur esse simplex *solutio* seu exhibitio pretii Deo; sed est solutio pro defunctis cum interventu auctoritatis Ecclesiae seu potestatis clavium erga viros. In indulgentia pro vivis bonum opus ponit is, cui indulgentia datur; in indulgentia pro defunctis, non hi, sed vivus cum defuncto vinculo caritatis coniunctus ponit opus, quod sicut privata auctoritate posset applicare ad modum privati suffragii, ita auctoritate Ecclesiae potest applicare ad modum indulgentiae seu secundum illam quantitatem pretii quod solvitur ex Ecclesiae thesauro, seu secundum remissionem poenae quae acquiritur per indulgentiam. Quam quidem remissionem ipse vivus acquirit, non quatenus ipsi poenae remittantur; tunc enim locus non esset remissioni alterius, sed quatenus causam ponit, propter quam facultas ipsi fit applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem aequivalentem subministrat Ecclesia ex thesauro meritorum Christi. Applicatio a fideli fit eo ipso quod pium opus ponit cum illa intentione, quae hoc continet ut Deus velit eam remissionem poenae concedere defunctis, cuius valorem Ecclesia subministrat ex thesauro. Et hoc est indulgentiam applicari defuncto per modum suffragii. Cfr. *Palmieri* cit. Appendice § 4. Aliter rem explicat *Lugo*, De Poenit. disp. 27, n. 70 sq. per elevationem operis ad vim satisfactivam ex opere operato; quae explicatio ingeniosa sed artificiosa aliis videtur. Cfr. *Palmieri*, l. c.; *Lehmkuhl*, II, n. 534.

Inde autem satis communiter infertur non constare de effectu infallibili indulgentiae in defunctis, licet adfuerit auctoritas in dante, causa proportionata et vivus rite praestiterit opera requisita; cfr. *Palmieri* l. c. § IV, n. 1. in fine, ubi tandem concludit de hac re idem asserendum esse quod dicitur de satisfactione oblata pro aliis cfr. eumdem *Palmieri* thesi XXXIX, n. 7; *Bellarminum*, De Indulg. cap. 14. Ubi etiam notandus usus quem servat Ecclesia celebrandi

per complures annos ac pro eisdem animabus v. gr. anniversaria, etiam in altaribus privilegiatis seu quibus inhaeret privilegium indulgentiae plenariae, qui usus certe non cohaeret cum ea persuasione Ecclesiae, quod statim in primo sacro ipsis applicato liberentur. Certum tamen est indulgentias defunctis applicatas ut plurimum ipsis prodesse: porro non est dubitandum quin habeant specialem efficaciam, prae suffragiis a fidelibus ex propria voluntate applicatis, quod eruitur ex auctoritate et dignitate Ecclesiae dantis et offerentis satisfactionem, quae profecto excedit dignitatem privati cuiusvis fidelis.

Scholion II. « Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis omnes a Rom. Pontifice concessae nisi aliud constet, applicabiles sunt » (can. 930).

Quod hoc canone sancitur, fuit perpetua praxis S. Sedis. Utrumque principium enuntiatum videtur esse ex natura rei. Nam primo indulgentia vivo concessa est actus iurisdictionis et vera absolutio a poena (cap. *Quod autem* (Alexandri III) de poenit. et remiss.); porro videtur res inaudita, quod reus absolutus absolutionem sibi datam in alium transferat, ut non ipse, sed hic alius censeatur absolutus; nec cuiusvis est iurisdictionem in se a Superiore exercitam in alium exercere.

Quod autem indulgentia pro vivis concessa, non possit pro arbitrio eam lucrantis applicari defunctis etiam exinde videtur esse ex natura rei: nam talis indulgentia est absolutio, cuius non est capax anima defuncti; qui autem indulgentiam acquirit non efficitur administrator thesauri Ecclesiae; si vero intervenit Rom. Pontifex, tum lucranti indulgentiam datur optio, ut, si velit, illam sibi lucretur per modum absolutionis, vel, si ei magis placuerit, per modum suffragii offerat pro defunctis.

Utrum autem sit ita ex natura rei, ut absolute non possit a Romano Pontifice fieri illa facultas transferendi indulgentiam alteri vivo, nondum videtur efficaciter probari posse. Cfr. *Palmieri* in Analecta eccles. vol. III, p. 89, sq.; *Lehmkuhl* II, n. 534.

153. Notae historicae. I. Dubitandum non est, cum agatur de potestate divinitus concessa, iam ab initio Ecclesiam hanc potestatem concedendi indulgentias, quidquid sit de actuali ipsius usu ha-

buisse (50). Porro Concil. Trident. sess. XXV, Decreto de indulgentiis, aperte docet Ecclesiam hac potestate divinitus sibi concessa *ab antiquissimis etiam temporibus* usam fuisse. Dogma potestatis clavium cuius usu Ecclesia efficaciter aperit fidelibus regnum caelorum, doctrina de thesauro meritorum Christi in Ecclesia existente ut dispensetur fidelibus ac conceptus corporis mystici quo fideles colligantur inter se et cum Christo huius mystici corporis capite, sunt veritates quae in aperta praedicatione et professione in ipsa ecclesia apostolica habebantur: sunt autem dogmata in quibus innituntur indulgentiae. Cuius usus non immerito agnoscitur in exemplo Apostoli Pauli (2 Corint. II, 10) et Apost. Ioannis (Euseb. Hist. eccl. l. 3, c. 23) (51). Vigente disciplina poenitentiali antiqua, qua poenitentes gravissimis poenitentiis subiiciebantur, nihilominus Episcopi censebantur iure gaudere de poenitentiis impositis aliquid condonandi, quin tamen censerentur ipsis poenitentibus nocere, si quod expiabatur per poenitentias, relinqueretur ab ipsis expiandum in purgatorio (52).

II. Porro *remissiones* de quibus hoc tit. iuris Decretalium agitur (cap. 4, 14, 15) significant veras indulgentias quamvis hoc nomine per longum tempus non donarentur (cap. 1, 3 h. t. in VI°; cap. 1, 2, 4, h. t. in Etrav. comm.), per ipsas namque, loco satisfactionis poenalis, relaxatio poenarum temporalium *Deo debitarum* in foro *divino* concedebatur; quae remissiones iam antiquissimo tempore concedi solitae sunt: ad quas remissiones revocari possunt etiam condonationes saltem partiales *antiquarum poenitentiarum*, quibus fideles aut sponte aut ab auctoritate ecclesiastica compulsi sese subiecerunt (53).

Cum remissionibus connexae sunt *redemptiones;* etenim poenitentiis canonicis stricto iure persolvendis cum approbatione auctoritatis ecclesiasticae alia opera tamquam aequivalentia fuerunt *subrogata* v. gr. loco ieiunii, eleemosynae pro pauperibus, pro libe-

(50) Cfr. *Palmieri* l. c. p. 452 sq. quod ex non usu potestatis nequeat inferri eius carentia.
(51) *D' Alés* in Etudes vol. 144, p. 299 sq.
(52) S. Cyprianus, Epist. X, ad martyres et confessores, Epist. XII ad clerum de lapsis. (P. L. IV, 256, 259); *Lainez*, Disput. Trid. II p. 115; *D' Alés*, l. c. p. 300 sq.
(53) Cfr. can. 5, 16 Conc. Ancyr. (a. 314); c. 3, Conc. Neocaes. (a. 314-325); can. 12, Conc. Nicaeni; S. Basilius, ep. ad Amphil. c. 34, 62, 74 apud *Pitra* t. I p. 592 sq. Conc. Rom. (a. 853); *Wildt* in Kirchenl. v. Ablasse I, 99 sq.

ratione captivorum aut aliis operibus piis, aut etiam oratio, psalmorum recitatio: quae substitutiones sive subrogationes dicebantur redemptiones (54). Atque cum his remissionibus partialibus antiquarum poenitentiarum intime connexae sunt indulgentiae partiales: nam illis indulgentiis partialibus v. gr. 7 annorum vel 7 quadragenarum tot poenae temporales in *ipso foro divino* sive coram Deo censentur remitti, quot remissae fuissent, si quis per septem annos vel per septem quadragesimas opera antiquis poenitentibus ab Ecclesia imposita rite persolvissent. Iam vero veras indulgentias fuisse illas remissiones et redemptiones a Praelatis obtentae, inde patet quod obtineretur vera deletio poenae Deo debitae (55).

III. Demum antiquam praxim veram, quoad substantiam, indulgentiam concedendi, probat praxis etiam antiqua reconciliandi sine mora poenitentes qui a *confessoribus* obtinuissent *libellos pacis;* ubi martyrum passiones loco satisfactionis, quam deberent poenitentes, accipiebantur ab Episcopis et hi auctoritate ecclesiastica propter merita martyrum reconciliabant poenitentes vel ante peractum poenitentiae stadium vel eo non absoluto.

IV. *Peregrinationes* Romanae in usu fuisse iam saec. VII, et deinceps frequentiores esse factas constat, et RR. Pontifices peregrinantibus, sive sponte sive ab Episcopis missis absolutionis obtinendae causa, minores poenitentias solitos esse imponere intuitu longi itineris et devotionis erga Beatos Apostolos. Quae mitior poe-

(54) Illae redemptiones circiter a saeculo septimo in Britannia ortae mox in alias regiones septentrionales divulgatae sunt. Cfr. *Schmitz* l. c. p. 144 sq. Quae redemptiones sicut tota instructio de disciplina poenitentiae, haud raro continebantur in *libris poenitentialibus,* quorum plures iam saec. VI et VII orti sunt. Qui libri cum paulatim multiplicarentur, atque plures non essent immunes ab erroribus et poenitentias leviores exigerent, practicae abolitioni publicae poenitentiae et pro severiori disciplina antiqua cuidam laxismo locum dabant (cfr. querelas Conc. Turonensis can. 28 et Cabilonensis can. 38); inde a saec. IX magna oppositio illis libris fieri coepta est et RR. PP. ad antiquos canones provocantes severiorem disciplinam inducere conati sunt unde antiquae stationes poenitentiales per aliquod tempus in Occidente sunt renovatae. Cfr. *Weiss Ant.*, Hist. eccl. tom. I p. 215, 517. Sed inde a saec. XIV poenitentiae publicae a praxi Ecclesiae penitus recesserunt. *Innocent. IV* Comm. in cap. 7 h. t.; *Hostiensis*, Summa l. I 41, 24, n. 3; *Benedictus XIV*, De Syn. l. XI c. 11, n. 4; *Funk* in Kirchenl. v. Buss disciplin. p. 1576, 1587; *Schmitz* l. c. p. 799.
(55) *Pontius* Archiep. Arelat. c. a. 1016; *Wildt* l. c. p. 101 sq.; *Palmieri*, De poenit. p. 458 n. VII.

nitentia admixtam habebat remissionem illarum poenarum, a quibus se liberassent coram Deo per poenitentiam rigidiorem (56).

V. Pugnam armatam contra fidei hostes Ecclesia fovit per benedictiones et veras indulgentias seu relaxationes poenarum peccatis debitarum. Exinde iam ex aliis causis v. gr. ad aedificationem templi et ad alia opera pia fuerunt concessae vere indulgentiae et theologi dedita opera expolierunt doctrinam de indulgentiis (57).

Art. 1. — De indulgentiarum concessione

154. Potestas Ecclesiae ad concedendas indulgentias in theologia dogmatica demonstratur. Ipsi doctores dogmatici hoc argumentatione deducunt theologica ex potestate clavium Ecclesiae a Christo tradita, ex doctrina Ecclesiae (cfr. Conc. Trid. sess. XXV, decr. de indulgentiis), ex praxi Ecclesiae et ex ratione theologica (58).

(56) Cfr. *D'Alès* l. c. in Études pag. 481 sq.

(57) Cfr. Epist. Stephani II ad Francos contra Longobardos (P. L. 89, col. 999 sq.); Ioannis VIII contra Saracenos ad Episcopos Galliae (P. L. 126, col. 816; Alexandri II (1063) ad Hispanos ad luctandum contra Mauros; S. Gregorii VII, (1076) habitantibus in regno teutonico fidem christianam defendentibus. Tandem Urbanus II in Conc. Claromont. (1095) c. 2 occurrentibus ad liberandam Terram Sanctam, ubi declarat et decernit « iter illud pro omni poenitentia regulari » et poenas peccatis debitas auctoritative relaxat, quod veram indulgentiam plenariam sonat. Secuti sunt alii Pontifices, velut Paschalis II (4 Maii 1100), Calixtus III in Conc. Lateran. I, Alexander III (a. 1171), Gregorius VIII 29 Octobr. 1187, Innocentius III (a. 1208) in lucta contra Albigenses etc.

Quod attinet ad indulgentias pro defunctis, primum ut videtur, ipsa plebs christiana proprio marte etiam praeveniendo Praelatorum Ecclesiae enuntiationes indulgentias vivis concessas coepit applicare defunctis, in ea persuasione quod Deus hoc officium caritatis ob communionem sanctorum benevole acciperet. Postea vero theologi v. gr. S. Thomas, re examinata, docuerunt, Ecclesiam posse concedere indulgentiam defunctis applicabilem (*Paulus* l. c. vol. I p. 299 sq.). De facto prima indulgentia papalis defunctis applicabilis ea videtur esse quam Calixtus III, a. demum 1457 concessit et in Hispania promulgata est. Similem indulgentiam deinde Sixtus IV a. 1476 et Innocentius VIII a. 1488 concesserunt, expresse monentes se *per modum suffragii* indulgentiam defunctis concedere velle (*Paulus* l. c. vol. III, 382 sq.). Sub Alexandro VI demum et postea crebrius indulgentiae pro defunctis concedebantur.

Celebritatem maximam deinde obtinuit *indulgentia iubilaei* coniuncta cum favoribus et gratiis generalibus, praesertim circa absolutionem a censuris. Primam Bullam edidit Bonifacius VIII pro a. 1300.

(58) De perpetua Eccl. praxi egregie disserit: *Amort*, De origine, progressu indulgent.; *Theodor. a Sp. Sancto*, Tract. de Indulg.

155. *Subiectum* in quo residet potestas est primo et per se *Romanus Pontifex:* nam indulgentia est remissio poenae Deo debitae pro peccatis remissis cum solutione Deo facta ex thesauro meritorum Christi et sanctorum Ecclesiae relicto; qui thesaurus cum non sit huius vel alterius dioecesis sed totius Ecclesiae in communi, ex natura rei illi quoad dispensationem est commissus qui universae Ecclesiae gubernacula tenet seu Romano Pontifici (59), nec ab Episcopis dispensari potest nisi dependenter a R. Pontifice, qui proinde tantam habent potestatem sive ordinariam quanta a R. Pontifice ipsis collata fuerit (can. 912). Quare ad R. Pontificem pertinet indulgentias omnes sive plenarias sive partiales concedere, tam pro vivis per modum absolutionis, quam pro defunctis per modum suffragii.

Inferiores Romano Pontifice nequeunt: 1°) Facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum; 2°) Indulgentias concedere defunctis applicabiles; 3°) Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur (can. 913).

a) potestate *ordinaria* (60) a iure expresse concessa pollent:

1°) *Cardinales,* qui concedere possunt indulgentiam *ducentorum* dierum etiam toties quoties lucrandam in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis item in aliis lociis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandam (can. 239, § 1, n. 24).

2°) *Archiepiscopi* concedere possunt indulgentiam *centum* dierum tam pro sua dioecesi quam pro tota sua provincia (can. 274, 2°).

3°) *Episcopi residentiales* concedunt indulgentiam *quinquaginta* dierum, iam a capta possessione tametsi nondum sint consecrati, quia ea in re exercent actum iurisdictionis (can. 349, § 2). Episcopis in hac re in suo territorio aequiparantur Abbates et Praelati *nullius* (can. 323, § 1); item *Vicarii* et *Praefecti* Apostolici, etsi Episcopi non sint, intra limites sui territorii et durante munere (can. 294 § 2, 912) (61).

(59) S. Thom. suppl. q. 71, art. 10; in IV D. 45, q. 2, art. 2; Quodlib. 2 art. 16. *Suarez* l. c. disp. 49, sect. 1, n. 15 sq.

(60) Vere ordinaria dici potest et debet, quae a iure adnexa est officio, tametsi non competat nisi ex concess. Rom. Pontificis (can. 197, § 1).

(61) Limitatio potestatis Episcoporum inducta est per Conc. Lateranense

At nec *Vicarii Generales* nec *Capitulares*, ulla in hac re pollent potestate, multo minus parochi.

4°) Ad potestatem ordinariam videtur referenda potestas quae a iure fit Episcopo consecratori in consecranda ecclesia vel altari, qui, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare illo die visitantibus; in die vero anniversaria Episcopus potest concedere indulgentiam 50 dierum, Archiepiscopus 100 dierum, Cardinalis 200 dierum (can. 1166, § 3).

b) Potestas *delegata* eruenda est ex variis concessionibus v. gr. Nuntiis et Delegatis Apostolicis aliisque factis.

Ad hanc potestatem delegatam reducenda est facultas, vi cuius parochus vel alius sacerdos, qui in *articulo mortis* infirmo assistit, eidem benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria secundum formam praescriptam impertiri potest (can. 468, § 2). Atque idem dicatur de aliis qui pollent facultate dandi apostolicam benedictionem cum indulgentiis adnexis, quae ex natura rei est reservata personae Romani Pontificis, nec ab alio dari potest nisi ex ipsius commissione.

156. Indulgentiarum interpretatio debet esse lata, servata tamen verborum proprietate, agitur enim de gratia, quae de se latam patitur interpretationem: quare est habenda *perpetua* quae conceditur sine ulla temporis praefixione; debet censeri quod *toties* possit lucrifieri *quoties* opus praescriptum iteratur si non ponitur limes v. gr. per clausulam *semel in die;* quae limitatio intelligenda

---

IV can. 62, a quo inductum fuit ut Episcopi non possent concedere indulgentias nisi 40 dierum, in die consecrationis ecclesiae unius anni; Cardinales vero 100 dierum. Ius in Codice contentum inductum fuerat per decr. Pii X, de die 28 Aug. 1903.

Rom. Pontifex nunc indulgentias concedere solet per S. Poenitentiariam. Per longum tempus id praestiterat per S. C. « Indulgentiarum et Reliquiarum » institutam a Clemente IX brevi « *In ipsis* » 6 Iulii 1669. Quae specialis Congregatio a Pio X fuit suppressa in nova ordinatione Curiae Romanae, const. « *Sapienti consilio* » 29 Iul. 1908, in quo indulgentiarum administratio speciali sectioni S. Officii fuit commissa. Tandem Benedictus XV hanc administrationem ad S. Poenitentiariam transtulit, relicto S. Officio peculiari iure « videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt » *Wernz-Vidal* vol. II, n. 490. Cfr. collectiones: « Decreta authentica S. C. Indulg. et Relig. » (a. 1883); *Schneider*, Rescripta authent. S. C. Indulg. sacrisq. reliq. praepos. (a. 1885).

est facta in indulgentia plenaria, quae semel tantum in die lucrari potest, nisi aliud expresse cautum fuerit, tametsi praescriptum opus pluries in die ponatur (can. 228).

Nonnullae interpretationis regulae ab ipso legislatore dantur, hoc pacto:

a) Indulgentia plenaria concessa pro festis Domini N. Iesu Christi vel pro festis Beatae Mariae Virginis, ita interpretanda est, ut intelligatur concessa dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur (can. 921, § 1).

b) Concessa indulgentia plenaria vel partialis pro festis Apostolorum, ita interpretanda est, ut intelligatur concessa dumtaxat pro eorum festo natali seu pro die martyrii (can. 921, § 2).

c) Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario perdurante peraguntur, translatae intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine solemnitate et externa celebratione ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum solemnitas et externa celebratio (can. 922).

d) Qui a Rom. Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earundem concessionum ad S. Poenitentiariam deferendi (can. 920). Adest summa convenientia, ut notae sint Rom. Pontifici per organum ad hoc destinatum huiusmodi concessiones, quae ius quoddam commune constituunt.

157. Indulgentiarum divulgatio. « Novae indulgentiae ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci » (can. 914, § 1). Quae praescriptio eo pertinet, ut praecludatur occasio divulgandi falsas indulgentias. Refertur autem ad solas indulgentias concessas ecclesiis vel altaribus, non ad indulgentias mere personales seu singulis personis concessas, in quibus memoratum periculum non existit. Propter eamdem rationem, inconsulto Ordinario loci, publicandae non sunt indulgentiae novae, quae alicui piae associationi a religiosis erectae fuerint concessae, ut expresse cavet can. 713 § 1. Quae divulgatio seu publicatio ob consensum Episcopi nullum valorem indulgentiis confert; nec consensus Episcopi est necessa-

rius ad valorem, sed unice postulatur ut fideles certi sint, exclusa possibili fraude. — Publicatio Romana generatim fit per insertionem in Act. A. S.

Quae divulgatio seu publicatio generatim fit per editionem librorum seu libellorum, in quibus earum concessiones continentur. Hi porro libri et libelli edi non possunt sine Episcopi licentia ad normam can. 1388, § 1 (can. 919, § 2). At licentia S. Sedis requiritur, ut typis mandetur, quovis idiomate, tum collectio authentica indulgentiarum a Sede Apostolica concessarum, tum elenchus indulgentiarum Apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum et numquam approbatum vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum, (cit. can. 1388, § 2).

158. Cessatio indulgentiarum. Haec potest considerari in indulgentiis *personalibus*, in *realibus* et *localibus*.

I. *Personales* cessant per obitum personae, ut per se patet, nam personae adhaerent et considerari possunt ut privilegium personale (can. 74). Hic ipse earum character efficit, ut sint obnoxiae revocationi; quae revocatio possibilis raro admodum in praxi fit.

II. *Reales: a*) indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur (can. 924, § 2).

Ergo imprimis res benedictae et indulgentiis ditatae vendi non possunt, non solum augendo pretium propter benedictionem vel indulgentias quod esset simoniacum, sed nequidem iusto pretio respondente valori materiali rei; sed si vendantur ipso facto indulgentias amittunt. Non tamen est prohibitum nec indulgentiae amittuntur, si venditori committatur ut ipse nomine suo benedictionem procuret, tametsi pretium valoris materialis cum transmissionis expensis ipsi solvantur cum iam post benedictionem fuerint receptae.

Coronae indulgentias non amittunt, si aliis donentur aut commodentur; si chorda seu catena rumpitur et grana denuo coniungantur, ipsis enim granis indulgentiae adnectuntur, nec refert quo ordine reponantur; nec amittuntur indulgentiae si paucis granis alii substituantur; si vero plerique coronae grana amittantur indulgentiae coronae cessant.

b) Indulgentiae Apostolicae habendae sunt ut mere reales ac proinde ipsis applicandae sunt normae praecedentes, ut constat ex responso S. Poenitentiariae 18 Febr. 1921 (A. A. S. XIII, 164).

c) Indulgentiae *reales*, quae alicui associationi, puta confraternitati fuerint concessae, cessant penitus extincto coetu seu persona morali; quae personae morales non extinguuntur nisi vel a legitima auctoritate supprimantur, vel per centum annos completos esse desierint; porro uno socio superstite adhuc permanere censentur (can. 102).

III. Indulgentiae *locales* cessant, si ecclesia, cui adnexae sunt penitus *destruatur*, nisi intra quadraginta annos rursus aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo (can. 924, § 1). Quod principium etiam alicui altari videtur esse applicandum.

Indulgentiae plenariae hoc est peculiare seu proprium, ut nisi aliud in concessionis tenore expressum fuerit, adquiri possit semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur (can. 928, § 1). Quod tamen non impedit quominus plures in die indulgentiae plenariae adquiri possint ex diversis titulis, seu ex praestitis diversis operibus, quorum singulis plenaria indulgentia adnexa sit. E contra partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri, (can. 928, § 2).

159. Conditiones operum. 1. Quoad indulgentias tum plenarias tum partiales valet principium, quod uni eidemque rei vel loco plures quidem ex variis titulis adnecti possint indulgentiae; sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures adquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum sit (can. 933). Ita v. gr. recitatio coronae B. M. V. valet ad lucrandas indulgentias apostolicas et Crucigerorum; ad indulgentias SS. Rosarii et Crucigerorum (Rescript. 12 Iunii 1907).

2. Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari. (can. 932).

3. Opus debet moraliter *totum* adimpleri: cum autem plura praescribuntur, parum per se refert *quo ordine* opera paragantur.

4. Si conditio indulgentiae sit opus praestitum in certum finem oportet ut opus revera in istum finem referatur, cum finis in tali modo concessionis sit pars causae ob quam indulgentia conceditur.

5. Opus praestari debet per ipsum qui indulgentiam lucratur: nihil tamen impedit quominus in eleemosyna danda utatur quis altero tamquam instrumento.

160. Speciales quaedam conditiones in particulari sunt attendae, quae frequenter exiguntur pro indulgentiis plenariis, sc. *visitatio ecclesiae, confessio, communio, preces.* Vide num. seq.

1. *Visitatio ecclesiae* si praescribitur *indeterminate,* praescripto satisfit per visitationem cuiusvis ecclesiae vel oratorii publici, nec sufficit visitatio oratorii privati aut semipublici sine speciali concessione.

« Fideles tamen utriusque sexus qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae non determinatae, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera praescripta rite praestiterint » (can. 929). — Simili privilegio gaudent in propriis sacellis Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi etiam titulares cum propriis familiaribus (can. 239, 349).

Visitatio praescripta fieri potest a meridie praecedentis diei usque ad mediam noctem quae diem statutum claudit (can. 923). Quodsi plures visitationes fieri debeant, hae non multiplicantur, nisi per egressum et novum accessum. Visitatio fieri debet cum pia intentione colendi Deum, nec fieri debent determinatae preces nisi expresse exigantur; sed pia aliqua precatio certe expedit fieri sine determinata tamen precum formula.

2. Indulgentia plenaria concessa ut *quotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est, ut quacumque die, sed semel tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur (can. 921). — Basilica tamen S. Petri perpetua indulgentia gaudet ad instar Portiunculae, quae proinde lucrari potest toties quoties, quolibet anni tempore. Cfr. const. Clementis XII « *Inter sacra loca* » 22 Febr. 1738; Benedicti XIV const. « *Ad honorandam* » 27 Martii 1752; Monitore eccl. a. 1901 mense Martio.

Art. 2. — De indulgentiis acquirendis.

161. *Capacitas* ad sibi lucrandas indulgentias habetur in homine baptizato, non excommunicato, subdito concedentis, qui sit in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum.

Conditiones requisitae. Supposita capacitate, ut quis eas actu lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera adiuncta adimplere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem (can. 925).

Porro, nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi omnesque exempti in territorio degentes (can. 927). Ergo peregrini quoad huiusmodi favorem ab ipso iure fiunt subditi concedentis.

Statum gratiae requiri ad lucrandas *pro se* indulgentias dubitari non potest: non acquiruntur nisi prout conceduntur; ex memorato can. 925 non conceduntur nisi saltem ultimum opus praescriptum ponatur in statu gratiae: cuius rei illa est ratio quod non remittitur poena temporalis, nisi dimissa culpa et poena aeterna, porro indulgentia tunc acquiritur dum completur opus praescriptum (62).

(62) Ratio allegata valet certissime pro lucranda indulgentia plenaria. Non est undequaque efficax ad excludendam partialem v. gr. pro remissione poenae debitae peccatis iam remissis, si ponantur opera praescripta in statu peccati (Cfr. *Palmieri* l. c. § 1, n. XI; *Lugo* l. c. n. 84). Ecclesia indicat hanc conditionem dum indulgentiam largitur *corde contritis* vel qui determinatum opus ponunt *corde saltem contrito*, quo casu evidens est requiri statum gratiae saltem procuratum per actum contritionis.

Difficultas potius est circa necessitatem status gratiae ad lucrandam indulgentiam *pro defunctis*, quam non resolvit citatus canon, qui agit de indulgentia *sibi* lucranda. Porro duplex ante Codicem aderat sententia; prima *communior* etiam pro his requirebat statum gratiae, quia non ipse Rom. Pontifex applicat indulgentias, sed concedit ut applicabiles, et consequenter prius eam lucrari debet fidelis vivus ut possit eam applicare defunctis, non potest autem vivus eam lucrari nisi in statu gratiae (Cf. *Lugo* dip. 67, n. 64, 75; *Palmieri* l. c. § 4, n. 3; *Bellarminus*, De Indulg. l. 1 cap. 4; *Suarez*, De poenit. disp. 53, sec. 4, n. 6). Sententia minus communis *negat*, cum ita explicetur indulgentia pro defunctis, quasi opus praescriptum sit tantum conditio qua posita, ipse R. Pontifex defuncto applicat indulgentias seu satisfactiones Christi et Sanctorum. Cfr. *Suarez* l. c. De illa autem ratione, qua fulcitur sententia negans consulendus est Palmieri in Opus Ballerinianum, n. 791, not. (a). Pro hac sen-

Intentio lucrandi indulgentias saltem generalis profecto habetur in eo, qui quotidie opera diei offert Deo cum intentione lucrandi indulgentias quarum conditionibus faciat satis. Requiritur autem intentio vere *positiva*, quamvis generalis seu non determinata ad hanc vel illam indulgentiam, quae potest haberi tametsi quis ignoret tali operi indulgentiam esse concessam. Sed non sufficit *interpretativa*, quae si sufficeret, cum haec ab omnibus christianis, qui sint in statu gratiae, habeatur, non esset ratio cur inter conditiones speciatim requireretur intentio. Sufficere *habitualem*, seu aliquando expresse elicitam et numquam retractatam plures auctores docent (63).

Indulgentia plenaria quoad effectum ita intelligitur concessa, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet (can. 926) (64). Quod quis, praescripto opere praestito, *plene* talem indulgentiam non lucretur, inde oritur quod saepe evenit ut non sit immunis, ab omni culpae venialis reatu; iam vero poenae pro culpis non remissis debitae per indulgentiam etiam plenariam non remittuntur.

162. *Confessio* vel *communio* dum requiritur ad aliquam indulgentiam lucrandam peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit adnexa; communio autem in pervigilio eiusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam (can. 931, § 1).

Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam etc. ductis concessas, confessio et communio fieri pot-

---

tentia negativa magis esset efficax argumentum, quod illud certe valeat pro indulgentia altaris privilegiati et pro indulgentiis quae solis defunctis applicari possunt. *Lugo* l. c. disput. 27 n. 75 defendit necessitatem status gratiae ex speciali sua theoria de *elevatione* operum praescriptorum, quae non multum commendatur claritate. Cfr. *Palmieri* cit. Append. de Indulgent. § IV n. 4. Rem ante Codicem non esse decisam ex resp. S. C. de Indulg. quae 20 Aug. 1822 noluit rem decidere ad dubium propositum respondendo « Dilata », dein 22 Febr. 1847 rescripsit « *consulat probatos auctores* ».

(63) De hac quaestiones cfr. *Ballerini-Palmieri*, Opus morale V n. 775 sq.

(64) Hodie certo constat hanc esse intentionem Ecclesiae in concedenda quailibet indulgentia plenaria, ut per eam remittatur omnis poena Deo debita. Olim dum adhibebatur triplex formula, et remissio poenarum *plena* vel *plenior* vel *plenissima* dari diceretur ille effectus remissionis omnis poenae debitae Deo censebatur proprius solius remissionis plenissimae. Cfr. *Lehmkuhl* II, n. 325, 4.

est intra octavam quae immediate sequitur exercitium expletum (can. 931, § 2).

Insuper Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum rectą piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei (can. 931 § 3).

Ex iam citato can. 933, *una eademqne communio, una eademque confessio* sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eadem die concessas, quarum singulae communionem vel confessionem exigant, dummodo cetera opera toties peragantur, quot sunt indulgentiae quas eo die quis lucrari velit.

3. *Preces* aut *oratio* ad lucrandas indulgentias requisita v. gr. ad mentem S. Pontificis debet esse aliqua oratio *vocalis* nec sufficit oratio tantum *mentalis*; nisi autem peculiaris oratio vocalis assignetur, potest arbitrio fidelium eligi (can. 934, § 1). Mentalis recitatio sufficit pro indulgentiis adnexis invocationibus et precibus iaculatoriis S. Poenit. 7 Dec. 1933 (A. A. S. XXVI, 35).

Si peculiaris oratio fuerit designata, indulgentiae acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel S. Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam oratio versa fuerit; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem (can. 934, § 2) (65).

Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis partibus cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur (can. 934, § 3).

Muti indulgentias publicis precibus adnexas lucrari possunt, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios

---

(65) De litaniis severe admodum respondit S. Poenitentiaria, indulgentias non lucrari, si dum cantantur semel tantum dicatur *Kyrie eleison* vel singulis titulis non respondeant singula *Ora pro nobis* (21 Iul. 1819, in A. A. S. XII, 18). De more interponendi in medio *Ave Maria* brevem mysterii meditandi enuntiationem S. Poenit. respondit non esse revocatum indultum hac de re a Pio IX concessum, imo ipsa supplicante Benedictus XV extendit facultatem hoc modo recitandi rosarium et lucrandi eius indulgentias (A. A. S. XIII, 163).

sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant (can. 936).

Facultas commutandi pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta generali modo fit omnibus confessariis pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem paestare nequeant (can. 935).

Art. 3. — De peculiaribus quibusdam indulgentiis.

163. I. **Benedictio papalis cum indulgentia plenaria.** Agitur de publica et solemni benedictione quae datur in nomine et in persona Rom. Pontificis, ita ut qui eam dat non solum agit ex delegatione Papae, sed etiam in persona et vice ipsius, ita ut actio dantis benedictionem moraliter habeatur ut actio Rom. Pontificis: tali benedictioni adnectitur de iure plenaria indulgentia (66).

1°) Hanc, secundum praescriptam formulam, impertiri possunt Episcopi in sua quisque dioecesi, bis in anno, hoc est die solemni Paschatis Resurrectionis (67) et alio die festo solemni ab ipsis designando, etiamsi ipsi Missae solemni adstiterint tantum.

2°) Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, idem possunt in suis territoriis, sed uno tantum ex solemnioribus per annum diebus (can. 914).

3°) Regulares, qui *privilegium* habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam (68), sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat (can. 915).

(66) Ab hac benedictione publica et solemni distinguitur *benedictio apostolica in articulo mortis*, quae de vita periclitantibus, ut supra dictum est, dari potest a parocho vel a sacerdote qui infirmo adsistit tunc cum iam viaticum dari potest, quoties repeti potest extrema unctio. Cfr. *Ferreres*, Instit. can. I, n. 764.

(67) Episcopus qui duas aut plures dioecesis regat, non potest iure proprio in aliqua ex praedictis dioecesibus hanc diei Paschatis benedictionem in alium diem transferre. Comm. Cod. 17 Febr. 1930 (A. A. S. XXII, 195).

(68) Formula praescripta habetur in const. Benedicti XIV « *Exemplis praedecessorum* » 19 Martii 1748.

164. II. **Altare privilegiatum** dicitur illud cui adnexa est indulgentia plenaria pro singulis Missis in eo celebratis, applicanda ei pro quo offertur Missa.

Privilegiata adsunt altaria: *a)* in quibus solae Missae, quae pro defunctis celebrantur, indulgentia fruuntur: *b)* alia, in quibus etiam quae pro vivis applicantur; *c)* alia, in quibus privilegium valet solum pro certis quibusdam diebus; *d)* alia, in quibus pro omnibus diebus.

Aliquando indulgentia altaris privilegiati conceditur ut privilegium *personale*, sc. talis sacerdotis ubicumque celebret. Etiam concedi potest et solet ut privilegium *mixtum* sc. pro Missis in tali altari celebratis, sed non a quocumque, sed tantum v. gr. ab iis qui sunt confratres, tertiarii etc. (69).

De hoc privilegio Codex sancit: 1°) Ut indicetur (pro notitia et fidelium et sacerdotum celebrantium) determinatum altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur, nisi: *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba (can. 917, § 1) (70).

2°) Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna (can. 917, § 2).

Quis possit concedere. Ex natura rei est res reservata Stae. Sedi. Ex huius concessione facta per ius commune:

a) Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semipublicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria (can. 916).

(69) Plura de hac re *Mach-Ferreres,* Tesoro del sacerdote v. I n. 646 sq. Non iam amplius est necessarium, quemadmodum antiquitus erat, ut indulgentia haec pro defunctis applicari valide possit, ut Missa *de Requiem* celebretur, si id ritus permittat: *decet* tamen ut fiat estque laudabile pietatis gratia erga defunctos. S. O. 19 Febr. 1913; *Ferreres*, Razón y Fe, vol. 36, p. 239 sq.

(70) Cit. can. videtur supponere in praxi hodierna altare privilegiatum simpliciter concedi pro vivis et defunctis; quod de antiquis concessionibus dici non potest.

b) privilegium ipso iure fit, 1°) ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes Missae gaudeant eodem favore ac si essent ad altare privilegiatum celebratae; 2°) ut omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio Quadraginta Horarum sint privilegiata (can. 917).

Indulgentia altaris privilegiati nequit acquiri et applicari nisi pro illo pro quo offertur Missae sacrificium, non pro alio. Cf. *Melata* in *Analecta eccles.* vol. III, p. 83 sq.

165. Scholion. De iubilaeo in Codice nihil dicitur, quare merito remittere possumus ad doctores Theologiae moralis, qui fuse ea de re disputant; illud solum notando, nihil aliud esse quam indulgentiam plenariam solemnem, *ob aliquem specialem eventum* concessa cum obligatione certa opera pia praestanda, coniuncta cum specialibus facultatibus confessoribus factis circa censuras absolvendas et vota commutanda, cuius generalis et altior finis, praeter singulorum sanctificationem, est aliquod magnum beneficium a Deo obtinendum per communia fidelium totius orbis opera pia et peculiares preces. Primam Bullam iubilaei promulgavit Bonifacius VIII pro a. 1300, quolibet anno centesimo iubilaeum concedens; Clemens VI decrevit, ut a. 1350 et quilibet annus 50 esset iubilaeum; Paulus II tempus restrinxit ad a. 25, inde ab a. 1475.

TITULUS V

DE EXTREMA UNCTIONE

In Decretal: Lib. I tit. 15 de sacra unct., lib. III, tit. 44 de custod. euch., chrism. et *aliorum sacramentor.* (can. 937-947) (1).

166. Fontes: Decret. Grat. c. 3 D. 95; c. 10 C. XVI, q. 10; c. 1 C. XXVI q. 7; c. 18 D. III, de cons.; c. 122 sq. D. IV, de cons. — Cap. 14 X. de verb. sign. V, 40; cap. 1 de privil. V, 7 in Clem. — Conc. Trid. Sess. XIV doctr. de sanctiss. poenit. et extr. unct. sacr. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis* p. 23; Rituale Roman., De sacram. ext. unct.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1143 sq. 2176 sq. — Collect. Lac. v. Unctio extrema; Synod Sciarf. (a. 1888) p. 122 sq.

(1) *Schmalzgr.* l. III t. 44 n. 1.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. v. g. *Schmalzgr.* l. I t. 15 n. 10 sq. — *Zech,* Ius rer. eccl. sect. 2 tit. 7 de sacr. extr. unct.; *Devoti,* Inst. can. l. II t. 2 sect. 5 de extr. unct.; *Scherer* l. c. t. II p. 73 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 135 sq. — *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. VIII cap. 1 sq.; *Ferraris* l. c. v. Extrema unctio. — *Probst,* Sakr. u. Sakramental. i. d. drei erst. Iahrh. p. 373 sq.; *Kraus,* Real-Encykl. v. v. Oelung, Salbung, *Kern,* De sacr. extrem (2).

Praenotiones

167. I. Connexio materiae. Quemadmodum confirmatio est complementum quoddam baptismi, ita sacramentum extremae unctionis est poenitentiae consummativum. Quare ex antiqua Ecclesiae disciplina (nunc in Rituali Rom. mutata) extrema unctio *infirmis* immediate *post* sacramentum poenitentiae administrabatur, ut homo christianus magis expiatus ab omnibus animi sordibus maiore cum dignitate reciperet sacram eucharistiam (3).

II. **Definitio.** Extrema unctio est novae legis sacramentum, quo unctione olei et precibus praescriptis sacerdotis confertur adultis aegrotis vita periclitantibus salus animae et quandoque etiam corporis (4).

III. **Divisio.** Unum est sacramentum extremae unctionis pro infirmis in definitione expressis (5), neque *altera* illa unctio sacro oleo a Graecis etiam hominibus *sanis* et *bene valentibus* data in remissionem peccatorum pro vero sacramento haberi potest (6).

(2) Cfr. quoque theol. dogmaticos et moralistas v. g. *Pesch* l. c. t. VII n. 508 sq.; *Schanz* l. c. p. 639 sq.; *Lercher,* Inst. theol. dogmat. IV, p. 580 sq.; *Lehmkuhl,* Theol. mor. t. II n. 565 sq.; *Ferreres,* Theol. mor. II n. 828 sq.; *Cappello,* De sacr. Extrem.

(3) Conc. Trid. Sess. XIV doctr. d. sacr. extr. unct. pr.; S. R. C. in c. sanctimon. ord. Cist. 8 Mart. 1879; Collect. Lac. t. II col. 582; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 565; *Bened. XIV* l. c. l. VIII, cap. 8 n. 1 sq.; *Devoti* l. c. § 96. Can. 937, ubi datur notio, quae per subsequentes canones completur.

(4) Cfr. de diversis nominibus et definitionibus v. gr. sacr. *infirmorum, exeuntium: Kraus,* Real.-Encykl. v. Oelung; *Schanz* l. c. p. 639.

(5) Quomodo a *compluribus* sacerdotibus administrari possit *unum* sacramentum extremae unctionis, aut vicissim, qua ratione multae unctiones unius sacerdotis in singulis sensibus factae coalescant in unum sacramentum, theologi explicant. Cfr. v. g. *Pesch* l. c. n. 535, 546, 560 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 569 sq.

(6) *Bened. XIV,* l. c. cap. 5 n. 3 sq., ubi huiusmodi sententiam ab ipsis Graecis non admissam ut frivolam reiicit; at simul Const. « *Ex quo* » 1 Mart.,

Multo minus antiquae unctiones *sanatoriae* vel *curatoriae* cum sacramento extremae unctionis sunt confundendae; aliae quoque similes unctiones, quatenus non sunt potius abusus, pariter tantum sacramentalibus adnumerari possunt (7).

IV. **Notae historicae.** Ubi theologi dogmatici ex sacra scriptura et traditione divina demonstrant doctrinam catholicam de vero sacramento extremae unctionis, simul etiam exhibent historicas vicissitudines et impugnationes illius institutionis divinae (8). Quae magis spectant ad disciplinam canonicam infra suis locis insinuare sufficit (9).

§ 1. - DE MINISTRO ET SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

168. I. Minister **capax** extremae unctionis est omnis et solus sacerdos (10) sive Episcopus sive presbyter rite ordinatus (can. 938, § 1) etiam haereticus, schismaticus, degradatus, excommunicatus etc., atque *unicus* sacerdos sufficit, nec complures requiruntur ad *validam* administrationem huius sacramenti (11).

1759 § 48, Graecis denuo prohibet abusum iam ab Innocentio IV Const. « *Sub catholicae* » 6 Mart. 1254 n. 6 damnatum, ne cui per sacerdotes vel confessarios pro *satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo* iniungatur. De neglecta apud Nestorianos et Armenos Extrema Unctione cfr. *Denzinger*, Ritus Orientalium, p. 184 ubi inter alias rationes etiam illam adducit, quod hoc sacramentum in Oriente a septem sacerdotibus ministrari soleat, ritu satis prolixo; hoc autem forsan rigidius tenentes, tanta difficultas in eius administratione orta est, ut sensim plane omiserint; nec omittenda alia ratio, quod valde abhorreant a ritibus sacris in domibus privatis celebrandis.

(7) *Bened. XIV* l. c. l. VII cap. 7 n. 3 l. VIII cap. 1 n. 2; Collect. Lac. t. II col. 152, 583; Bened. XIV cit. Const. « *Ex quo* » §§ 47, 48.

(8) *Pesch* l. c. n. 510 sq.; *Lercher* l. c. n. 493; *Schanz* l. c. p. 639 sq., ubi etiam refelluntur obiectiones recentiorum protestantium v. g. Hahn et Hase, quorum doctrinam sequitur *Hinschius* l. c. t. IV p. 135 sq.

(9) Cfr. praesertim *Bened. XIV* l. c.; *Devoti* l. c.; *Kraus* l. c. (in font.).

(10) Cfr. c. 3, D. 95 (Innoc. I scr. a. 416 ad Decent. Eugub. Ep.); Decret. pro Armen.; Conc. Trid. l. c. cap. 3 can. 4; *Schmalzgr.* l. c. n. 10; *Bened. XIV*, De Syn. l. VIII cap. 4 n. 1 sq.; *Devoti* l. c. § 92 n. 1; *Ferrari* l. c. v. Extr. unct. n. 23, 24.

(11) Cap. 14 X. de V. S. V. 40 (Alex. III scr. a. 1172-73). Quodsi in Ecclesia *occidentali* usque ad saeculum decimum tertium praxis occurrit per *complures* presbyteros administrandi extremam unctionem, huiusmodi *disciplina* iam pridem non solum est antiquata, sed etiam saltem seclusa necessitate nunc

II. **Competens** vero sive *legitimus* minister est solus sacerdos capax nec aliunde prohibitus (12), qui vi *officii* sive ex potestate *ordinaria* in fideles sibi assignatos exercet curam animarum v. g. Ordinarius loci, parochus (13), Praelatus regularium exemptorum (14), aut qui ab iisdem ordinariis Superioribus legitimam accepit *delegationem* vel licentiam (15), nisi agatur de casu necessitatis, vel etiam extra necessitatis casum licentia parochi vel Ordinarii rationabiliter praesumi possit aut debeat (can. 938, § 2), salva autem manet facultas, quam aliis tribuunt can. 397, 514.

III. **Obligati** ministri sunt imprimis omnes sacerdotes, quibus *vi officii* incumbit cura animarum, et a quibus fideles *pro suo iure* postulant sacramenta; in casu vero necessitatis ex ordinata caritate etiam alii sacerdotes obligantur ad extremam unctionem administrandam (can. 939). (16).

---

secundum ritum latinum *illicita*. Cfr. *Bened. XIV* l. c. l. VIII cap. 4 n. 4 sq.; *Devoti* l. c. not. 2; *Lehmkuhl* l. c. n. 571; *Keru* l. c. 338 sq. 259; *Lercher* l. c. n. 503. In Ecclesia *orientali* per plures sacerdotes v. g. tres vel septem extrema unctio licite administrari potest, *ubi huiusmodi consuetudo viget*, dummodo credant extremam unctionem ab uno presbytero valide et licite confici posse et observent ritum ad valorem et liceitatem requisitum. Cfr. Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 5 n. 3, 4; Collect Lac. t. II col. 37, 152, 582. At nunc iuxta nonnullos ritus orientales *praescriptum* est, ut per *unum tantum* sacerdotem extrema unctio administretur. Cfr. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in cit. Coll. Lac. l. c. col. 152; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 123; quo et desideranda concordia etiam practica obtinetur, et arcetur periculum ne sacramentum ob defectum plurium sacerdotum negligatur aut tempestive administrari non possit. Cfr. praec. not. 5.

(12) Cap. 11 X. de poenit. V 38; *Suarez*, De cens. disp. 33 sect. 1 n. 38 sq.; *Schmalzgr.* l. V t. 39 n. 355; *Hollweck* l. c. p. 127, ubi tamen mitiorem sententiam a *Schmalzgr.*, *Reiffenstuel*, *Lehmkuhl* pro tempore interdicti localis admissam minus recte in dubium vocat; qui rigor nunc certo modo excluditur per can. 2210.

(13) Cap. 1 de privil. V, 7 in Clem. Excommunicatio lata in Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » R. Pontifici simpliciter reservata contra religiosos absque parochi licentia praesumentes *clericis* aut *laicis* ministrare viaticum aut extremam unctionem extra casum necessitatis, mitigato rigore iuris praecedentis, fuit suppressa.

(14) Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 11 de ref.; S. C. Ep. et Reg. in caus. Parm. 21 Iul. 1848 apud *Bizzarri* l. c. p. 616 sq. cum accurata factorum particularium specie; S. C. Ep. et Reg. 12 Apr. 1889 in Act. S. Sed. vol. XXII p. 298; *Pennacchi* l. c. p. 1023 sq.

(15) Conc. prov. Turon. (a. 1850) in Collect. Lac. t. IV col. 1040; *Benedict. XIV* l. c. n. 7.

(16) Capitulare Aquisgran. (a. 801) cap. 20, 21; Rit. Rom. l. c.; Conc. pl. Am. lat. (a. 1899) n. 545; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 19 n. 6 sq.;

169. I. *Subiectum* **capax** extremae unctionis est homo *baptizatus* et *adultus*, peccati capax, qui *vita* ex *morbo periclitatur* et sufficientem habet intentionem. Quare homines non baptizati velut catechumeni, infantes, qui ad usum rationis nondum pervenerunt, amentes sive mente capti inde a nativitate, morti vicini absque *morbo* v. g. milites in bello, infirmi ex morbo, sed sine vitae periculo huius sacramenti incapaces sunt, at non senes, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate (can. 940, § 1) (17).

II. **Dignum** atque *legitimum* subiectum huius sacramenti *vivorum* est sane infirmus, qui conscius peccati mortalis ante extremam unctionem ex generali Ecclesiae consuetudine sacramenta poenitentiae et eucharistiae rite suscepit. At non sunt excludendi pueri ante primam communionem vel infirmi, qui dum sana mente et integris sensibus essent, hoc sacramentum petierunt seu verisimiliter petiissent seu signa contritionis dederunt, etiamsi postea loquelam amittant vel delirent, dummodo absit periculum irreverentiae. At impoenitentibus et, qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis extrema unctio est neganda, attentis tamen normis in theologia morali traditis de peccatoribus sensibus destitutis. De conditionata administratione in casu dubii servandi sunt canones 941-942 (can. 942, 943) (18).

Lehmkuhl l. c. t. II n. 575, 579. Cfr. quoque S. C. C. 23 Mart. 1878 in Act. S. Sed. vol. XI p. 189 sq.; ubi respondetur ad varia quaesita de obligatione parochorum *assistendi* moribundis *etiam post* administrata sacramenta: « *Standum praescriptionibus Ritualis Romani, in reliquis consulat probatos auctores* ».

(17) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIV doctr. de sacr. ext. unct. cap. 3; Rit. Rom. l. c.; S. C. Inq. 10 Maii 1703, 10 Apr. 1861 iunct. S. C. de Prop. F. 26 Sept. 1821 et 20 Febr. 1801 in cit. Collect. n. 1155 sq.; Collect. Lac. t. II col. 153; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 123 sq.; *Bened. XIV* l. c. l. VIII cap. 5 n. 1 sq. (iunct. Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 5 et Const. « *Ex quo* » 1 Mart. 1756 §§ 44 sq.) cap. 8 n. 3 sq.; *Devoti* l. c. § 94; *Schmalzgr.* l. c. n. 10. Cfr. *Ferreres* Theol. mor. II n. 849 sq. et eiusdem Opusculum « La muerte real y la muerte aparente en relación a los últimos sacramentos ». Quae doctrina, de vita per aliquod tempus plerumque adhuc subistente post instans in quo vulgo mortui censentur, peculiari consideratione digna est, nam inde aeterna animae salus in plurimis casibus pendet; praesertim ubi alia sacramenta, praesertim poenitentia, ab infirmo vel repentina morte correpto recipi non potuerunt.

(18) Rit. Rom. l. c.; Conc. prov. Rem. (a. 1849) in Collect. Lac. t. IV col. 122 iunct. col. 1189, 122, 342; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 124; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 567, 568; *Lehmkuhl* l. c. t. II n. 577; *Pesch* l. c. n. 551; *Scherer* l. c. p. 78 not. 24.

III. Fideles ad accipiendam extremam unctionem per se neque ex iure divino neque ex iure ecclesiastico poenis canonicis munito sunt graviter **obligati** (19), secluso scandalo et *contemptu* huius sacramenti (20). Per se non est sacramentum necessarium necessitate medii ad salutem; eius neglectus erit grave peccatum in quantum includat neglectum propriae salutis, id quod non raro accidet: quare omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum plene sui compotes sunt, illud recipiant (can. 944).

§ 2. - DE RITU, LOCO, TEMPORE EXTREMAE UNCTIONIS.

170. Sacramentum extremae unctionis administratur per unctionem singulorum sensuum (materiam proximam) (21) mero oleo olivarum (absque ulla alia permixtione) ab Episcopo vel ex indulto

---

(19) Cfr. c. 8 Synod. Ticin. (a. 850); cap. 11 X. de poenit. V, 38; S. C. Inq. 23 Mart. 1656; *S. Alphons.*, Theolog, mor. l. VI n. 733.

(20) Martin. V. Const. « *Inter cunctas* » art. 19 apud *Denzinger* l. c. n. 563; Conc. Trid. Sess. XIV doctr. d. sacr. extr. unct. can. 3; S. C. de Prop. F. 12 Sept. 1645 et S. C. Inq. 23 Mart. 1656 et 13 Nov. 1669 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1152 sq. Cfr. de obligatione domesticorum et medicorum admonendi infirmum de confessione etc.: Cap. 13 X. de poenit. V, 38 = c. 22 Conc. Later. IV (a. 1215); Pii V Const. « *Super gregem* » 8 Mart. 1566; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 566; *Thesaurus*, De poenis eccles. v. Medici; Bened. XIV, Inst. eccles. 22; *Kober* in Act. theol. Tubing. t. 55 p. 598 sq. 657 sq. 660 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 117 t. V p. 765 sq. Qua in re mansit certe obligatio monendi infirmum, quae ex natura rei sequitur, at saltem censurae latae sententiae certe post Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » a medicis negligentibus non amplius incurruntur, imo vel ipsae poenae vindicativae Pii V iamdiu in praxi non urgentur, nec iure Codicis urgeri possunt, salva obligatione in quantum est iuris naturalis et causa excusans non detur. In casu necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo. Renum autem unctio semper omittenda (can. 947). Unctio quoque pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest (ib. § 3). Quare si veteres theologi cum *S. Thoma* putarunt unctionem *quinque sensuum* ad valorem requiri, post decret. S. Officii a. 1906, disputatio de hac re debuit haberi finita. Extra casum necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fieri debent (ib. § 4).

(21) Prof. fidei ab Innoc. III a. 1210. Wald. praescr.; Synod Londin. a. 1397 pr. dam. 14; Conc. Trid. Sess. XIV doctr. l. c.; Rit. Rom. l. c.; cit. Collectan. n. 1146 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 3; *Devoti* l. c. §§ 89, 90; *Pesch* l. c. n. 530.

apostolico a presbytero specialiter benedicto (materia remota) (22) cum oratione in authenticis libris liturgicis praescripta tanquam *forma* atque servatis aliis *caeremoniis* ibidem espressis (can. 945) (23). Quam materiam remotam semper parochus in promptu habere debet pro occurrente necessitate eamque custodire loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo, nec domi retinere debet, nisi propter necessitatem aut aliam rationabilem causam accedente ordinarii licentia. (Can. 944 iunct. can. 735).

171. *Locus*, quo extremae unctionis administratio est permissa, ex communiter contingentibus est domus infirmi, nisi propter interdictum *locale* (nostra aetate vix practicum) in determinato loco vel ipsa extrema unctio prohibeatur (24); quae prohibitio, attento canone 2270, § 1, non amplius fieri potest.

172. *Tempus* dandi extremam unctionem, ut patet ex capacitate subiecti, est infirmitas cum periculo vitae coniuncta. At nequaquam administratio et receptio huius sacramenti tempore infirmitatis *differenda* est usque ad ultimam vitae periodum, qua infirmus extremum agit spiritum (25). Infirmi si post susceptam hanc unctionem convalescant, *iterum* huius sacramenti subsidio iuvari possunt, cum

(22) Decret. pro Armen.; Bened. l. c. cap. 1. Quae benedictio non tantum ex praecepto Ecclesiae, sed ex iure divino ad valorem huius sacramenti requiritur. Cfr. S. C. Inq. 13 Ian. 1655. Apud Latinos illa benedictio a *solo Episcopo* fieri potest, ita ut simplex sacerdos etiam in casu necessitatis oleo a se benedicto ad *validitatem* extremae unctionis uti *non* possit. Cfr. S. C. Inq. 14 Sept. 1842. At presbyteri graeci ex *delegatione* R. Pontificis singulis vicibus in administratione huius sacramenti licite et valide benedicunt oleum infirmorum. Cfr. Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 4; Collect. Lac. t. II col. 36, 150 iunct. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 123.

(23) Cfr. c. 18 D. III, de cons. (Pseudoisid.); cap. 1 X. de custod. III, 44; cap. 3 X. de consecr. III, 40; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. l. c.; Rituale Rom.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1144 sq.; Collect. Lac. t. II col. 37, 151, 582; Conc. plen. Am. lat. (a. 1899) n. 569 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. c. cap. 2; *Devoti* l. c. § 91; *Schmalzgr.* l. c. n. 11.

(24) Cfr. supra h. tit. not. 12; cfr. quoque Bened. XIV cit. Const. « *Ex quo* » § 46, ubi affert exempla licitae administrationis huius sacramenti in *ecclesiis*.

(25) *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. c. cap. 7. Quae deploranda dilatio tempore medii aevi multum fuit promota falsis atque superstitiosis opinionibus de effectibus extremae unctionis v. g. illam accelerare mortem, auferre ius ad debitum coniugale, ad esum carnium, ad condendum testamentum, prohibere praxim incedendi nudis pedibus.

in aliud simile vitae discrimen incidunt; at in uno eodemque morbo, quamdiu in eodem versantur vitae periculo denuo extrema unctione nec licite nec valide muniri possunt (can. 940, § 2) (26).

§ 3. - DE EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

173. Effectus interni extremae unctionis *rite* administratae et receptae sunt augmentum gratiae, alleviatio animi, corporis sanitas, si aeternae saluti expediat (27). Illorum effectuum fusior explicatio spectat ad theologos, non ad canonistas, quorum provinciae potius reservata est disquisitio de *effectibus poenalibus* extremae unctionis *perverse* administratae vel negatae vel repetitae, si in his delictum commissum fuerit (28).

TITULUS VI

DE ORDINE SEU SACRA ORDINATIONE

174. Praenotiones. *Sacramentum* ordinis (ordo, ordinatio) in iure canonico potissimum attendebatur ut causa efficiens *hierarchiae* sive *potestatis ordinis* (1). Inde hac de re ius constitutum praesertim reperiebatur *(clerus)* in libro primo Decretalium, qui de personis agebat ad hierarchiam pertinentes (2), atque in libro tertio nonnisi paucae quaestiones de ordine incidenter attinguntur velut in titulo 43 de presbyt. non baptiz., ubi pro more haud raro recepto in corpore iuris canonici *post* tit. de bapt. et eius effectu resolvitur dubium

(26) Conc. Trid. Sess. XIV l. c. cap. 3; *Bened. XIV* l. c. cap. 8. Paulo aliter *Kern* l. c. 331 sq., cuius rationes dissolvit *Straub*, De Ecclesia II, n. 921 sq.

(27) Decret. pro Armen.; Conc. Trid. l. c. cap. 2; Catech. Rom. P. II, cap. 6 n. 14; *Pesch* l. c. n. 536 sq.; *Schmitz*, De effectib. sacram. extr. unct.; *Kern*, De sacr. extrem. 169 sq. 27, 216; *Lercher* l. c. n. 497 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 565 sq.

(28) Cfr. Bened. XIV Const. « *Ex quo* » 1 Mart. 1756 § 47.

(1) *Gasparri*, Tract. canonic. de sacra ordinatione, prooem. *Zech*, De iure rer. eccles. sect. 2 § 279; similiter *Scherer* aliique; paulo aliter *Devoti* l. c. § 97 sq.; *Sebastianelli*, Praelect. iur. can. t. I p. 163 sq., qui universam disputationem de sacris ordinationibus inserit titulo *de Episcopis*.

(2) Lib. I tit. 11-22 X.; l. 1 t. 9, 10, 11, 12 in Sext.; l. 1 t. 6 in Clem.

particulare de valore et effectu ordinationis presbyteri non baptizati. Ipsum ius Codicis inter canones praeliminares ponit can. 948, in quo dicitur: « Ordo ex Christi institutione clericos a laicis distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium » In quo adumbratur duplex personarum hierarchia, *ordinis* ad cultus divini ministerium, *iurisdictionis* ad fidelium regimen. Hierarchiam iurisdictionis Codex evolvit tractando de officiis in genere et de singulis officiis in specie, ubi singuli gradus enumerantur, qui ad illam hierarchiam sive divino iure sive positiva ecclesiae adiectione pertinent. Quodsi hierarchia est fundamentum illius generalis divisionis fidelium in laicos et clericos, in sensu stricto solum complectitur coetum illarum personarum, quae potestate ecclesiastica sunt praediti. In hunc coetum ministrorum Ecclesiae fit ingressus per ordines et solis ordinatis pro suo cuiusque gradu aliqua pars duplicis illius potestatis competit. Notiones duplicis hierachiae traditae iam sunt in libro II, De personis (*Wernz-Vidal*, tom. II, n. 47 sq.) in explicatione can. 107-109. Quibus canonibus praemissis, disputationem de hierarchia Ordinis Codex ponit inter sacramenta, sicut etiam integram disputationem de matrimonio (3). Quodsi quinque priora sacramenta diriguntur ad perfectionem spiritualem *singulorum*, ordo vero et matrimonium ad perfectionem *communitatis* sive ad *bonum commune*, huiusmodi ordinatio *ad finem* sane optimam insinuat *divisionem* sacramentorum, at nequaquam probat disputationem de ordine et de matrimonio ex ordine *logico* a reliquis sacramentis esse separandam. Quare stabilita propria sede huius materiae, non recedendo ab ordine logico, separato tamen volumine de matrimonio actum est ob multitudinem et difficultatem quaestionum et ob multiplicem respectum canonicum, qui locum dat plurimis causis iudicialibus. Ob has rationes etiam in Corpore iuris proprius liber fuerat assignatus (4).

In hierarchia ordinis explicanda principem locum occupat inquisitio de singulis *gradibus* quibus ipsa constituitur, eorumque *origine* et *institutione*. Quae praeliminaris disputatio lucem praebet disputationi de ipso sacramento ordinis et de legibus disciplinaribus cum ipso connexis.

(3) *Zech* l. c. § 280 sq.; *Devoti* l. c. §§ 101 sq.; *Scherer* l. c. t. II p. 84 sq. aliique; at v. g. *Sebastianelli* l. c. t. II p. 5 sq. disquisitiones « *de re matrimoniali* » proponit in volumine « *de rebus* » ante *res beneficiarias* et temporales Ecclesiae extra ordinem sacramentorum.

(4) *Hinschius* l. c. t. IV p. 3 not. 1 ob rationes inefficaces voluit subducere disputationes canonicas de matrimonio ex ordine sacramentorum.

CAPUT I

DE SINGULIS GRADIBUS HIERARCHIAE ORDINIS

175. **Fontes:** Decret. Grat. c. 1 D. 21; c. 7 sq. D. 23. — Decret. Greg. IX, tit. 11, 14, l. I; — Conc. Trid. Sess. XXII doctr. et decret. — Catech. Conc. Trid. P. II cap. 7. — Collect. Lac. t. II v. Clerici n. 20 sq. v. Ordinatio n. 1 sq.; Conc. provinc. Alba-Iul. (a. 1872) p. 88 sq.; Synod. Sciarf. Syrorum (a. 1888) p. 131 sq.; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 132 sq. — Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 praesertim n. 6, 7; Collectan. S. C. de Prop. F. n. 1163 sq. (5).

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. in cit. tit. — *Zech*, Hierarch. eccl. tom II, tit. 9, § 104 sq.; tit. 10 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. I, tit. 2; *Phillips*, Kirchenrecht, t. I, § 34 sq.; *Scherer*, Handb. d. K. R. t. I, p. 312 sq. — *Hallier*, De sacris elect. et ordin. P. II, sect. 1 sq.; *Morinus*, Comm. hist. ac dogm. de ss. ordination.; *Thomassin.*, Vetus et nova discipl. Eccl. etc. P. I, l. 1, cap. 1 sq., l. 2, cap. 29; *Ferraris*, Bibl. v. Ordo; *Hinschius*, Syst. d. k. KR. t. I, p. 1 sq.; *Bruders*, La costituzione della Chiesa — *Gasparri*, De sacr. ordin.; *Many*, De sacra ordin.; *Tixeront*, L'ordre et les ordin.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Ordo; *Michel* in Dict. d. Teolog. cath. v. Ord.

176. I. **Definitio.** *Ordo* (6) licet in foro ecclesiastico (7) significare quoque possit ordinationem sive transeuntem *ritum* sacrum (causam efficientem), quo quis *ordinem* (effectum, rem permanentem)

(5) Cod. I, 3 de Episcopis et cleric.; Novell. 6 quomodo Episcopi, presbyteri, diaconi... creandi sunt.

(6) Cfr. de ordine et ordinatione in genere: *S. August.*, De civitate Dei l. XIX cap. 13 (Migne, P. L. XLI p. 640); *Gasparri* l. c. n. 1.

(7) Ordo (τάξις, gradus), ut ipsum verbum latinum insinuat (ordo senatorius, ordo equester, ordo decurionum, homo mei loci atque ordinis), primis temporibus etiam in Ecclesia idem significavit atque status sive coetus hominum, qui in eadem dignitate vel conditione vitae sunt constituti. Qua ratione complures « *ordines* » in Ecclesia distinguebantur v. gr. catechumeni, fideles, poenitentes, et ut in specie denotaretur status clericalis, *ordo* additis verbis v. g. *sacerdotalis, ecclesiasticus, clericatus, clericorum* accuratius fuit determinatus. Vix unquam *ordo* simpliciter et sine addito in antiqua Ecclesia designavit *universum statum clericalem*. Nam vel ipse *Tertullianus* (De exhort. cast. cap. 7) distinguens simpliciter *inter ordinem et plebem* hac ipsa oppositione ad *plebem* ordinem magis definivit atque in ipso contextu mentionem facit *ecclesiastici ordinis*. Cfr. *Kraus* Real-Encykl. v. Ordo.

acquirit (8), tamen hoc loco intelligitur *gradus quidam potestatis ordinis*. Etenim hierarchia ordinis non unico constat gradu, sed in *diversos gradus* est distincta, e quibus unicuique vi ritus sacri sive sacrae ordinationis *pars potestatis ordinis* i. e. ad exercendas functiones sacras cultus divini, maxime sacrificii eucharistici et administrationis sacramentorum et sacramentalium ita est alligata, ut pro gradu superiore semper maior potestas conferatur, donec tandem in supremo gradu Episcoporum habeatur plenitudo potestatis ordinis sive sacerdotii christiani. Hinc facile patet in compluribus casibus nec veram ordinationem haberi nec verum ordinem concedi, sed simplex *officium* (9).

II. **Divisio.** Ordines clericorum dividi possunt in *hierarchicos* et in *non hierarchicos*, in *sacros* et in *non sacros*, in *maiores* sive *superiores* et in *minores* sive *inferiores*.

Quae divisiones quamvis maxima ex parte eandem rem enuntient, praesertim si disciplina vigens Ecclesiae *occidentalis* attendatur, tamen aliqua ratione inter se differunt.

Etenim *sensu stricto ordines hierarchici* dicuntur illi, qui in *sacra scriptura* occurrunt, *certo* nituntur iure *divino* atque saltem in Ecclesia occidentali soli per *manuum impositionem* et verba: *Accipe*

(8) Conc. Trid. Sess. XXIII can. 3 « *Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem* etc. »; Benedict. XIV, De Synod. dioec. VIII cap. 9 n. 2. « *Ordinem seu verius sacram illam caeremoniam, qua inaugurantur Ecclesiae Ministri, cuius effectus est ipse ordo, esse verum et proprium novae Legis sacramentum perfracte quidem negarunt Lutherus... Illyricus...* ».

(9) Haud raro v. g. cap. 17 de praeb. III 4 in Sext. verbum ordinandi potius de concessione *beneficii* vel *officii ecclesiastici* adhibetur. Cfr. quoque c. 1 sq. D. 71; *Scherer* l. c. p. 311; *Hefele*, Conciliengesch. t. I p. 598 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 9 n. 8, ubi negat in Ecclesia occidentali *officia* cantorum, fossorum, custodum martyrum etc. fuisse *ordines* per veram ordinationem sacram collatos. Cfr. c. 10 spur. Conc. Carthag. de psalmista iunct. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) de *ordine* cantoris apud Maronitas in Collect. Lac. t. II col. 227, 242, 254 et Pontif. Rom. P. III « *De officio psalmistatus* » i. e. cantoris iunct. *Many* l. c. n. 9; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 141: « *Primus ordo minor est cantoratus (ordo psaltis) cum exorcistatu qui in eo continetur* »; *Synod.* Alexandr. Copt. (a. 1898) p. 133 sq.: « *Ordines vero minores, qui in usu Alexandrinae Ecclesiae reperiuntur, sunt lectoratus atque subdiaconatus, qui simul ostiariatum et acolythatum Ecclesiae Romanae involvit... Psaltes seu cantor in nostra Ecclesia non proprio ritu constituitur, sed orationem tantum super eum Episcopus recitat. Denique apud nos exorcista nullam habet propriam ordinationem, sed persona aliqua ecclesiastica ab Episcopo, quando opus est, ad exorcismos peragendos deputatur* ».

Spiritum Sanctum etc. conferuntur (10). Quo sensu tantum *Episcopatus, presbyteratus, diaconatus* sunt ordines hierarchici; reliqui ordines etiam in Ecclesia latina per se sunt non hierarchici velut ordines subdiaconi, acolythi, exorcistae, lectoris, ostiarii.

Porro omnes ordines hucusque enumerati vero quodam sensu *ordines sacri* appellari possunt. Nam omnes per sacrum ritum sive sacramentum sive sacramentale conferuntur: sacra est potestas, quam continent, sacraeque sunt functiones, ad quas potestas illa datur. Qua ratione ordines quoque minores possunt dici sacri; at personam non consecrant absolute et in perpetuum atque irrevocabiliter ad cultum divinum, sed reditum ad vitam laicalem permittunt (can. 211). Sensu vero stricto illi tantum ordines dicuntur *sacri*, qui magis *directe* ministerio *altaris* (11) sunt destinati et clericum obligationi servandi *coelibatum* reddunt obnoxium et consecratione quadam absoluta, perpetua, irrevocabili cultui divino et statui ecclesiastico ita adscribunt, ut liber reditus ad vitam laicalem non amplius pateat. Inde factum est, ut in Ecclesia occidentali *subdiaconatus* quoque ordinibus sacris (12) adnumeraretur (13). Alii ordines, qui magis *remote* ministerio altaris destinantur ideoque, ut Graeci loqui solent, *extra altare* conferuntur (14) et a *coelibatu* servando sunt *immunes*, potius dicuntur *non sacri*.

(10) *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 1 sq. 4; *Pesch* l. c. t. VII n. 590; cfr. de diversa praxi Ecclesiae orientalis adhibendi impositionem manuum et invocationem Spiritus Sancti etiam in ordinibus non hierarchicis: Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 226 sq. 238; *Pohle*, Lehrb. d. dogmat. t. III p. 572; *Maltzew*, D. Sakam. d. orthodox-kath. Kirche p. 301; at Synod. Alexandr. (a. 1898) p. 136 docet: « *Lectoratus et subdiaconatus materia est tactus temporum... Qui tactus nullo pacto impositio manuum dici potest, ut expresse monet ritus Ecclesiae nostrae* ».

(11) Cfr. c. 33 Conc. Illib. (a. 300-306): « *Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus* ». Cfr. *Hefele* l. c. t. I p. 168 sq.; c. 2 Conc. Carthag. (a. 390); cap. 2 X. de cohab. II 2 = Eugen. II in Conc. Rom. (a. 826); *Leitner*, Lehrb. d. k. Eher. p. 197.

(12) Cfr. c. 11 Dist. 32 = epist. Alex. II (a. 1061-1073), non Urbani II, ut falso putant Gratianus l. c. et Innocent. III cap. 9 X. de aet. I 14; c. 10 D. 32 = c. 12 Concilii Melphitani a 1089 ab Urbano II celebrati, quem canonem Innocentius III l. c. pariter falso attribuit Urbano I; cap. 1 X. de ord. ab Ep. I, 13 = epist. Alex. III (a. 1159-1181); cap. 7 X. de servis non ord. I 18, quod in ipso corpore iuris minus accurate Innocentio III adscribitur. Cfr. corp. iur. can. ed. a *Friedberg* ad cit. cap. 7; *Phillips* l. c. § 38 p. 335 sq.

(13) Cfr. de praxi Ecclesiae orientalis quoad coelibatum subdiaconorum: Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 270.

(14) Conc. prov. Alba-Iuliens. (a. 1872) p. 88 sq.

Denique in Ecclesia occidentali *nunc* ordines maiores sunt iidem, qui appellantur sacri. At in Ecclesia orientali inter maiores et sacros ordines subdiaconatus neque semper computatus est neque nunc in omnibus ritibus computatur (15).

§ 1. DE PRIMA TONSURA CLERICORUM

177. I. **Prima tonsura** clericorum intelligitur sacer quidam ritus ab Ecclesia institutus (16), quo laicus fidelis baptizatus et confirmatus (17) in Ecclesia latina per tonsionem capillorum et superpellicei traditionem et convenientem verborum formam *statui clericali* cum communibus illius iuribus et obligationibus adscribitur (18) et ad ordines suscipiendos *praeparatur* (19). Quare *prima tonsura*, quemadmodum ordinatio proprie dicta non est, ita *neque verus* est *ordo*, sed *simplex deputatio* ad cultum divinum circa ea, quae omnibus clericis sunt communia (20). Iura et privilegia communia status clericalis cum prima tonsura certe acquiruntur; attamen inter illa iura verus *gradus potestatis ordinis* non continetur (21); tonsura igitur nonnisi impropria quadam ratione inter ordines re-

(15) Cfr. c. 2, 21 Conc. Arelat. (a. 314); Conc. Trid. Sess. XXII de sacram ord. can. 2, Sess. XXIII vera et cath. doctr. cap. 2; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 238; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 141 sq.; Synod. Alexand. (a. 1898) p. 133 sq.; *Hefele* l. c. t. I p. 205, 248, 764, 771.

(16) Sixt. V Const. « *Sanctum* » 5 Ianuar. 1589 § 2; Pontificale Rom. « *De clerico faciendo* », non de clerico *ordinando*; S. R. C. 12 Nov. 1831 in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1191; *D'Annibale* Summula Th. mor. P. III n. 289; *Phillips* l. c. § 35 p. 300; *Gasparri* l. c. n. 1014 sq.; *Many* l. c. n. 10. Quae spectant ad historiam et disciplinam vigentem de *obligatione* clericorum *gestandi* tonsuram, cfr. *Wernz-Vidal* t. II, n. 96 sq.

(17) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4 de ref.

(18) Ab Innocentio III in cap. 11 X. de aet. et qual. I 14 « *clericalis ordo* » intelligitur *status* clericalis.

(19) Catech. Conc. Trid. P. II cap. 7 q. 13; infra h. tom. II n. 53.

(20) *S. Thomas*, Summa theol., Suppl. q. 40 art. 2. Contrarium sine solido fundamento tenuerunt: *Fagnanus* l. c. in cap. 11 X. I 14 n. 45 sq.; *Reiffenstuel* l. c. l. I tit. 11 n. 16 sq. 11 sq.

(21) Conc. Trid. Sess. XXIII vera et cath. doctr. cap. 2, decret. de ref. cap. 6, 10; *Schmalzgr.* Ius canonic. l. I tit. 11 n. 3; *Phillips* l. c. p. 299 sq.; *Gasparri* l. c. n. 16, 28.

censeri potest (22). Quae iura *in specie* cum prima tonsura conceдantur, cfr. apud *Wernz-Vidal* t. II, n. 71 sq.

II. Rationes *congruae* non desunt, quibus demonstretur primam quandam et solemnem initiationem et tonsurationem statui quoque clericali summopere esse conformem (23): nam generatim novus quidam status v. g. equestris, militaris, solemni quodam ritu suscipi solet; ipsa vero tonsuratio admonet clericum, *Dominum* iam factum esse partem haereditatis suae atque sub vexillo Christi crucifixi et spinis coronati in militia ecclesiastica ducendam esse vitam mortificatam et a saeculi vanitatibus alienam.

III. At dubium non est, quin prima tonsura iure quodam *divino* non nitatur. Imo neque vera et proprie dicta institutio *apostolica* tonsurae est asserenda (24). Nam etsi negari non possit iam antiquissimo tempore reperiri quasdam praeformationes huius praxis (25), nihilominus nonnisi finitis persecutionibus ex saeculo quarto vel quinto corona *clericorum* forte ex tonsura monachorum orta paulatim occurrit (26). Quae tonsura ab initio una cum prima ordinatione v. g. ostiariatus vel lectoratus fuit coniuncta, nisi iis in casibus, quibus quis privatim susciperet tonsuram. Praxis utrumque ritum *separandi* videtur potissimum ex illo tempore i. e. saltem ex saeculo septimo esse orta, quo vel ipsi pueri in infantili aetate per oblationem parentum militiae clericali fuerunt mancipati. Cuius *man-*

(22) Cfr. de Ecclesia orientali: C. 14 Conc. Nicaen. II (a. 787) = c. 1. D. 69. Sunt Orientales, qui primam tonsuram simpliciter praetermittunt; alii velut Armenii adoptarunt praxim Ecclesiae latinae; alii v. g. Graeci et Syri Nestoriani et Copti primam tonsuram lectoratui praemittunt (cfr. Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898, p. 134) ideoque distincte non enumerant; denique Maronitae et Syri cantoratui sive exorcistatui, qui apud ipsos est primus ordo minor, ritus primae tonsurae coniungunt. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 n. VII; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 88; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 255, 267; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 132 sq.; *Papp-Szilàgyi*, Enchiridion P. II § 83; *Gasparri* l. c. n. 16, 1019.

(23) Cfr. c. 7 C. XII q. 1; Pontificale Rom., De cleric. fac.; *Zech* Hierarch. eccl. II, § 105; *Phillips* l. c. § 34.

(24) *Zech* l. c. § 107; *Kraus* Real-Encykl. v. Tonsur. Quare si scriptores quidam saeculi sexti vel septimi S. Petro introductionem tonsurae adscribunt, ista assertio in antiquis documentis et monumentis solidum fundamentum non habet.

(25) Act. Apost. XXI 24, 26 (de voto Nazareatus tondendi caput a S. Paulo suscepto); I Corinth. XI 14 (de coma non nutrienda a viris); *Phillips* l. c. p. 285 sq.

(26) *Thomassinus* l. c. in font. l. 2 c. 37.

cipationis aptum signum et praeambulum ad ordines fuit tonsuratio puerorum (27). Quae separatio collationis primae tonsurae a primo ordine postea circiter ex saeculo octavo etiam ad adultos est extensa (cfr. Sacramentar. Gregor., Oratio ad cleric. fac.; Liber. pontif. ed. *Duchesne* t. I. p. 434, 468; c. 58. Conc. Meldens. a. 845) et Ecclesia huiusmodi initiationem status clericalis per solam susceptionem tonsurae factam generali lege approbavit et *Episcopo* reservavit, atque huiusmodi praxis iam saeculo duodecimo et decimo tertio universaliter fuit recepta, ut constat ex cap. 11 X. de aetate I. 14. = Decr. Innoc. III, scr. a. 1210 et deinceps quoque retenta, salva immutatione a Conc. Trid. facta de aetate. Cfr. infra, ubi de aetate.

§ 2. - DE ORDINIBUS MINORIBUS CLERICORUM.

178. Ordines minores in Ecclesia occidentali existunt quatuor.

I. **Ostiariatus,** qui habet infimum locum inter ordines minores, est specialis potestas ex officio aperiendi et claudendi ianuas ecclesiae, admittendi dignos atque excludendi indignos collata per traditionem clavium ecclesiae a clerico promovendo manu dextera tactarum cum forma: « *Sic age* » etc. (28).

Qui ordo una cum aliis ordinibus iam commemoratur in epistola S. Cornelii ad Fabianum Antiochenum (a. 251); item c. 9. stat. Eccles antiq. atque a S. Isidoro († a. 636) accuratius describitur (29) neque ab Ecclesia orientali (30) saltem tanquam *officium* fuit alienus, ut constat ex c. 24. Concil. Laodic. a. 343-381 = c. 2 D. 44, et certe nunc ibidem est *ordo* in subdiaconatu contentus (31).

(27) Cfr. c. 1 Conc. Tolet. II (a. 527-531) = c. 5 D. 28 de pueris oblatis a parentibus ad statum clericalem; *Phillips* l. c. § 34 p. 290; *Gasparri* l. c. n. 36 sq.; *Magagnotti*, De antiquo ritu offerendi Deo pueros adhuc impuberes; *Benedict. XIV*, De Syn. Dioec. l. VI cap. 3 n. 2, 3, 4, 5; *Seidl*, D. Gottverlobung von Kindern in Moenchs - u. Nonnenkloester; Arch. f. k. K. t. 26 p. 265 sq.

(28) Pontif. Rom., De ord. ostiar.; S. R. C. 11 Mart. 1820; S. C. de Prop. F. 13 Mart. 1844; S. R. C. 12 Nov. 1831, 27 Sept. 1873. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1189, 1191, 1202; *Gasparri* l. c. n. 1017; *Many* l. c. n. 9.

(29) Cfr. c. 19 D. 23; c. 1 § 19 D. 21.

(30) Cfr. quoque Novell. 3 cap. 1 § 1; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq.; Synod. Alex. (a. 1898) p. 133 sq.; *Many* l. c. p. 34 not. 2.

(31) *Thomassin.* l. c. P. I l. 2 cap. 30 n. 1, 2, 3 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. c. § 33; *Kraus* l. c. v. Ostiarii (πυλωροί, θυρωροί).

II. **Lectoratus** est secundus ordo, qui consistit in speciali potestate ex officio legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesia et populum catechizandi sive instruendi in rudimentis fidei collata per traditionem codicis (i. e. Missal. vel Breviar. vel S. Script.) a clerico promovendo manu dextera tacti et cum forma: « *Accipe* » etc. (32).

Gradus lectoris ob huius officii in cultu christiano necessitatem forte ab initio fuit primus et unicus ordo minor; certe iam ab ipso S. Iustino (33), saeculo secundo commemoratur (ἀναγνώστης) atque a Tertulliano, De praescript. cap. 41 (circ. a. 200) inter ordinationes et ordines recensetur (34), sed non in operibus Patrum Apostolicorum nec in Doctrina Apostolorum. Quinimo in catacumbis S. Agnetis refertur « *Favor Lector* » in inscriptione, quae iuxta De Rossi est antiquior quam laudatum testimonium Tertulliani (35). Ex saeculo tertio frequenter in Ecclesia orientali et occidentali lectores commemorantur partim *soli* cum Episcopis, presbyteris, diaconis, partim cum aliis quibusdam ordinibus minoribus (36).

III. **Exorcistatus** tertium locum inter ordines minores occupat et est specialis potestas ex officio et vi ordinis eiiciendi daemonia per exorcismos ab Ecclesia institutos, quae confertur per traditionem libri exorcismorum vel Pontif. vel Missal. a clerico promovendo manu dextera tacti et cum forma: « *Accipite* etc. » (37).

(32) Pontif. Rom., De ord. lect.; cit. decr. S. R. C. 27 Sept. 1873. Cfr. de lectoratu Ecclesiae graecae: Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 226 sq. 238, 242, 254 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 142; Synod. Alex. (a. 1898) p. 133 sq.; *Papp-Szilàgyi* l. c. P. II § 84; *Gasparri* l. c. n. 1020.

(33) Apologia I cap. 67 (*Migne,* P. G. VI 429).

(34) *Many* l. c. n. 9.

(35) *Kraus* l. c. v. Lector. (ἀναγνώστης).

(36) S. Cornel. in cit. epist. ad Fabian. Antioch. (a. 251); S. Cyprian. epist. 38, 39; c. 68, (69) Apostol. Cfr. quoque *Hefele* l. c. t. I p. 821 not. 3; c. 23, 24 Conc. Laodic. (a. 348-381) = c. 28 D. 23; c. 2 D. 44; c. 1, 18 Conc. Hippon. (a. 393); c. 3 Conc. Tolet. (a. 400); c. 13, 14 Conc. Chalced. (a. 451); c. 9 Conc. Tarracon. (a. 517); c. 1 Conc. Vasense (a. 529); *Devoti,* Instit. l c. § 32; *Wieland.* D. genet. Entwickl. der sogen. Ordines Minores in d. drei erst. Iahrh.

(37) Pontif. Rom., De ord. exorcist.; c. 1 § 18 D. 21 (S. Isidor); *Devoti,* Inst. can. l. c. § 31; *Kraus* l. c. v. Exorcist. (ἐξορκιστής); *Many* l. c. n. 9. Non ex officio et vi ordinis, sed ex *charismate* sive gratia extraordinaria etiam simplices fideles, viri laici ipsaeque feminae primis saeculis non raro miram potestatem in daemones habuerunt. Cfr. *Origenes,* Contra Celsum lib. VII cap. 4 (ἰδιῶται) (*Migne,* P. G. XI 1425); *Tertullian.,* Apologeticus cap. 23 (*Migne* P.

Qui exorcistatus ut *ordo* prima vice occurrit in laudata epistola S. Cornelii (a. 251). Mentio quoque fit exorcistarum a S. Cypriano († a. 258) epist. 70, c. 24 et in aliis documentis infra h. tit. not. 37, allegatis. Cfr. de ordine exorcistatus in Ecclesia graeca et praesertim apud Maronitas: Collect. Lac. t. II, col. 242, 255; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132; Synod. Alexandr. (a. 1898) p. 134; infra h. tit. n. 17 not. 35.

IV. **Acolythatus** est quartus et supremus gradus inter ordines minores atque consistit in speciali potestate ex officio inserviendi subdiacono in Missa solemni, accendendi cereos, praeparandi et illi porrigendi ampullas vini et aquae collata per traditionem duplicis instrumenti scl. candelabri et deinde urceoli vacui a clerico promovendo manu dextera tacti et cum forma: « *Accipite cerof.* etc. » et « *Accipite urceol.* etc. » (38). Qui ordo licet prima vice commemoretur a S. Cornelio l. c., sine solido argumento positivo a Fabiano Papa (a. 236-251) institutus esse dicitur. Cfr. quoque S. Cypr. epist. 7, 34, 52, 49; statut Eccles. antiq. c. 6.

179. Scholion. - Ordines minores in Ecclesia Orientali. In Ecclesia orientali saltem ex vigente disciplina a Sede Apostolica approbata et praescripta *ordinarie* et *formaliter* tandum *duo* existunt *ordines minores* scl. *lectoratus* et *subdiaconatus*, *in quo*, ut eruitur

---

L. I 413). Quae gratiae extraordinariae cum non iam essent adeo frequentes, potestas in daemones nonnisi ex *deputatione Ecclesiae* per exorcismos fuit exercenda. Cfr. c. 10 Conc. Antioch. (a. 341); c. 24, 26 Conc. Laod. (a. 343-381); c. 2 D. 44 c. 2 D. 69; statuta Eccles. antiq. c. 7, 90; *Hefele* l. c. t. I p. 766; *Arendt*, De sacramental. n. 305 sq. Porro *exorcistis* etiam commissa fuit *cura* quaedam *energumenorum*, atque etiam exinde patet exorcistas una cum « *ianitoribus* » interdum in Ecclesia orientali potius *officiis*, non *ordinibus* ecclesiastiscis fuisse adnumeratos. Cfr. S. *Epiphan.*, Exposit. fidei cap. 21 (*Migne*, P. G. XLII 822 sq.; *Kraus* l. c. v. Energum.; *Ferraris* l. c. v. Exorcistatus. Ex disciplina autem vigenti, can. 1151 firmata (cfr. iam Benedict. XIV Const. « *Sollicitudini* » 1 Oct. 1744 § 43) potestas exorcizandi a solis presbyteris de licentia Episcopi est exercenda. Cfr. Rituale Rom. tit. 10. De exorcizandis obsessis a daemonio; S. C. de Prop. F. 11 Sept. 1799 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1980; supra h. tom. II n. 11 not. 27.

(38) Pontif. Rom., De ord. acolyth.; c. 1 § 17 D. 21; c. 1 § 3 D. 25; S. R. C. 8 Iun. 1709; *Gasparri* l. c. n. 1023 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. c. § 30; *Kraus* l. c. v. Akoluth (ἀκόλυθος).

ex *foma* ordinationis subdiaconi, etiam ostiariatus et acolythatus virtualiter continentur (39).

Quare exorcistatus ordinarie in ritibus orientalibus aut omnino deest (40) aut ad summum in alio ordine continetur v. g. apud Syros et Maronitas in *cantoratu*. Qui cantoratus in Ecclesia Maronitarum et Syrorum est primus ex ordinibus minoribus ante lectoratum et subdiaconatum atque *vera ordinatione* confertur, non « *sola iussione presbyteri* », sicut in Ecclesia Romana, nec arbitrio Episcopi, ut fit apud Graecos, illius collatio relinquitur (41). Hinc in Ecclesia orientali ordinarie duae solummodo propriae et particulares ordinationes ad conferendos ordines minores reperiuntur exceptis Maronitis et Syris, qui tribus ordinationibus in hac re utuntur, et Armenis, a quibus praxis Ecclesiae Romanae quatuor ordines minores etiam quatuor distinctis ordinationibus conferendi fuit adoptata (42).

Altera quaestio *historica*, num Ecclesia orientalis tres illos *ordines* minores (Ost., Exorc., Acol.) *nunc* ordinarie omissos *antiquissimis* temporibus de facto in sua disciplina *formaliter* ut *ordines distinctos* admiserit, a viris doctis unanimi consensu non resolvitur. Qua in controversia omnino concedendum est saltem antiquiores

(39) Conc. provinc. Alba-Iul. (a. 1872) p. 88; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 226 sq. 237 sq. 242 sq. 254 sq. 267 sq.; Synod. provinc. Ruthenor. (a. 1720) in Collect. Lac. l. c. col. 38; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 133 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq. 141 sq.; c. 6 Conc. Trullan. (a. 692); (de lectoribus et cantoribus) Ioannes VIII (a. 872-882); Innocent. IV (a. 1254) in Collect. Lac. l. c. col. 255, 256, 447; Benedict. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 n. 6, 7 in Collect. Lac. l. c. col. 514; *Goar*, Rituale Graecor. p. 233 sq.; *Papp-Szilàgyi* l. c. § 83; *Gasparri* l. c. n. 16 sq.

(40) Inde patet, quod Benedictus XIV l. c. n. 7 tantummodo *exorcistatum* absolute supp endum esse statuat, si quis *post* lectoratum et *subdiaconatum* ritu graeco susceptum ad ritum latinum transeat atque ad diaconatum vel presbyteratum vel Episcopatum ritu latino sit promovendus. Cfr. *Devoti*, Ius canonic. univ. t. I cap. 10 § 10, t. II lib. I tit. 11 § 1, ubi recte provocat ad n. 7 cit. Const. Benedict. XIV; *De Angelis* l. c. lib. I tit. 11 n. 1; *Many* l. c. n. 9 i. f.

(41) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 268; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq.

(42) Synod. Mont. Liban. (a 1736) l. c. col. 255, 256, ubi Patres illius Concilii in favorem disciplinae orientalis provocant ab approbationem *Ioannis VIII* et severiorem epistolam Innocentii IV in mitiorem sensum interpretantur. Quae mitior interpretatio a subsequentibus Romanis Pontificibus non tantum admissa, sed praescripta est. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » § 7 n. 6, 7; Synod. Sciarf. Syr. l. c.; Synod. Alex. Copt. l. c.; *Gasparri* l. c. n. 19.

patronos sententiae affirmantis non raro ad *documenta plane spuria* provocasse. Id, quod iam saeculo decimo octavo notavit *Benedict. XIV,* De Synod. dioeces. l. VIII, cap. 9, n. 6 sq. Quodsi recentiores auctores genuina documenta attulerunt, non omnes punctum controversiae satis ob oculos habuerunt. Nequaquam enim sufficit allegare ex antiquis monumentis Ecclesiae orientalis *nomina* illorum trium graduum, sed probandum est illos gradus in antiqua Ecclesia orientali ut *ordines*, non ut mera *officia ecclesiastica* fuisse admissos. Quare vel ipse Goar, qui validis argumentis antiquitatem contra sententiam negantem Morini optimo iure sustinet, tandem candide fatetur ex sua opinione illos gradus in antiqua Ecclesia orientali fuisse *officia* ecclesiastica, non *ordines*. Denique illud omittendum non est, quod a patronis sententiae affirmantis ex antiquis documentis deducantur conclusiones, quae cum regulis logicae interdum difficulter componantur. Indubitatum est *factum* historicum, Ecclesiae graecae consuetudinem respuentis tres ordines minores *formaliter distinctos* esse *pervetustam* et a multis saeculis receptam et approbatam. Cfr. *Benedict. XIV,* l. c.; *Many* l. c. n. 9, p. 34, not. 2.

180. Origo ordinum minorum. De *origine* ordinum minorum ea sententia tanquam multo probabilior est praeferenda, quae illos formaliter *stricto iure divino* sive immediate a Christo vere institutos esse negat (43). Quin imo neque omnium ordinum minorum institutio indiscriminatim ab *Apostolis* est repetenda, sed potius procedente tempore ab Ecclesia facta est (44), ita ut medio saeculo

(43) *Santi* l. c. lib. I tit. 11 n. 5 praeeunte *Morino: Propositionem, qua asseritur et subdiaconatum et quatuor ordines minores non esse sacramenta, iudico tam esse certam et evidentem, ut, qui ea* (scl. Patrum testimonia) *consideraverit, ire contra vix possit*, pariter docet: « *Certa videtur esse sententia negans* » propter praxim Ecclesiae graecae. Cui argumento cum *Benedicto XIV,* De Synod. l. VIII cap. 9 n. 8 i. f. singulare pondus non negamus, sed propter numerum et auctoritatem adversariorum i. e. multorum antiquorum et recentiorum theologorum v. g. Alberto M., De Augustinis et longam seriem rationum oppositarum et definitionem Ecclesiae nondum datam modestioribus verbis negans sententia videbatur esse enuntianda et intra terminos controversiarum relinquenda. Cfr. quoque *Benedict. XIV* l. c. cap. 4 n. 12 sq.; *De Angelis* l. c. lib. I tit. 11 n. 1; *Gasparri* l. c. n. 41; *Pohle,* Lehrb. d. Dogm. t. III p. 573 sq.; *Ballerini-Palmieri,* Opus morale V, n. 886, 888.

(44) Ita recte *Devoti,* Inst. can. l. c. § 29; *Gasparri* l. c. n. 33, 41 cum *Medina, Vazquez, Navarro, Morino, Bona, Goario, Cotelerio, Funk, Phillips,*

tertio saltem in Ecclesia Romana omnes quatuor ordines minores, quibus nunc utimur in Ecclesia *occidentali,* iisdem nominibus eodemque ordine reperiantur in praxi recepti (45). Inde consequitur ordines minores non esse vera sacramenta; illa enim necessario sunt ritus a Christo, non ab Ecclesia instituti.

Profecto ordines minores neque in sacra scriptura neque in ullo documento authentico Patrum *Apostolicorum* (46) occurrunt, et nonnisi inde ex fine saeculi secundi sparsim et incidenter commemorantur (47).

Porro inter Ecclesiam occidentalem et varios ritus Ecclesiae *orientalis* ex disciplina antiqua et ex disciplina vigente etiam a *Sede Apostolica approbata,* tanta est varietas quoad ipsam *existentiam, numerum, seriem, qualitatem, officia* et *munera* ordinum minorum, ut per hanc solam rationem sententia adversariorum efficaciter refutetur (48).

Neque confugiendum est ad aliquam potestatem a Christo Ecclesiae relictam data *opportunitate* huiusmodi ordines per Christum iam *institutos* practice et de facto *introducendi*. Nam ista potestas hucusque est asserta, sed solido argumento nondum probata. Cfr. *Card. Bona* apud *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. VIII, cap. 9, n. 4; *Gasparri* l. c. n. 984 sq., ubi n. 986, not. 1, allegat verba: « *Ratio autem* **unica** *huius sententiae est diversitas Ecclesiae Graecae et Latinae in administratione aliquorum sacramentorum praesertim in ordine* ».

Bouix, Scherer aliisque multis v. g. *Pesch* l. c. t. VII n. 577 sq. 585 sq.; *Many* n. 11 praeeuntibus Amalario, Hugone a S. Vict., Petro Lomb., Gratiano, Caietano et antiquis canonistis.

(45) S. Cornel. (a. 251) in *Euseb.,* Histor. eccl. VI 43, 11; statuta Eccl. antiq. c. 6, 10 ex saeculo sexto, quae non raro spurio cuidam Concilio Carthag. IV (a. 398) tribuuntur, cfr. *Hefele* l. c. t. II p. 68 sq.

(46) Epist. S. Ignatii ad Antioch. est spuria. Cfr. *Devoti* l. c. not. 2; *Funk* apud *Kraus* l. c. v. v. Ordo, Ordines.

(47) *Tertullianus* († c. a. 220), De praescript. cap. 41 iam commemorat *lectorem;* at in aliis suis operibus v. g. De bapt. cap. 17, De fuga cap. 11, De monogamia cap. 11 pro more Patrum Apostolicorum pariter solummodo tres refert gradus Episcoporum, presbyterorum, diaconorum. *S. Cyprianus,* excepto *ostiario,* mentionem facit subdiaconorum, acolythorum, lectorum, exorcistarum. Cfr. *Funk* l. c.

(48) Cfr. supra h. tit. n. 179; *Hefele* l. c. t. VI p. 657, 661 de accusationibus Armenorum et eorum responsis in Synodo a. 1342; *Palmieri,* De R. Pontif. p. 98 sq.; *Many* l. c. n. 11.

Praeterea, mirabile dictu, Ecclesia orientalis *catholica* inde circiter a 12 saeculis putavit *non* esse *opportunum* conatum introducendi et in praxi retinendi formaliter omnes ordines illos minores ab Ecclesia Romana receptos. Quod argumentum eo maiorem habet vim, si non tantum *antiqua* documenta excutiantur, sed etiam *recentiora* decreta Romanorum Pontificum et Conciliorum particularium Graecorum magis attendantur. Cfr. Benedict. XIV, cit. Const. « *Etsi pastoralis* »; cit. Synod. Ruth., Montis Libani, Conc. prov. Alba-Iul., Synod. Sciarf., Alexandr.

Alia argumenta subiungere solent canonistae (49) et praesertim theologi (50) v. g. ex defectu materiae et formae sacramenti ordinis, ex muneribus minoris momenti hisce clericis commissis et nunc etiam laicis permissis, quorum vim frustra elidere tentant adversarii; propriae vero illorum rationes v. g. ex Concilio Florentino vel ex Concilio Tridentino petitae magis sunt speciosae quam concludentes neque difficilem admittunt solutionem. Nam Instr. Eugenii IV, non est definitio ex cathedra, certe de *hisce ordinibus minoribus* non dat *definitionem* dogmaticam, sed solummodo institutionem *practicam*. Patres vero Tridentini, ut patet ex actis Concilii, *noluerunt* hanc controversiam dirimere. Quodsi plurimi theologi Tridentini potius sententiam adversariorum amplexi sunt, sane non habuerunt auctoritatem aliquid definiendi neque eam nobis suppeditant normam, quae habetur in *communi* et *constanti consensu omnium* theologorum. Denique ordines minores nequaquam concedunt gratiam *eo modo*, quo fit in sacramentis, et etiam in illorum *forma* nihil de gratia conferenda reperitur expressum. Prohibita quoque reiteratio ordinum minorum non arguit characterem sacramentalem; etenim etiam aliae consecrationes vel benedictiones v. g. Abbatis repeti non possunt.

Hinc quemadmodum in hierarchia *iurisdictionis* duobus gradibus iure divino constitutis alii gradus v. g. Metropolitae, Exarchae, Patriarchae iure ecclesiastico additi sunt, ita in hierarchia *ordinis* tribus gradibus iuris divini ad sublevandos diaconos gradus illi in-

(49) Gratian. dict. i. f. Dist. 21; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 9.

(50) *Palmieri* l. c. p. 98; *Franzelin*, De div. trad. et script. p. 179; *Pesch*, Theol. dogm. l. c. n. 587 sq.; *Arendt*, De sacramental. p. 374 not. 1; *Pohle* l. c. p. 574 sq.

feriorum ordinum ab Ecclesia instituti sunt (51); id satis clare innuitur canone 108.

181. Scholion. Praeter ordines minores enumeratos primis saeculis commemorantur *fossores, psalmistae, defensores, notarii* etc. (52). Quorum virorum munia cum non *vi* specialis ordinationis vel consecrationis, sed vi deputationis ab Ecclesia factae exercerentur, nisi pro Ecclesia orientali excipias saltem cantorem (53), nequaquam veris *ordinibus*, sed potius *officiis* et *servitiis* ecclesiasticis sunt adnumeranda (54). Id multo magis obtinet de *diaconissis* (55) quae per aliquem ritum sacrum deputabantur ad servitium Ecclesiae, non ad ministerium *altaris*.

§ 3. - DE ORDINE SUBDIACONATUS.

182. I. *Ordo subdiaconatus* est specialis potestas ex officio in Missa solemni inserviendi diacono et cantandi epistolam collata per solam traditionem instrumentorum a clericis promovendis manu dextera tactorum scl. consecrati calicis vacui cum consecrata patena vacua et libri epistolarum *atque* per duplicem orationem: « *Videte* » etc. et « *Accipite* » etc. (56).

(51) *Devoti*, Ius canon. univers. t. I cap. 10 §§ 10-11; *Bouix*, De princip. iur. can. p. 535 sq.; *Many* l. c. n. 11; *Palmieri* l. c. p. 100, ubi quoad modum institutionis approbat sententiam *Thomassini* (P. I, l. 2, cap. 30) his verbis: « Vere dixisse censemus *Thomassinum*, nihil probabilius quam minores ordines comprehenso subdiaconatu veluti quasdam portiones esse diaconatus, aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte sui ac origine idest in Diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae ». Cfr. *S. Bonuvent.* in IV, Dist. 24, a. 2 q. 1; et ibid. *S. Thom.* q. II, a. 1 gl. 2.

(52) *Thomassin.* l. c. cap. 98 sq.; *Zech* l. c. § 122; *Kraus* l. c. v. v. Defensor, Fossores, Palmist., Notarii etc.

(53) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 268 iunct. c. 20 Dist. 23; statut. Eccl. antiq. can. 10; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq. 141 sq.

(54) Cit. Synod. Mont. Liban l. c. col. 254; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 134.

(55) Cfr. c. 19 Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 237 sq.; *Kraus* l. c. v. Diakonissen; *Gasparri* l. c. n. 7, 126, sq.; *Many* l. c. n. 29 sq.

(56) Pontif. Rom., De ord. subdiac.; cap. 1, X. de sacram. I 16, ubi loco « *subdiaconatus* » legendum est « *diaconatus* ». Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1029, 1037; S. R. C. 11 Mart. 1820; S. C. C. 11 Ian. 1711.

Subdiaconatus, qui in antiqua Ecclesia inter ordines *minores* computatus est (57), ex disciplina nunc in Ecclesia *occidentali* ex septem fere saeculis vigenti inter ordines *sacros* et *maiores* constanter recensetur (58). Quae immutatio disciplinae profecto non ex *sola* illa ratione repeti potest, quod subdiaconis lex *coelibatus* sit data. Nam obligatio coelibatus in Ecclesia occidentali subdiaconis imponi coepta est iam ex saeculo quinto et sexto (59), atque in ipsa Ecclesia orientali nequaquam penes omnes ritus subdiaconi post ordinationem potuerunt celebrare matrimonium (60). Et nihilominus subdiaconatus nonnisi compluribus saeculis *postea* ordinibus sacris et maioribus adnumeratus est.

Quare haec ratio sine dubio magnam quandam vim habuit, sed aliae quoque accesserunt (61). Subdiaconi enim paulatim *propius* ad servitium *altaris* accesserunt, absolute et irrevocabiliter statui clericali et cultui divino fuerunt addicti atque primum dispensative et extraordinarie, mox etiam ex iure communi et praxi probata ad *Episcopatum* eligi poterant. Ultima vero ratio est *ipsa Ecclesiae auctoritas*, quae, quemadmodum subdiaconatum *instituit*, ita propter diversas rationes allatas *sua lege* efficere potuit, ut ordo subdia-

(57) Cfr. text. infra cit. in not. 63 hoc cap.; *Many* l. c. n. 8.

(58) Alexander II (a. 1061-1073) iam videtur subdiaconatum ordinibus *sacris* adnumerasse, ut patet ex c. 11 D 32 (qui falso Urbano II adscribitur), at sensu tantum latiore. Nam Urbanus II in Conc. Benevent. (a. 1091) subdiaconatum inter sacros ordines non recenset, licet concedat, ut subdiaconi « *opportunitate exigente..., sed rarissime* » in Episcopos eligantur. Quae verba Concilii Benev. adhuc repetuntur medio saeculo duodecimo ab Hugone a S. Victore et Petro Lombardo; at Petrus Cantor, De verbo mirifico cap. 57 testatur c. a. 1197: « DE NOVO *enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem* ». Quae praxis approbatur: Cap. 9, X. de aet. I, 14 = Decret. Innoc. III scr. a. 1207; cap. 7, X. de servis non ord. I, 18; « (Subdiaconatus) *secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur* ». Quae Decretalis epistola Innocentio III falso adscribitur. Cfr. *Friedberg* ed. corp. iur. can. in cit. cap. 7; *Phillips* l. c. p. 335 sq.; Conc Trid. Sess. XXIII doctr. cap. 2; Cfr. de disciplina Ecclesiae orientalis: Collect. Lac. t. II v. Ordinatio n. 10, 11; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq. 142; Synod. Alex. (a. 1898) p. 133 sq., ubi etiam nunc subdiaconatus ordinibus *minoribus* adnumerari solet.

(59) Leo M. (a. 446?) in c. 1 Dist. 32; c. 2 Conc., Aurelian. III (a. 538); can. 25 statut. Eccles. antiq.; c. 3 Conc. Tolet. II (a. 527-531); Gregor. M. (a. 591-594) in c. 1 D. 31; c. 1 D. 28; c. 2 D. 32; c. 6 Concil. Tolet. VIII (a. 653).

(60) Cfr. c. 3, 6 Conc. Trullan. (a. 692); c. 7 D. 32; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 270.

(61) *Zech* l. c. § 124; *Devoti*, Inst. canon. l. c. §§ 24, 38; supra hoc cap. n. 176.

conatus ex ordine minori transferretur ad gradum ordinis maioris (62).

II. Quodsi solummodo verbum subdiaconi attendatur, subdiaconatus videtur esse ille gradus, qui proxime ex *diaconatu* ortus est. At ex positivis et disertis testimoniis tantum probari potest subdiaconatum saeculo tertio iam exstitisse, duobus autem prioribus saeculis illius nullibi fit mentio. Etenim prima vice subdiaconi directe et expresse commemorantur a S. Cornelio (a. 251) l. c. et a S. Cypriano († a. 258) in compluribus epistolis (63). Exinde vero nequaquam per logicam consequentiam deducitur subdiaconatum eodem saeculo tertio fuisse *institutum*. Nihil enim obstaret, quominus ille ordo iam diu antea exstitisset; certe Fabianus Papa (a. 236-250) in Libro pontificali, cui fides non videtur neganda, dicitur *fecisse septem subdiaconos* (64). Nihilominus origo quaedam *divina* subdiaconatus demonstrari nequit, imo ne apostolica quidem institutio concludentibus nititur argumentis. Nam neque in sacra scriptura neque in genuinis operibus Patrum *Apostolicorum* ulla fit mentio subdiaconorum, sed tres tantum gradus Episcoporum, presbyterorum, diaconorum commemorantur. Quare recte tradit Urbanus II, in Concilio Beneventano (a. 1091): « *Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum* ; hos *siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse* » (65). Quae doctrina de subdiaconatu

(62) Cap. 9, X. de aet. I, 14; cap. 7, X. de serv. I, 18; Conc. Trid. doctr. Sess. XXIII cap. 2; *S. Thomas*, Comment. in 4 l. sent. dist. 24 q. 2 art. 1 q. 3 i. f.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 95 sq.; *Many* l. c. n. 8. At Ecclesiae orientales pro sua praxi computandi subdiaconatum inter ordines minores non permittunt subdiaconum eligi in Episcopum. Cfr. cit. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 302.

(63) In Ecclesia orientali ὑπηρέται (ministri) qui opponuntur diaconis et distinguuntur ab aliis ordinibus minoribus, principaliter intelligendi sunt *subdiaconi*, qui saltem ex saeculo quarto ibidem etiam *expresse* nominantur. Cfr. c. 20, 21, 22, 25, 27, 30. Conc. Laodic. (a. 343-381) (*ἱερατικοί, κληρικοί, ἀσκηταί*); c. 15 D. 93; c. 26, 27 D. 23; c. 2 D. 44; c. 16 D. 93; c. 3 D. 42; c. 28 D. 81; *Hefele* l. c. t. I p. 764 sq.; c. 10. Conc. Antioch. (a. 341); c. 10. Conc. Neocaesar. (a. 314-325); *Hefele* l. c. p. 248; c. 2, 21. Conc. Arelat. (a. 314) « *de ministris* et diaconibus et presbyteris »; epist. S. Athanas. ad monach. (« *Eutychium subdiaconum* »); c. 42, (43) Apost.; Const. Apost. l. VIII cap. 21; *Reuter*, D. Subdiaconat (a. 1890).

(64) *Kraus* l. c. v. Subdiakon (ὑπηρέτης, ὑποδιάκονος); Liber pontif. ed. *Duchesne* I 148.

(65) Cfr. c. 4 D, 60. *Thomassin* l. c. P. I. l. 1 cap. 33.

pariter tenetur a Gratiano (D. 21 pr.) et Petro Lombardo (4 Sent. dist. 25, n. 9). Inde deducitur subdiaconatum quoque non esse verum sacramentum a Christo institutum. Id, quod etiam confirmatur ex defectu materiae et formae sacramento ordinis propriae (66).

§ 4. - DE ORDINE DIACONATUS.

183. I. *Ordo diaconatus* est specialis potestas ex officio in Missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium collata per impositionem manuum (67) et in Ecclesia latina saltem ex necessitate praecepti etiam per traditionem libri evangeliorum a promovendo subdiacono manu dextera tacti (68) atque per verba consecratoria, quae continent etiam formulas imperativas: « *Accipe Spiritum Sanctum* » etc. et « *Accipe potestatem* » etc., prout latius exponitur in Pontificali Romano (69).

II. Diaconi sunt in primo gradu, hierarchiae ordinis, qui certo ex divina ordinatione est institutus et rationem habet veri sacramenti (70). Quare licet ab Apostolis primi septem *diaconi* constituti fuerint (71), ipse *ordo diaconorum* ab Apostolis non est institutus, sed ex mandato et institutione Christi derivetur necesse est (72); insuper confertur per impositionem manuum cum oratione, quae gratiae collationem significat et efficit ideoque verum est sacramentum. Mirum igitur non est, quod diaconi iam in ipsa sacra scriptura frequenter occurrant (73) et saepe a Patribus Apostolicis com-

(66) *Pesch* l. c. t. VII n. 592, sq.; *Many* l. c. n. 11.

(67) Cfr. de impositione manuum *tactu corporali* facienda: Cap. 1, 3 X. de sacram. I, 16; S. C. Inq. 19 Aug. 1851 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1199; *Gasparri* l. c. n. 1046 sq.

(68) S. R. C. 16 Iun. 1837; *Gasparri* n. 1040 sq. 1045, 1051 sq.

(69) Cfr. de ritu Graecor.: Rituale Graecor. apud Goar p. 249; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 228, 272; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 90; *Gasparri* l. c. n. 1038 sq.; speciatim de ritu ordinationis diaconorum apud Aethiopes: S. C. Inq. 30 Apr. 1875 iunct. *Gasparri* l. c. n. 1057 sq. et praesertim Civiltà Cattolica a. 1896 vol. VIII p. 680 sq.

(70) Concil. Trid. Sess. XXIII vera et cath. doctr. can. 6; *Palmieri* l. c. n. 93 sq.; *Phillips* l. c. § 37; *Zech* l. c. §§ 133 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. c. § 25 sq.; *Pesch* l. c. n. 597 sq.; *Pohle* l. c. p. 566 sq.; *Many* l. c. n. 3, 4.

(71) Act. Apost. VI 1 sq.; *Knabenbauer*, Comment. in Act. Ap. p. 111 sq.

(72) S. Ignat. ad Smyrn. cap. 8; *Bruders*, La costit. d. ch. p. 19 sq. (de nomine diaconi).

(73) Phil. I 1; Timoth. III, 8 sq.

memorentur tanquam gradus distinctus a presbyteris et Episcopis (74). Retento diu sacrato illo numero septenario (cfr. c. 15 Conc. Neocaesar. a. 314-325) paucitas diaconos fecit honorabiles. Cum praeterea inferiora ministeria ad clericos minorum ordinum, praestantiora autem officia ad diaconos essent delata, paulatim diaconi quidam vanitate ducti sibi complura iura arrogabant atque adeo presbyteros et Episcopos cum contemptu tractarunt (75). Quodsi S. Hieronymus (in epist. 85 ad Evagr.) in reiicenda illa insolentia diaconorum acrioribus verbis mensarum ministris in memoriam revocat, ipsos inferiorem gradum occupare, nequaquam eo progressus est, ut divinam diaconatus institutionem negaret (76).

§ 5. - DE ORDINE PRESBYTERATUS.

184. I. *Ordo presbyteratus* est specialis potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi et administrandi certa sacramenta variasque benedictiones efficiendi collata per impositionem manuum (77) et in Ecclesia latina saltem ex necessitate praecepti per traditionem instrumentorum i. e. calicis cum vino et patenae cum pane a diacono promovendo manibus tactorum (78) atque per accedentes verborum formas in libris ritualibus collationem potestatis sacerdotalis exprimentes (79). Presbyteratus est secundus gradus hierarchiae ordinis iure divino constitutus atque ab ordine diaconatus et Episcopatus vere et realiter distinctus verumque sacramentum (80).

(74) S. Clem. ad Corinth. cap. 42; S. Ignat. ad Magnes. cap. 2, 6, 13 ad Trall. cap. 3; *Kraus* l. c. v. Diakon (διάκονος, minister).

(75) Cfr. c. 15, 18 Conc. Arelat. (a. 314); c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 424 sq.; c. 20 Con. Laod. (a. 343-381).

(76) *Phillipps* l. c. § 37 p. 329 sq. § 25 p. 204 sq.; *Palmieri* l. c. p. 93 sq.; *De Augustinis*, De re sacram. t. II p. 461; *Seidl*, De Diaconat in d. k. Kirche (a. 1884); Kirchenlex. v. Diacon.

(77) Cap. 3 X. de sacram. in 16; Conc. Trid. Sess. XIV cap. 2 de sacr. extr. unct.; S. C. Inq. 16 Sept. 1877; S. C. Inq. 27 Maii 1840, 4 Mart. 1874; S. C. de Prop. F. 9 Aug. 1840 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 195.

(78) S. C. C. apud *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 1, 13; S. R. C. 3 Dec. 1663; S. C. Inq. 2 Iul. 1892; *Gasparri* l. c. n. 1061 sq.

(79) *Gasparri* l. c. n. 1062, 1069; *Many* l. c. n. 1 sq.

(80) Conc. Trid. S. XXIII cap. 1 sq. can. 1, 2, 3, 4, 6, 7; *De Augustinis*, De sacrament. p. 438 sq. 453 sq.; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 322 sq.; *Pal-*

II. Quod sacerdotium novi testamenti *Christus* ipse instituit, cum Apostolos suos illis verbis: « *Hoc facile in meam commemorationem* » primos constituit sacerdotes (81) eisque post ascensionem suam etiam potestatem remittendi peccata concessit (82).

Primis saeculis licet terminologia nondum esset plane stabilis, ita ut presbyterorum nomine etiam Episcopi comprehenderentur et forte interdum vicissim inter Episcopos etiam presbyteri recenserentur (83), tamen iam inde ex aetate Patrum Apostolicorum v. g. S. Ignatii (84) ordo presbyterorum ab ordine Episcoporum tanquam inferior distinguitur (85), ut frustra quis contendat brevi illo tempore antiquam constitutionem Ecclesiae fuisse immutatam (86). Ut discrimen illud etiam verbis magis exprimeretur, distinguebantur presbyteri tanquam *secundi ordinis sacerdotes* ab Episcopis, qui pontificatus apicem sive sacerdotii sublime fastigium tenent (87).

§ 6. - DE ORDINE EPISCOPATUS.

185. I. *Ordo Episcopatus* est specialis potestas conferendi ordines et administrandi sacramentum confirmationis atque conficiendi plura sacramentalia sive consecrationes et benedictiones presbytero *collata* per impositionem manuum et verborum formam in libris ritualibus expressam.

II. Episcopi ex Christi institutione supremum tenent gradum in hierarchia ordinis atque iure *divino* imprimis ratione ordinis episcopalis, qui verum est sacramentum, presbyteris sunt *superio-*

---

mieri, De R. Pontif. p. 81 seq.; *Gasparri* l. c. n. 21; *Pesch* l. c. t. VII n. 606 sq.; *Pohle* l. c. p. 563 sq.; *Many* l. c. n. 4.

(81) Luc. XXII 19.

(82) Ioann. XX 22, 23.

(83) *Kraus* l. c. v. v. presbyter (πρεσβύτερος), Bischof (ἐπίσκοπος); *Bruders* l. c. p. 119 sq.

(84) Cfr. l. c. § 4 h. tit.; *Bruders* l. c. p. 95 sq.

(85) *Franzelin*, De Ecclesia p. 259 sq. 282 sq., ubi tamen p. 289 sq. de sententia S. Chrysostomi atque Hieronymi nimis rigidum profert iudicium. Etenim Concilium Tridentinum suam doctrinam non repetit ex *vocum* significatione. Cfr. *Pesch*, Praelect. dogm. t. I n. 338 sq. 343; *Pohle* l. c. p. 556; *Bruders* l. c.

(86) *Hinschius* l. c. t. I p. 5 non solidis argumentis, sed coniecturis non fundatis causam suam agit. Cfr. *Pesch* l. c. n. 356 sq. 344 sq.

(87) Innoc. I in epist. 25 ad Decent.; S. Leo in c. 1 D. 32.

res (88); ipsi enim habent potestatem ordinandi et confirmandi quae illis nequaquam cum presbyteris est communis. Ordo quoque Episcopi quamvis ab ordine presbyteratus sit *realiter distinctus* distinctoque nitatur charactere sacramentali (89), tamen independenter ab ordine presbyteratus existere nequit (90), sed tanquam necessarium suum fundamentum ordinem et characterem presbyteri supponit. Quare quemadmodum diaconatus sese habet ad instar propylaeorum sive aditus ad domum (91), ita presbyteratus est fundamentum universi sanctuarii, cuius fastigium est Episcopatus (92). Confugiendum quoque non est ad illam sententiam, quae tenet ordinem episcopalem *formaliter* non tantum comprehendere potestatem ordinandi, confirmandi aliasque functiones sacras peragendi Episcopis reservatas, sed etiam *eminenter* continere *presbyteratum* aliosque ordines inferiores. Cuius sententiae corollarium est, quod ad validam collationem ordinis Episcopatus ordo presbyteratus in subiecto ordinando non praerequiratur. *Gasparri* l. c. n. 23 sq. hanc sententiam complurium theologorum exponit atque tandem ut probabilem admittit, imo *Many* l. c. n. 5 simpliciter alteri praefert. At argumenta in ipsius favorem allata non sunt vere solida, et prae-

---

(88) Conc. Trid. Sess. XXIII vera et cath. doct. cap. 4 can. 6, 7; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 1 n. 2; Collect. Lac. t. III col. 672, 684 sq. S. Hieronymus disertis verbis fatetur Episcopos saltem *potestate ordinis* esse presbyteris superiores. « *Quid facit* (ita S. Hieronymus loquitur) **excepta ordinatione** *Episcopus, quod presbyter non faciat?* » Imo idem Sanctus etiam quoad *iurisdictionem* Episcopos et presbyteros nequaquam habet aequales, licet pro more suo rhetorico dicendi durioribus videatur uti verbis. Cfr. *Phillips* l. c. p. 195 sq. 204 sq.; *Pesch* l. c. t. I n. 361 t. VII n. 613 sq.; *Many* l. c. n. 2; *Pohle* l. c. p. 556 sq.

(89) *Ferraris* l. c. v. Ordo art. 1 n. 16, 17, 18; *Phillips* l. c. t. I p. 302 sq.; *Gasparri* l. c. n. 21. Quae realis distinctio inter Episcopatum et presbyteratum a canonistis inde ab antiquis temporibus (cfr. *Goffred. de Trano*, Summa lib. I tit. 13 n. 3, *Hostiens.*, Summa eod. tit. n. I) semper communiter admissa (cfr. *Schmalzgr.* l. I tit. 11 n. 4) saltem nostra aetate etiam communiori sententia theologorum probatur. Cfr. *Hallier* l. c. P. II sect. 2 cap. 1 art. 2 § 1 sq.; *De Augustinis* l. c. p. 438 sq.; *Palmieri* l. c. p. 81, 90 sq.; *Schulte-Plassmann*. D. Episkopat; *Bouix*, De Episcopo t. I p. 94 sq.; *Many* l. c. n. 6; *Pohle* l. c. p. 554 sq. 560 sq.

(90) *De Augustinis* l. c. p. 541 sq.; *Phillips* l. c. p. 304; *Many* l. c. n. 7.

(91) Alex. II in epist. ad Ruinoldum Constant. scr. a. 1061-1069 = c. 1 D. 52; Innoc. III in ep. ad Episc. Bonon. (Olomuc.) scr. a. 1205 = cap. unic. X. de cleric. per salt. V 29.

(92) *Thomassin.* l. c. P. I lib. I cap. 1, 2; *Bouix*, De Episcopo t. I p. 7 sq. p. 34 sq.

sertim facta historica, quibus ista opinio potissimum innititur, sunt satis debile fundamentum ad evertendam contrariam sententiam communem (93).

186. Scholion I. Ex praemissis *facile* patet, utrum *novem*, an forte *octo* vel *septem* gradus sive ordines in hierarchia ordinis sint numerandi. Etenim cum *prima tonsura* certissime ordo non sit, *novem* veri ordines numerari non possunt, nisi verbum ordinis sumatur *sensu lato* pro quolibet gradu inter clericos distincto ritu sacro collato (94). Quodsi tantum ratio habeatur *verae* et *realis* distinctionis inter varios ordines et diversas ordinationes, certe in Ecclesia occidentali *octo* numerandi sunt ordines; in Ecclesia autem orientali pro diversitate rituum quinque vel sex vel pariter octo sunt ordines (95).

Denique si tot solummodo numerentur ordines, quot sunt vere et realiter *distincti* atque *separabiles* ab aliis ordinibus, profecto in Ecclesia latina tantum *septem* numerandi sunt ordines, et in Ecclesia orientali *quatuor* vel *quinque* vel similiter septem ordines reperiuntur (96). Nam ordo Episcopatus ordinem presbyteratus tam necessario supponit, ut sine illo omnino existere non possit (97) atque una cum simplici presbyteratu componit adaequatum et completum *sacerdotium* in duplicem ordinem bipartitum scl. in sacerdotium *primi ordinis* (Episcopatum) atque in sacerdotium *secundi ordinis* (presbyteratum). Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 2, iunct. can. 6, 7.

(93) S. *Athanas.*, Apologia contra Arianos n. 85, ubi refert epistolam Patrum Conc. Hierosolym. ad Alexandrinos: « *Attamen virum, qui presbyter non esset, in huiusmodi vico Episcopum contra antiquam traditionem statuere decreverunt*; *Hallier* l. c. P. II sect. 1 cap. 1 art. 2 §§ 1 sq.; *Catalanus*, In Pontificale Rom., in tit. de consecr. Episc. § 7; *Pesch* l. c. n. 145 sq.

(94) *Phillips* l. c. p. 299 sq.; *Goffred. de Trano* l. c. et *Hostiensis* l. c. *novem* distinguunt ordines, quia *psalmistatus* ex ipsorum opinione est primus *ordo* minor.

(95) Collect. Lac. t. II col. 38, 226 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 141 sq. 132 sq.; Synod. Alex. (a. 1898) p. 133 sq.; *Phillips* l. c. p. 315 sq.; *Scherer* l. c. p. 313; *Gasparri* l. c. n. 16; *Pesch* l. c. t. VII n. 620; *Many* l. c. n. 12.

(96) Innoc. IV (a. 1254) in Collect. Lac. t. II col. 447; Catech. Conc. Trid. P. II cap. 7 qu. 12; Conc. Trid. Sess. XXIII vera et cath. doct. cap. 2 habet inscriptionem: « *de septem ordinibus* »; at cum ista inscriptio non ab ipso Concilio, sed ab editoribus *privatis* sit apposita, exiguam habet auctoritatem. Cfr. *Phillips* l. c. p. 322; *Gasparri* l. c. n. 21.

(97) *De Augustinis*, De Sacramentis p. 541 sq.; *Phillips* l. c. p. 304; *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 90.

Scholion II. In Ecclesia orientali Periodeutae, Archidiaconi, Archipresbyteri, Chorepiscopi, Patriarchae specialem quandam accipiunt consecrationem. At ista consecratione gradus quidam specialis in hierarchia *ordinis* non confertur. Ideo illi gradus in *ordinum* numero non computantur, sed *dignitates* sunt. Cfr. cit. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 253 sq., 245 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 145, 148 sq.

CAPUT II

DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS (can. 951-967) (98)

187. Fontes: Gratian. 23, 24, 25, 64-67; c. 18 sq. C. I q. 1; C. I. q. 7; l. I tit. 11, 13; C. IX q. 1 — Compil. I lib. I tit. 7 de ord. ab Ep. — Decretales Greg. IX l. V tit. 8; tit. cit.; Decret. Bonif. VIII lib. I tit. 9 de temp. ord. — Conc. Trid. Sess. XXIII Sess. XIV cap. 2, 3 de ref. Sess. VI, VII — Decretal. Clem. P. VIII ed. *Sentis* p. 14 sq. — Urban. VIII Const. « *Secretis* » 11 Dec. 1624; Innoc. XII Const. « *Speculatores* » 4 Nov. 1694; Benedict. XIV Const. « *In postremo* » 10 Oct. 1756. — Decreta S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. Sess. cit.; Act. S. Sed. in ind. v. Ordinatio sacra; *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae S. C. C. p. 1 sq.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1183 sq.

Scriptores: Commentat. Decret. in cit. tit...; *Paucapalea* l. c. p. 40 sq.; *Stephan. Tornac.* l. c. p. 92 sq.; *Zech* l. c. tit. 6 de ministro ord.; *Devoti*, Inst. can. l. c. tit. 4; *Phillips* Kirchenrecht, t. I §§ 38-43 incl.; *Bouix*, De Episcopo t. II p. 143 sq.; *Scherer* Handb. d. Kirchenr. p. 326 sq.; *Hinschius* System. d. k. K. t. I p. 80 sq.; *Hallier*, De sacris elect. et ordin. P. II sect. 5; *Ferraris* Biblioth. v. Ordo art. 3, 4; *Kober*, D. Deposition p. 105 sq. 187; *Gasparri* l. c. n. 774 sq.; *Many* l. c. n. 27 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cap. 1 sq.; *Kraus* Real.-Encykl. v. Ordination.

Praenotiones

188. I. Connexio materiae. Expositis diversis *gradibus* hierarchiae ordinis, disserendum est *de acquisitione* illorum graduum in hierarchia. Quae acquisitio fit *sacra ordinatione* (99), sicut iuris-

(98) In hoc cap. I tit. VI Codicis permixte agitur de ministro *capaci* et de ministro *legitimo* sacrae ordinationis; in explanatione doctrinali canonum, duplex quaestio separatim et distincte videtur esse tractanda.

(99) Cfr. de *notione* ordinationis *Gasparri* l. c. n. 1.

dictio obtinetur *iniunctione* sive missione vel provisione vel institutione canonica. Qua in disputatione de sacra ordinatione sive collatione ordinum ecclesiasticorum *principalis* quaestio est de ministro *capaci* et *competente* sive legitimo secundum sanctiones divinas et canonicas (100).

II. **Definitio.** Minister ordinationis sacrae dicitur persona, quae praedita est *potestate* per legitimos ritus sacros et cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, rite conferendi ordines ecclesiasticos idoneis subiectis (101).

III. **Divisio.** Distinguuntur ministri sacrae ordinationis (102) *a)* in *habiles* atque *inhabiles*, quatenus saltem ad *validam* ordinationem capaces sunt vel non; *b)* in *legitimos* et *illegitimos*, quatenus etiam ad *licitam* ordinationem competentes sunt vel non; atque ex legitimis ministris alii possunt esse etiam ministri *obligati*, alii solummodo *competentes*, qui possunt, sed *non debent* conferre ordines; *c)* in *ordinarios* et *extraordinarios*. Quae divisio tum primae tum secundae divisioni tanquam *subdivisio* accedit.

Ordinarii ministri *habiles* seu *capaces* sunt, quicunque *vi solius ordinis* etiam *absque* ulla *commissione Sedis Apostolicae valide* omnes ordines conferre possunt. *Extraordinariis* adnumerandi sunt, qui vi solius ordinis ad validam collationem ordinum habiles non sunt, sed nonnisi *accedente deputatione* Sedis Apostolicae sive iure ordinario sive delegato saltem ad aliquos ordines valide conferendos completam capacitatem acquirunt.

Similiter qui *vi officii* ex proprio iure et titulo iuris communis *competentes* sunt ad *licitam* ordinationem, *ordinarii* vel *proprii* ministri ordinationis vocantur; qui vero tantum competentes fiunt ad licitam ordinationem ex speciali *delegatione* vel privilegio Romani Pontificis vel ex commissione Episcopi proprii, ii pariter ministri *extraordinarii* vel *delegati* dici possunt.

IV. **Notae historicae.** *a)* Secundum doctrinam catholicam per se omnis Episcopus vere consecratus *ordines valide* confert, dummodo servet sustantiales ritus et habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia (103). Quae doctrina primis quinque saeculis Eccle-

(100) *Zech* l. c. in font.; *Zallinger* l. c. l. I tit. 13 § 416.

(101) Decret. pro Armen.; *Gasparri* l. c. n. 773; *Pesch* Praelect. dogm. t. VII n. 649.

(102) *Zech* l. c. §§ 73, 75; *Hallier*, De sacris elect. et ordin. P. II sect. 5 cap. 1, 3.

(103) *Pesch* l. c. t. VII n. 649 sq.; *Pohle* l. c. t. III p. 576 sq.; *Hallier* l. c. P. II sect. 5 cap. 1, 2. Qua in re difficultatem faciunt antiqui illi canones, qui ordinationes haereticorum ita videntur declarare *nullas* et irritas, ut etiam *novam* ordinationem praescripserint. Cfr. c. 68 (6, 7) Apost.; c. 16 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 4 Synod. Constantinop. (a. 381). At *nullitas* **canonica** ordinationis i. e. in ordine ad certos effectus *iuridicos* non est confundenda cum *nullitate* **sacramentali** ordinationis, quemadmodum ritus *reconciliationis* distinguendus est a vera *reordinatione*. Cfr. c. 13 Conc. Arelat. (a. 314); c. 8 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 8 C. I q. 7 falso translatum in linguam latinam; c. 38 Conc. Carthag. III (a. 397) = c. 107 Dist. IV de cons.; *Hefele* l. c. t. I p. 212, 408 sq. t. II p. 20; *Card. Hergenroether*, Photius t. II p. 324, 338 sq.; *Bernard. Iungmann*, Dissertat. in hist. eccl. t. IV p. 110 sq.; *Kober* l. c. in font.; *Schanz*, D. Lehre v. d. h. Sacram. d. k. K. p. 694 sq.; *Many* l. c. n. 18 sq. Ut facta historica explicentur, nequaquam cum *Morino*, De sacris ordinat. (a. 1655), absque solido fundamento fingenda est potestas quaedam Ecclesiae *iure suo* definiendi conditiones requisitas ad *validam* susceptionem etiam ordinum hierarchicorum secundum analogiam sacramenti poenitentiae et matrimonii; talis enim potestas statuendi impedimenta dirimentia ordinum *iure divino* institutorum Ecclesiae non competit. Errat quoque *Sbaralea*, De sacris pravorum ordinationibus (a. 1750), qui putat potestatem ordinis etiam in viatoribus ita posse separari a charactere, ut Episcopus retineat quidem characterem in consecratione impressum, sed amittat facultatem valide conferendi ordines. Cfr. *Suarez*, De leg. l. V cap. 5 n. 22; *Lugo*, De iust. disp. 22 n. 121; *Gasparri* l. c. n. 774 sq. 779, 780; *Many* l. c. n. 26. Nam *Lugo* l. c. recte contra sententiam Morini arguit: « *Dixi in solo matrimonio, quia contractus est et ea parte, quatenus contractus est, subditur potestati et legibus humanis, potuisse Ecclesiam irritare consensum ministri vel recipientis illud sacramentum; in aliis autem sacramentis id non posse, nisi remote in sacramento poenitentiae, quatenus potest negare vel auferre iurisdictionem a ministro ad valide absolvendum; data tamen et non ablata iurisdictione, neque in illo sacramento potest irritare consensum ministri volentis absolvere vel poenitentis volentis recipere absolutionem, ut non valide operentur. Rationem autem dixi esse desumendam ex sacramentorum institutione, in quibus Christus, supremus princeps, commisit ministris potestatem, ut eius nomine operentur et reliquis etiam concessit facultatem recipiendi gratiam per talia media; non potest autem inferior Praelatus tollere vel limitare potestatem, quam subditus habet immediate a Praelato superiore... Ideo ergo non potest Ecclesia facere, quod legitimus minister et sacerdos volens consecrare hostiam ex pane triticeo non valide eam consecret, aut quod verus Episcopus volens ordinare presbyterum volentem, non valide ordinet, quia in illis actibus, quod attinet ad valorem, operantur potestate et facultate accepta a Christo. In matrimonio autem id facere potuit auferendo materiam nempe contractum legitimum, qui non datur, quando fit contra leges humanas* ». Similiter arguendum contra *Sbaralea*; nam *Christus* nullum determinavit casum, quo in vero Episcopo potestas ordinandi separaretur a charactere; *Ecclesia* vero tales casus determinare non potuit propter rationes a Lugo allatas. Cfr. *Lugo*, De Sacram. in genere, disp. 6 n. 15 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1133; *Pohle* l. c. t. III p. 43 sq. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 774 sq. 779, 780; *Many* l. c. n. 26; *Michel* in Dictionn. d. Theolog. v. Ordre n. IV (I-II).

siae catholicae non obstantibus controversiis de validitate baptismi ab haereticis collati communi consensu sive in theoria sive in praxi *per facta contraria* serio in dubium non fuit vocata, sed potius confirmata testimoniis luculentis praesertim S. Hieronymi, S. Augustini, S. Leonis, Conc. Carthag. III (a. 397) c. 38, Concilii Ephesini (a. 429) act. VII, 6. Saeculo vero sexto primum occurrit exemplum verae ordinationis novae clericorum ab haereticis ordinatorum; etenim Ioannes Scholasticus, Patriarcha Constantinopolitanus (a. 564-578), clericos ab haeresi redeuntes iussit « *deponi a sacris ordinibus in haeresi receptis et iterum in his ordinibus ordinari* ». Quod factum quamvis ab Episcopis, clero populoque christiano reprobaretur, tamen saeculis subsequentibus complures nactum est imitatores. Id, quod potissimum accidit saeculo octavo quoad ordinationes a Constantino Papa factas et a Stephano III (a. 768-772) iteratas; item saeculo nono, cum Stephanus VI (a. 896-897) ordines a Formoso Papa, suo praedecessore, collatos denuo conferret. Ortis controversiis de ordinationibus *simoniacorum* inde ex saeculo undecimo non solum in praxi reordinationes verae quandoque occurrunt, sed etiam in theoria non obstante auctoritate Petri Damiani saltem nonnulli scriptores v. g. *Petrus Lombardus* et *Gratianus* contrariam sententiam tenuerunt aut saltem obscurius et ancipite modo locuti sunt. At ex saeculo decimo tertio ducibus et magistris S. Thoma et Bonaventura istae haesitationes ita cessaruut, ut in Concilio Lugdunensi II (a. 1272) et in Concilio Florentino (a. 1439) de ordinationibus schismaticorum orientalium nullum moveretur dubium; praesertim vero post Concilium Tridentinum omnes theologi in unam communemque sententiam de valore illarum ordinationum convenerunt, nisi excipias Morinum et Sbaralea.

b) Ad vitandam autem confusionem et arcendos indignos viros a clero (cfr. c. 24. Conc. Illiber. a. 300-306) singulis Episcopis iam inde ex primis saeculis iusti constituti sunt limites, scl. ne quis Episcopus *licite extra* territorium *proprium* atque subditis *alienis* ordines conferret, et ne *intra* propriam quidem dioecesim *alienos* subditos ordinaret (104). Quae ultima prohibitio etsi imprimis data est, ne *clerici* alienae dioecesis ad superiores ordines promoverentur, tamen etiam ad *laicos* alterius dioecesis videtur fuisse extensa (105). Iure igitur antiquo Episcopus videtur fuisse competens vel ex titulo *baptismi* sive *nativitatis spiritualis* (106), vel ex titulo *domicilii* sive diuturnae habitationis (107), vel denique ex titulo *ordinationis* (108). Quod ius antiquum Clemens IV cap. 1. h. t. in Sext. reformare coepit, ubi solos Episcopos *originis naturalis* vel *beneficii* ut proprios expressis verbis commemorat; Bonifacius VIII vero (109) cap. 3, h. t. in Sext. generaliter statuit eum solum Episcopum esse *proprium* ad conferendos ordines qui esset *ordinandi* Episcopus aut ratione *originis* aut *beneficii* aut *domicilii*. Postea Conc. Trid. et Innocentius XII Const. « *Speculatores* » a. 1694, quartum titulum *familiaritatis* consuetudine paulatim introductum expresse certis additis conditionibus confirmarunt (110). Quibus quatuor titulis ex decreto S. C. C. 20 Iul. 1898, *pro clericis* accessit quintus titulus *incardinationis* in clero novae dioecesis.

c) Regulares cum primis Ecclesiae saeculis non essent exempti a iurisdictione episcopali, etiam quoad ordines suscipiendos Episcopis fuerunt subiecti. Quare mirum non est, quod c. 14 Concilii Carthaginiensis VI (a. 401) in Episcopum illegitime ordinantem monachum alieni monasterii i. e. alterius dioecesis poena excommunicationis, in monachum vero male promotum depositio

(104) Cfr. c. 17 Conc. Arelat. (a. 314) et *Hefele* l. c. t. I p. 214; c. 16 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 3 D. 71 et *Kober*, D. Suspension p. 45 sq. 143 sq.; c. 15 Conc. Sardicens. (a. 343); c. 13, 22 Conc. Antioch. (a. 341) et c. 36 Apost. et *Kober* l. c. p. 291 sq.; *Hofmann* in Act. theol. Oenipont. t. XXIV p. 92 sq. 108 sq.

(105) Conc. Carthag. (a. 345-348) c. 5 = c. 6 D. 71; c. 9 Conc. Arausic. I. (a. 441); c. 16 Conc. Roman. (a. 402), ubi saltem illi laici alienarum dioecesium prohibentur ordinari, qui a proprio Episcopo fuerunt exclusi; *Hallier* l. c. P. II sect. 5 cap. 3 art. 1, 2; *Card. Soglia*, Inst. iur. eccl. priv. § 43; *Phillips* l. c. § 41; *Hinschius* l. c. t. I p. 86; *Hofmann* l. c. p. 115 paulo aliter quoad laicos, cui *Saegmueller* consentit.

(106) At ex ipso modo, quo in c. 24 Conc. Illiber. (a. 300-306) titulus baptismi commemoratus esse dicitur, satis apparet solum baptismum non constituisse titulum ordinarium et plane tutum. Cfr. c. 1 sq. D. 93; c. 1 D. 73; *Hofmann* l. c. p. 115, 112 sq.

(107) Cfr. test. cit. not. 8 h. tit.; c. 36 Apost.; c. 13 Conc. Antioch.; *Gasparri* l. c. n. 802.

(108) Iste titulus sine ulla controversia admittitur, cum frequentissime in antiquis canonibus allegetur. Cfr. *Thomassin*, l. c. cap. 1; *Hofmann* l. c. p. 114 sq.

(109) Cfr. de iure ante Bonif. VIII: Clem. IV (a. 1265-1268) in cap. 1 h. t. in Sext.; Urban. II (a. 1088-1099) in c. 10 C. IX q. 2; *Hallier* l. c. P. II sect. 5 cap. 3 art. 1; *Thomassin*, l. c. cap. 2 sq. cap. 7; *Hinschius* l. c. t. I p. 87.

(110) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 9 de ref.; Gloss. Figmento ad cap. 2 h. t. in Sext. iam commemorat *praetextum amicitiae*, c. 8 Conc. Arausic. I (a. 441).

fuerit statuta. At gravia sine dubio fuerunt pericula disciplinae religiosae, si Episcopi inconsulto atque adeo invito Abbate monachum ordinarunt. Cfr. cap. 5, X, h. t. 11. Inde factum est, ut Conc. Agathense (a. 506) c. 27 = c. 12, C. XVIII, q. 2. et Conc. Ilerdense (a. 524-546), c. 3 = c. 34, C. XVI, q. 1, statuerint monachum ab Episcopo non posse ordinari, nisi cum consensu et licentia sive ad praesentationem Abbatis. Quae norma transiit in ius commune atque cit. cap. 5, X, h. t. (Lucius III, a. 1181-1185) et cap. 1, § 8, de stat. monach. III. 10, in Clem. solemniter confirmata est. Postquam saeculo decimo tertio ordines mendicantium fundati sunt, qui non iam fuerunt singularia monasteria, sed universales societates in complures provincias divisae, Clemens IV (a. 1265-1268) Fratribus Minoribus dedit privilegium *praesentandi* subditos suos ad *ordines* recipiendos cuicumque Episcopo communionem habenti cum Sede Apostolica. Quod privilegium a Sixto IV a. 1474 confirmatum, postea sive directa concessione sive per communicationem in alios ordines religiosos extensum est. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Impositi nobis* » 27 Febr. 1747. At Concilium Tridentinum Sess. VII, cap. 11, de ref. et Sess. XXIII, cap. 8, de ref. novum ius condidit, cui non obstante benigniore declaratione Pii V de privilegiis antiquis regularium non sublatis, regulares ex novis supervenientibus Constitutionibus Gregorii XIII (a. 1583), Sixti V, Clementis VIII (a. 1596) manserunt subiecti. Quas Constitutiones deinceps Benedictus XIV, in cit. Const. « *Impositi* » authentice denuo interpretatus est et accuratius circumscripsit. Cfr. *Hallier*, de sacris elect. P. I. sect. 1; *Thomassin*. l. c. P. I. l. 3, cap. 26 sq.; In Reg. Canc. Apost. reg. 24, § 3, n. 250 sq.; *Many* l. c. n. 156 sq.; *Piat*, Praelect. iur. regul. t. II, q. 350 sq.

§ 1. - DE CAPACI MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS.

189. I. Minister *ordinarius* et *capax* ad *validam* collationem *omnium* ordinum est omnis et solus Episcopus valide consecratus (111).

(111) Cfr. c. 1 § 9 D. 25; c. 24 § 1 D. 93; Decretum pro Armenis (cfr. *Denzinger*, Enchiridion n. 596); Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 133; Conc. Trid. Sess. XXIII vera et cath. doct. cap. 4 can. 7; *Schmalzgr*. l. I t. 11 n. 30; *Phillips* l. c. § 38; *Gasparri* l. c. n. 774 sq. 1129 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. VII n. 649 sq.

Qui etiamsi sit apostata, haereticus, schismaticus (112), excommunicatus (113) suspensus, interdictus, irregularis, depositus, degradatus, simoniacus, criminosus vel loco et dignitati renuntiarit (114), modo servet *ritum substantialem* ordinationis iure *divino* (vel iure canonico) praescriptum, atque *intentionem* habeat faciendi, quod facit (115) Ecclesiae, nihilominus *valide*, sed *illicite* ordines confert. Nam non obstante haeresi, schismate etc. cum charactere indelebili ordinis episcopalis *retinetur potestas valide* ordinandi (116).

Quare ordinationes in Ecclesia orientali non unita cum Sede Apostolica generatim validae sunt habendae. Nam Episcopi orientales ob successionem in hierarchia ordinis non interruptam valide sunt consecrati et ritus substantiales servare *solent* atque de intentione ipsorum faciendi, quod facit Ecclesia, dubitari nequit (117). Idem fere iudicium ferendum est de valore ordinationum Iansenianorum in Hollandia et consequenter « *veterum catholicorum* » in Germania et Helvetia (118), nisi praesertim apud *novos* illos haereticos in casibus particularibus ob speciales circumstantias dubia oriantur.

(112) Cap. 2 X. de schismat. et ord. ab eis, V 8; Instruct. Clem. VIII 31 Aug. 1595 n. 13. Cfr. Collect. Lac. t. II col. 449, 450, 515, 601; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. col. 228 sq. 241; S. C. Inq. 13 Mart. 1669 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1207; *Pesch* l. c. n. 660 sq.

(113) Cap. 2 X. de ordinatis ab Ep. I 13; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 160 sq.; *Schmalzgr*. lib. I tit. 13 n. 4; *Boenninghausen*, De irregul. fasc. II p. 107 sq.

(114) Conc. Trid. Sess. VII de sacram. in genere can. 12; cap. I X. de ord. ab Ep. I 13; *Schmalzgrueber* cit. tit. 13 n. 2, 3; *Boenninghausen*, De irregularit. fascic. II p. 105 sq.

(115) Decret. pro Armenis; Conc. Trid. Sess. VII can. 2; S. C. C. 23 Ian. 1586, 13 Febr. 1682 in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 175 n. 2, 3; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 11 n. 1; *Gasparri* l. c. n. 966.

(116) Conc. Trid. l. c. can. 4; *S. Raymundus*, Summa lib. I tit. 5 § 6 tit. 6 § 3; *Gasparri* l. c. n. 1147.

(117) Collect. Lac. t. II l. c.; Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 n. 13-15, Const. « *Eo quamvis tempore* » 4 Maii 1745 § 20; responsum allegatum 9 Apr. 1704 de ordinationibus diaconorum et presbyterorum ab Episcopo schismatico in Aethiopia factis iunct. decret. S. C. Inq. 21 Apr. 1875, unde constat responsum istud 9 Apr. 1704 non esse decretum S. C. Inq. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1057 sq. et Collect. Lac. l. c. col. 503 sq. et Civiltà Cattol. a. 1896 vol. VIII p. 677 sq.

(118) Pii IX Encycl. « *Etsi multa luctuosa* » 21 Nov. 1873 in Arch. f. k. K. t. 31 p. 186 sq. et praesertim p. 195.

At irritae sunt ordinationes ecclesiae anglicanae (119) et multo magis Protestantium in Dania et Suecia (120); deest enim in illis saltem *forma* et *intentio* essentialiter requisita.

190. II. Ministri *extraordinarii* et *capaces* sacrae ordinationis sunt.

1º) Ex *iure antiquo* (121) accedente consuetudine et saltem tacito consensu R. Pontificum simplices quoque *Presbyteri Cardinales* in ecclesiis suorum titulorum intuitu subditorum eisdem ecclesiis inservientium conferre poterant primam tonsuram et ordines minores tantum (122).

Dubia, quae aderant, sustulit Codex can. 239, § 1, n. 22, ubi inter alia privilegia Cardinalibus *omnibus* etiam illud conceditur

(119) Decret. S. C. Inq. 21 Apr. 1875 cum epist. Card. Patrizi 30 Apr. eiusd. an. in Collect. Lac. l. c. col. 504; *Estcourt,* The quaestion of the anglican ordinations, Lond. 1873; Act. theol. Oenip. t. II p. 403 sq.; *Phillips* l. c. t. I § 39; *Scherer* l. c. p. 327; *Gasparri* l. c. n. 778; *Hinschius* l. c. p. 84 sq. Quae controversia de valore ordinationum anglicanarum nunc a Leone XIII Const. « *Apostolicae curae* » 13 Sept. 1896 per veram sententiam ex cathedra est dirempta, ut de illarum *nullitate* dubium non amplius existere possit. Cfr. Leon. XIII Breve « *Religioni* » 5 Nov. 1896 in Anal. eccles. t. V p. 237 sq.; Civiltà Cattol. l. c. p. 5 sq. 257 sq. etc.

(120) *Phillips* l. c.; *Warrimont,* Mémoire historique sur la prétendue succession apostolique de la Scandinavie (a. 1854); *Hinschius* l. c. p. 84.

(121) Cap. 11 X. de maior. et obed. I 33; Benedict. XIV Const. « *Ad audientiam* » 15 Febr. 1753 § 16; *Many* l. c. n. 58.

(122) *Honorante,* Praxis Secretar. Tribun. Em. Card. Urbis Vicarii, Rom. 1762 p. 7 sq. recte docet secundum antiquam et recentem sui temporis praxim etiam Constitutionibus Alexandri VII « *Apostolica sollicitudo* » et Innocentii XII « *Romanus Pontifex* » confirmatam simplicibus Presbyteris Cardinalibus in suis ecclesiis titularibus Urbis potestatem conferendi primam tonsuram et ordines minores personis servitio illarum ecclesiarum addictis non amplius competebat. Imo ex Benedicti XIV Const. « *Ad honorandum* » 27 Mart. 1752 etiam Cardinali Archipresbytero Basilicae Vaticanae eiusque successoribus potestas conferendi ordines tantum concessa intelligebatur intra terminos ibidem statutos, « *quatenus episcopali charactere praediti sint* ». Certe etiam iamdiu *simplices* Presbyteri Cardinales (hodie tamen vix non omnes Presbyteri Cardinales solent habere *ordinem* episcopalem) tali iure conferendi ordines minores in suis titulis non utebantur. Quare altera quaestio, num id facere possent ad instar Abbatum *sine licentia Cardinalis Vicarii* non obstante Concilio Tridentino Sess. VI cap. 5 de ref., (quod de Abbatibus et Cardinalibus in *suis* ecclesiis vel titulis pontificalia exercentibus non erat intelligendum), practica utilitate carebat, praesertim si etiam ratio haberetur litterarum dimissoriarum per Cardinalem Vicarium obtinendarum. Cfr. *Ph. Hergenroether-Holweck* l. c. p. 234. Cfr. tamen Benedict. XIV Const. « *Ad audientiam* » l. c.; *Gasparri* l. c. n. 965; *Many* l. c. n. 58.

conferendi tonsuram et ordines minores, non solum intuitu clericorum in ecclesia sui tituli inservientium, sed omnibus qui habeant dimissorias litteras proprii Ordinarii. Porro iure Codicis omnes Cardinales debent esse constituti *saltem in ordine presbyteratus* (can. 232, § 1).

Ex iure communi: 2º) *Abbates regulares de regimine* (123) verorum ordinum religiosorum, non *saeculares* vel commendatarii vel *titulares* vel congregationum religiosarum cum votis simplicibus, dummodo sint sacerdotes *et* vere ac rite benedicti, etsi sine territorio *nullius* tonsuram et ordines minores conferre possunt, sed suis dumtaxat subditis, qui professionem saltem simplicem emiserint (can. 625, 964, 1º): ordinatio autem extra hos fines ab iisdem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est prorsus irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat (can. cit.) (124).

(123) *Huius iuris historia:* In Concilio Ancyrano (a. 314) c. 13 prima vice expresse commemorantur *Chorepiscopi,* qui omnino prohibentur ab ordinatione presbyterorum et diaconorum (cfr. de interpretatione huius canonis; *Hefele* l. c. t. I p. 231 sq.), atque c. 10 Conc. Antioch. (a. 341), etiamsi ordinem episcopalem consecuti sint, ad solam ordinationem lectorum et subdiaconorum et exorcistarum restringuntur. Cfr. de Chorepiscopis: *Hefele* l. c. p. 773; *Thomassin.* l. c. P. I lib. 2 cap. 1 et 2; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. III cap. 3 n. 6; *Gasparri* l. c. n. 792, 941 sq.; *Scherer* l. c. § 91 not. 2; Synod. Sciarf. (a. 1888) 145 sq. 148 sq., ubi agitur de *benedictione* Archidiaconi, Periodeutae, Chorepiscopi, quae *ordinatio* episcopalis non est nec concedit potestatem conferendi ordines.

Patres Concilii Nicaeni II (a. 787) c. 14 = c. 1 D. 69 (cfr. de versione Grat. parum accurata: *Hefele* l. c. t. III p. 479 sq.) *Chorepiscopis* antiquum ius ex mandato Episcopi ordinandi lectores confirmant et prima vice etiam *Abbatibus* ius conferendi lectoratum concedunt, dummodo iidem Abbates sint sacerdotes *et* ab Episcopo benedicti. Qui canon Concilii Nicaeni II, quem denuo Innocentius III a. 1210 allegat in cap. 11 X. de aet. et qual. I, 14, paulatim secundum consuetudinem Ecclesiae occidentalis saltem ad *omnes ordines minores* etiam pro subditis *saecularibus* extensus est. Cfr. c. 1 D. 69 = c. 14 Conc. Nicaen. II a. 787 (*Hefele* l. c. t. III p. 479 sq.); Alex. III in cap. 1 X. de ordinat. ab Ep. I 13 et cap. 3 de privileg. V 7 in Sext.; *Pirhing* l. 1 t. 11 n. 41. Denique Concilium Trid. Sess. XXIII cap. 10 de ref. privilegium illud Abbatum accuratius circumscripsit et ad *subditos regulares* limitavit, sublatis omnibus privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Cfr. *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. II cap. 11 n. 9 sq.; S. C. C. declar. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 197 sq.; S. C. Inq. 15 Iul. 1903; Act. S. Sed. vol. II p. 340; *Santi* h. t. n. 27; *Many* l. c. n. 50 sq. 56 sq. Cfr. de praxi Ecclesiae orientalis: Synod. Mont. Lyban. (a. 1736) l. c. col. 269.

(124) Cfr. de necessitate sacerdotii et benedictionis: Cit. c. 14 Conc. Nicaen. II; cap. 11 X. de aet. I 14; cap. 1 X. de suppl. negl. I 10; S. C. C. 26

3°) Abbates vero regulares ceterique Praelati *nullius* (125), sicut etiam Vicarii ac Praefecti Apostolici, si charactere Episcopali polleant, Episcopo dioecesano quod pertinet ad ordinationem aequiparantur; ideoque tum suis subditis tum alienis ad ipsos dimissis omnes ordines conferre possunt et sunt ministri validae ordinationes *ordinarii* (can. 957, § 1). Sin vero charactere episcopali carent ex iuris dispositione fiunt ministri capaces *extraordinarii* quoad solam *tonsuram* et *ordines minores*, non solum quoad suos subditos saeculares, sed etiam quoad non subditos a proprio ipsorum Ordinario legitime dimissos, sed solum: *a*) in proprio territorio; *b*) et durante

---

Mart. 1647, 28 Mart. 1903; Benedict. XII Const. « *Commissi* » 6 Maii 1725; *Gasparri* l. c. n. 798 sq.; *Many* l. c. n. 50, 51. Quae benedictio recipienda est ab Episcopo dioecesis infra annum a die electionis; at Abbas toto illo anno decurrente, item si ter benedictionem inutiliter ab Episcopo petierit, vel speciale habeat privilegium, ante omnem benedictionem potest licite et valide ordines minores conferre. Cfr. Benedict. XIII l. c.; S. R. C. 19 Maii 1896, 31 Aug. 1867 (Decr. auth. S. R. C. n. 3905, 3162); Arch. f. k. K. t. II p. 199 sq. Iam declaratum fuerat subditis regularibus non posse adnumerari *novitios* religionis, cum per vota religiosa ab Ecclesia acceptata nondum facti sint regulares (cfr. S. C. C. 14 Maii 1689), neque subditos *alienos* Praelati regularis vel Episcopi, licet litteris dimissorialibus muniti sint, quia verba Tridentini *privilegii* non plene verificantur, et iteratae obstabant decisiones SS. CC. C. v. g. S. C. C. 23 Nov. 1641 et S. C. R. 27 Sept. 1659; at merito iisdem adcensebantur etiam professi votorum *simplicium* in formalibus religionibus, qui hac in re sine professione solemni nomine subditorum regularium comprehenduntur, ut constat ex praxi etiam Romae recepta. Cfr. *Pennacchi*, Comment. in Const. Apost. Sed. t. p. 465; *Hollweck*, D. k. Strafg. 291 sq. 349 sq.; *Many* l. c. n. 52, 161; aliter *Gasparri* l. c. n. 949, qui exigebat professionem *solemnem*. Quodsi Abbas, licet sit vere sacerdos, rite benedictus *aliis* quam subditis suis regularibus ordines minores conferret de valore illarum ordinationum acris controversia aderat quia ex natura rei valor huiusmodi ordinationum est possibilis et decisiones S. C. C. non erant conformes. Nihilominus cum talis facultas haberetur *ex privilegio* restricto ad subditos regulares, non ex vi solius ordinis, atque attenta analogia cum sacramento confirmationis a presbytero administrato et non paucis decisionibus SS. CC., sententia *negans* valorem v. g. cum *Suarez*, *Hallier* aliisque antiquis et novis scriptoribus praeferenda videbatur. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 955 sq.; *Many* l. c. n. 54. Quam controversiam penitus sustulit Codex cit. canone.

(125) Abbates nullius ceterique Praelati nullius ante Codicem, citra speciale privilegium, suis subditis saecularibus ne *dimissorias* quidem dare poterant ad ordines recipiendos; sed horum ordinatio *unice* spectabat ad *Episcopum* viciniorem. Imo tametsi forte essent Episcopi consecrati, perinde ac Episcopi titulares, non erant vi suae iurisdictionis ministri competentes ordinationis, nisi ageretur de subditis regularibus. *Wernz*, Ius Decret. II n. 818 not. 31; *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 935 sq. 939. Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIII, cap. 10 de ref.

munere, quo expleto aut eo durante extra proprium territorium invalide agunt (can. 957, § 2). Abbates regulares *etiam nullius* hoc iure uti possunt pro solis *suis* subditis regularibus neque ultra primam tonsuram et ordines minores, si charactere episcopali careant.

4°) Ex speciali *privilegio apostolico* presbyteri quidam, qui ordine episcopali carent, etiam quoad ordinem subdiaconatus fieri possunt ministri capaces et competentes. Qui favor, quo in Ecclesia orientali fruebantur Chorepiscopi, ante Concilium Tridentinum compluribus Abbatibus fuerat concessus (126). Iamdiu vero talis facultas conferendi subdiaconatum non amplius datur simplici presbytero.

191. Scholion I. At nullo certo et authentico documento probatur Romanos Pontifices v. g. Innoc. VIII Const. « *Exposcit* » 9 Apr. 1489 unquam simplici presbytero, etiamsi is Abbas generalis fuerit, privilegium conferendi ordinem *diaconatus* indulsisse (127).

---

(126) *De Augustinis* l. c. t. II 531 sq. iunct. *Scherer* l. c. p. 328 et cap. 9 X. de consecrat. eccl. III, 40; Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 269; *Many* l. c. n. 59. Cfr. quoque Gelas. epist. (a. 494) apud *Thiel*, Epist. Roman. Pont. p. 365.

(127) Acta theol. Oenip. t. IV p. 527 sq.; *Phillips* l. c. § 38 i. f.; *Scherer* l. c. p. 328 de novo patrono huius privilegii; *Santi* h. t. n. 24; *Pastor*, Geschichte d. Paepste t. III p. 253, ubi ea allegat facta, quibus facile probatur tempore Innocentii VIII huiusmodi Constitutionem pontificiam *potuisse falsificari*. *Gasparri* l. c. n. 798, ait: « *Mihi facta inspectione in archivio Vaticano, relatum est, bullam quidem* (i. e. Innocentii VIII) *ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse* ». Quae *si vera* essent, sane citata Const. Innocentii VIII *genuina* esset dicenda, sed propter *interpolationem* factam in vulgaribus editionibus careret omni vi probandi exorbitans illud privilegium Abbatum Cisterciensium. At relatio ista anonymi officialis non indicato accurate loco archivii Romani nec descripto diplomate ex sese suspecta non amplius sustineri potest. Nam *P. Pius a Langonio*, De Bulla Innocentiana (a. 1892) p. 11 sq., ubi denuo solide universam quaestionem examinat, aperte testatur post accuratas quamplurimorum eruditorum investigationes in tabulariis Vaticanis Bullam originalem hucusque non fuisse repertam, atque speciatim in regesto Innocentii VIII nec textum originalem talis Bullae nec duplicatum nec minuta inveniri. Fatendum vero est regestum Innocentii VIII accurata methodo historica, qua v. g. nunc Decretales Bonifacii VIII aliorumque Rom. Pontificum publicantur, nondum esse exploratum. Quare nihil obstat, quominus forte tempore futuro textus originalis et authenticus, non interpolatus huius Bullae reperiatur.

Certe Bulla Innocentiana iam a. 1491 Divione typis fuit impressa. Quodsi de ipsius authentia quaeratur, concedendum est illam argumentis *a priori* petitis non posse impugnari. Nam si sola natura rei attendatur, Christus Dominus sine dubio *potuit* R. Pontifici hanc potestatem eodem modo concedere, quo illi permisit simplicem sacerdotem deputare ad administrandum sacramen-

Deficiente tali certo et authentico documento omnino adaerendum traditioni Ecclesiae, Patrum et librorum ritualium, de *solo Episcopo* ministro ordinum hierarchicorum.

Scholion II. Multo magis omnes theologi et canonistae conveniunt Romanum Pontificem neque simplicem sacerdotem unquam de facto ad ordinationem *presbyteri* delegasse neque de iure delegare posse. Nam universa traditio est contraria et nullum exemplum allegari potest. Cfr. *De Augustinis* l. c. p. 529 sq.; *Many* l. c. n. 59.

Ultimo quidem tempore publici iuris facta est bulla Bonifacii IX « *Sacrae religionis* » (a. 1400) qua dicitur abbati monasterii S. Osithae in Essex et eius successoribus facta facultas dandi professis monasterii omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive, his verbis accepta: « *ut idem abbas et successores sui in perpetuum*

---

tum confirmationis et ad conferendos ordines minores, imo etiam subdiaconatus, qui ex multorum theologorum opinione sunt vera sacramenta; ipsi vero subdiaconi sunt ministri sacri et immediati altaris, qui a diaconis non multum distant. Hinc si omnes illi theologi non invenerunt difficultatem vindicandi R. Pontifici potestatem indulgendi facultatem presbytero ad collationem subdiaconatus, ex natura rei et *a priori* extensio illius potestatis pontificiae ad diaconatum non videtur repugnare, ita ut inde contra authentiam huius Bullae efficax argumentum peti non possit. Universa igitur controversia ex *traditione divina* est resolvenda. Qua in re sola Bulla Innocentiana non constituit sufficiens argumentum; etenim sese habet ad instar alicuius insulae in mari magno, atque similis doctrinae antea nullibi reperitur vestigium, imo negatio apud antiquos scholasticos. Porro si quis in foro ecclesiastico *exorbitans* allegat privilegium, ipsi incumbit onus producendi textum originalem privilegii. Cfr. c. 8 D. 100; cap. 4, 7, 9 X. de conf. II 30; cap. 19 X. de testib. II 20; *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 35. Quae productio textus originalis hucusque facta non est. Deinde ipsa Bulla ob rem contentam et circumstantias temporis manet suspecta; etenim conceditur res plane nova, insolita, inaudita *ultra preces* valde modestas et *ob motiva vere debilia;* ipsum vero tempus Innocentii VIII propter alias enormes falsificationes Constitutionum Apostolicarum est suspectum; tandem unica huiusmodi Bulla particularis etiam in casu authentiae nondum constitueret peremptorium argumentum, ut patet v. g. ex modo loquendi theologorum de unica quadam mereque particulari dispensatione pontificia. Cfr. *Pesch* l. c. t. VII p. 666 sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII l. 9 cap. 13 n. 7; *Wernz* Ius Decret. tom. IV p. 1024. Pro authentia huius privilegii militat *Many* l. c. n. 59 cum Planchard, Panhoelzl aliisque. At disputatio de authentia istius privilegii habet mere theoreticum valorem; nam singulare illud indultum, si exstitit, per Concilium Tridentinum, certe vero per Leon. XIII Breve « *Non mediocri* » 30 Iul. 1902 est abrogatum; ibidem enim Abbatibus Cisterciensibus datur privilegium « *conferendi servatis servandis regularibus suis subditis primam tonsuram et quatuor ordines minores* tantummodo ».

abbates eiusdem monasterii omnes minores necnon subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines statutis a iure temporibus conferre libere et licite valeat, et quod Canonici sic per dictos abbates promoti in sic susceptis ordinibus licite et libere ministrare possint ». Quae bulla, in qua continetur facultas illis verbis concepta procul dubio authentica est (128). Quam idem Bonifatius IX post tres annos per aliam bullam « *Apostolicae Sedis* » (a. 1403) irritavit et cassavit ad remonstrationem et petitionem episcopi Londinensis Roberti Braybrook, qui allegavit ius patronatus in dictum monasterium Episcopis Londinensibus competens et quod indulta per illam bullam concessa « *in gravem Episcopi et iurisdictionis suae ordinariae ac ecclesiae Londinensis laesionem vergerent* ».

Ad quam bullam explicandam non sunt fingendae hypotheses, quae non subsistunt (129), v. gr. quod Abbas illius monasterii esset Episcopus consecratus (130), quod certe non poterat dici de omnibus successoribus in perpetuum, nisi R. Pontifex se et suos successores obligaret ad consecrationem episcopalem abbatum omnium illius abbatiae. Qua exclusa explicatione, non defuit, qui assereret, quaestionem de ministro ordinationis ita esse decidendam,

---

(128) De authentia utriusque Bullae « *Sacrae religionis* » et « *Apostolicae Sedis* » prioris revocatoriae, dubitari nullo modo potest. Utriusque Summarium prima vice publicatum fuit in « Calendar of entries in the Papal registers relating to Great Britaind and Ireland, Papal Letters-Bliss-Twemlow, vol. V D. 1396-1404. London a. 1904, et certissime documenta hoc opere comprehensa deprompta sunt ex legitimis Archivis Vaticanis, et inde data notitia in variis Commentariis Periodicis, v. g. in *Periodica de re mor. et can.* A. Vermeersch (a. 1924) p. 18 sq.; *Nouv. Rev. Theol.* (a. 1924) p. 332 sq.; *Ephemerides Theol. Lovan.* (a. 1924) pag. 464. Integram prima vice a. 1911 publicavit *Egeston Beck* in The Engl. Hist. Rev. vol. XXVI p. 124 sq.; *Pohle* in Lehrbuch der Dogmatik vol. III ubi pag. 519 satis putat satisfactum illi Bullae per sententiam a Christ. Pesch mutuatam — unum factum pontificium non facit legem neque dogma —. In eumdem sensum *Hugon*, in Revue Thomiste (a. 1924) p. 491 sq.; Scuola Cattolica (a. 1924) ubi *Abb. Fofi* sine solidis argumentis tribuit illi Bullae valorem decisivum in quaestione theologica de ministro ordinationis, in quo merito non habuit praeclaros sectatores. Cfr. *Puig de la Bellacasa* in Estudios ecclesiasticos (a. 1925) pag. 3 sq. 113 sq. ubi ineccepibili modo demonstrat authentiam duplicis Bullae et alia affert documenta inedita et authentica, quae ad illarum explicationem conferunt, ac interpretationem solide proponit dogmati conformem ac traditioni et disciplinae ecclesiasticae consonam.

(129) Cfr. quatuor modi explicationis propositi a *Vermeersch* « Periodica » l. c.

(130) Cfr. *Puig de la Bellacasa* l. c. p. 114 sq. Multo minus quod concedatur Abbati ut consecretur Episcopus et ita suos ordinare possit, ibid. p. 116 sq.

ut propter illam concessionem, quam supponit pertinere ad ipsam ordinationem non ad facultatem dimittendi ad ordines, Rom. Pontifici sit tribuenda facultas concedendi simplici presbytero facultatem conferendi tres ordines maiores, quam hactenus communi consensu theologi et canonistae negaverant (131). Quae exorbitans et inaudita facultas, merito asseritur non posse deduci ex unico facto, et multo fortius esset huic facto singulari applicandum quod supra (nota 127) dictum est de Bulla « *Exposcit* » si illa demonstraretur authentica; quare illa explicatio est reiicienda et merito fuit reiecta v. gr. a *Pohle, Hocedez, Hugon, Puig de la Bellacasa* locis citatis.

Qua in re non sunt oblivioni danda legitima principia theologica et canonica, ius de ordinatione regularium eiusque historica et iuridica evolutio. Certe unum factum pontificium non facit legem neque dogma; unde unica facta *facultas*, si illum haberet sensum, quaestionem theologicam de ministro validae ordinationis non resolveret indubitato modo. Nec omittendum est, illius facultatis statim factam esse revocationem et irritationem, quamprimum ad Rom. Pontificem pervenit remonstratio Episcopi Londinensis, quod facultas Abbati facta esset in praeiudicium *iurisdictionis* suae et in genere Episcoporum Londinensium (cfr. Bullam revoc. « *Apostolicae Sedis* »).

Explicationem theologicam et canonicam suppeditant, quae supra allegata sunt de ordinatione regularium, ex quibus constat sub finem saec. 11 factum esse ius commune, ut regulares ab Episcopo dioecesano non possent odinari, nisi cum consensu et licentia sive ad praesentationem abbatis (cap. 5, X h. t. 11, l. I. Lucius III, a. 1181-1185). Prima autem vice, exortis ordinibus mendicantibus, Clemens IV fratribus Minoribus privilegium concessit praesentandi ad ordinationem suos subditos cuivis Episcopo communionem cum Sede Apostolica habenti. Quod privilegium sive singulares abbatiae et monasteria sui iuris monachorum sive ceteri ordines regulares pro se obtinere procurarunt, et de facto sive directa concessione sive per communicationem paulatim ad omnes ordines regulares extensum fuit, donec a Concilio Tridentino eidem derogaretur (sess. VII,

(131) Hanc explicationem traditioni et disciplinae ecclesiasticae contrariam proponit sine haesitatione abbas *Fofi* l. c.

cap. 11; sess. XXIII, cap. 8 de ref.). Quo iure existente vere Superiores regulares suos subditos ordinabant seu promovebant ad ordines, cum in illis ordinandis non penderent ab ullo Episcopo, multo minus ab Episcopo diocesano, excepta illa dependentia, quae iuris divini est, ut ordines accipiantur ab Episcopo consecrato; sicut etiam nunc quilibet Episcopus suos clericos ordinat, tametsi ordinationem ipse non peragat, sed eos ad alium Episcopum dimittat, a quo sacra ordinatio recipiatur. Quo sensu promotio ad ordines, ordinatio, ordinum collatio, est promotio, ordinatio *iuridica* (non sacramentalis), quae alio modo dicitur dimissio seu iuridica concessio litterarum dimissorialium, quibus indiget quilibet Episcopus ad ordinandum non subditum. Huic conceptui respondet querela facta ab Episcopo Londinensi, qui, praeter titulum iuris communis illius temporis, cui derogabat privilegium Abbati S. Osithae concessum, allegabat alium titulum specialem et peculiarem Episcoporum Londinensium, qui monasterium S. Osithae sibi speciali titulo subiectum habebant, sc. ius patronatus inde obtentum quod Episcopus Londinensis monasterii fundator exstiterat. Allegat autem praeiudicium *ordinariae suae iurisdictioni* per privilegium allatum, cui non derogabat *asserta capacitas* tributa abbati-presbytero conferendi per seipsum ordines (sicut non derogabat capacitas ceterorum omnium Episcoporum); sed illi iurisdictioni derogabat independentia, qua posset Abbas suos subditos promovere per Episcopum alienae dioecesis. Haec autem unica adducitur ratio in subsequenti const. « Apostolicae Sedis » ut motivum revocationis Bullae praecedentis. Porro absurdum esset et incredibile, quod Abbas S. Osithae petiisset, nulla allegata cogente ratione, facultatem, ad quam elargiendam Rom. Pontifici potestatem negabant theologi innixi constanti traditioni Ecclesiae, et quod ipse Rom. Pontifex tali exorbitanti petitioni adnueret ex solo allegato motivo honorandi Abbates illius monasterii. Privilegium igitur nihil aliud importat, nisi facultatem promovendi seu dimittendi ad ordines, quam post concessionem a Clemente IV Minoribus factam, paulatim et monasteria seu abbatiae et ordines mendicantes et deinde alii Ordines obtinuerunt, quae non inepte exprimitur per facultatem ordinandi vel conferendi ordines, servatis utique de iure praesertim divino servandis (132).

(132) Cfr. optimam dissertationem *Puig de la Bellacasa* in « *Estudios eclesiásticos* » l. c. pag. 118 sq. 123 sq.

III. Dubium solidum existere non potest, quin *unus* Episcopus valide consecratus etiam *absque* indulto pontificio possit *valide* conferre ordinem Episcopatus. Quare praeter Episcopum consecratorem *duo alii Episcopi assistentes* tantum ad liceitatem, non ad *validitatem* consecrationis episcopalis requiruntur. Quae sententia ex tribus opinionibus hac de re propugnatis invicte probatur ex antiqua praxi Ecclesiae Romanae per multa saecula retenta, qua Romanus Episcopus solus consecrationem Episcoporum perfecit. Accedit traditio et praxis antiqua etiam aliarum Ecclesiarum et praesertim Congregationum Romanarum, quae constanter tenuerunt consecrationem episcopalem ab uno solo Episcopo *sine dispensatione* pontificia factam esse *illicitam*, sed *validam;* unde manifeste consequitur dispensationem R. Pontificis concedi de lege mere disciplinari Ecclesiae, non supplere *conditionem iure divino* requisitam. Atque hunc sensum habet can. 954, dum exigit alios duos Episcopos, nisi hac super re a Sede Apost. fuerit dispensatum. Cfr. S. C. Inq. 13 Mart. 1669; S. C. de Prop. F. 18 Maii 1695 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1207, 1208; *Hallier* l. c. P. II, sect. 5, cap. 2; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 13, n. 2 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. VII, n. 655 sq.; *Gasparri* n. 1087 sq. 1112; *Many* l. c. n. 272 sq.

§ 2. - DE COMPETENTE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS.

192. I. **Romanus Pontifex,** Episcopus Ecclesiae catholicae, qui in omnes fideles ordinariam, immediatam vereque episcopalem iurisdictionem habet, in universa Ecclesia et omnibus fidelibus iure divino capacibus atque alias dignis et idoneis ordines quoscunque *licite ipse conferre potest* (133), quin licentia alterius indigeat vel sanctionibus iuris mere humani v. g. circa tempora rigorose adstringatur.

Praeterea pro plenitudine suae potestatis sibi aliquam ordinationem soli *reservare* vel *aliis Praelatis* cateroquin habilibus ordi-

(133) Cfr. c. 20 (Stephan. VI a. 885-891) C. IX q. 3; c. 31 (Gelas. a. 492-496) C. XVI q. 1; cap. 1, 3 de temp. ord. I, 9 in Sext.; Benedict. XIV Const. « *In postremo* » 10 Oct. 1756 § 6; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 8; *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 24 § 3 n. 317 sq.; *Phillips* l. c. § 40; *Gasparri* l. c. n. 792 sq.

nariam vel delegatam facultatem ordines licite conferendi etiam cum derogatione iuris communis impertiri valet.

De facto: a) si quis a Romano Pontifice ordinatus est, sine illius licentia ob honorem Sedi Apostolicae debitum et praxim a Rom. Pontificibus constanter servatam et ius in Codice can. 952 sancitum ab alio Praelato ad superiores ordines nequit promoveri (134), et clericis ordinatis ab alio Praelato praestat honore quod pariter expresse sancitur can. 106, 3° (135); *b*) Ex disciplina nunc (136) in Ecclesia saltem latina vigenti per se consecrationes Episcoporum Romano Pontifici sunt iure proprio et ordinario reservatae et ut per alium Episcopum fieri possint mandato Apostolico opus est (can. 953) (137). Cum iure antiquo et novo (can. 954) ad *licitam* consecrationem Episcopi omnino requirantur *tres Episcopi*, absque indulto pontificio *unus* Episcopus *solus* aut tantum cum *duobus presbyteris* assistentibus ordinem episcopalem *licite* conferre nequit. Cfr. c. 4. Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 386; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII cap. 13 n. 4 sq., ubi n. 10 allegat decisionem quandam a Clemente XI 21 Nov. 1718 in casu particulari datam; *Pesch,* Praelect. dogm. t. VII n. 655.

193. II. **Episcopi** cum iurisdictionem habeant tantum in determinato *territorio* et in *limitatam populi* christiani *partem*, etiam solummodo in sua dioecesi et suis subditis tanquam Episcopi *proprii* ordines conferre possunt (138).

(134) Iure praecedenti invocabatur de illo iure Innoc. III in epist. ad Philippum, Archiep. Mediol.; Benedict. XIV l. c. §§ 2 sq.; *De Angelis*, l. c. h. tit. n. 3; *Thomassinus*, *Riganti*, *Phillips* l. c.; *Hinschius* l. c. p. 85 sq. At ex cap. 12 X. de tempor. I 11 pro ista assertione nihil colligi potest, atque idcirco in summario cit. cap. 12 sensus capitis non accurate refertur. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 793; *Many* l. c. n. 43.

(135) Cfr. Cap. 7 X. de maior. et obed. I 31; Benedict. XIV l. c. § 7; *Gonzalez Tellez* l. c. in cap. 12 h. t.; *Gasparri* l. c. n. 794.

(136) Cfr. de iure antiquo: Grat. Dist. 64, 65, 66; cap. 6, 7 X. h. t. 11; can. 20 Conc. Arelat. (a. 314); can. 4 Conc. Nicaen. (a. 325) et *Hefele* l. c. t. I p. 386; *Gasparri* l. c. n. 1087.

(137) Pontificale Rom. P. I De consecr. electi in Ep.; Benedict. XIV const. « *In postremo,* » §§ 16, 17; *Devoti*, Instit. canon. l. c. §§ 3, 4; *Gasparri* l. c. n. 795 sq.; *Papp-Szilágyi* l. c. p. II § 10; *Zech,* Hierarchia eccl. II § 246 sq. De iure ecclesiarum orientalium cfr. Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 221 sq; Collect. Lacen. t. II col. 343, 571, 575; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 118; Synod. Alex. Copt. a. 1898 p. 187.

(138) Cfr. supra h. tit. n. 188 not. hist.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.

Quare Episcopus in alterius Episcopi dioecesi ordinationes peragere nequit, nisi de Ordinarii loci *expressa* licentia et in personas eidem Ordinario subiectas tantum (139). Subditus vero alienae dioecesis, qui extra dioecesim propriam ordines recipere vult, a suo Episcopo litteras dimissoriales et testimoniales afferre debet (140).

Inde sequitur Episcopos, qui populum subiectum non habent velut Episcopi titulares, vel qui ecclesiae suae renuntiarunt, nonnisi de alterius Episcopi licentia ordines conferre posse (141).

Quibus principiis suppositis, competentia Episcopi spectari potest: A) relate ad ordinandas personas saeculares; B) relate ad *regulares,* qui ob privilegium exemptionis non sunt proprie subditi Episcopi, sed Praelatis regularibus subduntur; C) relate ad alios religiosos, qui exemptionis privilegio non fruuntur.

194. - A) De ordinatione personarum saecularium cavet can. 956.

I. Ex praemissis notis historicis ius de Episcopo proprio pro ordinatione clericorum saecularium ante Codicem regebatur const. « *Speculatores* » Innocentii XII, a. 1694, in quo agnoscuntur quatuor tituli competentiae sc. *origo naturalis, domicilium, beneficium, familiaritas* certis conditionibus vestita. Quibus quatuor titulis ex decr. S. C. C. 20 Iul. 1898 accessit quintus titulus *incardinationis* in clero alicuius dioecesis — Consequentia illius iuris erat, ut qui ex diversis titulis competentiae compluribus Episcopis tamquam propriis subiiceretur, *seclusa fraude,* liberam haberet facultatem eligendi unum ex competentibus Episcopis; quem pro ordinibus suscipiendis adiret,

(139) Cfr. Conc. Trid. Sess. VI cap. 5 de ref. Cui principio iam antiquis canonibus stabilito (cfr. c. 6 Conc. Nicaeni (a. 325); can. 36 Apost.; *Phillips* l. c. § 23 not. 30; Gratian. Dist. 71) non obstant facta quaedam extraordinaria primorum saeculorum (cfr. c. 10 (Urban. II scr. a. 1088-1099) C. IX q. 2; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 1 n. 10 sq.; *Phillips* l. c. § 43 p. 359) sq.), neque privilegia quaedam specialia v. g. Primatis Carthaginiensis (cfr. Conc. Carthag. III a. 397 c. 7 et *Hefele* l. c. t. II p. 67) et Patriarcharum. Cfr. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 231 de Patriarcha Maronitarum; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 140 de Patriarcha Antioch. Syror.; Synod. Alexandr. (a. 1898) p. 147 de Patriarcha Alexandr. Coptorum ordinandi quemcumque de tota natione et in toto Patriarchatu, saltem si urgeat necessitas.

(140) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.; cap. 4 X. h. t. in Sext.

(141) Cap. 1 X. de ordinatis I, 13; Conc. Trid. Sess. XIV cap. 2 de ref.; *Scherer* l. c. p. 328 not. 12.

nec inde tamen perdebat alios titulos subiectionis ad alios Episcopos; unde unum ordinem ab uno Episcopo competente, alium ab alio Episcopo proprio *petere* (142), nequaquam vero pro suo arbitrio *exigere* poterat. Ex qua libertate iuridica efficiebatur, ut in multis casibus dependentia et subiectio erga determinatum Episcopum facile frustrari et effugi poterat, et licet de iure clericus vagus existere non poterat, *practice* tamen clerici vagi darentur, ab una dioecesi in aliam transeuntes et speciali vigilantiae et obedientiae determinati Episcopi se subtrahentes (143).

II. Can. 956 efficitur ut iure novo Codicis, semper unicus dumtaxat habeatur minister competens ordinationis. Ante omnia cum ex nova Codicis disciplina per receptionem primae tonsurae laicus clericus fiat et illi dioecesi incardinetur seu perpetuo adscribatur pro qua clericus factus est, consequitur quaestionem generalem de Episcopo seu ministro competente relate ad ordines reduci *ad ordinationem laicorum,* non pertinere ad ordinationem clericorum. Sane ius novissimum Codicis, abrogatis pluribus competentiae titulis et redeundo ad primaevum conceptum incardinationis, voluit ut adscriptio ad clerum, quae fit per collationem primae tonsurae, non fieret ad clerum in genere sed ad clerum determinatae ecclesiae

(142) S. C. C. in cons. *Fundana* 27 Febr. 1666. Cfr. Conc. Trident. ed. *Richter,* p. 186, n. 6; *Many,* De sacr. ordin. n. 42.

(143) Dubitari tamen non poterat, quin Episcopi etiam *competentes obligationem* non haberent tali clerico vaganti ab uno Episcopo ad alium secundum ipsius beneplacitum conferendi ordines; sed illi tempus conveniens assignare poterant. S. C. in cons. *Pisana* 26 Ian. 1732; *Gasparri* l. c. n. 853 sq.

De casibus specialibus competentiae nunc abrogatis consulendi sunt iuris praecedentis commentatores. V. g. ab Episcopis Italiae quoad ordinandos clericos ultramontanos speciatim attendendae fuerunt: Decretalis Clementis IV in cap. l. h. t. in Sexto; Urban. VIII const. « *Secretis* » 11 Dec. 1624; S. C. C. in cons. *Bonon.* 15 Martii 1692, S. C. P. F. 2 Martii 1898 in Arch. f. k. K. t. 79, p. 102 sq. (monitum ad Episcopos Italiae exteros iuvenes, praesertim Polonos non admittendi ad s. ordines sine litteris testimonialibus proprii Ordinarii). Cfr. *Phillips* l. c. § 41 p. 371 et *Gasparri,* l. c. n. 862, 887; *Hollweck,* D. K. Strafg. p. 289; *Many* l. c. n. 66.

Competentia specialis fuerat data Cardinali Vicario in Urbe circa saeculares clericos exteros ordinandos; quae erat eruenda ex iure speciali hac de re statuto per Decreta Clem. VIII 24 Nov. 1603; Alexandri VII, 15 Maii 1664; Benedicti XIV 20 Martii 1743; Pii IX const. « *Apostol. Sed.* » a. 1869; *Honorante,* Praxis Secr. Card. Urbis Vicar. p. 164 sq.; *Bucceroni,* Comment. in c. Apost. Sed., n. 102; A. S. S. vol. II pag. 585 sq.; *Gasparri* l. c. n. 892, 914 sq.; *Many* l. c. n. 44 sq.

seu dioecesis. Qua ratione efficaciter impeditur ne dentur clerici vagi, nulli determinatae ecclesiae in perpetuum adscripti et liberi ut ab una in aliam dioecesim transeant; sed omnes clerici per ipsam clericatus susceptionem facti sunt subditi determinatae dioecesis et determinati Episcopi, aliis exclusis, et exclusa iuridica libertate, qua potiuntur laici mutandi dioecesim per solam domicilii mutationem. Quare nullus clericus (tonsuratus) propria voluntate independenter a consensu *sui* Episcopi potest se subiicere Episcopo alterius dioecesis; *suus* autem Episcopus is est ad cuius clerum pertinet, quae pertinentia efficitur per incardinationem; ideo unus dumtaxat Episcopus habet in unoquoque *clerico* competentiam eamque exclusivam, quae ex principiis supra positis et ex ipsa rei natura restricta est ad propriam dioecesim et ad proprios subditos (144). Competentia illa quidem Episcopi erga suum clericum, licet exclusiva sit, non est tamen *absolute immutabilis;* sed mutari potest sive per expressam et formalem excardinationem (can. 112) sive per excardinationem tacitam et virtualem (can. 114); ita tamen dioecesis et subiectio mutari potest, ut per cessionem sui clerici ab uno Episcopo alteri factam, cesset clerici subiectio ad Episcopum cedentem et inde huius in illum competentia, quae plene et exclusive transit in Episcopum cui cessio valide ad iuris normam facta est (145). Ita obtinetur ut unicus dumtaxat sit Episcopus proprius uniuscuiusque *clerici* quoad ordinationem sc. Episcopus dioecesis ad cuius clerum ille clericus adscriptus est, sive per primam promotionem ad statum clericalem, sive per subsequentem cessionem Episcopi proprii coniunctam cum incardinatione ad clerum Episcopi cui cessio facta est.

Quare quaestio de Episcopo proprio ad ordinationem, quam resolvit can. 956, sese refert ad personas laicas primo promovendas ad statum clericalem; cum aliunde ex praecedentibus canonibus 111 sq. quoad *clericos* ad ordines promovendos constet illum unum Episcopum esse competentem ad cuius clerum *actu* de iure pertinet clericus ordinandus, qui ceteros omnes Episcopos excludit, quos

(144) Paulo aliter *Maroto* in « Apollinaris » (annus VI pag. 239 sq., praesertim pag. 243 sq. n. 11, 12).

(145) Cfr. can. 111 seq., ubi illa subordinatio exclusiva ad unum determinatum Episcopum pro omnibus clericis sancitur, nec permittitur solvi nisi substituatur subiectio pariter exclusiva ad alium determinatum Episcopum. *Wernz-Vidal*, De personis II, n. 57 sq.

tamen competentes facere potest per delegationem seu per sic dictas litteras dimissorias.

III. Ergo pro ordinando laico eoque ad statum clericalem transferendo et adscribendo clerico determinatae dioecesis competentiam Episcopi definit can. 956 hoc modo: « *Episcopus proprius*, ideoque unice *competens*, est *tantum* Episcopus dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine, sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare ». Generatim quidem ex communiter contingentibus solet retineri domicilium habitationis in loco unde quis trahit originem; si hoc verificatur merito huius loci Episcopo agnoscitur titulus praevalens competentiae supra alios omnes. Quodsi quis locum originis reliquit et domicilium habitationis alio transtulit, non est ratio cur Episcopus originis velit originarium perpetuo retinere in sua dioecesi, ita ut alibi clericus fieri non possit, cum praesertim laici sint liberi in mutando domicilio. Ergo pro eo qui reliquit locum originis, subintrat Episcopus domicilii, ex quo in laicis oritur subiectio; cum vero domicilium sit mutabile, ius exigit ut illud domicilium qualificetur per iuramentum praestandum ab ordinando, quo domicilium fit *qualificatum*, et ita Episcopus ordinans iam antecedenter expressam habet voluntatem laici ordinandi sese adscribendi dioecesi ordinantis sanctitate iuramenti firmatam (146) et sibi compentiam exclusivam tribuentem.

(146) Etiam ex const. *Speculatores* domicilium debuit esse *qualificatum*, ut ex illo sortiri quis posset Episcopum proprium pro ordinatione. Cfr. S. C. C. in caus. Florent. 8 Aug. 1829, in caus. Neapolit. 17 Iun. 1826. *Lingen* et *Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 3 sq. 7 sq.; *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 24 § 3 n. 32 sq. (de domicil. quoad ordines); *Schmalzgr*. h. t. n. 39; *Gasparri* l. c. n. 828 sq.; *Many* l. c. n. 32 sq.

Innocentius XII in cit. Const. expresse quidem egit de ipso ordinando et supposuit candidatum ordinum, qui *proprium* illud domicilium qualificatum ipse sibi acquirere posset et iuramentum quoque praestaret. At minores saltem regulariter nequeunt próprium domicilium verum et qualificatum acquirere ideoque obtinent domicilium *legitimum* in domo paterna. Hinc si pater transfert domicilium in aliam dioecesim, pariter filius minor ibidem in domo paterna acquirit domicilium qualificatum quoad ordines, dummodo verificentur conditiones a cit. Const. Innocentii XII requisitae. Quae Constitutio *in hoc casu* de iuramento a filio exigendo nihil expresse statuit; item in praxi non raro etiam a patre iuramentum exigi non solet. At inde non sequitur generaliter posse asseri huiusmodi iuramentum ordinarie non requiri. Cfr. *Scherer* l. c. t. I p. 329, iunctum *Many* l. c. n. 35, 36. Cum titulus domicilii, attenta facilitate

Inde fit, quod supra notatum est, semper unicum haberi Episcopum competentem ad dandam clericalem tonsuram; nam origo simul cum domicilio in uno dumtaxat loco haberi potest; domicilium vero qualificatum, si locus originis relictus est, pariter in una dumtaxat dioecesi haberi potest. Quare Episcopus, qui non sit proprius uno ex duobus titulis, nequit sine dimissoriis proprii Episcopi laicum ad primam tonsuram promovere. Comm. Codicis, 17 Febr. 1930 (A. A. S. XXII, 195). Vicissim qui nullibi domicilium habent, habebunt Episcopum proprium pro ordinatione Episcopum loci ubi fit ordinatio, modo tamen ordinandus praevie acquirat domicilium cum iuramento ad normam can. 956; et *sub eadem conditione* qui alibi habet domicilium simul cum origine, quia domicilium libere laicus deserere potest in ordine ad primam tonsuram ab alio Episcopo recipiendam cum adscriptione ad huius Episcopi clerum.

195. *Exceptiones circa iuramentum.* Exceptiones in can. 956 ponuntur duae: *a)* Non est praestandum iuramentum in ordinando seu promovendo *ad ordines* clerico per primam tonsuram dioecesi iam incardinato; is enim nequidem in aliena dioecesi iuridice potest acquirere domicilium (nisi redeat ad statum laicalem), unde non possit semper revocari ab Episcopo ad cuius clerum adscriptus est per primam tonsuram. Iuramentum exigitur ad perpetuam et ex propria voluntate non mutabilem adscriptionem dioecesi ordinantis; sed qui recepit pro tali dioecesi primam tonsuram et factus est eius clericus iam est ipsi perpetuo adscriptus seu incardinatus ex ipsa iuris dispositione, ideoque iuramentum est superfluum nec requiritur ad tribuendam ex parte adscripti specialem firmitatem, quam

---

relinquendi locum originis, esset praecipuus, moderatio quaedam in conditionibus domicilii haud raro a doctoribus desiderabatur: ita v. g. *Wernz*, Ius decretal. t. III n. 28, nota 43 desideratum proponebatur: « Fatendum vero est nostra aetate, qua tot sunt transmigrationes, *de iure constituendo* mitiorem desiderari praxim in acquirendo illo domicilio qualificato. V. g. decennium illud reduci posset ad unum annum, ut experimentum de candidato caperetur; altera conditio de translatione bonorum, quae saepe non existunt, non videtur esse necessario retinenda, neque praestatio iuramenti generaliter exigenda, nisi ad vitandas fraudes Episcopus aliter statuat ». At iure Codicis, licet verum sit filium minorem sequi quoad domicilium patrem mutantem domicilium (domicilium *necessarium* seu legitimum), insistendum est in iure minoris constituendi sibi proprium domicilium qualificatum pro ordinibus recipiendis: cfr. in textu *Scholion*, n. 196.

iam tribuit ipsum ius, cui privata voluntas non potest cum effectu derogare.

b) Pariter non est praestandum iuramentum a laico domiciliato, qui pro servitio alius dioecesis ad clerum promovetur, ut permittit can. 969, § 2. Qui tamen ita promotus, ne sit clericus vagus et liber, interim ordinantis dioecesi incardinatur, suo tempore in aliam dioecesim sive ex tunc iam determinatam sive indeterminatam per *excardinationem* et incardinationem transferendus. In tali casu iuramentum de perpetua permanentia in dioecesi ordinantis veritate careret (147).

c) Tertia exceptio *a iuramento praestando* fit quoad religiosum professum non exemptum, cuius ordinatio regitur iure clericorum saecularium (can. 964, 4º). Is ergo ordinabitur ab Episcopo originis simul et domicilii religiosi ordinandi, vel domicilii tantum i. e. ab Episcopo loci ubi sita sit domus ad cuius familiam reli-

---

(147) Quod interim maneat incardinatus dioecesi ordinantis, inde manifeste efficitur, quod servitio alterius dioecesis ex permissione canonis 969 § 2 erit cedendus per *excardinationem* a dioecesi ordinantis; excardinatio autem supponit incardinationem in dioecesi unde quis excardinatur. Agitur in memorato canone de clerico superfluo pro necessitate vel utilitate ecclesiae Ordinantis; superfluum non licet cuilibet Episcopo ordinare ex can. 969 § 1 nisi verificetur exceptio paragraphi secundae, quod habeatur intentio illum alteri dioecesi indigenti cedendi; cessio autem ex praescripto canonis fieri debebit per excardinationem et respectivam incardinationem (cfr. canones 112, 116).

Potestne Episcopus A pro dioecesi B, huius dioecesis Episcopo consentiente seu petente, laicum in dioecesi A domiciliatum (non tamen originarium) sine iuramento ad primam tonsuram promovere? Si faceret, profecto talis laicus ad primam tonsuram promotus ex praescripto can. 111, § 2 dioecesi B incardinaretur; cuius corollarium esset, deinde ad ordines promoveri non posse sine dimissoriis Episcopi B. At posse hoc fieri licite sine iuramento quo Episcopus A fieret proprius, ex generali formula legis non videtur; aliunde iuramentum sensum non haberet. Porro Episcopus B ubi ille laicus nec est originarius nec domiciliatus, hunc non potest dimittere ad Episcopum A. — Nisi aliter declaratum fuerit, casus videtur solvendus eodem modo, scilicet, non originarius debet ordinari prius contracto domicilio cum iuramento in dioecesi B pro qua ordinandus est; vel ordinandus est ab Episcopo domicilii (i. e. A) sine iuramento et postea excardinari a dioecesi A et incardinari in dioecesi B. Quodsi Episcopus aliquis indiget subditis superfluis alterius Episcopi, posset petere indultum ut ab aliis Episcopis non subditi ordinentur pro *sua* dioecesi, qua ordinatione i. e. prima tonsura suae dioecesi incardinentur ad normam can. 111, § 2. De actu illegitimo Episcopi laicum *antecedenter* non sibi subditum ordinantis et ita ad suum clerum illegitime adscribentis cfr. *Wernz-Vidal* t. II De personis n. 67, Scholion I.

giosam ordinandus pertineat, praeviis informationibus et praesentatione (non dimissione) Superioris religiosi. Iuramentum de animo perpetuo manendi in dioecesi actualis domicilii, a tali religioso plerumque ne praestari quidem licite posset, cum debeat esse obnoxius obedientiae Superioris religiosi, qui ipsum transferre in aliam religiosam domum potest: porro religiosus professus non ordinatur pro servitio dioecesis, sed pro servitio religionis. At talis religiosus semel factus *clericus* religiosus, ad ordines maiores a Superiore religioso dimitti non poterit nisi ad hoc habeat expressum indultum post Codicem obtentum; nam indulta ante Codieem obtenta praescripto can. 964, 4º expresse revocantur (148).

196. Scholion. Licet *minores,* generatim loquendo, retineant domicilium *necessarium* parentum aut tutorum (can. 93, § 1), nec, secluso casu emancipationis, possint sibi proprium *domicilium* voluntarium acquirere (argum. can. 93, § 2); nihilominus illa subiectio ad parentes vel tutores non est absoluta (can. 89), sed in rebus spiritualibus, maxime in his quae pertinent ad electionem status in Ecclesia potestati parentum aut tutorum praesertim *puberes* non sun obnoxii. Sane can. 1648, § 3, tribuit ius agendi et, si pubes sit, etiam per se in causis spiritualibus sine patris aut tutoris auctoritate: ideoque in his causis, nisi probetur exceptio, liberum habet exercitium suorum iurium. Quae libertas ipsi competit ad statum religiosum, ut apparet ex canone 542, 552 § 2, 555, 573; pariter eadem libertate fruitur pro amplectendo statu clericali, ut manifeste constat ex praescriptis can. 973 sq., praesertim can. 971 (149). Illa libertas status clericalis amplectendi complectitur independentiam ipsius minoris in ponendis conditionibus a iure ecclesiastico requisitis, ideoque facultatem constituendi sibi proprium domicilium illudque per iuramentum qualificandi in ordine ad obtinendum Episcopum proprium pro sua adscriptione ad clerum et pro recipiendis ordinibus.

(148) De conditione religiosi pro religione ordinati cfr. *Wernz-Vidal* l. c. n. 66.

(149) De illa facultate libera minorum in statu vitae amplectendo cfr. quoque: cap. 12, 18 X. de regul. III 31; *Schmalzgrueber* h. t. n. 5; *Hallier,* De sacris elect. et ordin. P. I, sect. 8, cap. 2, art. 1 n. 12 sq. Quodsi leges civiles aliquid in contrarium statuant, huiusmodi leges, utpote ab incompetente potestate latae, hac in re *directam* obligationem non imponunt. Cfr. *Allègre,* Cod. civ. gall. comment. t. I pag. 274 sq.

Quae dicta sunt de Episcopo proprio quoad ordinationem *cleri saecularis* valent quoque pro Vicariis et Praefectis Apostolicis, pro Abbatibus et Praelatis *nullius, si charactere episcopali polleant,* relate ad eos qui sint ipsorum subditi ratione originis et domicilii vel ratione domicilii per iuramentum qualificati; nam etiam relate ad ordinationem Episcopo dioecesano aequiparantur (can. 957, § 1). Si vero episcopali charactere careant, per seipsos solum possunt conferre eisdem subditis tonsuram et ordines minores, ad quos fiunt ministri capaces infra ambitum definitum canone 957, § 2. Pariter Vicarius Capitularis, qui, post annum a sede vacante, intra annum vero quoad sola arctatos ratione beneficii recepti vel recipiendi suos subditos promovere potest (can. 958, § 1, n. 3º), ipse per se ordines potest, si sit Episcopus consecratus (can. 959), conferre (150).

197. B. *Episcopus proprius pro ordinatione regularium. a)* Ante omnia in memoriam revocanda sunt, quae supra n. 190 dicta sunt de ministro *capaci extraordinario:* porro ex can. 959: « Qui potest litteras ad ordines recipiendos dare, potest eosdem Ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat ». Iam vero regulares ceterique religiosi exempti ad ordines promoventur a propriis ipsorum Superioribus, nec ullus religiosus exemptus potest legitime ordinari sine praesentatione seu litteris dimissoriis proprii Superioris maioris (can. 964, 2º); qui, secluso speciali privilegio, professos votorum simplicium temporaneorum non possunt dimittere

(150) De iure praecedenti, cfr. S. C. C. in caus. Pisan. 26 Ian. 1732; *Gasparri* l. c. n. 853 sq. Porro ab Episcopis *Italiae* quoad ordinandos clericos ultramontanos speciatim attendendae fuerunt: Decretalis Clementis IV in cap. 1 h. t. in Sext.; Urban. VIII Const. « *Secretis* » 11 Dec. 1624; S. C. C. in caus. Bonon. 15 Mart. 1692; S. C. de Prop. F. 2 Maii 1898 in Arch. f. k. K. t. 79 p. 102 sq. (monitum ad Episcopos Italiae exteros iuvenes, praesertim Polonos non admittendi ad s. ordines sine litteris testimonialibus proprii Ordinarii). Cfr. *Phillips* l. c. § 41 p. 371 et *Gasparri* l. c. n. 862, 887; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 289; *Many* l. c. n. 66. Qua in Const. Urbani VIII poena suspensionis ab usu pontificalium ipso facto incurrenda propter silentium Pii IX in Const. « *Apost. Sed.* » iamdiu non vigebat. Competentia Cardinalis Vicarii in Urbe circa saeculares clericos exteros ordinandos eruenda erat ex iure speciali hac de re statuto. Cfr. Decreta Clem. VIII 24 Nov. 1603; Alexandri VII 15 Maii 1664; Benedicti XIV 20 Mart. 1743; Pii IX Const. « *Apost. Sed.* », (a. 1869); *Honorante* l. c. p. 164 sq.; *Bucceroni*, Commentarius de Const. *Apost. Sedis* n. 102; Act. S. Sed. vol. II p. 585 sq.; *Gasparri* l. c. n. 892, 914 sq.; *Many* l. c. n. 44 sq.

nisi ad tonsuram et ordines minores (can. 964, 3°), professos vero perpetuos etiam ad ordines maiores.

Quare si Superior maior *est Episcopus consecratus* potest suis subditis exemptis conferre omnes ordines.

b) Abbas regularis de regimine, illam capacitatem quam ut minister extraordinarius accipit a iure ad conferendam tonsuram et ordines minores intra eumdem ambitum licite exercet ad instar Episcopi seu ministri proprii, quin indigeat cuiusvis Episcopi consensu.

c) Proprius Episcopus virorum *regularium* ceterorumque exemptorum ad ordines suscipiendos ex disciplina iam multo ante vigente (151) et per Codicem can. 965 denuo firmata non est Episcopus originis (152), sed, obtentis litteris dimissoriis competentis Superioris regularis, *Episcopus* illius *dioecesis, intra quam situs* est *conventus,* in quo regularis praesentatus, ad ordines promovendus, *habitat* ut verum membrum illius communitatis (153), nisi forte ordo religiosus speciale illud privilegium (154) obtinuerit ordines

(151) Cfr. *Thomassin.* l. c. P. I lib. 3 cap. 26 sq.; c. 2 D. 58 = c. 14 Conc. Carthag. VI (a. 401); cap. 5 X. h. t. = Decretal. Lucii III (a. 1181-1185); *Phillips* l. c. § 41 p. 373 sq.; *Gasparri* l. c. n. 918 sq.; *Many* l. c. n. 156 sq.

(152) Ita iam S. C. C. 28 Febr. 1654; S. C. Ep. et Reg. 1 Mart. 1852.

(153) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8, 10, 12 de ref. iunct. Sess. VI cap. 5 de ref. et Sess. VII cap. 11 de ref.; Benedict. XIV Const. « *Impositi* » 27 Febr. 1747; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. II cap. 11 n. 11 sq.; S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 197 sq.

Pro subditis saecularibus et regularibus Praelati *nullius* aut pro regularibus monasterii *nullius dioecesis* iure praecedenti Episcopus *vicinior* erat proprius Episcopus ad ordines suscipiendos. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 10 de ref.; S. C. C. 24 Aug. 1619; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. c. n. 14; *Gasparri* l. c. n. 933 sq.; *Many* l. c. n. 158 sq.; *Piat,* Praelect. iur. regul. t. II q. 350 sq. At iure Codicis, ex dictis n. 190, aequiparati sunt Episcopis dioecesanis, ita ut per se, si sint Episcopi consecrati, licite possunt ordinare suos omnes *subditos* sive regulares sive saeculares. Quodsi consecrationem episcopalem non habeant, *per seipsos* solum primam tonsuram et ordines minores *valide* (intra ambitum supra explicatum) et *licite* conferre possunt; per alium Episcopum consecratum ceteros omnes ordines, ut dictum est de Vicariis et Praefectis Apostolicis.

(154) Cap. 3 h. t. in Sext.; Benedict. XIV Const. « *Impositi* »; Greg. XIII Const. « *Pium et utile* » 22 Sept. 1582; Leon. XII Const. « *Plura inter* » 11 Iul. 1826; Leon. XII Const. « *Inter religiosas* » 11 Mart. 1828; *Honorante* l. c. cap. 12 not. 10 sq.; *Piat* l. c. q. 358, 360. Quae vis praevalendi decreto Clementis VIII non est tribuenda *consuetudini saltem ordinariae.* Cfr. S. C. C. 18 Aug. 1888. Imo *Gasparri* l. c. n. 927 et *Piat* l. c. q. 359 hanc vim negant etiam consuetudini *immemoriali;* recte aliter *Many* l. c. i. f.

accipiendi « *a quocumque sacro Antistite cum Cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci, in quo id fiat* ».

Quod privilegium legitime ad quemcumque Episcopum dimittendi tantum allegari potuit, si *post* Concilium Tridentinum et *nominatim* atque *directe,* non autem per communicationem *concessum* fuisset; aut si *ante* Concilium Tridentinum datum fuerat, *post* Concilium Tridentinum in forma *specifica,* non tantum communi *confirmatum* fuisset.

Tunc tantum Superior religiosus ad alium quempiam Episcopum catholicum eiusdem ritus litteras dimissorias mittere potest, si Episcopus proprius regularium fuerit diversi ritus vel licentiam dederit vel abfuerit vel non sit habiturus ordinationes (generales) proximo legitimo tempore vel sedes episcopalis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat (155). Necesse autem est ut dimissoriis illis litteris iuncta sit authentica attestatio Vicarii generalis vel Cancellarii vel Secretarii Episcopi proprii de veritate facti quod dimissionem ad alium Episcopum permittit (can. 966).

d) Firmum autem manet, quod superiores maiores regularium professos votorum simplicium *temporaneorum* solum ad primam tonsuram et ordines minores dimittere possunt (can. 964, 5°). Novitii quoque ordinum religiosorum, cum subditi regulares nondum sint, a Superiore regulari ad ordines dimitti non possunt, et quoad ordines ab Episcopo *legitimo* recipiendos subsunt iuri communi de personis saecularibus constituto. Quare Episcopus loci, ubi situs est novitiatus, nequit ordinare novitium nisi simul in dioecesi originem et domicilium habeat; domicilium autem sine origine non potest novitius qualificare per iuramentum requisitum; atque idem dicendum de domicilio ante ingressum derelicto, quod non fuit simul locus originis. Quare si novitius, servatis servandis esset ordinandus, quod nonnisi in raro et extraordinario casu accidere poterit, ordinatio pertineret ad Episcopum originis simul et domicilii, quod durante novitiatu non est definitive derelictum, vel dispensative ab alio Episcopo pro quo obtenta esset licentia. Cfr.

(155) Cfr. Decretum Clement. VIII 15 Mart. 1596 in cit. ed. Conc. Trid. p. 197; Benedict. XIV Const. « *Impositi* » 27 Febr. 1747; S. C. C. in caus. Caputaquen. 11 Febr. 1708 et in caus. Tirason. 13 Iulii 1782; *Piat* l. c. q. 350 sq.; *Many* l. c. n. 161.

S. C. C. in caus. Mutinen 14 Maii 1689; *Gasparri* l. c. n. 839; *Many* l. c. n. 175, 191; *Piat* l. c. II n. 213, 23⁰.

e) Si subditus regularis per Superiorem regularem rite praesentatus ab Episcopo dioecesano in examine reiectus fuerit, propter huiusmodi reiectionem nequit Superior suum subditum alii cuicumque Episcopo praesentare ad ordines recipiendos, sed si sese gravatum esse existimat, ad Sedem Apostolicam recurrere potest, can. 997, § 2 iunct. S. C. C. 29 Aprilis 1604; *Piat* l. c. II, q. 362, 363.

198. C). *Ordinatio religiosorum non exemptorum.* Hi relate ad Episcopum proprium reguntur iure communi pro ordinationibus clericorum *saecularium* constituto, nisi eorum institutum religiosum specialia privilegia sibi concessa esse demonstrare possit (can. 964, 4⁰); quo canone denuo revocantur quaelibet indulta horum institutorum Superioribus concessa dandi professis a votis temporaneis litteras dimissorias ad ordines maiores (156).

§ 3. - DE DELEGATO MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS ATQUE DE LITTERIS DIMISSORIIS ET TESTIMONIALIBUS.

199. I. Episcopi quamvis ex mente Concilii Tridentini Sess. XXIII cap. 3 de ref. et innovato praecepto can. 955, § 2, *per semetipsos* ordines conferant necesse sit, tamen si aegritudine vel alia legitima causa impediti sint, subditos suos iam probatos et examinatos ad *alium Episcopum eiusdem ritus* sive determinatum

(156) De indultis hac in re concedi solitis sive ante sive post Decr. « *Auctis admodum* » cfr. S. C. Ep. et Reg. in caus. Tarvisin. 6 Maii 1862 in Act. S. S. vol. I p. 358 sq.; in caus. Parisien. 9 Febr. 1894 in Act. S. S. vol. XXVI p. 616 sq; *Bizzarri*, Collect. p. 760 sq; Formulae indultorum apostolicorum in perpetuum vel ad tempus v. gr. ad triennium vel quinquennium concessorum ad instar decr. Clementis VIII, S. C. Ep. et Reg. 9 Iunii 1899; *Gasparri* l. c. n. 801, 918 sq., 931 sq; *Many* l. c. n. 177 sq. ubi n. 181 ponitur solutio data de alumnis Institutorum votorum simplicium, qui mittuntur ad aliquod seminarium ut dent operam studiis antequam adscribantur determinatae instituti domui, relate ad Episcopum proprium.

sive quemcumque cum Sede Apostolica unionem habentem ordinandos *dimittere* possunt (can. 961) (157). Quae dimissio sive licentia viva voce data, dummodo sit *expressa* (158) per se et ordinarie (159) sufficit, nihilominus ex communiter contingentibus per scriptas litteras concedi solet et, ut per se patet, expedit ut scripto concedatur.

II. *Dimissoriae* dicuntur *litterae*, quibus proprius ordinandi Praelatus vi suae iurisdictionis rogat vel deputat Episcopum sive *specialiter* sive *generaliter* determinatum, ut subdito suo, de cuius idoneitate simul authenticum dat testimonium, ordines conferat (160). Litterae igitur dimissoriae distinguuntur a litteris *excardinationis*, quibus quis e clero dioecesis dimittitur (161), a litteris *commendatitiis*, quae clericis peregre profecturis conceduntur, a *testimonio* de ordinibus rite receptis, denique a litteris *testimonialibus*, quae exhibent testimonium authenticum de honesta vita, scientia, immunitate ordinandi ab omni impedimento canonico ad ordines recipiendos. Quod testimonium authenticum etsi semper continetur in litteris

(157) Cfr. cap. 1 h. t. in Sext.; Conc. Trid. Sess. VII cap. 11 de ref.; R. I 68, 72 in Sext.; *Gasparri* l. c. n. 861 sq. 877 sq.; *Many* l. c. n. 63.

(158) Conc. Trid. Sess. XIV cap. 2 de ref. « *Expresso consensu aut litteris dimissoriis* »; *Reiffenstuel* h. t. (I, 11), n. 110; *Phillips* l. c. § 43 p. 394; *Many* l. c. n. 63 sq.

(159) Iure speciali requiruntur *scriptae* litterae dimissoriae proprii Episcopi, v. gr. ut ultramontani (i. e. extra Italiam oriundi) ab Episcopis Italiae ordinari possent ita fuerat constitutum. Cfr. cap. 1 h. t. in Sext. ampliatum et confirmatum ab Urbano VIII cit. Const. « *Secretis* », quae denuo approbata est ab Innoc. XII cit. Const. « *Speculatores* » § 3; *Pirhing* l. I t. 11 n. 52. At *Gasparri* l. c. n. 862 argumentis non allatis putat etiam in hoc casu verbalem licentiam sufficere. Certe Urbani VIII Const. « *Secretis* » praesertim quoad recognitionem litterarum dimissoriarum pleno rigore in praxi non amplius servabatur. Cfr. *Honorante* l. c. cap. 10 not. 2; *Gasparri* l. c. n. 887; *Many* l. c. n. 66. Certe extra casum, quod sit praesens ille Episcopus, quem sibi substituit Episcopus proprius, multo satius est ad avertendas possibiles fraudes et maiorem habendam de dimissione certitudinem, ut haec scripto detur, praesertim cum etiam Episcopo delegato debeant dari oportuna testimonia de idoneitate et dignitate ordinandi.

(160) *Devoti*, Ius canonic. univers. l. I tit. 13 § 4; *Allier*, De sacr. election. P. II sec. V c. 3 art. 10, 11; *Reiffenstuel*, De tempor. ordin. n. 109 sq. (I, 11). *Phillips* l. c. § 43 p. 395 sq.; *Scherer* l. c. p. 331, 449 sq.; *Many* l. c. n. 60 sq.

(161) Arch. f. k. K. t. 36 p. 389 sq.; Causae selectae S. C. C. ed. *Lingen et Reuss* p. 4 sq.; Act. S. Sed. vol. V p. 477; III, 507 sq.; XVI, 534 sq.; XIX, 87 sq.; *Many* l. c. n. 60.

dimissoriis (162) proprie dictis, tamen non raro distinctis litteris vel ipsi Episcopo proprio est exhibendum (163).

III. Litterae dimissoriae *generatim ab iis* valide *concedi possunt*, qui quoad ordines conferendos sunt proprii ordinandorum Praelati *actu iurisdictione* gaudentes (164), mox in particulari enumerandi. Porro, sublatis nonnullis limitationibus iuris praecedentis (165), novo iure Codicis litterae dimissoriae ab Episcopo proprio, tametsi hic sit Cardinalis Episcopus Suburbicarius, mitti possunt ad quemlibet *Episcopum* communionem cum Sede Apostolica habentem (166), modo sit eiusdem ritus (167); nam ut quis a ministro diversi ritus ordinetur requiritur indultum Apostolicum.

Ad *presbyterum*, qui sit minister extraordinarius capax ad aliquos ordines conferendos litterae dimissoriae mitti non possunt, exceptis Cardinalibus, qui hoc privilegio iure communi honestantur (can. 239, § 1, n. 22°). Vicissim ad Vicarium vel Praefectum Apostolicum, ad Praelatum seu Abbatem nullius et ad Abbatem regularem de regimine mitti dimissoriae litterae possunt si sint Episcopi consecrati, ut patet ex generali formula can. 961.

Ergo litteras dimissorias dare potest: *a) Romanus Pontifex*; is enim pro sua suprema et universali potestate omnibus ordinandis in universa Ecclesia catholica tum speciales tum generales litteras dimissorias dare potest (168).

(162) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.; *Schmalzgr.* h. t. n. 50.
(163) Innocentius XII l. c. § 4; *Many* l. c. n. 121 sq.
(164) R. l. 68, 72 in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 44; *Gasparri* l. c. n. 866.
(165) Iure praecedenti aderat illa limitatio quoad Cardinales Episcopos suburbicarios, qui ad solum Cardinalem Vicarium Urbis clericis suis saecularibus *extra* dioecesim propriam ordinandis litteras dimissorias concedere valebant. Cfr. Alexandr. VII Const. « *Apostolica* » 7 Aug. 1662; *Many* l. c. n. 44 sq.; *Honorante* l. c. p. 70 sq.: quae limitatio per canonem 961 expresse sublata fuit. Patriarchae Maronitarum et Melchitarum obtinent privilegium dimittendi suos aut Suffraganeorum subditos ad Episcopum ritus latini aut alterius ritus orientalis, si urgeat necessitas. Cfr. Collect. Lac. t. II col. 256; *Many* l. c. n. 63.
(166) Quare ad *Abbatem* etiam regularem litterae dimissoriae concedi nequeunt. Cfr. Decretum S. C. C. ab Urbano VIII confirmatum 17 Ian. 1642; *Ferraris* l. c. v. Abbas n. 22; nisi forte esset Episcopus consecratus.
(167) Conc. Trid. Sess. VII cap. 11 de ref. cum Sess. XIV cap. 2 de ref. et Sess. VI cap. 5 de ref. de qualitate Episcopi, ad quem litterae dimissoriae dari possunt.
(168) Cap. 1 h. t. in Sext.; *Schmalzgr.* l. c. n. 44; *Gasparri* l. c. n. 894 sq. de privilegiis apostolicis collegiorum pontificiorum in Urbe. Quae concessio

b) Episcopus proprius saltem confirmatus post possessionem sedis legitime captam. Quo iure uti potest pro omnibus, quibus ratione originis cum domicilio vel ratione domicilii qualificati est Episcopus proprius sive competens (169); insuper in clericos in dioecesi iam legitime adscriptos.

Metropolitanus licet *ante receptum pallium* ordines conferre nequeat (can. 276), tamen suis subditis *dioecesanis* litteras dimissorias concedere valet.

c) Vicarius generalis quamvis ex mandato suo generali litteras dimissorias illis ordinandis concedere non valeat, quibus ipsius Episcopus ex proprio titulo legitime ordines conferre potest, tamen ex *speciali* mandato Episcopi a dandis litteris dimissoriis non est exclusus (170). Merito ius vult ut de ordinatione clerico-

privilegiorum est unus ex modis, quo Rom. Pontifex in praxi solet exercere suam in hac parte potestatem.

Pariter *Legatus a latere*, cum respectu Rom. Pontificis dicatur *alter ego* (can. 266) et potestate ordinaria supra omnes alios Praelatos in territorio suae legationis existentes frueretur, vi illius poterat dare litteras dimissorias subditis provinciae legationis suae, excepto primo anno sedis episcopalis vacantis, comprehenso tamen in potestate casu, quo vel ipse Vicarius Capitularis tempore vacationis a dimissoriis concedendis non arcetur. *Schmalzgr.* I, 11 n. 44; *Wernz*, Ius Decret. n. 29 III. Contradicebat *Riganti*, qui in Reg. 24 Conc. Apost. 53 n. 337 sq. Legatos a latere ab hoc iure exclusos voluit ex allatis decisionibus S. C. C., quae cum agerent de solis Nuntiis Apost. non suppeditabant peremptorium argumentum. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 791, qui *Riganti* doctrinam adoptat sine novis allatis argumentis, et fortasse respexit praxim suo tempore de facto vigentem. Quae praxis a fortiori hodie est asserenda: imo hodie dicendi sunt de iure hac potestate Legatos a latere carere cum cit. can. 266 eorum potestas definiatur dicendo quod « tantum possunt, quantum eis a S. Pontifice demandatum sit », et ex praxi hodie recepta mitti haud raro solent sine ulla iurisdictione v. g. ad cohonestandam sua praesentia celebrationem maximi cuiusdas eventus religiosi, velut Congressum Eucharisticum. *Wernz-Vidal* II n. 515 II.

Similiter potestas dimissorias concedendi non competit Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis. Cfr. iam *Ferraris*, Bibl. v. Ordo, a. 3 n. 77; *Riganti* l. c. Porro in Formulis facultatum ipsis concessarum haec non continetur.

Idem dicendum est de Patriarchis, Primatibus et Metropolitis, salva exceptione supra memorata de Patriarchis Maronitarum et Melchitarum.

(169) Cap. 3 h. t. in Sext.; *Riganti* l. c. n. 169, 170.
(170) Cap. 3 h. t. in Sext. Nonnulli antiqui commentatores dicebant sufficere mandatum *speciale* etiam tacite datum vel suffragium consuetudinis aut circumstantiam quod Episcopus in remotis moretur. Cfr. *Passerinum* l. c. in h. cap. n. 108 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 48.

rum coram Deo et coram Ecclesia respondeat ipse Episcopus (can. 958, § 1, 2º).

d) Vicarius capitularis (171) infra annum a die vacationis sedis episcopalis nonnisi clericis dioecesanis arctatis de beneficio recepto vel recipiendo litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere valet; quibus duobus casibus addendus est casus certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum.

Post annum a sede vacante Vicarius Capitularis indiget consensu Capituli (ib n. 9).

e) Vicarii et *Praefecti Apostolici, Abbates vel Praelati nullius*, iure Codicis in hac parte aequiparantur Episcopis dioecesanis; quare, tametsi charactere episcopali careant, possunt dimittere proprios subditos *etiam ad ordines maiores;* actus enim dimissionis est exercitium iurisdictionis, non ordinis.

Si a Doctoribus eadem potestas, quae Vicario Capitulari, ante huius deputationem tribuebatur *Capitulo* ecclesiae cathedralis, haec attributio, licet cohaereat cum principiis iuridicis de regimine ecclesiae vacantis, cum tam brevis et provisoria sit administratio per Capitulum, practice non videtur attendenda et in Codice non continetur; nec apparet causa adeo urgens verificari posse, ut sit necessaria ordinatio alicuius clerici infra octo dies a morte Episcopi; fortius ergo quam pro Vicario Capitulari urget principium: « sede vacante nihil innovetur ».

f) Praelati regulares ordinum religiosorum (172) in forma legitima suis *subditis regularibus* (173), sed, secluso speciali privilegio, tantum intra terminos iuris communis i. e. ad Episcopum *dioecesanum*, in cuius dioecesi monasterium regularis ordinandi situm est, salvis exceptionibus supra h. cap. indicatis, et si de professis vo-

(171) Cfr. cap. 3 h. t. in Sext. iunctum Conc. Trid. Sess. VII cap. 10 de ref. et Sess. XXIII cap. 10 de ref.; *Riganti* l. c. n. 185 sq., ubi etiam statuuntur poenae contra dimittentes et dimissos sine forma canonica. Cfr. *Bucceroni* l. c. n. 104 sq.; *Gasparri* l. c. n. 637, 869 sq.

(172) Iure concedendi litteras dimissorias secluso speciali privilegio congregationes religiosae carent. Cfr. S. C. C. 6 Maii 1864 et Act. S. Sed. v. I p. 365 sq.; *Gasparri* l. c. n. 931 sq.; *Many* l. c. n. 177 sq.; supra h. tit. not. 60.

(173) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 3, 8, 12, 10 de ref.; Benedict. XIV cit. Const. « *Impositi* »; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II cap. 11 n. 14; *Phillips* l. c. § 43 p. 402; *Riganti* l. c. n. 242 sq.; *Gasparri* l. c. p. 920 sq.

torum tantum *simplicium* agatur, dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores concedere possunt litteras dimissorias can. 964, 2º, 3º (174).

200. IV. *Litterae dimissoriae* a Praelato competente datae prorsus *necessariae* sunt, ut subditus alienus ab aliquo Episcopo *licite* ordinarii possit, ut constat ex can. 955 iunct. can. 2373, 1º, et ex longa serie canonum inde a Concilio Nicaeno (a. 325) c. 16=c. 3. D. 71, usque ad nostram aetatem (cfr. cap. 1. 2. h. t. in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 8, de ref., Sess. XIV, cap. 2, de ref.), qui etiam gravissimis poenis adiectis postulant *consensum* sive licentiam proprii Praelati. Quae litterae dimissoriae *gratis* (175) sunt concedendae, et quoniam continent gratiam *factam*, morte vel translatione vel renuntiatione aliisque aequiparatis conditionibus Praelati concedentis per se et statim non exspirant, nisi ex iusta causa per successorem revocentur, antequam effectum consecutae fuerint, aut ab ipso Praelato solummodo conditionate et ad certum tempus concedantur (can. 963) (176).

Quibus in litteris imprimis accurate exprimenda sunt *nomina Praelati* dimittentis et Episcopi, ad quem ordinandus dimittitur, nisi quis generaliter ad quemlibet Episcopum catholicum de iure et de facto dimittatur. Praeterea indicandi sunt *ordines*, ad quos dimissus subditus est promovendus, et praesertim de *nomine* et cognomine, natalibus, aetate, scientia, moribus, libertate *ordinandi* ab omni impedimento canonico litteris dimissoriis authenticum testimonium est inserendum (can. 960) (177).

Quare Praelatus, qui litteras dimissorias concedit, qualitates ordinandi sive per se sive per alios accurate et sedulo explorare

(174) Decl. S. C. super stat. regul. 12 Iun. 1858 apud *Sentis* l. c. p. 19 sq.; Arch. f. k. K. t. 14 p. 374.

(175) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 1 de ref.; *Thomassin.* l. c. P. III lib. 1 cap. 60; *Gasparri* l. c. n. 1118 sq.

(176) Cfr. quoque S. C. Ep. et Reg. 21 Nov. 1600; *Schmalzgr.* h. t. n. 51; *Riganti* l. c. n. 219 sq ; *Many* l. c. n. 65.

(177) Cfr. quoque *Schmalzgr.* h. t. n. 50; *Phillips* l. c. p. 403 sq.; *Gasparri* l. c. n. 883 sq. Cfr. de exprimenda causa, ob quam dimissio fiat: Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 3 de ref. et Sess. VII cap. 11 de ref. et cap. 1 h. t. in Sext.; *Honorante* l. c. p. 73.

debet. Id, quod ordinarie per *examen* fiat necesse est (178). Quod examen etiam Episcopo, ad quem quis dimittitur, relinqui potest; quinimo Episcopus ad conferendos ordines delegatus ordinandum a proprio Episcopo vel Praelato regulari iam examinatum denuo examinare *potest*, at ordinarie *non debet* (can. 962) (179).

§ 4. - DE POENIS INCOMPETENTIS MINISTRI SACRAE ORDINATIONIS ET ILLEGITIME ORDINATORUM.

201. I. Cum lex non sit efficax, nisi sufficienti muniatur sanctione, inde a primis saeculis contra ministros incompetentes sacrarum ordinationum et illegitime ordinatos graves statutae sunt poenae (180). Quare cum merito quis puniatur, in quo peccaverit, ordines ab incompetente ministro receptos Ecclesia *ratos* non habuit atque adeo nullos et irritos esse declaravit (181). Quae declaratio *nullitatis* ad effectus *canonicos* ordinationis est restringenda neque ab Ecclesia universali ad nullitatem et iterationem sacramenti ordinis fuit extensa.

Ipse vero *minister* incompetens in poenam sui delicti ab exercitio potestatis ordinandi vel aliis functionibus sacris fuit *suspensus*. Quae poenae antiquae in iure Decretalium partim accuratioribus terminis circumscriptae et confirmatae partim auctae sunt (182). Post collectiones authenticas Pius II Const. « *Cum ex sacrorum* » 17 Novemb. 1461 ob novos abusus novas quoque poenas publicavit. Denique ius commune ante Codicem vigens, in decretis Con-

(178) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 3 de ref., Sess. VII cap. 11, 13 de ref.; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 7 n. 7; *Riganti* l. c. n. 172; *Reiffenstuel* h. t. n. 115; *Phillips* l. c. p. 403 sq.; *Many* l. c. n. 64.

(179) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 12 de ref.; S. C. C. in caus. Verulana 17 Ianuar. 1693 et in aliis decis. allegatis a *Riganti* l. c. n. 173. Cfr. de iure particulari observando *Romae* in examine ordinandorum clericorum *saecularium* externorum: *Honorante* l. c. p. 164 sq.; *Bucceroni* l. c. n. 102; de examine clericorum regularium: Pii X Mot. propr. « *Sacrosancta* » 16 Iul. 1605 et Regolamento del Card. Vicar. 5 Aug. 1905.

(180) Cfr. *Phillips* l. c. t. I § 41 p. 374 sq.; *Scherer* l. c. t. I p. 334; *Hinschius* l. c. p. 98 sq.

(181) Cfr. c. 16 Conc. Nicaen. (a. 325); *Gasparri* l. c. n. 774 sq.

(182) Cfr. c. 10 C. IX q. 2 = epist. Urban. II scr. a. 1088-1099; cap. 2 h. t. in Sext.

cilii Tridentini (183) continebatur, cuius sanctiones poenales a Sixto V (184) auctas Clemens VIII restauravit (185). Poenas vero quas Innocentius XII in transgressores Const. « *Speculatores* » statuerat, a Pio IX ad terminos in Const. « *Apost. Sed.* » expressos reductae sunt (186).

II. Ex *disciplina iure Codicis vigente* suspensionem per annum ab *ordinum* administratione Summo Pontifici reservatam ipso iure incurrunt *ordinantes* (187) *alienum* subditum absque huius proprii Episcopi litteris dimissorialibus, sed etiam *subditum proprium* (188) qui alibi post pubertatem tanto tempore (i. e. ordinarie saltem per sex menses completos aut si miles fuerit per tres menses) moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibidem potuerit absque Ordinarii eius loci litteris *testimonialibus* ad normam can. 993, 4°, 994.

Eamdem suspensionem incurrit Episcopus non proprius, qui ordines confert religioso exempto licet afferat litteras dimissorias proprii Superioris, nisi habeatur legitimum privilegium aut adsit casus exceptus ad normam can. 966 (can. 2373, 4°).

Qui vero sine litteris vel cum falsis litteris dimissoriis ordines receperit est ipso facto a recepto ordine suspensus (can. 2374) (189).

Praeterea *suspensionem a divinis* Sedi Apost. reservatam ipso iure incurrunt, qui ordines *recipere praesumpserunt* ab excommuni-

(183) V. g. Sess. VII cap. 10 de ref., Sess. XIV cap. 2 de ref., Sess. XXIII cap. 8, 10 de ref.

(184) Const. « *Sanctum et Salutare* » 5 Ian. 1589.

(185) Const. « *Romanum Pontificem* » 28 Febr. 1596.

(186) *Gasparri* l. c. n. 737; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 286 sq.

(187) Cfr. cap. 2 h. t. in Sext. cum Conc. Trid. Sess. VI cap. 5 de ref., Sess. VII cap. 10 de ref., Sess. XIV cap. 2, Sess. XXIII cap. 8, 10 de ref.; Innocent. XII Const. « *Speculatores* » § 8; Pii IX Const. « *Apot. Sed.* »; *Gasparri* l. c. n. 906 sq.; *D'Annibale,* Comment. in Const. « *Apost. Sed.* » n. 200 sq.; *Hollrveck* l. c. p. 289 sq.; *Many* l. c. n. 62, 129, 159.

(188) Can. 2373. Cfr. de Episcopo ordinante *alienum* subditum forte privilegio pontificio munitum absque litteris testimonialibus sui Ordinarii: Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.; Pii IX cit. Const. « *Apost. Sed.* »; *Bucceroni* l. c. n. 105; *Scherer* l. c. p. 333 not. 37 p. 334.

(189) Cfr. de suspensione aliisque poenis iure praecedenti inflictis *ordinatis* absque legitimis litteris dimissoriis vel testimonialibus: Conc. Trid. Sess. VI cap. V de ref., Sess. VII cap. 10 de ref., Sess. XIV cap. 2 de ref. Sess. XXIII cap. 8, 10 de ref.; *Bucceroni* In const. *Ap. Sed.* n. 98, 102, 105 sq.; *Hollweck* l. c. p. 296 sq.; *Many* l. c. n. 62, 129.

cato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut ab apostata, haeretico vel schismatico notorio; is vero, qui *bona fide* a quopiam eorum est ordinatus, *exercitium* non habet ordinis sic suscepti, donec dispensetur can. 2372 (190).

Consecratio Episcopi sine mandato Apostolico facta punitur suspensione Sedi Apostolicae riservata in Consecratores et in consecratum (can. 2370).

Denique singulares quoque poenae stututae sunt contra, *Vicarios* capitulares, a quibus etiam propriis subditis praeter canonicas sanctiones (i. e. contra can. 958 § 1, 3°) litterae *dimissoriae* conceduntur; in quos can. 2409 statuit suspensionem a divinis latae sententiae. Item in Superiores religiosos statuitur suspensio per mensem a celebratione Missae, si subditos suos ad ordines dimiserint contra praescripta can. 965-967. Quibus in casibus etiam ipsi *ordinati* specialibus poenis merito plectuntur (191).

202. Scholion de gratuita collatione sacrorum ordinum. I. Ecclesia crimen *simoniae* semper adeo reprobavit, ut simoniacos veluti primos et praecipuos haereticos haberet; simoniam vero in sacris ordinationibus commissam, qua singulari plane nequitia dona Spiritus Sancti vilipenduntur, summopere detestata est (192). Inde factum est, ut contra *simoniacos ordinatores* et *ordinatos* a primis saeculis gravissimi prodirent canones (193). Quibus in canonibus modo excommunicatio pro laicis vel monachis (194), modo depo-

(190) Cfr. Pii IX Const. « *Apost. Sed.* »; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 160 sq.; Collect. Lac. t. II col. 42, 229, 241, 515; *Gasparri* l. c. n. 782 sq.; *Hollweck* l. c. p. 295 sq.

(191) Cfr. de iure praecedenti: Cap. 1, 2 X. de ord. ab Ep. I 13; cap. 1, 2, X. de schism. V 8; Conc. Trid. Sess. VII cap. 10 de ref., Sess. XXIII cap. 10 de ref.; Benedictus XIV, const. « *Impositi* » § 11. *Bucceroni* l. c. n. 101, 104, 106; *Santi* l. c. lib. I tit. 13; *Gasparri* l. c. n. 872 sq.; *Hollweck* l. c. p. 297; *Many* l. c. n. 159; *Hinschius* l. c. t. V p. 854 sq.

(192) Cfr. c. 21, 28 C. 1 q. 1 = ep. Tharasii Constantinopol. Patriarch. scr. a. 787 et epist. S. Gregor. M. scr. a. 599; c. 27 C. I q. 7.

(193) Cfr. c. 30 (28) Apost. iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 809; c. 2 Conc. Sardic. (a. 343); *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 286, 292 sq.

(194) Cfr. c. 2 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 8 C. I q. 1 iunct. *Hefele* l. c. t. II p. 506 sq.; *Kober*, D. Deposit. p. 341.

sitio (195) vel excommunicatio (196) vel suspensio (197) pro clericis propter simoniacas ordinationes fuerunt statutae.

Omnium autem poenarum severissima videbatur consistere in ordinationum simoniacarum *nullitate*. Quae nullitas potissimum saeculo undecimo a nonnullis videtur fuisse admissa, cum contra simoniacam labem orta esset pugna; imo vel in ipsis factis et epistolis nonnullorum Rom. Pontificum vel Conciliorum particularium aliqua occurrunt de *nullitate* ordinationum simoniacarum earumque *reiteratione*, quae difficilem habent explicationem (198). At praeeuntibus S. Petro Damiano, Clemente II (a. 1046-1047), S. Leone IX inde ex fine eiusdem saeculi dubium esse non iam potest, quin simoniaca ordinum collatio in sese habita fuerit valida, licet gravissimis poenis castiganda (199). Quas poenas iuri Decretalium insertas et a Martino V et Paulo II auctas (200) postea Concilium Tridentinum Sess. XXI cap. 1 de ref. generatim confirmavit, at sua auctoritate novas poenas non constituit.

Id factum est a Sixto V in cit. Const. « *Sanctum et salutare* », qui aucta severitate quad antiquas poenas excommunicationis et suspensionis latae sententiae contra simoniacum ordinatorem, etiam expresse interdictum ab ingressu in ecclesiam addidit. Rigorem Sixti V Clemens VIII in cit. Const. « *Romanum Pontificem* » generatim ad terminos iuris communis reduxit; attamen severas poenas a Sixto V l. c. in *simoniacos* ordinatores et ordinatos antea statutas non immutavit. Hinc illae poenae *vindicativae* et *medicinales* simoniae realis utrincque completae in conferendis et recipiendis *ordinibus*

(195) Cfr. cit. c. 2 Conc. Chalced.; *Kober* l. c. p. 226 sq. 322 sq.

(196) Cfr. cit. c. 30 Apost.; c. 3 Conc. Bracar. II (a. 572) = c. 22 C. I q. 1; cap. 4, 5 X. de simon. V, 3.

(197) Cap. 27 pr. de accus. V, 1; cap. 5, 37, 42, 45 X. de simon. V, 3; Paul. II a. 1464 in cap. 2 eod. V 1 in Extravg. com.; Martin. V in Conc. Constant. Sess. XLIII (a. 1418). Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. V cap. 6 n. 1.

(198) S. Petri Damian. Liber, qui dicitur Gratissimus pr.; c. 24 C. I q. 7 (Urban. II); c. 11 Conc. Gerund. (a. 1079) iunct. *Hefele* l. c. t. IV p. 758 sq.; *Kober* l. c. p. 195 sq.; *Many* l. c. n. 18 sq. 24 sq.

(199) Nicolaus II in decreto contra simoniacos publicato in Synod. Lateran. (a. 1059?) iunct. *Hefele* l. c. t. IV p. 825; Alexand. II in Conc. Later. (a. 1063?); Urban. II in Conc. Placent. (a. 1095); c. 107 sq. C. I qu. 1 iunct. Act. theol. Tubing. (a. 1897) p. 217 sq.

(200) Martin. V et Paul. II l. c.; *Thesaurus*, De poen. eccl. v. Simonia cap. 9 n. 1, 2 sq.; *Reiffenstuel* l. c. l. V tit. 3 n. 262; *Kober* l. c. p. 227 sq.

valere perrexerunt, in quantum postea v. g. a Pio IX Const. « *Apost. Sed.* » quoad *censuras* abrogatio vel derogatio facta non sit (201).

Innocentius XI ut consuleret tranquillitati conscientiae Praelatorum atque obviam iret abusibus simoniacis, qui a subordinatis officialibus sub specie taxarum committi possunt, d. 1. Octobris 1678 declarationes de taxis interdictis vel permissis approbavit et d. 8 Oct. eiusdem anni per S. C. C. ad *omnes* Ordinarios transmisit. Cfr. text. ital. apud *Ferraris* l. c. v. Taxa. Ultimo saeculo saltem in Ecclesia orientali pro Chaldaeis innovatio sanctionum canonicarum contra ordinationes simoniacas non videtur fuisse supeflua. Cfr. decret. S. C. de Prop. F. 13 Apr. 1807 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1175. Quoniam autem iamdiu rarius et difficilius simonia in *sacris ordinationibus* committitur, ideo Pius IX in Const. « *Apost. Sed.* » de *censuris* latae sententiae contra simoniacos ordinatores et ordinatos silet, i. e. illas *censuras* abrogavit.

II. Ut autem vel ipsa species et suspicio avaritiae vitetur, non solum pro collatione quorumcumque ordinum etiam clericalis tonsurae, sed etiam pro *litteris* (202) dimissoriis aut testimonialibus vel pro sigillo vel alia quacunque de causa etiam sponte oblatum, ordinum collatores eorumque ministri nihil omnino accipere potuerunt, sed gratis operam suam praestare debuerunt, sublatis omnibus contrariis consuetudinibus etiam immemorialibus tanquam abusibus et corruptelis (203).

Concilium Tridentinum cum l. c. tantum statueret, ut tam dantes quam accipientes poenas *a iure inflictas ipso facto* incurrerent, de *novo* illas poenas non inflixit. Consequenter saltem *censurae* latae sententiae, quas Concilii Tridentini Patres l. c. tantum *innovarunt*,

(201) *Kober* l. c. p. 228; *D'Annibale*, Comment. n. 18 sq.; *Hinschius* l. c. t. V p. 654 sq. 710 sq.

(202) Quibus in taxis percipiendis per se hucusque standum fuit declarationibus Innoc. XI a. 1678 supra allegatis, nisi speciale indultum apostolicum fuerit obtentum velut ab Archiep. Cameracensi 12 Aug. 1882 (cfr. *Gasparri* l. c. n. 1122 et 1128, ubi etiam novam quandam praxim Romae introductam refert), aut ex legitima consuetudine praxis diversa viguerit. Cfr. *Sanguineti*, Instit. iur. eccles. n. 452. Postea vero decreto S. C. C. 10 Iun. 1896 illae taxae exigi potuerunt, quae ab Episcopo cum approbatione S. C. C. pro sua dioecesi fuissent statutae. Demum vero iure Codicis taxae debent determinari ad normam can. 1507.

(203) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 1 de ref. iunct. *Schmalzgr.* l. V t. 3 n. 257 sq. 261 sq.

a Pio IX Const. « *Apost. Sed.* » etiam in hac re non fuerunt confirmatae, sed penitus sublatae (204). Imo cum Pius IX cit. Const. tacuerit de omnibus *censuris* excommunicationis, suspensionis, interdicti antea propter delictum simoniae in sacra ordinatione commissum ipso facto incurrendis, pariter illas abrogasse censendus erat.

Codex quoque tale delictum simoniae in ordinationibus patratum noluit inultum relinquere, et omnes, etiam episcopali dignitate auctos, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint aut promoti fuerint, reddit suspectos de haeresi; in clericos vero statuit suspensionem Sedi Apostolicae reservatam (can. 2371). Modica praestatio ex titulo expensarum cancellariae iure Codicis non videtur reprobata.

CAPUT III

DE SUBIECTO SACRAE ORDINATIONIS ET QUALITATIBUS ORDINANDORUM (can. 968 sq.)

(In Decretal. *Lib. I tit. 11 de temp. ordination. et qualitate ordinand.*).

203. Fontes: Decret. Grat. c. 8 Dist. 55, 74; c. 52, 60 C. I q. 1 — Compil. antiqu. cit. praesert. cpl. IV lib. 7 de temporib. ordination., tit. 8 de aetate et qualitate ordinand. — Decretal. Gregor. IX l. c.; cap. 3 X. de corp. vit. I, 20; cap. 3 X. de bapt. III, 42; cap. 3 X. de presbyt. non bapt. III, 43; cap. 6 X. de aet. I, 14; Decretal. Bonif. VIII lib. I tit. 9 de temp. ord. — Pii II Const. « *Cum ex Sacrorum* » 17 Nov. 1461 — Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4, 5, 6, 12, 13, 14, 16 de ref., Sess. XXII cap. 2 de ref., Sess. XXIII cap. 2 de ref. — Decret. Clem. P. VIII ed. *Sentis* p. 14 sq. — Bened. XIV Const. « *Eo quamvis* » 4 Maii 1745 § 28 — S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 175 sq. 201 sq. 421 sq. et in Act. S. Sed. vol. I p. 328 sq. vol. II p. 443 sq. — Instr. S. C. C. (a. 1838) apud *Sentis* l. c. p. 41 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. — *Paucapalea* et *Stephan. Tornac.* in cit. text. ex Decr. Grat. — *Phillips* l. c. §§ 45, 46; *Scherer* l. c. § 68; *Papp-Szilágyi* l. c. P. II § 2 sq. — *Hallier*, De sacr. elect. et ordin. P. II

(204) *Santi* l. c. lib. V tit. 3 n. 17 sq.; *Scehrer* l. c. p. 320 sq.; *Gasparri* l. c. n. 782, 1118 sq. 296.

sect. 4; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XII cap. 4; *De Augustinus* l. c. p. 535 sq.; *Pesch,* Praelect. dogm. t. VII n. 641 sq.; *Gasparri* l. c. n. 108 sq.; *Many* l. c. n. 72 sq. 130 sq. — *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cap. 23 sq. P. I l. 2 cap. 67 sq. lib. 3 cap. 50, 51.

Praenotiones

204. I. **Connexio materiae.** Post quaestionem *de ministro,* (subiectum activum), Codex transit ad quaestionem de subiecto passivo sacrae ordinationis sive de subiecto quod per ordinationem gradum quendam in hierarchia ordinis *recipere potest.* Qua in re primo loco videtur disserendum de *qualitatibus* subiecti ordinationis, quae ordinandum vere disponunt ad ordinem recipiendum, remissa ad sequentem titulum disquisitione de *impedimentis* ordinationis, quibus quis ab ordine saltem *licite* recipiendo excluditur.

II. **Definitio.** Subiectum iure divino et canonico aptum saltem ad recipiendam *validam* ordinationem dicitur *capax* sive habile, secus incapax sive inhabile. *Legitimum* vero subiectum vocatur, quod non solum ex iure divino et canonico est positive et negative habile ad *validam,* sed *etiam* ex iure divino et canonico est idoneum et dignum ad *licitam* ordinationem, secus non obstante capacitate dicitur *illegitimum.*

III. **Divisio.** Quae divisiones *qualitatibus* quoque ordinandorum applicari possunt.

a) Sunt enim *qualitates,* quae subiectum reddunt habile ad *validam* ordinationem et dicuntur *capacitates.* Illarum defectus sunt *incapacitates,* quae sese habent ad instar *impedimentorum dirimentium.*

b) Praeterea sunt qualitates, quae subiectum capax ita exornant redduntque idoneum et dignum, ut etiam *licita* sit ordinatio. Quarum qualitatum defectus sunt *impedimenta prohibentia* licitam ordinationem, atque inter ea principem locum occupant *irregularitates,* de quibus sub speciali rubrica, etiam ob extensionem materiae, erit agendum.

c) Insuper sunt qualitates, quae consistunt in *positiva* quadam *perfectione* sive ad valorem sive ad liceitatem ordinationis requisitae; aliae vero sunt *negativae* sive denotant proxime tantum *absentiam* alicuius *defectus.*

d) Porro aliae qualitates sunt *personales* atque quasi personae inhaerentes, aliae sunt *extrinsecae.*

e) Denique in hac materia maxime attendenda est divisio in qualitates *iure divino* vel *iure canonico* requisitas. Etenim *omnes capacitates* vel incapacitates saltem ad ordines hierarchicos recipiendos nituntur *iure divino,* sed non pauca sive positive sive negative requiruntur ad *licitam* ordinationem, quae partim iure *divino* partim iure *canonico* sunt statuta. Imo Ecclesia in ordinibus non hierarchicis instituendis imitata est institutionem divinam ordinum hierarchicorum. Quare quicunque iure *divino* tanquam *inhabilis* a hierarchicis ordinibus exclusus est, is ex iure saltem ecclesiastico etiam incapax est ad gradus non hierarchicos sive inferiores.

Art. 1. - De subiecto capaci vel incapaci sacrae ordinationis.

205. Iure divino *omnes* et *soli* homines viatores sexus *masculini* (205) sunt subiecta *capacia* ordinationis sacrae; *feminae* (206) vero ad recipiendos quoscunque ordines vel gradus etiam primae tonsurae in hierarchia ordinis sunt prorsus *incapaces.* Cfr. I Cor. XIV, 54; I Timoth. II, 11, 12; Hebr. V, 1 sq.; can. 19 Conc. Nicaen. (a. 325.) = ex parte c. 52 C. I, q. 1 iunct. *Hefele* l. c. t. I. p. 428 sq.; c. 11 Conc. Laodic. (a. 353-383) = c. 19 Dist. 32 iunct. S. Epiphan. (403), Adversus haeres. 79 n. 1, 2, 3. (*Mi-*

(205) *Eunuchi* vero incapaces sacrae ordinationis non sunt. Cfr. can. 21 Apost. = c. 8 Dist. 55; can. 1 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 7 Dist. 55; cap. 3 X. de corp. vitiatis I, 20; c. 9 Dist. 55. Nullo autem canone Codicis ab ordinatione etiam licita arcentur.

(206) Cum veri et perfecti *hermaphroditi* non existant, sed tantum imperfecti et apparentes (cfr. *Capellmann,* Medicina pastoralis p. 165 sq.; *Eschbach,* Disputationes physiologico-theologicae p. 53 sq.), iudicio medicorum definiendum est, quis sit verus ordinandi sexus. Quodsi medici in favorem sexus virilis *certam* ferunt sententiam, non obstante extrinseca quadam apparentia in contrarium huiusmodi hermaphrodita saltem capax *validae* ordinationis est dicendus, licet tanquam monstruosus inter *irregulares* recenseri soleat. Si sexus sit *dubius,* certe ante dubii solutionem ad ordinationem sacram talis homo admitti nequit. Superveniente autem dubio post ordinationem iam acceptam dubia quoque est *ordinatio,* atque dubius ille vir iam promotus saltem ab *exercitio* ordinum *superiorum* omnino debet abstinere, donec iudicio medicorum res certo sit definita. Cfr. S. C. C. in caus. decis. 22 Nov. 1721 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 421 sq.; *Boenninghausen* l. c. fasc. I p. 13; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 23; *Scherer* l. c. p. 336; *Gasparri* l. c. n. 125; *Many* l. c. n. 73.

gne, P. Gr. XLII, 739, 59); c. 29 D. 23 et c. 20 Dist. 4 de consecr. = stat. Eccles. antiqua; cap. 10 X. de poenit. V, 38; *Hallier* l. c. P. II sect. 4 cap. 2 § 3; *Ferraris* l. c. v. Ordo, art. 2. n. 25; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 21, 22.; *De Augustinis* l. c. p. 535 sq.; *Gasparri* l. c. n. 122 sq.; *Pesch* l. c. in font.; *Antonelli*, Medicina past. t. l. I. n. 150 sq. (207).

Eodem iure *divino* ad valorem ordinationis sacrae requiritur, ut ordinandus *valide* sit *baptizatus* vero baptismo aquae sive *fluminis* (208). Baptismus igitur flaminis sive desiderii non sufficit. Consequentur *catechumeni* secundum universalem et constantem praxim Ecclesiae neque unquam ordinati sunt neque validae ordinationis sunt capaces. Nam solus baptismus aquae valide collatus est ianua Ecclesiae atque fundamentum reliquorum *sacramentorum* (209).

Solus autem vir baptizatus, ut patet ex n. 185 h. tom. IV, qui insuper ordine *presbyteratus* iam est insignitus, ad *ordinem episcopalem* recipiendum *capax* est.

206. *Infantes* aliique, qui usu rationis perpetuo inde *ab infantia* carent atque *positive dissentire* nequeunt velut *perpetuo* amentes, surdomuti et caeci simul a nativitate omni institutione privati, ex iure divino sunt *capaces validae* ordinationis, dummodo illa collatio ordinum sive maiorum sive minorum nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in Episcopo ordinante (210). Quae ordinatio tamen indubitanter est *illicita* et reprobanda.

(207) Cfr. de benedictione diaconissarum et abbatissarum, quae vim sacrae ordinationis non habet neque ullum ordinem confert: *Scherer* l. c. p. 336; Kirchenlex. v. Diaconissen; *Phillips* l. c. § 45 p. 433 sq.; *Gasparri* l. c. n. 126 sq.; *Many* l. c. n. 72, 74. Multo minus « *episcopae, presbyterae, diaconae, subdiaconae* », quae primis saeculis occurrunt atque *uxores* fuerunt Episcoporum, presbyterorum etc. ante sacram ordinationem legitime ductae, ulla ratione capacitatem mulierum ad sacras ordinationes probant.

(208) Cfr. c. 19 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 52 C. I q. 1; c. 60 C. I (ex poenitent. Theodor. adscripto); c. 112 Dist. 4 de consecr. = epist. S. Leonis M. scr. a. 458; cap. 1, 2, 3 X. de presbyt. non baptiz. III, 43; *Many* l. c. n. 76 sq.

(209) Cap. 2 de cogn. spirit. IV, 3 in Sext.; decretum pro Armenis apud *Denzinger-Baumwart*, n. 696; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 21; *Scherer* l. c. § 106 VI.

(210) Cfr. c. 1 Conc. Tolet. II (a. 527-531) = c. 5 Dist. 28 iunct. cap. 2, 14 X. de regul. III, 31; Benedict. XIV Const. « *Eo quamvis tempore* » 4 Maii 1745 §§ 20, 41 sq. in Collect. Lac. II col. 527 sq.; cap. 4 de temp. ord. I, 9 in Sext.; cap. 3 § Item quaeritur X. de bapt. III, 42; cap. unic. X. de clerico per saltum

Certum quoque est per hanc ordinum collationem non subiici promotos obligationi servandae *castitatis* nec *aliis oneribus* ab Ecclesia impositis. Nam electio status a libera cuiusque voluntate pendeat necesse est, et Altissimo nostra, non aliena vota reddere tenemur. Quare Benedictus XIV Const. « *Eo quamvis* » §§ 24 sq. secundum analogiam aetatis ad professionem religiosam requisitae atque pro more antiquo Concilii Toletani II decrevit, ut diaconi Coptorum in prima aetate ordinati, postquam *decimum sextum* aetatis *annum excesserint*, per Praefectum missionis vel ipsius deputatum interrogarentur, num in diaconali officio vellent persistere. Qui diaconi si isti interrogationi sese nolle in suo officio perseverare responderint, non solum primum, sed, eo legitime soluto, etiam alterum matrimonium contrahere licite possunt, neque ulla ecclesiastica lege ad recitandum officium divinum compelluntur (211).

207. *Adulti* habitualiter usu rationis gaudentes, qui *positive absoluteque dissentiunt*, ex iure divino validae ordinationis sunt incapaces; deest enim in ipsis illa *intentio* positiva nec retractata, quae iure divino in subiecto ad ordinem valide recipiendum requiritur. Quare adulti *dormientes* et *ebrii* vel *amentes*, qui *ante* somnum vel ebrietatem vel amentiam nullam atque adeo contrariam habuerunt intentionem ordines suscipiendi, si tempore somni vel ebrietatis vel amentiae, in quam *post* obtentum plenum usum rationis inciderant, revera per summam nequitiam ordinarentur, plane *invalide* fuissent promoti. *Irrita* quoque est ordinatio, si quis per modum *iocantis* ordinem quendam vel gradum recipiat (212).

Porro indubitata est *nullitas* ordinationis, ad quam quis vultu ac oculis et toto corpore ad modestiam composito, *voluntate* tamen *alienissima* sive *ficte* et *simulate* accedat. Cfr. Innoc. III cit. cap. 3 X. de bapt.; Benedict. XIV Const. « *Postremo mense* » §§ 47, 51; *Franzelin*, De sacram. in genere thes. 17; *D'Annibale*, Summul. P. III n. 257; *Many* l. c. n. 313. Quare *Gasparri* l. c. n. 641 sq.

V, 29; *Santi* h. tit. 11 n. 10 sq.; *Aichner* l. c. § 61; *Thomassin.* l. c. P. I lib. 2 cap. 67 sq. P. II lib. 1 cap. 23 sq.; *Seidl*, D. Gottverlobung von Kindern etc. (a. 1871); Kirchenlex. v. Oblati; *Kraus* l. c. v. Oblati.

(211) Cfr. de ordine episcopali infanti collato: *De Augustinis* l. c. p. 539; *Phillips* l. c. p. 441 sq.; *Gasparri* l. c. n. 625 sq.

(212) Cap. 3 X. de bapt. III, 42; *Many* l. c. n. 311 sq. 313 sq.

minus recte contrariam sententiam habet veriorem aliterque interpretatur cit. cap. 3 X. de bapt. (Innoc. III) et declar. S. C. C. Nam Innocentius III imprimis *refert* aliorum sententiam, cui nequaquam in omnibus subscribit. Porro *fictio* illa non est intelligenda de fictione *intentionis,* sed de fictione *dispositionum* (fidei et contritionis), quemadmodum statim ab initio Glossatores atque imprimis Innocentius IV in suo commentario interpretati sunt Innocentium III. Dubium quoque existere non potest, quin S. C. Inq. in exigenda *vera* et *interna* intentione ordinandi ad valorem ordinationis plane consentiat S. C. C. Cfr. S. C. Inq. 28 Nov. 1900 (Collect. S. C. P. F. II, n. 2096). Denique qui per vim *physicam* et *absolutam* ordinantur, ex iure divino validae ordinationis recipiendae incapaces sunt (213). Quam si nihilominus receperunt, ab oneribus et *obligationibus* statui clericali pro diversitate graduum adnexis sunt immunes.

208. Quicumque vi *causativa* vel *conditionali* sive *metu gravi* cadente in virum constantem etiam extrinsecus et iniuste et directe incusso ad ordinem recipiendum cogitur, vere *habilis* est ad *validam,* aliunde vero *illicitam* ordinationem (214). Nam ex natura rei huiusmodi coactio voluntarium imminuit, sed quoad substantiam non tollit. Porro nulla existit specialis lex divina sive naturalis sive positiva, quae talem ordinationem reddat irritam; Ecclesia vero neque de facto statuit neque de iure statuere potest impedimenta vere dirimentia saltem ordinum *hierarchicorum* praeter illas incapacitates iure divino institutas (215).

Attamen si quis legitime probare potest se per vim *causativam* esse ad sacrum *subdiaconatus* ordinem promotum, non obstante valore ordinationis suae ad *communionem laicam* reduci potest et *ipso iure* (216) immunis est ab obligatione coelibatus servandi, officii

(213) Cap. 3 § Item quaeritur X. de baptism. III, 42; Benedict. XIV Const. « *Postremo mense* » 28 Febr. 1747 §§ 48, 49; Act. S. Sed. vol. I p. 330 vol. II p. 450; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 21, 24; *Laurin,* D. Coelib. p. 161; *Gasparri* l. c. n. 633 sq.

(214) Cfr. c. 3, 4 Dist. 74 iunct. c. 9 Dist. 74 (scr. Gelasius a. 494); cap. 3 § Item quaeritur X. de bapt.; Benedict. XIV Const. « *Eo quamvis* » § 21, De Synod. dioec. lib. XII cap. 4 n. 2; *Schmalzgr.* l. c. n. 24; *Scherer* l. c. p. 320; *Laurin* l. c.

(215) *Lugo,* De iust. et iure, disp. 22 n. 121; *Gasparri* l. c. 634 sq.; *Many* l. c. n. 26 i. f.

(216) Quare proprie dicta *dispensatio* apostolica non requiritur, nisi forte sive *nullitas* ordinationis sive *vis* illata *plenissime* probari non possit. Cfr. S.,

divini recitandi aliisque oneribus status clericalis atque ordinis sacri, nisi metu cessante ratam habuerit suam ordinationem (can. 214, § 1).

Nihilominus neque in casu verae nullitatis ordinationis neque metus gravis iniuste incussi ordinatus *privato* suo *iudicio* causam dirimere potest, sed in *forma iudiciali* speciatim praescripta huiusmodi controversia est disceptanda et duplici sententia conformi contra validitatem ordinationis definienda (217). Quae causae iam in prima instantia non amplius introduci possunt coram Ordinario loci, ubi clericus domicilium habet, non ubi ordines recepit; sed iure Codicis libellus supplex mitti debet ad S. C. de Sacr. vel ad S. C. Inq. si agitur de impugnanda ordinatione ex defectu ritus substantialis: quae S. C. primo loco definit utrum causa iudiciario

---

C. C. et S. Rot. in Act. S. Sed. vol. I p. 328 sq. vol. II p. 443 sq. vol. VI p. 90 sq.; *Laurin* l. c. p. 161 sq.; *Allègre,* Code civ. commenté t. I p. 261 (de consensu parentum).

(217) Instr. S. C. C. 1838, apud *Sentis,* Decretales Clement. Pap. VIII p. 41 sq.; *Laurin* l. c. p. 160 sq.; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 25 Cfr. quoque cap. 2, X. de reg. III, 31; *Scherer* l. c. t. I p. 335; *Many* l. c. n. 314 sq. Per se patet non agi de qualibet ordinatione, sed de ordine *sacro* seu maiori recepto; nam clericus minor ad statum laicalem reduci potest ex propria sua libertate (can. 211, § 2), nec pro tali ordinatione in minoribus ordinibus, quos quis libere deserere potest, molestum onus veri processus ferendum est. Atque ita intelligenda est locutio *sacra ordinatio* tam in can. 214 quam in can. 1993 sq. — Quoad subdiaconatum et diaconatum, in casu coactionis nondum plenae probatae, facilius succurritur per dispensationem; atque haec etiam est optima ratio, cur libellus supplex iubeatur mitti ad S. C., quae in casu subdiaconi vel diaconi forte omisso processu succurret per dispensationem. Sane hodie in his duobus gradibus facilior est dispensatio quam in antiqua disciplina, quippe post Codicem generalis facultas dispensandi cum facultate subdelegandi continetur in nonnullis Formulis Facultatum quae dantur a S. C. de P. F. v. g. in formula *secunda* et *tertia;* nec *subdiaconatus* et *diaconatus* sunt exclusi ab amplissima facultate dispensandi quae Ordinariis et aliis datur in can. 1043-1045 pro casibus extraordinariis. In praxi autem vigente quando non affulget solida spes quod subdiaconus vel diaconus futurus sit bonus et dignus presbyter satis facile malis, quae ex sacerdote indigno et scandaloso in Ecclesiam redundarent, ocurritur per dispensationem datam subdiacono vel diacono. Cfr. *Wernz-Vidal,* De matrim. n. 288.

Si agatur de declaranda nullitate ordinationis ex defectu substantialis ritus, difficulter S. Officium in hac re competens causa deferet iudiciario ordine decidendam apud tribunal aliquod dioecesanum; sed potius, captis ab Ordinario plenis informationibus illam resolvet suo more institutoque procedens, ad normam canonis 1555, praesertim existentibus disputationibus circa ipsum ius seu circa quaestionem quinam ex variis ritibus adhibendis, sit substantialis, quam quaestionem decidendam et causae singulari applicandam ex natura rei S. Offic. non potest remittere iudicio Episcoporum.

ordine an disciplinae tramite sit pertractanda. In hoc altero casu ipsa S. C. quaestionem dirimit; si iudicialiter sit dirimenda ipsa S. C. causam remittit ad tribunal dioecesanum competens, i. e. illius dioecesis quae clerici fuit propria tempore sacrae ordinationis, vel si impugnatur ob defectum substantialem sacri ritus ad tribunal dioecesis in qua ordinatio peracta fuit: tunc pro gradibus appellationis valent generales normae canonum 1594-1601 (Cfr. canones 1993-1996).

209. Quis potest accusare. Validitatem sacrae ordinationis potest accusare tam clericus ipse, quam Ordinarius cui clericus subest vel in cuius dioecesi ordinatus est. Quare clericus impugnans suam ordinationem debet tribunali dioecesano ad quod causa remissa fuerit exhibere libellum accusatorium. In qua causa, licet generales normae iudicii sint observandae (can. 1995), multa sunt peculiaria huius iudicii, quod valde assimilatur iudicio instituendo in causa de valore matrimonii, cuius peculiaria praescripta dicuntur esse observanda, *congrua congruis* referendo (cit. can. 1995). Iam ex praxi Curiae Romanae erat observanda const. Benedicti XIV « *Si datam* » 4 Mart. 1748, quae ad causas de nullitate solemnis professionis religiosae aptabat pleraque praescripta ab eodem Benedicto XIV data de causis matrimonialibus. Sed ipsa S. C. C. iam induxerat modum applicandi huic processui circa sacram ordinationem memorata praescripta per Instructionem contentam in Libro litterarum ab a. 1843-1847 (218) estque in parte substantiali tenoris sequentis:

210. Substantia processus. « Imprimis igitur deputandus erit a iudice defensor validitatis sacrae ordinationis, qui ad omnes et singulos actus citari atque audiri debebit (cfr. can. 1996). Hic interrogatoria exhibebit, super quibus, eo semper adstante, sub formali examine et praevio iuramento rogandus erit N. N. de praeciso tempore susceptorum ordinum minorum et subdiaconatus, qua in aetate versaretur dum ad singulos fuit promotus, et quam modo aetatem agat; — quo minarum genere aut incusso metu aut aperta vi coatus fuerit ad ecclesiasticam militiam amplectendam, — de

(218) Cfr. cit. Instr. apud *Sentis* l. c. p. 41 sq.; Archiv. f. k. Kirch. III, 596 sq.

passis iisdem minis in specie vel saevitiis, praesertim de tempore proximo cuilibet promotioni tam ad minores ordines quam ad subdiaconatum etc. — Qui fuerint coactionis auctores, — an pro sua indole capaces communiter reputarentur exequendi minas. — Interrogandus erit N. N. de conquaestionibus ea de re, vel signis interni dissensus manifestati tam ante quam in ipso actu et post receptos ordines, praesertim subdiaconatus — an et cui aperuerit suam contrariam voluntatem et qualem praecise interius habuerit animum in actu s. ordinationis. — Utrum minores et subdiaconatus etc. ordinem umquam et quoties, quando et ubi exercuerit et divinum officium recitaverit. — An umquam contra ordinationem ex passa vi aut metu susceptam et eidem adnexa onera, et coram quo extraiudicialiter vel iudicialiter reclamaverit, et unde factum usque ad haec tempora deseruerit. — Denique rogandus erit idem ut inducat testes consanguineos, etiam familiares et extraneos, qui de praemissis omnibus circumstantiis certiores esse possint, qui deinde formali examini erunt subiiciendi ».

« Omnes vero, adstante defensore s. ordinationis et ad eiusdem interrogatoria, rogandi erunt de circumstantiis praemissis coactionis eiusque causis, quae ad eorum notitiam pervenerint, tum praesertim an N. N. matrem et patrem noverint et exploratam habuerint eorum indolem et agendi rationem erga filios — utrum natura sua (pater vel mater) talis esset severitatis, ut merito timeri posset eum (vel eam) minas esse executurum; an dictus N. N. pro sua natura esset tam pusillanimis, ut minis et saevitiis parentum deterreri posset, et in eum gravem metum incidere, qui constantem quemque virum determinet — an pater (vel mater) nequam doluerit, praesertim morti proximus, filium adegisse ad s. ordinationem ».

« Quidquid vero dictus N. N. deposuerit in examine suo, adhuc a testibus, quos magis instructos iudex reputaverit, erit inquirendum ac praeterea investigandum, utrum sciant quod N. N. umquam exercuerit s. ordinem, recitationi officii divini vacaverit, quodque incesserit semper vel raro in habitu ecclesiastico. Si qui praeterea a testibus iudicati fuerint de se instructi, eos etiam formali examini subiiciet iudex instante defensore s. ordinationis ac eadem methodo servata. Facultatem sibi reservabit iudex in quolibet examine, sive actorem sive testes ad novum examen revocandi. Rebus itaque omnibus ita expletis processum claudet iudex et ad definitionem causae procedet ».

Quae decisio eo solo in casu debet esse pro nullitate receptae ordinationis, si iuridice constaret ordinationem ei fuisse collatam, qui *positivo et absoluto voluntatis actu* ordinationi de se factae dissensit, aut qui *alienissima voluntate* seu *ficte* et *simulate* accessit ad ordinationem: in aliis casibus sententia potius debet esse non constare de invaliditate ordinationis. Quodsi saltem iuridice probatum fuerit actorem per vim *causativam* seu metum gravem fuisse promotum, sententia eum immunem declarabit ab oneribus s. ordini adnexis, qua ad communionem *laicalem* erit redactus, si tamen pariter constet, per liberum exercitium eiusdem ordinis, ordinationem per iniustam coactionem receptam non fuisse ratam habitam.

Quae hac instructione praescripta sunt aeque valent sive actor intendat suae ordinationis invaliditatem probare, sive solum praetendat ob iniustam coactionem perpessam obtinere declarationem immunitatis ab oneribus ordini sacro adnexis.

211. Quoniam can. 1995 iubet in his processibus observari quae in prima sectione Primae Partis libri de Processibus praescribuntur itemque quae constituta sunt in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus, S. C. de Sacr. satius duxit peculiarem Instructionem publicare, in qua illa generalia praescripta applicantur huic processui de nullitate s. ordinationis vel saltem onerum sacro ordini adnexorum; quam Instructionem si prae oculis habeat tribunal deputatum ad instruendum processum eique sese plene conformet haud facile erravit in ipso processu ad S. Congregationem transmittendo. Cfr. « *Regulae servandae in processibus super nullitate sacrae ordinationis etc.* » in A. A. S. vol. XXIII, p. 457 sq.

Praecipua capita ad haec reducuntur:

I. Expedit ut *supplex libellus* ad S. Congregationem transmittatur per proprium Ordinarium, qui suam addere debet informationem (art. 4, § 3), i. e. per Ordinarium dioecesis cui actor adscriptus est, vel si agatur de religioso dimisso per Ordinarium dioecesis originis vel domicilii (art. 5).

II. Si inquisitio praevia peracta non fuerit, generatim S. C. iubet eam fieri ad S. Congregationem transmittendam (art. 6).

III. Tribunalis constitutio describitur art. 7-11, cum incidentibus quae occurrere possunt; officium vero iudicis et ministrorum tribunalis, praesertim defensoris vinculi art. 12-23.

IV. A cap. VI, articulo 24 ad finem Instructionis, art. 74, applicantur huic causae, quae iure communi constituta sunt de instructione processus eiusque conclusione.

Cfr. Appendicem I in fine huius tomi.

Appellatio in his causis regitur iure constituto de appellatione in causis matrimonialibus can. 1986-1989 (can. 1998, § 2). Quare a prima sententia, quae nullitatem ordinationis vel saltem onerum sacro ordini adnexorum declaravit, defensor s. ordinationis, intra legitimum tempus, ad superius tribunal provocare seu appellare *debet*, et si hoc suum officium negligit, ad illud explendum compellendus est auctoritate iudicis.

Post secundam sententiam si etiam fuerit pro nullitate priorem confirmans, *potest* defensor vinculi pro sua conscientia appellare, sed de iure *non tenetur*. Multo minus tenetur appellare, si prima vel secunda sententia fuerit contra intentionem actoris.

212. Scholion I. Si in promotione clerici fuerit observata Instructio S. C. de Sacr. de scrutinio speciali ordinationibus praemittendo novissime promulgata (cfr. Acta A. S. vol. XXIII, p. 120 sq.), praesertim quae § 3 Instructionis praescribuntur de scrutinio ante ordines sacros cum exigenda a candidato declaratione iuramento firmata, qua sc. ipse fateatur se omnimoda libertate ad sacrum Ordinem accedere cum plena cognitione onerum ipsi adnexorum, vix fieri poterit, ut in posterum aliqua causa circa sacram ordinationem ad tribunalia ecclesiastica deferatur. Satis enim erit ad probandum defectum fundamenti pro accusanda ordinatione recepta actori exhibere subscriptam ab ipso declarationem iuramento firmatam, ad ipsum repellendum, saltem plerumque. Si qua ergo causa in posterum cum fundamento institueretur, vix fieri poterit, ut non sit in causa ipse Ordinarius qui clericum promovit, quod non erit praesumendum, cum agatur de re adeo praecipua ministerii pastoralis Episcopi.

213. Scholion II. A coactione iniusta ad ordines suscipiendos omnino differt iusta coactio, qua ipsa *iuris* sanctione *arctati* ob beneficium receptum infra tempus a iure statutum ordines recipere tenentur. Cfr. cap. 14, 35, de elect. I. 6 in Sext.; cap. 2, de aet. I, 6, in Clem.; S. C. C. 26, Ian. 1698; *Schmalzgr.* l. I, t. 14, n. 16, sq. 21. Neque iniusta dicenda est coactio, si *clerici* benefi-

ciati, sed non arctati, *data optione*, aut clerici beneficio carentes, si saltem *subdiaconi* sint, ex competentis Superioris ecclesiastici *praecepto* propter *utilitatem* vel *necessitatem* Ecclesiae ad superiores ordines suscipiendos adiguntur. Cfr. c. 6, X, de aet. I, 14; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 9, cap. 13, n. 20. Quod ius pro tota Ecclesiae certe competit Romano Pontifici; at ab Episcopis vix ad casum *necessitatis* est extendendum. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synodo dioec. l. XII, cap. 4, 5, n. 7; *Gasparri* l. c. n. 638, 639. Imo antequam quis per coactionem ex nolente fiat consentiens ordinationi suae, omnino expedit, ut regulariter aliis mediis necessitati ecclesiarum consulatur. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 22; *Benedict. XIV*, l. c.; *Gasparri* l. c. Nam tirones isti coacti militiae clericalis raro erunt utiles et strenui milites Christi et Ecclesiae.

Hinc S. Poenitentiaria d. 27 Aug. 1829 rescripsit clericum *non* esse cogendum ad *sacros* ordines suscipiendos, qui licet a suis Superioribus electus et a suo confessario dignus iudicatus, ex causa humilitatis vel timore inimicorum non obstantibus omnibus monitis sacrum ministerium suscipere recusat. Eadem S. Poenitentiaria censuit etiam diaconum ad suscipiendum presbyteratum non esse cogendum. Abstinendum igitur est in istis casibus Episcopo vel rectoribus seminariorum non solum a formali et iuridica coactione, qua vi *praecepti* gravis quaedam obligatio promovendo imponitur, sed etiam ab illa aequipollente et *morali* coactione, quae importunis monitis et consiliis iustam libertatem non relinquit. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 114; *Many* l. c. n. 61, 82.

Art. 2. — De subiecto legitimo vel illegitimo sacrae ordinationis

214. I. Cum in novo testamento (219) sacerdotium non iam conferatur secundum *generationem* carnalem, sed ipse Deus ministros altaris novi testamenti ex omni gente et tribu sibi *evocet*, imprimis ordinandus praeditus sit oportet vera *vocatione* divina et recta intentione (220). Quae qualitates ipsi ordinando atque Ecclesiae Praelatis et ordinatoribus *exploratae* sint necesse est; hinc scrutinia de quibus inferius erit agendum, quibus simul praeparatio quaedam remota et proxima absolvitur, optimo consilio fuerunt instituta.

(219) Hebr. V sq.; *Gasparri* l. c. n. 109 sq.; *Phillips* l. c. § 44.
(220) Cfr. de vocatione et intentione necessaria ad *licitam* ordinationem et praesertim de intentione *perseverandi* in statu clericali et *ascendendi* ad ordines

II. Praeterea sacramentum ordinis est sacramentum *vivorum* (221); ergo *ordinandus* in ipsa collatione saltem ordinum hierarchicorum immunis esse debet a *peccato mortali* et in statu gratiae constitutus; liber quoque sit a *censuris* atque *irregularitatibus* aliisque impedimentis sacrae ordinationis.

III. At istae qualitates *negativae* non sufficiunt. Praeter immunitatem a peccatis gravibus, censuris, irregularitatibus, impedimentis necessarium est, ut ordinandus *positiva vitae honestate* praestet, quae virtute probata et animi costantia commendetur (222). Quae virtus probata sese maxime manifestet necesse est in *vitae puritate*. Etenim in Ecclesia latina saltem ex iure Decretalium nemo ad primam tonsuram admittitur, nisi sit *coelebs*. Coniugato vero vel ipsa prima tonsura negatur, nisi volenti religionem intrare aut ad sacros ordines promoveri (223), praemissa praeterea ex iure Codicis dispensatione ab impedimento (can. 987), quae profecto non dabitur nisi sub illa conditione. Coelibatus obligatio, quae ordinibus *sacris* adnexa est, profecto accurate et constanter non facile servabitur, si vita lasciva sacrae ordinationi immediate praecesserit.

IV. *Scientia* pro diversis ordinibus requisita ordinandus positive actuque instructus sit oportet (224), de qua infra.

maiores: Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4, 11, 18 de ref.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 133 sq.; *Schmalzgr.* l. c. lib. III tit. 1 n. 10, 11; *Gasparri* l. c. n. 650 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. XII cap. 4 n. 3; *Many* l. c. n. 79 sq.; *Lehmkuhl*, Casus consc. t. II n. 684, 696, 706; *Vermeersch*, De vocatione religiosa et sacerdotali.

(221) *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 26; *Gasparri* l. c. n. 44, 139 sq. 564. Hinc Synod. prov. Rufhen. (a. 1891) p. 29 statuit: « *Ut ante susceptionem tum Subdiaconatus tum Diaconatus tum Presbyteratus expurgent Ordinandi conscientias suas per S. Confessionem* ».

(222) Cap. 4, 5, X. h. t. 11; Conc. Trid. Sess. XIV cap. 1 de ref.; *Gasparri* l. c. n. 565 sq.; *Many* l. c. n. 90.

(223) Cap. 4 de temp. l, 9 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4 de ref. Quamvis concedi possit *poenam* cit. cap. 4 inflictam nunc sublatam esse, tamen *abrogatio* prohibitionis cit. cap. 4 coniugatos ad ipsam primam tonsuram promovendi ex Conc. Trid. l. c. cap. 17 non eruitur, ut videntur tenere *Scherer* l. c. p. 343 et *Hinschius* l. c. p. 37 sq.

(224) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4, 5, 7, 11, 12, 13, 14 de ref. Cfr. infra de irregul. ex defectu scientiae: *Gasparri* l. c. n. 556 sq. 745 sq.; *Many* l. c. n. 89.

V. Promovendus ut vel ipsam primam tonsuram licite accipiat, sacramento *confirmationis* munitus esse debet (225). Insuper antequam ad superiores ordines recipiendos accedat, *inferiores* rite obtinuerit necesse est. Secus illicite per *saltum* ordinaretur atque adeo invalide, si non recepto ordine presbyteratus consecraretur Episcopus (226).

215. Adlectio in hierarchiam ordinis, quae fit per sacram ordinationem, pro fine habet ut habeantur ministri sacri, quibus fidelium regimen et cultus divini ministerium committatur (can. 108, 948): ordinatio proinde etiam subiectis idoneis non confertur in *privatam* ipsorum utilitatem etiam spiritualem, sed in *publicum* Ecclesiae bonum promovendum. Merito proinde, relate ad *clericos saeculares*, prohibetur ordinatio illius, qui iudicio proprii Episcopi non sit *necessarius* vel *utilis* ecclesiis dioecesis (can. 969, § 1). Sed quoniam clericus in una dioecesi superfluus potest esse valde utilis atque adeo necessarius in alia dioecesi, permittitur cuilibet Episcopo ordinatio clerici non necessarii nec utilis, qui in futurum praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur (can. 969, § 2). Modus plerumque aptior erit, si post clericalem tonsuram statim fiat excardinatio et incardinatio in alia dioecesi, ex cuius Episcopi dimissoriis ulterius promoveatur. Quodsi talis clericus propriis expensis sustentetur nulla erit difficultas quoad quaestionem oeconomicam; secus amicabilis conventio inter Episcopum proprium et alienum rem componet.

216. Scholion. Inter conditiones requisitas ad licitam ordinationem dictum est requiri *vocationem* eamque divinam, atque insinuatum est huius requisiti fundamentum. Quae distinguitur a vocatione *canonica* i. e. ab admissione ex parte Episcopi post exploratas ad iuris normam candidati qualitates. Divina illa vocatio non semper poterit esse Episcopo plane explorata, quantumvis pluribus externis signis plerumque se prodat: ideo ex parte ipsius candidati erit negotium conscientiae cum confessario seu magistro spi-

(225) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4 de ref.; S. C. C. in caus. Augustan. 27 Sept. 1601; *De Angelis* l. c. h. t. 11 n. 9.
(226) Cfr. infra h. tom. n. 221 de promotione per saltum; *Hinschius* l. c. t. V p. 854 sq.

ritus tractandum, ita ut etiam externe seu canonice ab Episcopo vocatus seu admissus poterit coram Deo illicite accedere ad ordines.

I. Quae divinae vocationis necessitas ad amplectendum *statum* ecclesiasticum, saltem definitiva ratione per receptionem ordinis sacri, non potest cum fundamento negari, nisi pervertatur eius conceptus. Est autem divina vocatio cuius necessitas hic propugnatur: « actus providentiae supernaturalis, quo Deus aliquem destinat ad statum clericalem, ipsique media praeparat ad finem assequendum necessaria » (227). Formaliter vocatio active sumpta est illa ipsa *destinatio*; mediorum praeparatio est consequentia vocationis, simulque a posteriori est signum vocationis vel eius defectus (228). Quae mediorum praeparatio refertur tum *ad corpus*, cui praebeantur dotes necessariae ut decenter fungi possit clericus muneribus suis, tum *ad intellectum* elargita facultate acquirendi competentem scientiam, tum *ad voluntatem* pro acquisitione solidarum virtutum quae sunt ad sacerdotium necessariae, tum demum ad alias quasvis qualitates positivas et negativas a iure requisitas. Unde apparet quaestionem esse de vocatione divina, non de vocatione canonica (229).

(227) *Many* l. c. n. 79. Non excluditur providentia *extraordinaria* etiam miraculis confirmata, ut de nonnullis Sanctis legitur, sed non requiritur, sed sufficit providentia ordinaria.
(228) Cfr. S. Thom. P. I, q. 22, art. 3, P. III, q. 27, art. 4.
(229) Vocatio *canonica* est admissio ad ordines per Episcopum, sine quo nullus potest vero iure praetendere ut in coetum clericorum adciscatur. Quae Episcopi admissio seu canonica vocatio, potest esse legitima vel illegitima, Episcopi enim nec infallibiles sunt in exercitio suae potestatis nec impeccabiles. Est legitima illa vocatio Episcopi, si fiat de subiecto praedito omnibus qualitatibus a iure requisitis; illegitima, si versetur circa subiectum qualitatibus destitutum, eoque magis, quo magis vel quo plures deficiant qualitates. Sed inter qualitates requisitas invenitur etiam illa quod candidatus bonos habeat mores ordini recipiendo congruentes. Iam boni vel mali mores sunt res partim quidem ad forum externum, partim vero ad forum internum pertinens; nemo quippe negare potest, quin iuvenis occulte corruptissimus, possit externam apparentiam habere hominis frugi, cum de depravatis interne moribus nec ipse Episcopus per se, nec per idoneos testes notitiam habere possit. Atque inde sistitur quaestio de vocatione divina: videlicet nec Episcopus externe idoneum potest moraliter compellere ad sacerdotium, quia potest interne esse homo corruptus, cui confessarius intimare debeat se non esse vocatum et non posse licite accedere ad ordines, tametsi vocatus vocatione canonica seu ab Episcopo admissus, (cfr. quae moralistae unanimi consensu disputant de habituato in peccato etiam solitario et occulto); nec ita admissus seu vocatus ab Episcopo (vocatio canonica) potest licite tali vocationi consentire ob manifestum defectum vocationis divinae, quamdiu in eo tristi statu perseverat.

II. Ad necessitatem divinae vocationis probandam merito provocatur: 1°) ad textum Apostoli Pauli ad Hebraeos (V, 4 sq.) ubi dicitur honorem sacerdotii neminem posse sibi assumere, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron et ipsum Christum non sibi assumpsisse sed a Patre accepisse. 2°) ad rem facit dictum Christi: « qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro » (Ioann. X, 1), in quo agitur de vocatione ad munus pastorale, non ad gratiam aut Ecclesiam; ad quod munus pastorale intrari non potest nisi per Christum, qui se dicit ostium, i. e. Christo vocante. In hunc sensum ad probandam necessitatem divinae vocationis adducitur a S. C. de Sacr. in Instr. De scrutiniis (A. A. S. XXIII, p. 120 sq.). 3°) Huc quoque spectant alii textus qui ostendunt vocationem esse in manu Domini: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos » (Ioann. XV, 16); « Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (Luc. X, 2) etc. ut vere dici possit, non volentis, neque currentis, sed vocantis est Dei, legitima ad sacerdotium assumptio.

Consonat *traditio*. S. Leo I. *Sermone* III, n. 7 aperte asserit de Ecclesia, quod « cessante privilegio patrum, et familiarum ordine praetermisso, (oeconomia V. T.), eos rectores Ecclesia accipit, *quos Spiritus Sanctus praeparavit* ». S. Gregorius, *Regula pastoralis* p. I, c. 1, et S. Bernardus, *De conversione ad clericos* applicant *non vocatis a Deo* illa verba Osee (VIII, 4) « Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes extiterunt, et ego ignoravi ». Conc. vero Trid. dicit fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse, qui « *haec ministeria propria temeritate sibi sumunt* »; at qui fieri potest ut assumantur sine vocatione canonica? alia ergo admittenda est, ideoque divina (230).

Porro clerici maiores sunt (in missa, praedicatione etc.) secundarii *mediatores* inter Deum et homines; sunt *dispensatores* mysteriorum Dei seu divinorum bonorum; quae munera sine Dei consensu seu vocatione assumi seu usurpari non possunt.

III. In *signis* tamen non est exaggerandum: Ubi adest idoneitas canonica *complete* sumpta i. e. cum bonis moribus, et *inclinatio* supernaturalis et diuturna coniuncta cum speciali aestimatione status

(230) Cfr. *Many* l. c. Porro Instr. S. C. de Sacr. « *Quam ingens* » 27 Dec. 1930, tota quanta fundatur in supposita necessitate vocationis divinae.

clericalis et eius officiorum et munerum, facile admitti debet divina vocatio, et in casu *dubii* ipsa externa seu canonica Episcopi vocatio seu admissio satis prudenter plerumque dirimet illud dubium in favorem accessus ad statum clericalem, praesertim cum ex iuris praescripto in eo gradatim est progrediendum et toties quoties occurrit nova ordinatio, datur nova occasio vocationem examinandi.

IV. *Quaestio* autem *practica* ad hoc reducitur: 1°) si agatur de praeparandis pueris ad sacerdotium accurate observetur opportet praescriptum can. 1353, de pueris *indicia* vocationis praebentibus accurate praeparandis per informationem ad solidam pietatem et praeservationem a saeculi contagiis; 2°) ad curam, quam de Seminario debet habere Episcopus, etiam per frequentem personalem visitationem, ut notitiam capiat, inter alia, de alumnorum indole, pietate, vocatione et profectu (can. 1357); 3°) ut in ipso Seminario non admittantur, nisi hi circa quos habeantur bonae informationes ad normam can. 1363; et iam admissi ad pietatem et virtutes informentur (can. 1367); et eiiciantur dyscoli, seditiosi, bonis moribus non praediti ad normam can. 1371; 4°) ut in ipso Seminario Rector, director spiritus et confessarii quam aptissimi et qui alumnis exemplo sint praeponantur (can. 1358, 1360); 5°) demum, ut alumni ad ordines non promoveantur, nisi praemisso diligenti scrutinio ad normam novae Instructionis S. C. de Sacr. « *Quam ingens* » 27 Dec. 1930 (A. A. S. XXIII, 120 sq.). In qua Instructione, etiam illud commendatur Episcopis, ut suam operam benevole praebeant ut a statu clericali ante receptum sacerdotium discedat is, qui non vocatur aut per coactionem in illum ingressus fuerit, vel satis probabilem vocationem pravis moribus amiserit.

217. Cum quaestione de vocatione connexa est prohibitio can. 971: « Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, aut canonice idoneum ab eodem avertere ».

Praeterea can. 970 confirmavit in Superiore religioso facultatem quam tribuebat Superiori regulari cap. 5, 17, X. de tempor. ordinat. I, 11 arcendi subditum *ex informata conscientia* a recipiendis ordinibus et extensionem illius iuris ad Episcopos quoad clericos saeculares factam a Conc. Trident. sess. XIV, de ref. cap. 1. « *Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior* (etiamsi non sit Praelatus exemptus) *potest suis clericis ex quavis canonica causa, occulta*

quoque, etiam extraiudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo *iure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixit Superior provincialis* ». Cfr. *Wernz-Vidal,* De processibus n. 792 sq.

Insuper can. 973 § 1 sancit: « Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros ». Quare tum vocatio divina tum etiam canonica considerandae sunt relate ad presbyteratum, et qui ad hunc nec divinitus vocati censendi sint, nec qualitates in presbytero requirendas habent, etiam ad inferiores ordines non sunt promovendi. Ac merito S. C. de Sacr. insistit in hoc iuris praescripto etiam allegato vulgari effato « turpius eiicitur quam non admittitur hospes », id quod experientia in hac materia edocet et passim occurrit in causis ubi sacra ordinatio impugnatur. — Quodsi tamen « ordinatus superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur, aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa » (cit. can. § 2). Quae recusatio, si scrupulo aut virtuti non sit tribuenda, plerumque erit non leve signum defectus vocationis; qui si argumentari ex circumstantiis liceat, satius erit sic ordinato consulere per dispensationem et remissionem ad statum laicalem.

Demum adeo urgetur Episcopi, ut aiunt, responsabilitas in clericorum ordinatione, ut si sacros ordines conferat, quin moraliter certus sit ex positivis argumentis de canonica candidati idoneitate, gravissime peccet et sese periculo exponat alienis peccatis communicandi iuxta dictum Apostoli (I, ad Timoth. V, 22) « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ».

218. De seminario clericali relate ad ordines - Historia. I. Cum adolescentes militiae clericali adscribendi a teneris annis ad pietatem et religionem informentur necesse sit antequam vitiorum habitus totos illos possideant, Ecclesia inde a primis saeculis ex pueris atque adolescentibus bene educatis sibi dignos studuit adsciscere sanctuarii ministros. Cuius rei vestigia iam occurrunt in vita S. Athanasii, qui in infantili aetate constitutus per Alexandrum, Alexandriae Episcopum, magistris traditus est, ut ecclesiasticis institutis informaretur. Siricius vero Papa in epist. ad Himer.

Tarracon. (a. 385) = c. 3. Dist. 77, iam tanquam morem stabilem supponit clericos assumi ex iis, qui sese ab infantia Ecclesiae obsequiis devoverint atque ante pubertatis annos baptizati et ministerio lectorum fuerint associati. Imprimis S. Augustinus praeformator exstitit futurorum seminariorum, atque ex pueris devotione parentum Ecclesiae oblatis et in episcopio educatis (cfr. c. 1. Conc. Tolet. II, (a. 527) = c. 5. Dist. 28) sine ullo dubio quamplurimi clerici prodierunt. Maximam similitudinem cum decreto Tridentino de seminariis habet canon 23 Concil. Tolet. IV (a. 633) = c. 1, C. XII, q. 1. Non neglectis aliis quoque mediis (231) idoneos formandi sacerdotes toto medio aevo Ecclesia institutis, quae veris seminariis essent conformia, nunquam plane caruit (232). Tandem collegium germanicum (233) a S. Ignatio in Urbe a. 1552, conditum Patribus Tridentinis (234) fuit occasio et exemplum ad novam illam et sapientissimam legem de seminariis condendam. Quod ius Tridentinum constanter fuit retentum et victis pluribus difficultatibus executioni mandatum (235). Quod ius postulabat ut qui ordinandi essent in Seminario commorarentur, ibique ad disciplinam ecclesiasticam formarentur et rite probati ordines reciperent.

II. Nihilominus in *disciplina ante Codicem vigente* determinatum quoddam *tempus* in seminario clericali transigendum iure communi *non* erat praescriptum, antequam quis vel ad ipsos ordines promoveretur. Complurium autem dioecesium statutis sapienter cautum fuerat, ne cui saltem ordines sacri conferrentur, nisi post definitum tempus aliquot annorum vel mensium in seminario clericali transactum.

(231) Cfr. c. 1 Conc. Vasens. II (a. 529) de more italico etiam in Gallia introducendo; c. 18 Conc. Emerit. (a. 666) de seligendis clericis in familia Ecclesiae.

(232) *Poñan* l. c. p. 24 sq.; c. 12 Conc. Turon. III (a. 813), quo decretum est, ut presbyter priusquam ad presbyteratus consecrationem accedat, in episcopio maneat, a Concilio Romano (a. 1725) (Collect. Lac. t. I col. 391) innovatus et accuratius definitus est. Cfr. *Hefele* l. c. t. III p. 756 sq. de quinque magnis Synodis reformationis ecclesiasticae a. 813 celebratis.

(233) *Poñan* l. c. p. 88 sq.; *Schroeder,* Monumenta, quae spectant primordia colleg. germ. et hung. p. 1 sq. 29 sq.

(234) Sess. XXIII cap. 18 de ref.; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 140 sq.

(235) *Poñan* l. c. p. 101; *Themistor* l. c. p. 84 sq. 194 sq. 325 sq., ubi ius Ecclesiae constitutum (nequaquam enim agitur de « *libera quadam quaestione* ») contra obiectiones seminariis *vere* Tridentinis oppositas praeclare defenditur. Cfr. Collect. Lac. v. v. Seminaria, Ordinatio; *Martin,* Collect. docum. Conc. Vatic. p. 180.

Huiusmodi lege in dioecesi quadam vel provincia ecclesiastica existente, profecto ius erat onerosum Episcopi illam urgendi et in praxim deducendi; ubi vero forte deerat, ius erat Episcopo competens eam introducendi.

III. **Ius Codicis.** Partim in Codice commendatur et curae Episcopi committitur ius antiquum de pueris iam a tenera aetate in Seminario educandis, partim vero urgetur ius *determinatum* de commoratione in Seminario cum respectu ad ordines recipiendos — « Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit » (can. 972, § 1).

« Qui vero ad ordines adspirant et extra Seminarium legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet » (can. cit. § 2).

Imo S. C. de Seminariis curat et urget, ut in quantum fieri possit ipso tempore feriarum aestivarum seu autumnalium, non ad proprias domos redeant novo incipiente cursu scholari reversuri, sed potius requiem sumant in propria seminarii villa, studio pietatis et litterario non neglecto. Cfr. Collect. Lac. t. I, col. 391, t. II, col. 514, t. VII, col. 165, 518, 812; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 2, n. 11, 12, Inst. eccl. 134; *Lucidi*, De visit. sacr. lim. t. II, p. 353; *Poñan* l. c. p. 259. *Gasparri* l. c. n. 658 sq.

Art. 3. — De positivis qualitatibus requisitis in subiecto ordinationis

219. Hae enumerantur in canone 974 — « Ut quis licite ordinari possit requiruntur: 1°) Recepta sacra confirmatio; 2°) Mores ordini recipiendo congruentes; 3°) Aetas canonica; 4°) Debita scientia; 5°) Ordinum inferiorum susceptio; 6°) Interstitiorum observatio; 7°) Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus.

1. **Confirmatio** merito praerequiritur; nam qui sacramento confirmationis carent, nondum inveniuntur « *pleni christiani* » (236).

(236) Cfr. c. 1 D. 5 de consecr. = cap. Pseudo-Isid. Necessitatem confirmationis positive induxit Conc. Trid. (sess. XXIII cap. 4 de ref.). Quae prae-

II. **Mores ordini congruentes** intelligendi sunt *boni mores* seu probata vitae ratio secundum ea quae dicta sunt de necessitate vocationis ad statum clericalem. Conc. Trident. exigebat *bonum a parocho et magistro scholae testimonium* (sess. XXIII, cap. 5, de ref.); porro in tonsuratis ut ad *minores* ordines gradatim promoverentur, bonorum operum exemplum voluit ut comprobaretur per *assiduum in ecclesia ministerium*, per *maiorem erga presbyteros et maiores ordines reverentiam, per crebriorem, quam antea, corporis Christi communionem* (cit. sess. XXIII, cap. 11). — Pro *maioribus* ordinibus exigit in candidatis, ut *sperent, Deo auctore, se continere posse* (cit. sess. cap. 13). — De presbyteris, ut *pietate et castis moribus conspicui* sint, ut *praeclarum bonorum operum exemplum* et *vitae monita ab eis possint expectari* (cit. sess. cap. 14).

III. **Aetas canonica.** Cum ad licitam ordinationem evidenter requiratur ea *corporis* et *animi evolutio*, ut quis decenter et libere ordinem recipiat et officia ordini adnexa intelligat, *aetas* quaedam *legibus ecclesiasticis* praescripta fuit qua ex communiter contingentibus illa evolutio corporis et intelligentiae merito praesumenda esset. Quoniam autem functiones ordinum minorum non sunt tanti momenti; exercitationes vero superiorum graduum dignitate et excellentia praestant, pro natura rei ad minores ordines suscipiendos minor aetas, maior autem in superioribus gradibus requisita fuit. Et in *antiqua* quidem *Ecclesia* (237) fuit magna varietas disciplinae

ceptio Tridentina ansam dedit controversiae, num inde induxisset novam *irregularitatem*, aliis id negantibus velut *Suarez*, De cens. et irreg. disp. 42, sect. 3 n. 14; *Reiffenstuel* l. V tit. 29 n. 7; *Gasparri* l. c. n. 479 sq.; *Lega*, De iudic. vol. III p. 365, pluribus aliis affirmantibus velut *Giraldi*, Exposit. iur. pontif. P. II sect. 91; *Boeninghaussen*, De irregul. p. 156 etc. atque allegantibus in hunc sensum iteratas S. C. C. decisiones, v. g. in caus. Augustan., in caus. Anglonen. et Tursien, in ed. *Richster* Conc. Trid. p. 181. Quae controversia in Codice disparuit, sed iam certo modo illius sacramenti receptio est qualitas positiva requisita, cuius tamen defectus non comprehenditur in catalogo irregularitatum.

(237) Cfr. Dist. 77, 88; compl. IV lib. I tit. 8 de aetate et qual. ordinand.; lib. I tit. 14 de aet. et qualit. et ord. praefic. X., tit. 10 eod. in Sext., tit. 6 eod. in Clem.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 141 sq.; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 28; comment. in cit. tit.; *Suarez* l. c. dip. 51 sect. 2 n. 3 sq.; *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 24 § 2; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 118 sq.; *Phillips* l. c. § 46; *Thomassin.* l. c. P. I lib. 2 cap. 67 sq.; *Gasparri* l. c. n. 202, 484 sq., ubi hunc defectum inter simplices prohibitiones, non inter irregularitates recenset. Cfr. de iure praecedenti: *Suarez* l. c.; cit. Synod. Sciarf. p. 158: « *Defectus aetatis*

ecclesiasticae, donec tandem *iure novo* et *praxi* ipsa termini magis fixi et stabiles introducerentur.

Codex retardavit aetatem ordinationis, ut eo facilius et maturius posset capi deliberatio circa vocationem, tempus ordinationis coniungendo cum studiis ad ipsam ordinationem peragendis. Quare subdiaconatus conferri non potest ante a. 21 completum; diaconatus ante a. 22 pariter completum; presbyteratus ante a. 24 completum: sed iam ipsa prima tonsura conferri non debet nisi incepto cursu theologico (can. 975, 976, § 2): unde ordines sacri non conferuntur nisi iis, qui versantur in aetate graniori, et sic plane liberi et independentes sunt in amplectendo statu vitae (238).

220. IV. **Debita scientia — Notae historicae.** Ad sacras functiones rite peragendas evidenter clerici ordinandi pro dignitate et gradu sui ministerii etiam *positiva scientia* vere praediti sint oportet (239). Hinc Ecclesia iam inde a primis saeculis homines plane rudes atque illiteratos ab ordinibus recipiendis exclusit (240). At pro diversitate temporum et regionum et personarum diversa quoque fuit necessitas scientiae clericorum; porro ob iniuriam temporum non semper ubique eadem existit facilitas instituendi atque educandi clericos (241). Quare qui gradus scientiae clericis monasticae vitae addictis forte sufficiens reputatus fuit, (cfr. *Reiffenstuel* l. c. l. I, tit. 11, n. 67), is sacerdotibus saecularibus vel regularibus,

---

irregularem *reddit etc.* »; Synod. Alex. (a. 1898) p. 141: « *Octo defectus a susceptione ordinum arcent atque irregularitatem gignunt; hi sunt: 1 defectus aetatis* etc. » Unde patet in iure Codicem praecedente adfuisse controversiam, num defectus requisitae aetati adnumerandus esset inter irregularitates; quam controversiam decit Codex in sensum negativum.

(238) Quoad ordines maiores ius Codicis de aetate cohaeret cum iure a Conc. Trid. constituto; quoad minores iure *communi* praecedenti nihil erat praecise determinatum ideoque perinde ac prius tonsura conferri poterat post septennium, salvo iure particulari pleniorem aetatem requirente. Codex, *indirecte* tamen, ratione studiorum huic pleniori aetati adhaesit.

(239) *Suarez* l. c. disp. 51 sect. 1 n. 8 sq.; *Benedict. XIV*, Instit. eccl. 42, ubi illiteratos dicit esse « *irregulares* »; *Boenningh.* l. c. fascic. III p. 136 sq.; *Gasparri* l. c. n. 556.

(240) Cfr. c. 1 D. 55 et c. 1 D. 36 = epist. Gelas. Pap. (scr. a. 494) apud *Thiel*, Epist. Rom. Pontif. p. 362 sq. 371 sq.; c. 8 D. 61 = epist.

(241) Cfr. c. 16 Conc. Aurel. II (a. 533); c. 2 Conc. Nicaen. (a. 787); c. 4 Conc. Roman. (a. 826); c. 18 Conc. Valent. (a. 855); c. 5 Conc. Coyac. (a. 1050); *Suarez* l. c. n. 8, 11.

qui curae animarum, missionibus habendis, fidei defendendae et propagandae strenuam navant operam, plane insufficiens est dicendus. Neque mirum est, quod decreta Tridentina Sess. XXIV, cap. 4, de ref. de scientia requisita in clericis ordinandis, in schemate Concilio Vaticano proposito notabili subiicerentur reformationi (242). Quae reformatio coepta est fieri per responsa SS. CC. partim pro religiosis partim etiam pro clericis saecularibus saltem indirecte data. Et profecto quod pro suo tempore requisivit Conc. Tridentinum evidenter nostro tempore insufficiens est reputandum. Sane memoratum concilium haec statuerat:

a) Nemo *prima tonsura* initietur, qui *fidei rudimenta* edoctus non fuerit, quique *legere* et *scribere* nesciat. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 4, de ref.

b) Ad *ordines minores* ex eiusdem Concilii decreto ii tantum promovendi sunt, qui saltem *linguam latinam* intelligunt. Cfr. cit. Sess. XXIII, cap. 5, de ref.

c) Porro *subdiaconi* et *diaconi* ut ordinarentur debebant *litteris* et iis, quae *ad ordinem exercendum* pertineant instructos esse. Cfr. cit. Sess. XXIII, cap. 13, de ref.

d) A *sacerdotibus* exigitur ut ii promoveantur, qui ad *docendum populum* ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac *administranda sacramenta* diligenti examine praecedenti idonei comprobentur. Cfr. cit. Sess. XXIII, cap. 14, de ref.

Quae supellex scientiae evidenter pro nostro tempore nimis exigua erat habenda, et cum ius Tridentinum *minimum* gradum scientiae statuerit, non impediebat, quominus *Episcopi* pro *singulis* gradibus perfectiorem, sed proportionatam, non exorbitantem requirerent scientiam (243). Ipsa S. C. de Rel. statuit pro viris religiosis tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines admitti non posse, nisi praeter alia a iure requisita testimoniales litteras exhiberent, quod saltem per *annum* sacrae *theologiae* operam dedissent, si agatur de *subdiaconatu*; ad

---

(242) Schema 10 de ordinat. regular.; *Phillips* l. c. § 48.

(243) Innoc. XIII Const. « *Apostolici ministerii* » 13 Mart. 1723; Notific. Card. Vic. in Urbe 2 Dec. 1740 iunct. praxi nunc Romae vigenti et Pii X. Mot. propr. « *Sacros. Trid. Synod.* » 16 Iul. 1905; Conc. prov. Westmonaster. I (a. 1852) in Collect. Lac. t. III col. 936.

minus per *biennium*, si de *diaconatu*, et quoad *presbyteratum*, saltem per *triennium*, praemisso tamen *regulari aliorum studiorum curriculo;* quo triennio finito tenerentur adhuc per quartum annum theologicis studiis incumbere. S. C. de Rel. 7 Sept. 1909; S. C. Cons. 24 Martii 1911; S. C. de Relig. 31 Maii 1910: indirecte autem illae novae dispositiones saltem ex Curiae Romanae praxi etiam ad clericos saeculares referebantur.

Ius Codicis. Codex eodem modo processit in exigenda scientia a candidatis ordinum, quo SS. CC. memorata decreta, videlicet exigendo determinatos studiorum cursus qui debeant peragi ad normam eorum quae sunt statuta pro Seminariis. Quare: 1°) Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promovendus est ante inceptum cursum theologicum (can. 976, § 1); 2°) Firmo praescripto de aetate requisita, subdiaconatus conferri non debet, nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni (ibid. § 2); 3°) Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem pro Seminariis determinatam can. 1365 (ibid. § 3).

221. V. **Ordinum inferiorum susceptio.** Per quam prohibetur ordinatio per saltum, quam prohibitionem ita exhibet can. 977: « *Ordines gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur* ». Quae prohibitio ex historia constat constanter fuisse retentam.

Sane cum ex natura rei tum in republica tum in Ecclesia summopere expediat, ut gradatim honores deferantur, et a minoribus magistratibus bene gestis ad maiores perveniatur (244), ordo in sacris ordinationibus inde a primis saeculis fuit servandus. Quae praxis antiquae Ecclesiae eo magis erat probanda, cum illo tempore etiam clerici inferiorum ordinum sua distincta et propria haberent officia nequaquam laicis indiscriminatim permissa. Principium illud gradatim conferendi ordines iam c. 2. Conc. Nicaen. (a. 325); c. 10. Conc. Sardic. (a. 343). = c. 10. Dist. 61, sancitum a Zosimo Papa (a. 418) inter praecepta Patrum et statuta maiorum (cfr.

(244) L. 11, 14 § 5 D. de muner. et honor. I, 4; can. 2, 4 Dist. 59; Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 11, 14 de ref.

c. 1, 2. Dist. 59) recensetur. Artis quoque vocabulum a Siricio (a. 385) (cfr. c. 29. C. XVI, q. 1) primum usurpatum, ne « **saltu** » fierent ordinationes, mox communi usu fuit receptum. Ut prohibitiones canonicae ordinationum per saltum efficaciores essent, iure antiquo clerici ita male ordinati depositione (245) digni declarati sunt: quae poena postea accuratius tanquam poena *suspensionis* (246) ab ordinibus per saltum receptis fuit circumscripta. Dubium esse non potest, quin illa suspensio ex iure Decretalium (247) a Tridentino Concilio confirmata et ampliata *ipso facto* fuerit inflicta. Cfr. *Suarez*, De censur. disp. 31, sect. 1, n. 44; *Kober*, D. Suspens. p. 213. Nihilominus in primitiva Ecclesia stricta gradatio in ordinibus *minoribus* recipiendis non semper rigide videtur fuisse servata, neque semper ordines maiores fuerunt collati tantum praemissis *omnibus* ordinibus minoribus. Cfr. *Thomassin*. l. c. P. I. l. 1, cap. 35, n. 2; *S. Thomas*, Com. in 4, dist. 24, q. 1. art. 2, q. 5. — Ecclesia orientalis pro sua antiqua et vigente disciplina in prohibenda ordinatione per saltum cum Ecclesia latina perfecte concordavit. Cfr. cit. Synod. Sciarf. p. 137.

Hic *ordo* seu *gradatio* in collatione ordinum non hierarchicorum *ex iure saltem humano* Ecclesiae (248) ita praescribitur, ut quis nonnisi gradatim a prima tonsura (249) incipiendo per singulos ordines legitima serie sibi succedentes, non omisso medio vel inferiore ad superiores « *de gradu in gradum* » (Conc. Trid.) ascendat.

Quae gradatio in recipiendis ordinibus *non hierarchicis de facto* a Romano Ponttfice per dispensationem nunquam relaxatur multoque minus ex concessione Episcopi infringi potest. Ordines vero *hierarchici* cum indubitanter a Christo sint instituti, ex *ipsius vo-*

(245) Zosimus in c. 1 D. 59; c. 10 Conc. Rothomag. (a. 1072); *Kober* l. c. p. 272 sq.; *Many* l. c. n. 102.

(246) Alexandr. II a. 1065 in c. unic. Dist. 52.

(247) Cap. unic. X. de cleric. per saltum prom. V, 29; *Hinschius* l. c. t. I III iunct. t. V p. 238 sq. 857.

(248) Conc. Trid. l. c.; S. C. C. in caus. Florent. 5 Dec. 1744 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 200.

(249) Quare vel ipsa omissio primae tonsurae, quae *ordo* non est, sed tantum primus quidam gradus in clericatu, constituit promotionem per saltum. Cfr. S. C. C. in caus. Aveiren. 30 Iun. 1804; *Schmalzgr.* l. V t. 29 n. 10; *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. I sect. 866; *Kober* l. c. p. 214; *Gasparri* l. c. n. 495; *Many* l. c. n. 104.

luntate videntur etiam gradatim recipiendi, non ex sola lege ecclesiastica, ideoque Romano Pontifici potestas dispensandi videtur esse adempta. Cfr. *Suarez*, De cens. disp. 31, sect. 1, n. 4; *Schmalzgr.* l. V. t. 29, n. 15. Hinc ordinationes per saltum certe *illicitae* sunt et gravibus *poenis* (250) obnoxiae, sed *valore* non destituuntur (251), nisi excipias consecrationem episcopalem omisso ordine presbyteratus peractam; cuius consecrationis nullitas constat ex antiqua Ecclesiae traditione reprobandi praesertim in ordinibus hierarchicis ordinationes factas per saltum et interstitiis non servatis, et quia Patres Concilii Hierosolymitani et Sardicensis tempore S. Athanasii Ischyram gravissimi delicti reum habuerunt, quod *nondum presbyter*, ordinatus fuisset Episcopus (252). Quare, excepto

(250) Cfr. c. 1 D. 52; cap. un. X. de cleric. per salt. V, 29. Inter illas poenas specialis *poena Episcopi* per saltum ordinantis nec iure praecedente nec in iure Codicis exprimitur; pariter in praecedenti et in novo iure non continetur *irregularitas ordinati*, nisi is in ordine *omisso* ministraverit vel suspensionem violaverit sibi a iure vel per iudicem inflictam. Cfr. Conc. Trid. l. c.; *Gasparri* l. c. n. 151 sq. 349, 498; *Boenninghausen* l. c. fascic. II p. 102 sq.; cap. 2, X. de cleric. non ordin. minist. V, 28; *Santi* l. c. lib. V t. 28, 29; *Kober* l. c. p. 215 sq.; *Hollweck* l. c. p. 293; *Thesaurus* l. c. v. Ordines cap. 13. At *suspensio* ab ordine per saltum suscepto post Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » certe non permansit ut censura latae sententiae, sed ut simplex *prohibitio* ministrandi in ordine per saltum sive bona sive mala fide suscepto antequam gradus praetermissus esset obtentus non cessavit. Nam suspensio ipso iure ex cap. unic. X. de cler. per saltum incurrenda a Pio IX l. c. silentio pressa fuit, in Concilio vero Trid. non directe fuit denuo statuta, sed tantum indirecte confirmata. Cfr. *Santi* l. c. tit. 29 n. 2; *Bucceroni*, Comment. de Const. *Apost. Sed.* n. 109 et 103; *De Angelis* l. c. lib. V tit. 29; *Scherer* l. c. p. 322; *Gasparri* l. c. praesertim n. 498; *Many* l. c. n. 106; Cuius simplicis prohibitionis violatio iure praecedenti non inducebat irregularitatem. At iure Codicis is qui malitiose ad ordinem per saltum accessit *in poenam* est ipso facto suspensus ab ordine recepto (can. 2374), cuius poenae violatio certam inducit irregularitatem ex delicto (can. 985, 7°).

(251) Cfr. c. unic. D. 52 (Alex. II a. 1065); cap. unic. X. de cler. per salt. V, 29; *Many* l. c. n. 105.

(252) Cap. 10, X. de excess. praelat. V, 31 cum Glossa v. Ministerio; *Kober* l. c. p. 218 sq.; *Gasparri* l. c. n. 22 sq. 496. Cfr. *S. Raymund.*, Summa l. III t. 22 § 7, ubi quaerit: « *Quid si clericus praetermisso sacerdotali ordine consecretur in Episcopum?* » et respondet: « *Ad hoc dicunt* **fere omnes doctores,** *quod nullo modo potest esse Episcopus, nisi sit sacerdos. Quod videtur etiam sentire Innocentius* (X.) *de excess. prael. c. Ex litteris i. f.* ». Idem tenent *Goffr. de Trano* l. c. l. I t. 11 n. 7 aliique canonistae et theologi saltem communius. Cfr. *Schmalzgr.* l. V t. 29 n. 2; *Pesch*, Praelect. dogm. t. VII n. 645 sq. Quibus non obstantibus *Gasparri* l. c. n. 26 opinatur contrariam sententiam sua probabilitate non carere; *Many* quoque l. c. n. 5 i. f. eam tanquam falsam reiicere

memorato casu, ordo tantum omissus postea per veram collationem supplendus est.

At unusquisque ad superiores ordines *ascendere* aut ordines per saltum receptos *exercere* prohibetur, nisi prius ordinem praetermissum vere receperit. Cfr. c. unic. D. 52; cap. unic. X. de cler. per salt. V 29; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 14 de ref.

Quodsi invalida fuerit consecratio episcopalis propter omissum ordinem presbyteratus, et ordo presbyteratus et ordo episcopalis absolute et simpliciter conferendi sunt. Cfr. de obiectione Graecorum, quod Latini per saltum diaconos ordinarint Episcopos: Bened. XIV Const. « *In postremo* » 10 Octobris 1756 §§ 10 sq.; *Hefele* l. c. t. IV p. 246, 365, 367; *Scherer* l. c. p. 322. Si *Goffredus de Trano* l. c. l. I. t. 11 n. 7; *Suarez*, De cens. disp. 42 sect. 4 n. 9 aliique tenent Episcopum valide consecratum, sed per saltum, omissis ordinibus *infra* presbyteratum, non posse *aliis valide conferre ordines* illos in propria ordinatione praetermissos, haec sententia solidum fundamentum non habet. Etenim illi auctores confundunt *illiceitatem* cum *invaliditate* et frustra provocant ad vulgare principium: *Nemo dat, quod non habet*. Nam *potestas* conferendi ordinem diaconatus aliosque inferiores gradus nititur *charactere episcopali*, quem ille Episcopus certe acceperat, non *charactere diaconali* vel praerogativis inferiorum ordinum. Insuper in ordinibus presbyteratus et Episco-

---

non audet, imo priori opinioni praefert; at rationibus inefficacibus suam opinionem probare conatur. Nam argumenta pro contraria sententia allata sunt mere negativa; porro quae Photius obiecit, a Latinis tanquam calumnia fuerunt reiecta; exempla vero allegata iam ex sese tanquam facta particularia non sunt solidae rationes et insuper reducuntur pariter ad negativa argumenta ex silentio. Porro patroni huius opinionis non satis attenderunt intra *eandem* Missam complures ordines *successive* posse conferri, quemadmodum per se usque in hodiernum diem fieri potest in ordinatione R. Pontificis noviter electi, si nondum sit presbyter et Episcopus; at inde non sequitur ordinationem presbyteralem fuisse *omissam* aut *per modum unius* peractam, quemadmodum in Ecclesia orientali in ordinatione *subdiaconi* simul continetur ordinatio ostiarii et acolythi. Multo minus aliquid pro hac sententia deduci potest ex modo agendi Christi in ultima coena. Denique quae *Many* l. c. docet de praxi Apostolorum « *ad instar Christi totum sacerdotium per impositionem manuum et relativam orationem* » conferendi aut de « *praesumpta vel forsan expressa licentia Christi potestatem presbyteralem* » separatim concedendi, non excedunt limites coniecturarum non probatarum, quae insuper cum doctrina Concilii Trid. Sess. XXIII can. 6, ubi definitur *hierarchiam divina ordinatione institutam* constare Episcopis, presbyteris, ministris, non cohaerent.

patus omnes ordines inferiores *eminenter* continentur. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1147.

222. VI. **Interstitiorum observatio.** Interstitia sunt illa temporis intervalla, quae ex legibus Ecclesiae inter unius et alterius ordinis collationem intercedere debent.

Historia. Quamvis praxis in interstitiis servandis pro diversitate temporum et regionum non fuerit uniformis, tamen inde a *primis saeculis* (253) interstitia quaedam ex universali lege et consuetudine fuerunt recepta. Nam non solum fixa et determinata ordinationum tempora, sed etiam obligatio sese in inferioribus ordinibus per tempus quoddam legibus definitum *exercendi,* antequam quis ad superiores ordines ascenderet, interstitiorum fuerunt causa atque origo. Postquam c. 10. Conc. Sardic. (a. 343) = c. 10. Dist. 61 iam generalis regula statuta fuit (254), neminem esse ad Episcopatum promovendum, qui prius officiis inferiorum graduum non esset perfunctus, Siricius Papa (a. 385) = c. 3 Dist. 77 et Zosimus Papa (a. 418.) = c. 2 Dist. 77 distincta intervalla temporis inter singulos gradus observanda esse sanxerunt. Quae intervalla temporis Gelasius a. 494 = c. 9 Dist. 77 prima vice vocat *interstitia* eaque denuo inculcat (255). Ipsa quoque Ecclesia orientalis praxim interstitiorum in c. 5. Concilii oecum. VIII (a. 869) iterum (256) ratam habuit. Gratianus de interstitiis nonnisi ius antiquum compilavit, ut patet ex praecedentibus. Quibus decretis Magistri in iure Decretalium duo tantum capita accesserunt scl. cap. 13, 15 X. h. t. 11 iunct. cap. 3 X. eod. tit.

Disciplina vigens ante Codicem, stricto (257) iure communi observanda, continebatur in Concilio Tridentino Sess. XXIII cap.

(253) *Hallier* l. c. P. II sect. 7; *Thomassin.* l. c. P. I lib. 1 cap. 35, 36; *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 58; *Kober* l. c. p. 206 sq.; *Many* l. c. n. 107.

(254) Cfr. quoque can. 1, 2 (Zosimus a. 418) (Coelestinus a. 428) Dist. 59; can. 80, [79] Apost.; can. 2 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 1 D. 48; *Hefele* l. c. t. I p. 591.

(255) De interstitiis agitur etiam c. 20 Concil. Bracar. I (a. 563) et c. 3 Concil. Barcinon. II (a. 599).

(256) Novell. 123 cap. I § 2; *Many* l. c. n. 111.

(257) Quod ius strictum partim consuetudinibus legitimis partim usu extraordinariarum facultatum multum emollitum fuerat. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 500 sq.

11, 13, 14, de ref. (258) a quo interstitia accuratius tandem fuerunt definita hoc parto:

a) Minores ordines per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo expedire videatur (259).

b) Clerici minoribus ordinibus initiati nonnisi *post annum* (260) a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad *sacros ordines* promoveantur, nisi *necessitas* aut Ecclesiae *utilitas* aliud exposcat.

c) Promoti ad sacrum *subdiaconatus* ordinem, si per *annum* saltem in eo non sint versati, ad *ulteriorem* gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.

d) Ad *presbyteratum* assumantur, qui in *diaconatu* ad minus annum integrum ministraverint, nisi ob Ecclesiae *utilitatem* ac *necessitatem* aliud Episcopo videatur.

Ius Codicis. In Codice post statutum generale principium de ordinationibus per temporum interstitia conferendis, addita etiam ratione ut promoti in iam receptis ordinibns, *secundum Episcopi praescriptum, sese exerceant* (can. 978, § 1); maiore rigore quoad partem urgetur interstitiorum observantia. Nam 1°) Licet interstitia inter primam tonsuram et primum ordinem minorem *(ostiariatum)* et inter singulos ordines minores, *quoad durationem,* reliquerit prudenti Episcopi iudicio determinanda, (cit. can. § 2), absolute tamen prohibet ne prima tonsura simul conferatur cum aliquo ordine minore et ne omnes ordines minores una simul conferantur. Inde autem videtur inferri *duos* vel etiam *tres* ordines minores conferri simul posse.

(258) Innocent. XII Const. « *Speculatores* » § 1 ius constitutum de tempore ordinationis et interstitiis servandis multum ursit.

(259) Cfr. de praxi Romana diuturno tempore vigente: *Honorante* l. c. p. 3 sq. Ipsa S. C. C. consuetudinem simul eodem die conferendi primam tonsuram et quatuor ordines minores admisit. Cfr. S. C. C. 31 Maii 1597 et 13 April. 1720 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 200, 186; *Fagnan.* in cap. 3, X. h. t. 11 n. 42. At nisi *consuetudo* suffragetur, eodem die omnes ordines minores *cum* subdiaconatu conferri nequeunt. Cfr. S. C. C. in caus. Boven. 7 Maii 1707; in caus. Calarit. 25 Febr. 1728 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 200; *Fagnan.* l. c. n. 41; *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 24 § 1 n. 87; *Many* l. c. n. 113 sq. — Apud Graecos eodem die *omnes* ordines minores, quibus etiam *subdiaconatum* adnumerant, eidem personae conferre licet. Cfr. cit. Synod. Sciarf. p. 139 et cit. Synod. prov. Ruth. p. 28.

(260) Qui annus non est annus *naturalis* et *civilis,* sed *ecclesiasticus;* sufficit igitur annus naturaliter incompletus, si v. g. anno insequenti Pascha celerius advenerit. Cfr. S. C. C. 3 Febr. 1595; *Riganti* l. c. n. 71; *Many* l. c. n. 109.

2º) Inter ultimum ordinem minorem (*acolythatum*) et subdiaconatum interponendus est *integer annus*; ut subdiaconus transeat ad diaconatum, vel diaconus ad presbyteratum interponi necesse est saltem *tres menses;* additur tamen exceptio iam in Tridentino facta, « *nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat* »: qua clausula exceptiva fit Episcopo facultas tempus intervalli reducendi, non penitus supprimendi (cit. can. § 2).

3º) Omnino prohibetur, nisi de peculiari licentia Rom. Pontificis, ne minores ordines cum subdiaconatu aut duo sacri ordines uno eodemque die conferantur et reprobatur quaevis contraria consuetudo (cit. can. § 3) (261).

223. Scholion I. Inter ordinem *presbyteratus* et *consecrationem episcopalem* speciale quoddam interstitium complurium dierum vel mensium iure communi vigente non reperitur praescriptum. Episcopus igitur rite electus, qui die sabbati legitimorum temporum ordinatus fuerit presbyter, illico die dominica sequenti consecrationem episcopalem recipere potest. Neque ex Gregorii XIV. Const. « *Onus* » 15 Maii 1591 sequitur consecrationem episcopalem a nemine recipi posse, nisi post sex menses a recepto *presbyteratu*, ut opinatus est *Gasparri* l. c. n. 514. Cfr. *Schmalzgr.* l. t. tit. 14, n. 15. Salva autem manet praescriptio can. 331, § 1, n. 3, quod assumendus in Episcopum debeat saltem a quinquennio in sacro presbyteratus ordine esse constitutus.

Clausula nisi *necessitas aut* utilitas, quae ex declar. S. C. C. (3 Maii 1620) debuit intelligi disiunctive, satis amplam facultatem tribuit Episcopis saltem clericis suis saecularibus remittendi interstitia propter unam e duabus causis (262).

(261) Haec reprobatio consuetudinis contrariae non habetur de consuetudine eodem die conferendi quatuor ordines minores; quare haec consuetudo videtur tractanda ad normam can. 5 quamvis non est facile ut probetur existentia consuetudinis centenariae. Cfr. praec. notam 259.

(262) Inde immutatur ius Con. Trid. (sess. XXII, cap. pe ref.) et Gregorii XIV Const. « *Onus* », quod assumendus in Episcopum saltem sex mensium spatio in ordine subdiaconatus debeat esse constitutus.

Ex responso S. C. de Sacr. 15 Aug. 1909 (A. A. S. I, 656) Episcopus gaudens indulto conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti potest etiam erga *alienos subditos*, suorum Ordinariorum dimissorias habentes. Cfr. quoque *Many*, l. c. n. 112.

Scholion. Ecclesia quoque graeca aliqua interstitia pro suis moribus receptis observat. Cfr. Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 28 sq.; *Goar*, Ritual. Graecor. p. 235; *Papp.-Szilágyi* l. c. P. II § 12. De Italo-Graecis cfr. Benedicti XIV. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 n. 16, 17, 18, quoad privilegia et praecepta ibidem expressa. Synod. quoque Sciarf. (a. 1888) p. 138 inhaerens vestigiis Conc. Trid. propius accedit ad praxim latinam.

Art. 4. — De titulo sacrae ordinationis (263)

223. Principia. Clerici in hierarchiam ordinis cooptati ex natura rei ad *bonum commune ecclesiae* promovendum, non ad *privatam* utilitatem assumuntur (264). Hinc suprema lex in determinando numero clericorum est *necessitas* vel *utilitas Ecclesiae* (265). Qua lege supposita ad arcendos *vagos* et *dissolutos* clericos inde a primis saeculis tantum ii sunt ordinati, qui ex iudicio Episcopi servitio ecclesiastico et cultui divino in determinata ecclesia sive certo *titulo* vel loco ecclesiastico erant necessarii vel utiles atque perpetuo mancipati (266). *Titulus* igitur ordinationis secundum primaevam suam notionem in foro ecclesiastico (267) significavit per-

(263) Praeter positivas qualitates *personales* in promovendis ad sacros ordines requiritur *extrinseca* illa qualitas sive conditio *fortunae* quoad honestam sustentationem, quae specialem tractationem exigit.

(264) *Suarez*, De vit. et stat. relig. tract. VIII l. 1 cap. 2 n. 3; *Many* l. c. n. 130 sq.; *Saegmaeller*, Lehrb. d. k. K. p. 174 sq.

(265) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 16, 11, 4 de ref. Quod principium ab Innocentio XIII Const. « *Apostolici ministerii* » 23 Maii 1723 pro Hispania primum data et deinde a Benedict. XIII Const. « *In supremo* » 23 Sept. 1724 iterum promulgata denuo solemnissime fuit confirmatum. Quare quamvis multum curandum sit, ut numerus clericorum sit sufficiens (cfr. Conc. Trid. Sess. XXI cap. 4 de ref.) ad finem Ecclesiae etiam *perfecte* obtinendum, tamen ceteris paribus pauci et boni clerici inutili turbae sunt praeferendi. Cfr. c. 4 Dist. 23; *Gasparri* l. c. n. 577 sq.

(266) Cfr. c. 15 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 6 Conc. Calced. (a. 451) = c. 1 Dist. 70, cuius vestigiis inhaeret Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 4 de ref.

(267) In foro civili et secundum vulgarem usum loquendi verbum tituli significat inscriptionem atque praesertim causam possidendi vel acquirendi. Cfr. L. 12 Cod. Th. X. 39; L. 2 Cod. Th. VI 4. E contra in foro ecclesiastico iam antiquissimo tempore *tituli* vocabantur *ecclesiae*. Cfr. c. 6 Conc. Rom. (a. 502); *Ducange*, Glossar. Latin. v. Tit.; *Scherer* l. c. p. 359.

19

petuam *incardinationem* (268) clerici inter clerum alicuius *tituli* sive *certae* ecclesiae, cui clericus intitulatus sacrum *ministerium* impenderet, et quae vicissim ex suis *reditibus* clerico incardinato pro functionibus sacris *sustentationem* concederet. Quare cum necessitas vel utilitas Ecclesiae suis esset circumscripta limitibus, neque reditus Ecclesiae essent immensi, *duplex* ista *norma* fuit aptissima ad impediendam *inutilium* clericorum multiplicationem. Cfr. *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XI, cap. 2, n. 4, 5.

Vicissim clerici ex titulo vel incardinatione duplex bonum consequebantur scilicet imprimis stabilem *occupationem* in sacro ministerio lege residentiae definitam, deinde congruam *sustentationem*. Cfr. *Thomassin*. l. c. P. II, l. 1, cap. 9, n. 2.

Quemadmodum autem vocabulum *beneficii* a significando *officio spirituali* translatum est ad denotandos *reditus* spirituali officio adnexos, ita etiam *titulus* ordinationis non iam significat illam *incardinationem* sive officium ecclesiasticum, sed potius *fructus* vel reditus *vi incardinationis* vel officii ecclesiastici percipiendos i. e. beneficium (269). Quare titulus ordinationis definiri potest (270): *Cautio legitima de sufficiente et perpetua sustentatione* pro *sacrorum ordinum susceptione iure canonico praescripta,* sive sunt *reditus*, ex quibus clericus ad sacros ordines promovendus iuxta *praescriptiones canonicas* percipit sufficientem et perpetuam sustentationem. Cfr. cap. 4, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 2; *Schmalzgr*. l. I, t. 11, n. 52.

Quae cautio multiplex esse potest. Hinc *distinguuntur* tituli ordinationis *iure communi* praescripti vel permissi et *privilegio* apostolico concessi et mera *tolerantia* admissi. Porro alii sunt tituli clericorum *regularium*, alii clericorum *saecularium*. Denique quidam tituli dicuntur *ordinarii*, alii vero *extraordinarii*.

(268) Cfr. c. 9 Apost.; c. 10 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 2 C. XXI q. 1 et c. 3 C. XXI q. 2.

(269) Cap. 30, X. de iure patr. III 38; cap. 3, X. de cleric. coniug. III 3; Act. S. Sed. vol. V p. 478; Synod. prov. Ruthenor (a. 1720) « *Nullus praeterea saecularis ordinetur, qui non habeat titulum perpetuum sufficientis ecclesiae* »; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) idem fere statuit. Cfr. Collect. Lac. tom. II col. 41, 240; Synod. Sciarf. (1888) p. 147.

(270) Cfr. de titulo ordinationis: *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 24 § 5; *Phillips* l. c. §§ 57, 58; *Scherer* l. c. § [illegible]9; *Ferraris* l. c. v. Ordo art. 2 n. 82 sq.; *Gasparri* l. c. 584; *Hinschius* l. c. t. I p. 63 sq.

224. Notae historicae. Cum admodum turpe sit, si « *qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum quaestum exercere cogantur* » (cfr. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. I, de ref.), Ecclesia inde ab initio religionis christianae titulum quendam ordinandis necessarium esse existimavit. Hinc iam primis saeculis nemini aditus ad sacram ordinationem patebat, nisi *certo officio* in determinata ecclesia obeundo etiam ipsius sustentationi esset provisum. Cfr. c. 6 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 1 D. 70 (271). Quae conditio tanto rigore fuit exacta, ut vel ipsa ordinatio diceretur nulla et irrita vel vana vel vacua (272). Quodsi quis titulum illum sive ecclesiam, cui per ordinationem fuerat adscriptus, arbitrario modo dereliquit, tanquam transfuga gravibus subiectus fuit poenis (273).

Cui *titulo* ordinationis, qui nitebatur incardinationi, post introducta inde ex saeculo sexto veri nominis beneficia ecclesiastica aequiparabatur beneficium, cui quis *ante* sacrum ordinem fuerat intitulatus (274). Cum praeter titulos cit. can. 6 Conc. Chalced. quasi in nucleo contentos scl. beneficii et professionis religiosae alii tituli paulatim admitterentur, prohibitio illa iuris antiqui ordinationum *absolutarum* parum fuit efficax et in praxi neglecta (275). Hinc Alexander III in Concilio Lateranensi III (a. 1179) (cfr. cap. 4 X. de praeb. III 5), ut abusibus clericorum vagorum occurreret, haec statuit: « *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo neces-*

(271) Cfr. quoque c. 6 Conc. Valentin. (a. 524-546); cap. 23 Synod. Aquisgran. = c. 6 Conc. Chalced. contra ordinationes *absolutas* clericorum, qui non fuerunt *intitulati* sive *titulati*, sed *vagi, acephali, absoluti*, sine titulo sive sine officio nullique ecclesiae determinatae adscripti.

(272) S. Leon. epist. scr. (a. 458-459) in c. 40 C. I q. 1 cum dictis Grat. praeced. et subseq.; c. 6 Conc. Chalced. iunct. *Hefele* l. c. t. II p. 510 sq.; *Kober*, D. Suspens. p. 220; *Cardinal. Hergenroether*, Photius t. II p. 324; c. 15 Conc. Placent. (a. 1095) = c. 2 Dist. 70. Quae nullitas ordinationis cum non fuerit coniuncta cum vera reordinatione, intelligenda est de suspensione sive interdicta executione vel exercitatione ordinis recepti, ut magna cum eruditione probat *Kober* in Act. theol. Tubing. t. 52 p. 502 sq. contra assertiones ab *Hinschius* propugnatas; *Hollweck* l. c. p. 288 sq. 294 sq.

(273) Cfr. c. 15, 16 Conc. Nicaen. (a. 325) et *Hefele* l. c. t. I p. 419 sq.; *Thomassin*. l. c. P. II lib. 1 cap. 9; Novell. 3 cap. 1 et Novell. 6 cap. 8 agitur de numero clericor. in magna Ecclesia Constantinopolitana.

(274) Cap. 54 X, de elect. I 6; cap. 4 X, de praeb. III 5; cap. 30 X, de iure patron. III 38.

(275) Cfr. c. 2 D. 70; *Phillips* l. c. § 57 p. 602 sq.; *Many* l. c. n. 134.

saria vitae percipiat, in **diaconum** *vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia clericalis militiae assignet, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere* ».

Innocentius III (a. 1198) non solum statuta sui praedecessoris Alexandri III innovavit, sed etiam legem de necessitate tituli visus est (276) ad ordines *infra diaconatum* extendere. Cfr. cap. 16 X. de praeb. III 5. Quae extensio praeeunte ipsa Ecclesia Romana (277) in praxi *ultra subdiaconatum* non est facta. Cum enim ex illo tempore subdiaconatus ordinibus maioribus fuerit adnumeratus, facile intelligitur, cur sine titulo non potuerit recipi.

At ultima verba cit. can. Concilii Lateranensis III cum haud obscure titulum patrimonii (278) comprehendant, paulatim tam amplam interpretationem nacta sunt, ut ordinationes quasi *absolutae* denuo invaluerint (279).

Hisce abusibus medelam afferre studuerunt Patres Tridentini suis decretis in Sess. XXI cap. 2 de ref. et Sess. XXIII c. 16 de ref. publicatis, quae S. C. C. non paucis declarationibus interpretata est (280). Postea Pius V Constit. « *Romanus Pontifex* » 14 Oct. 1568 titulos ordinationis regularium novis sanctionibus constituit. Gregorius XIII a. 1579 antiquioribus *titulis ordinationis* adiunxit pro collegio anglico *titulum missionis* (281). Cum non levis esset

(276) At revera Innocentius III tantum legem dat *de subdiaconatu*. Cfr. *Santi* h. t. 11 n. 43; *Phillips* l. c. p. 606.

(277) Innocentius IV l. c. in cap. 2 X, de praeb. III 5; « *Sed Romana Ecclesia non cogit provideri nisi constitutis in sacris* »; *Goffred. de Trano* Summa lib. III tit. 5 n. 14; *Stephan. Tornac.* († a. 1203) in epist. 194 ad Papam (Migne, P. L. CCXI 476 sq.).

(278) Cap. 23 X (Innoc. III a. 1208) de praeb. III 5; c. 6 Conc. Biter (a. 1233); *Hostiensis*, Summa lib. III tit. 5 n. 3; *Gasparri* l. c. n. 591.

(279) *Card. Bellarm.* apud *Riganti* l. c. § 5 n. 113; *Thomassin.* l. c. n. 5; *Scherer* l. c. p. 363 V.

(280) *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI cap. 2 n. 9 sq. 14 sq.; *Phillips* l. c. p. 610 sq.; ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 112 sq.; *Lingen et Reuss*, Causae select. S. C. C. p. 8 sq. Quodsi Concilium Tridentinum Sess. XXIII cap. 16 de ref. statuit, ut clerici ordinatione determinatis ecclesiis adscriberentur, ubi suis fungerentur muneribus, huiusmodi adscriptio non est titulus ordinationis, imo ex disciplina vigente iamdiu in plerisque dioecesibus et in ipsa alma Urbe non fuit recepta. Cuius disciplinae ratio est sine dubio educatio cleri in seminariis, in quibus adscriptio clericorum menti Patrum Tridentinorum summopere conformis habetur. Cfr. *Benedict. XIV* l. c. n. 9; *Gasparri* l. c. n. 582 sq.

(281) Qui titulus ordinationis postea ad alia quoque collegia pontificia fuit

difficultas inveniendi titulos iure communi requisitos, in compluribus regionibus consuetudo obtinuit, ut Superiores ecclesiastici solo *titulo mensae* (282) vel similibus supplementis (283) veri tituli in ordinatione subdiaconorum essent contenti. Hinc postquam Pius IX in Const. « *Apost. Sed.* » poenas iuris antiqui partim confirmavit partim limitavit atque interdum etiam auxit (284) pro Concilio Vaticano schema (285) de titulis ordinationis fuerat concinnatum, in quo salvis principiis iuris antiqui rigor est emollitus et titulus quidam *servitii dioecesani* approbatus.

225. Disciplina vigens ex iure Codicis. *Nunc in Ecclesia*, sicut ante publicationem codicis, quatuor sunt tituli (286) ordinationis iure communi probati et ante ordinationem *subdiaconi* ab Archidiacono publicandi, e quibus tres priores potissimum clero *saeculari* proprii sunt, quartus vero solis *regularibus* reservatus est. — Qui tituli pro clero saeculari requisiti debent esse vere securi pro tota ordinati vita, et vere sufficientes ad congruam eiusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas (can. 979).

I. **Titulus proprius et ordinarius** (287) praesertim clericorum *saecularium* est *titulus beneficii* ecclesiastici (288). Is in eo consi-

---

extensus v. g. a. 1584 ad collegium germanic. et hung. et ab Urban. VIII. Const. « *Ad uberes* » 18 Maii 1638 ad omnia collegia S. C. de Prop. F. subiecta. Cfr. ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 116.

(282) *Titulus mensae*, qui paulatim ex saec. 16 videtur esse in praxi receptus (cfr. Arch. f. k. K. t. III p. 270), nequaquam illico in Curia Romana approbatus est. Etenim S. C. C. in caus. Florent. 28 Iun. 1704 titulum mensae vel ab ipso Imperatore concessum ad ordinationem non sufficere declaravit. Cfr. ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 116 n. 32. At in recentioribus *concordatis* (cfr. *Nussi* l. c. p. 93) et Concil. provinc. v. g. Viennensi a. 18.8. (Collect. Lac. t. V col. 173) titulus mensae legitimus habitus est.

(283) V. g. titulus *servitii dioecesani* (qui nititur promissione sese mancipandi servitio dioecesis), *seminarii*, *mensae communis*, *administrationis*. Cfr. de privilegio iam ab Eugenio IV Ecclesiae Metropolitanae in civitate Florentina concesso: Conc. Trid. ed. *Richt.* p. 116 n. 33; de praxi Mexicana a S. C. C. 21 Iun. 1879 approbata in Act. S. Sed. vol. XII p. 569 sq.; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 582; *Scherer* l. c. p. 364.

(284) *Bucceroni*, Commentar. de Const. « *Apost. Sed.* » n. 97, 99.

(285) *Martin*, Collectio docum. Conc. Vatic. p. 144.

(286) *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 52 sq.; *Pirhing* h. t. 11 n. 68 sq.; *Many* l. c. n. 135 sq.

(287) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref. iunct. cap. 4, 16 X. de praeb. III 5.

(288) Cfr. Conc. Trid. l. c.; *Many* l. c. n. 136 sq.

stit, ut clericus, promovendus ad sacrum subdiaconatus (289) ordinem, pacifice possideat (290) *verum, certum, perpetuum beneficium ecclesiasticum* (291), quod sibi iuxta taxam synodalem vel regionis morem vel statutam ab Ordinario normam (292) ad honestam sustentationem sufficiat (293). Quare licet quis in poenam sui delicti forma canonica servata etiam *beneficio tituli* ordinationis privari possit ad normam can. 2303, 2304 iunct. can. 2299, § 3, (Cfr. S. C. C. in caus. Null. Quastallae 31 Iul. 28 Aug, 1660, in caus. Firman. 30 Maii 1665, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 113), tamen eidem beneficio resignare non potest, nisi forma legitima accurate servata et subrogato novo titulo ordinationis in locum beneficii resignati (can. 1485). Cfr. S. C. C. in caus. Lancianen. 9 Febr. 1726, l. c. p. 113. — Sunt quoque in hac re attendendi canones 1484 et 980, § 1.

II. **Tituli subsidiarii** ordinationis, ob quos quis tantum in casu *necessitatis* vel *utilitatis* Ecclesiae secundum prudens iudicium

(289) Cap. 16 X. de praeb. III 5; Conc. Trid. l. c.; Pontif. Rom. P. I. De ord. subdiac. Iure tantum particulari ad ordines subdiaconatu inferiores titulus quidam vel cautio requirebatur. Cfr. de praxi Romana (nunc antiquata) exigendi pro prima tonsura aliquem titulum: *Honorante* l. c. p. 5 et mandatum Clement. XI 25 Febr. 1718; de *antiqua* disciplina regni utriusque Siciliae et Sardiniae: Conc. prov. Neapolit. (a. 1699) in Collect. Lac. t. I col. 189 sq.; *Nussi* l. c. p. 87, 90, 91; de praxi in insula Milevitana etiam nunc, ut videtur, vigente: Pii VI Const. « *Ea semper* » 25 Iun. 1777; S. C. C. in caus. Milevit. 9 Aug. 1890; *Gasparri* l. c. n. 593.

(290) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref.; *Pirhing* l. c. n. 71; *Riganti* l. c. n. 71 cum decis. S. C. C. in caus. Vincent. 26 Sept. 1623.

(291) Quare beneficium *manuale* ad nutum revocabile, capellania vel vicaria temporanea vel similes reditus incerti non sufficiunt ad constituendum titulum beneficii, nisi accedat dispensatio, aut collator vel patronus beneficii manualis sese *legaliter obliget non utendi* iure suo *revocationis, donec* ordinatus verum beneficium aut aliud sufficiens patrimonium sacrum acquirat. Cfr. declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 113, 193; *Riganti* l. c. n. 32 sq.; *Pirhing* l. c. n. 69; *Scherer* l. c. p. 362; Act. S. Sed. vol. V p. 113 sq.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 14 sq.

(292) In beneficio *residentiali* non attenditur taxa synodalis *loci* domicilii clerici ordinati, sed *loci beneficii*, ut constat ex declar. S. C. C. in caus. Rom. 27 Maii 1713 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 112. Cfr. de computandis oneribus Missarum beneficio forte adiectis: S. C. C. in caus. Arimin. 17 Iul. 1723 in ed *Richt.* Conc. Trid. p. 113; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII cap. 9 n. 3 sq.; *Riganti* l. c. n. 49 sq.; *Honorante* l. c. p. 36 sq. de praxi Romana; *Gasparri* l. c. n. 599.

(293) Cap. 4, 16 X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref.; *Pirhing* l. c. n. 70.

Episcopi, non v. g. propter solum solatium parentum ad sacros ordines promoveri potest, sunt *patrimonium* vel *pensio* (294).

Et **titulus** quidem **patrimonii** sunt bona propria ipsius clerici ordinandi *legitime* acquisita (295), *sufficientia* ad congruam sustentationem iuxta taxam synodalem vel probatam regionis consuetudinem aut statutam ab Ordinario normam, *certa* (296), *immobilia* vel saltem ita *secura*, ut immobilibus aequiparentur (297). Praeterea *libera* sint oportet ab omni hypotheca, *vere frugifera, firma* et *stabilia* sive vinculata, ut ab ordinato clerico sine licentia Episcopi valide alienari non possint, donec is beneficium ecclesiasticum ad congruam sustentationem sufficiens sit adeptus vel aliunde habeat bona, quibus honeste sustentari possit (298).

Titulus vero **pensionis** est census quidam aut fructibus beneficii ecclesiastici (299) vel aliis bonis ecclesiasticis impositus aut per ecclesiasticam vel laicam personam singularem vel communitatem praestandus, sed super bonis immobilibus vel aliis bonis iisdem quoad securitatem aequiparatis v. g. obligationibus Status fundatus sit oportet (300). *Conditiones,* quae de titulo patrimonii tanquam necessariae supra fuerunt expositae, etiam in titulo pensionis requiruntur. Quare cum titulus ad promotionem in sacris ordinibus ex iure communi et generali requiratur, Episcopi super

(294) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref. iunct. Innoc. XI Litt. encycl. per S. C. C. 13 Maii 1679 ad omnes Episcopos missis et decis. S. C. C. 9 Sept. 1789. Cfr. *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. II sect. 55; *Many* l. c. n. 138 sq.

(295) Hinc bona illa quamvis dicantur patrimonium sacrum, tamen in verum dominium *Ecclesiae* non transeunt, sed remanent in dominio *privato clerici* ordinati, vinculata tamen. Cfr. *Riganti* l. c. n. 132 sq.; *Benedict. XIV*, Inst. eccles. 26.

(296) Fructus igitur propriae industriae, titulus litteraturae vel doctoris theologiae vel iuris canonici (S. C. C. 23 Maii 1609) legitimum patrimonium sacrum non constituunt. Cfr. S. C. C. in caus. Segunt. 1589; *Benedict. XIV* l. c.

(297) Pii V Const. « *Cum onus* » 19 Ian. 1569; S. C. C. 2 Mart. 1861 in Act. S. Sed. vol. I p. 344 sq.; S. C. C. in caus. Sipont. 29 Nov. 1690 in ed. *Richt.* Con. Trid. p. 114; *Benedict. XIV* l. c.

(298) Conc. Trid. l. c.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII cap. 9 n. 1.

(299) S. C. C. 4 Sept. 1869 in Act. S. Sed. vol. V p. 113 sq.; *Many* l. c. n. 142, ubi tamen hunc titulum nimis restringit ad solam pensionem *canonicam* i. e. fundatam super bonis ecclesiasticis neque extendit ad pensionem *civilem*; at cum lex Tridentina non distinguat et simpliciter exigat pensionem, huiusmodi limitatio ad solam pensionem canonicam non habet fundamentum.

(300) S. C. C. in caus. Toletan. 2 Oct. 1707 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 114; *Schmalzgr.* l. c. n. 57; *Saegmueller* l. c. p. 177.

titulo *dispensare* nequeunt, nisi indultum habeant apostolicum salvo praescripto can. 981; secus in casibus particularibus a Sede Apostolica v. g. a S. C. C. dispensatio est petenda. Quibus in indultis vel dispensationibus accurate standum est clausulis rescriptorum.

Quodsi *Episcopus* aliquem clericum *sine titulo* ad sacros ordines illegitime promoveat aut promoveri permittat ipse eiusque successores teneatur *necessaria vitae subsidia* egenti clerico ordinato subministrare, quamdiu ipsi aliter provisum non sit (can. 980, § 1) (301). Quare obligatio ex iuris dispositione tanquam onus reale mensae episcopalis etiam in ipsos successores Episcopi culpabiliter ordinantis transit (302). Quodsi Episcopus aliquem ordinaverit absque titulo canonico *cum pacto*, ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, tale pactum omni vi caret (can. 980, § 2) (303). Ordinatus vero sine titulo ex disciplina nunc vigente (304) nullam incurrit poenam. Multoque minus ordinatus in *suspensionem* proprie dictam ipso iure incidit, si titulum ordinationis legitime constitutum *inculpabiliter* amittat (305); sed obligatione tenetur alium sibi titulum quaerendi, nisi, iudicio Episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit (can. 980, § 1).

III. **Titulus ordinarius,** quo clerici **regulares** (306) ad sacros ordines promoventur, est *titulus* monasterii sive religionis vel pro-

(301) Cap. 2, 4, 16, 23 X, de praeb. III 5; cap. 37 de praeb. III 4 in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 69; *Pirhing* h. t. 11 n. 110, 111; *Gasparri* l. c. n. 610 sq.; *Kober*, D. Suspens. p. 219; *Hollweck* l. c. p. 288 sq.

(302) Cap. 16 X, de praeb.; *Pirhing* l. c. n. 110.

(303) Iure praecedenti incurrebat suspensionem per triennium a collatione ordinum. Cfr. cap. 45 X. de simon. V 3 iunct. Pii IX. Const. « *Apost. Sed.* »; *Bucceroni*, Comment. de Const. *Apost. Sed.* n. 97, 99, 103.

(304) De iure praecedenti Innocentius III cap. 16 X. de praeb. III 5 poenam irritationis ordinis sacri sine titulo suscepti i. e. suspensionem abrogavit; Concilium vero Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref. nonnisi in genere antiquorum canonum poenas innovavit. Nihilominus S. C. C. 27 Nov. 1610 tenuit fraudulenter ordinatum absque titulo esse ipso iure suspensum. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. 11 n. 70. Eandem sententiam rigidiorem etiam quoad *ordinatum* iam adoptaverat Sixtus V Const. « *Sanctum* » 5 Ian. 1589 §§ 2, 3, cuius severitatem Clemens VIII Const. « *Romanum Pontificem* » 28 Feb. 1596 ad tramites iuris communis reduxit. Cfr. *Scherer* l. c. p. 367 sq.; *Bucceroni* l. c. n. 97, 39; *Hinschius* l. c. t. V p. 856 sq.; *Hollweck* l. c. p. 294 sq.

(305) Cfr. S. C. C. 8 Iul. 1876 in Act. S. Sed. vol. X p. 173 sq.

(306) Cuius tituli vestigia iam reperiuntur c. 6 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 1 D. 70. At neque in iure Decretalium (cfr. cap. 1 § 8 de stat. monach. III 10) neque in ipso Conc. Trid. Sess. XXI cap. 2 de ref. quidquam expresse

fessionis religiosae sive *paupertatis*. Quo titulo ii soli viri religiosi ad *subdiaconatum* promoveri possunt, qui in vero ordine religioso *solemnem* professionem emiserunt (307), nisi ille titulus ex speciali *privilegio* Sedis Apostolicae etiam ad professos votorum *simplicium* in ordinibus vel congregationibus religiosis fuerit extensus: imo huiusmodi professi votorum simplicium in ordinibus religiosis nec promoveri possunt ad ordines maiores (can. 964, 2°) (308). Multo magis igitur a titulo paupertatis exclusi sunt *novitii*, qui a fortiore ad ordines maiores durante novitiatu promoveri non possunt.

Congregationibus votorum simplicium alia ratione in novo iure provisum est; nam pro religiosis votorum simplicium *perpetuorum* admittitur titulus *mensae communis*, *Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum. Hi sicut perpetuo vinculo sunt devincti Congregationi, in qua vota *perpetua* nuncuparunt, ita inde habent ius ut ex mensa communi seu ex bonis religionis alantur, qui est finis tituli canonici (can. 982, § 2) (309). At ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, *iure saecularium* reguntur (can. cit. § 3).

226. Tituli suppletorii. Cum *finis* legis ecclesiasticae de titulo ordinationis sit spectandus, qui variis modis diversisque formis potest obtineri, neque miracula sint temere exspectanda, vel servili quadam ratione subsidia a guberniis imploranda, praeter varia sup-

---

de titulo ordinationis *regularium* statuitur. Mansit igitur ius antiquum, vi cuius regulares ipsa professione religiosa et vita communi sufficienter videbantur provisi de honesta et perpetua sustentatione. Cum autem plures sibi vindicarent illum *favorem*, qui nonnisi *extrinseca* quadam *specie* statum religiosum amplexi erant, Pius V Const. « *Romanus Pontifex* » 14 Oct. 1568, prima vice universum hoc negotium *lege scripta* accuratius ordinavit.

(307) Pii V cit. Const. « *Rom. Pontifex* »; Pii IX declar. 12 Iun. 1858.

(308) Huiusmodi privilegium Societati Iesu pro clericis professis votorum simplicium est concessum. Cfr. Gregor. XIII Const. « *Ex Sed. Apostolicae* » 28 Febr. 1573. Aliae quoque congregationes religiosae similia privilegia consecutae sunt. V. g. congr. SS. Redempt. ex Leonis XII Const. « *Inter religiosas* » 11 Mart. 1828 suos clericos professos votis simplicibus tantum obstrictos « *titulo mensae communis* » ad sacros ordines promovere potuit. Cfr. de aliis exemplis Alexand. VII Const. « *Sacrosanti* » 26 Sept. 1659; Benedict. XIV Const. « *Aequa* » 5 Apr. 1744; *Riganti* l. c. § 5 n. 14 sq.

(309) Cum hac concessione novi iuris communis coniungitur, ut ad normam praecedentis decr. « *Auctis admodum* », 4 Nov. 1892 severius agatur cum religiosis dimissis si in ordine sacro sint constituti. Cfr. can. 641, 671.

plementa (310) titulorum iure communi approbatorum Episcopi in Conciliis provincialibus congregati (311), clerus populusque fidelis partim erectione domorum pro emeritis sacerdotibus partim fundationibus et associationibus dioecesanis ipsi manum operi admoverunt, ut sacerdotibus pauperibus vel aegrotis vel inhabilibus ferrent subsidium.

Tituli illi suppletorii variis concessionibus praeformati (cfr. notam 310) in Codice admissi sunt et ita facti sunt iuris communis in aliorum defectu. Ita in can. 981, § 1: « Si ne unus quidem ex (praemissis) titulis praesto sit, *suppleri* potest titulo *servitii dioecesis*, et, in locis S. C. de Prop. Fide subiectis, titulo missionis, ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate ». — Qua ratione tale servitium dioecesanum sit titulus canonicus sustentationis explicatur cit. canone 981, § 2: « Ordinarius presbytero, quem promoverit titulo servitii ecclesiae vel missionis, debet beneficium vel officium vel subsidium, ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens, conferre ». — Quodsi haec obligatio imponitur erga *presbyterum* tali titulo promotum, non ideo titulus suppletorius inservit pro solo presbyteratu, sed iam

(310) In regionibus praesertim S. C. de Prop. Fide subiectis velut in Anglia, Hibernia, America septentrionali vices tituli ordinationis iure communi probati subiit *titulus missionis*, qui inde pro illis regionibus factus est titulus suppletorius. Cfr. Collect. Lac. t. III col. 152, 153, 385, 964; Arch. f. k. K. t. 22 p. 128 t. 55 p. 195; *Putzer* l. c. n. 211; *Many* l. c. n. 144 sq. In *Germania* frequenter occurrebat *titulus mensae*, consistebat in promissione munita cautione tertiae personae sive publicae sive privatae, ecclesiasticae vel laicae clerico ad sacros ordines promoto certam sustentationem honestam *tum* praestandi, *cum* ad officia ecclesiastica obeunda ordinarie *citra culpam* inhabilis factus esset. Cfr. Arch. f. k. K. t. 3 p. 257 sq.; *Scherer* l. c. p. 364 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 176, 178 sq. In *Hungaria* contenti erant titulo servitii *dioecesani*. Cfr. Collect. Lac. t. V col. 686. Pariter in *Gallia* titulus obedientiae sive promissionis servitii dioecesani admittebatur. Cfr. Collect. Lac. t. IV col. 1189 et indic. v. Ordinatio II 18, 19, 20 iunct. *Craisson*, Manuale iur. can. t. II p. 249; *Many* l. c. n. 146 sq. Pro republica Mexicana titulus *administrationis* approbatus est. Cfr. Act. S. Sed. vol. XII p. 569 sq. ubi hic titulus ita describitur: « est destinatio ordinandi ad munia ecclesiastica, ubi Episcopo videbitur, obeunda cum iure ad pensionem congruentem pro sustentatione ex fidelium oblationibus recipiendam, dummodo ex sua culpa inhabilis ad illa officia non reddatur ». Cfr. quoque ibid. pag. 576, not. 2 varias concessiones in hac materia factas. *Gasparri* l. c. n. 614, 609. — In Ecclesia orientali generatim retinent titulos c. 6 Conc. Chalced. (a. 451).

(311) Collect. Lac. t. IV col. 436 et indic. v. Sacerdotes.

subdiaconus tali titulo promoveri potest, nam is interim sustentatur sicut ceteri in Seminario studiis vacantes.

Dispensatio a titulo pro ordinibus recipiendis a S. C. de Sacr. est obtinenda; pro constitutis in sacro presbyteratus ordine a S. C. C. (S. C. Cons. 27 Febr. 1903).

CAPUT IV

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS SUBIECTI SACRAE ORDINATIONIS

(In Decret. lib. I, tit. 11, 17, 21, incl.; lib. V, tit. 37 de poen., tit. 3 sq. 12, 14, 25, 27, 28, 29, 30).

227. Fontes: Decret. Grat. D. 55, 54, 51 et 53, 49 et 55, 26, 27, 33, 34 et C. XXVIII, q. 3. — Cpl. I, lib. I, tit. 9 seq.; cpl. II, l. I, tit. 9 sq.; cpl. III, l. I, tit. 13 sq.; cpl. IV, l. I, tit. 9 sq.; cpl. V, l. I, tit. 9 sq. — Decretal. Greg. IX, l. c.; Decretal. Bonif. VIII, lib. I, tit. 11, 12. — Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 15 de ref., Sess. XXIII, cap. 17 de ref. — Decretal. Clement. P. VIII, ed. *Sentis* p. 15, sq. 23 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1163 sq.; Caus. select. S. C. C. ed. *Lingen* et *Reuss* p. 17 sq.; Act. S. Sed. in ind. v. Irregularitas. — Conc. Remens. (a. 1857) in Collect. Lac. t. IV, col. 218 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 155 sq.; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 141 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. — *Paucapalea* et *Steph. Tornac.* in Summ. cit. — *S. Raymund.*, Summa l. III, tit. I. sq. — *Zech*, Hierarch. eccl. tit. 2, de irregular. §§ 10 sq.; *Devoti*, Inst. canon. l. I, tit. 7; *Pillips* l. c. §§ 46 sq.; *Scherer* l. c. t. I, p. 335 sq.; *Hinschius* l. c. t. I, p. 7 sq. — *Borghasius*, De irregularitatib.; *Maiolus*, De irregularitatib.; *Ugolinus*, De irregularitatib.; *Suarez*, De censuris... itemque de irregularitate disp. 40 sq.; *Gibalinus*, De irregularitatib.; *Ferraris* l. c. v. irregularitas; *Boenninghausen*, De irregularitat.; *Gasparri* l. c. n. 155 sq.; *Lega*, De iud. eccl. t. III, p. 275 sq. — *Thomassin.* l. c. P. II, l. 1. cap. 56 sq. (312) *Hallier* l. c. P. II, sect. 1; *Richest*, D. Anfaenze d. Irregularit.; *Hilarius a Sexten*, De censuris eccl. et irregularitatib. p. 225 sq.

(312) De hac materia utiliter etiam moralistae consuluntur v. g. *S. Alphons.*, Theolog. moral. l. VII cap. 5; *Bucceroni*, Instit. theol. moral. vol. II p. 406 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II n. 1002 sq.; *D'Annibale*, Summula theol. moral. P. I. n. 399 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theolog. morale t. VII, n. 402 sq.

Praenotiones

Post explicationem qualitatum positivarum, quae in ordinandis requiruntur, compluribus titulis lib. I iuris Decr. facile sub una rubrica: « *De irregularitatibus aliisque impedimentis* » comprehendendis (313), proponuntur illa specialia impedimenta, quae saltem ratione *defectus licitae* ordinationi promovendi clerici obstant. A qua disputatione etiam inquisitio de irregularitatibus *in genere* et de particularibus irregularitatibus ex *delicto* non videbatur separanda aut ad quintum librum remittenda. Proprius enim locus disputandi de irregularitatibus et impedimentis sacrae ordinationis est vel tractatio de hierarchia ordinis vel de ordinis sacramento, quod ab irregulari non licet recipi. Prima vice in Codice irregularitates omnes sub unica rubrica simul propositae sunt simul cum impedimentis canonicis, et tractatio posita est sub sacramento ordinis.

Art. 1. - *De irregularitatibus universim spectatis*

I. - De notione, divisione, origine irregularitatum

228. I. Definitio. Irregularitas est impedimentum canonicum ex se directe ac primario *prohibens* acceptionem ordinum ecclesiasticorum et consequenter etiam usum eorum (314).

Quare irregularitas est in genere *impedimenti*, quod neque *culpam necessario* supponit neque essentialiter et semper rationem

(313) *Zollinger* l. c. l. I tit. 23-28 incl. l. V tit 23-31 quos veluti sub una rubrica et per modum unius tituli explicat.

(314) Ita optime *Suarez* l. c. disp. 40 sect. 1 definit irregularitatem *in genere*, ut recte notat *D'Annibale*, Summula P. I, n. 399 not. 2; *Schmalzgr.* l. c. l. V tit. 37 n. 60 sq.; *Lega* l. c. p. 276, 282 not. 1. *Gasparri* l. c. n. 157, 167, non pauca in definitionem irregularitatis inseruit quae aliis visa sunt superflua aut controversa communique usu non recepta. Qua in definitione irregularitatis sensu stricto et sensu lato et in enumeratione irregularitatum similis quaedam adfuit discrepantia doctorum atque in definiendis et dividendis et enumerandis impedimentis *matrimonii prohibentibus*. Cfr. v. g. *Gasparri*, De matrim. n. 247 sq. 433; *Van de Burgt*, De matrim. n. 285 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 156 sq., ubi enumerantur *sex* irregularitates ex *delicto* et deinde *octo* ex *defectu*, inter quas refertur etiam irregularitas ex defectu *aetatis* certe non perpetua.

poenae vindicativae habet (315) (cfr. cap. 1 § 1 in med. de privil. V. 7 in Extravg. com.) sed *principaliter ob reverentiam* et *dignitatem divini ministerii* est introductum ut viri ad ministerium sacrum *rite et convenienter* obeundum inepti a susceptione et exercitio ordinum arceantur. Porro *canonicum* vocatur impedimentum, non solum ut excludantur omnes usurpationes potestatis *civilis* statuendi impedimenta sacrae ordinationis, sed etiam illae prohibitiones, quae nituntur *solo iure divino* naturali et positivo atque aliquem possunt reddere *indignum* vel ineptum, sed non *irregularem*, nisi saltem *etiam* prohibitio *legis positivae Ecclesiae accedat* (316). Denique si irregularitas dicitur impedimentum, intelligitur prohibitio *personalis*, quae afficit *statum personae* eamque sequitur ut umbra, non quaelibet alia prohibitio, quae ordinationem quandam reddit illicitam ob causam ab illa *inhabilitate personae* prorsus distinctam v. g. propter neglectum legitimi temporis vel loci.

Prohibens vero impedimentum est irregularitas, non *dirimens*. Nam Ecclesia suis legibus prohibentibus ordines *hierarchicos* tantum illicitos, non invalidos efficere *potest*, primam autem tonsuram et ordines infra diaconatum certe *de facto* non irritat in irregulari, licet de iure irritare *possit* (317). Quare verae *incapacitates* vel inhabilitates irregularitatibus non adnumerantur.

Aliis verbis definitionis « *ex se directe et primario* » indicatur scopus *directus* et *principalis* irregularitatis, qui consistit in exclusione a suscipiendis ordinibus ecclesiasticis *etiam a gradu primae tonsurae*, non ab acquirendo gradu in hierarchia *iurisdictionis* vel a *beneficio ecclesiastico* (318).

Quare irregularitas *differt* ab *excommunicatione*, quae *directe* privat *communicatione* fidelium, a *suspensione* etiam perpetua, quae

(315) At nihil ex natura rei obstat, quominus irregularitates quaedam secundaria et accessoria ratione simul sint *poenae* vindicativae. Cfr. *Suarez* l. c. n. 2. – Novo tamen iure Codicis, licet dentur etiam irregularitates *ex delicto ortae*, tamen ipsa irregularitas in catalogo poenarum inter poenas vigentes non adnumeratur.

(316) Cap. 18 de sent. exc. V, 11 in Sext.; *Schmalzgr.* l. c. n. 67; *Suarez* l. c. sect. 2 n. 3, 4.

(317) *Suarez* l. c. sect. 2 n. 1; *Schmalzgr.* l. c. n. 90; *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 170; *Ballerini-Palmieri*, Opus morale, t. VII, sac. 403.

(318) Cap. 2 X. de cleric. non ord. V, 28; *Suarez* l. c. sect. 1 n. 5 sq. sect. 2 n. 15 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 68; *Gasparri* l. c. n. 167; *Lega* l. c. p. 276 not. 1 p. 280 sq.

directe aufert *exercitium susceptorum* ordinum, ab *interdicto,* quod privat *divinis officiis,* a *degradatione* (319), quae de se non tantum *usu* ordinum susceptorum privat, sed etiam *ipsos ordines* et potestatem ordinis ipsamque primam tonsuram saltem *iuridice* atque *morali* quadam aestimatione tollit Id, quod fit per *sententiam iudicialem* ab *homine* latam, cum irregularitas semper ipso *facto* sive *iure* incurratur, salva tamen auctoritate Romani Pontificis (320). Insuper omnes illi quatuor actus modo enumerati essentialiter sunt *poenae* sive vindicativae sive medicinales, unde denuo essentialiter ab irregularitate differunt, ut patet ex praecedentibus.

Denique verbo « *consequenter* » insinuatur effectus *secundarius* et *indirectus,* qui ex natura rei sequitur ex effectu primario. Nam optimo iure quis prohibetur ab *exercendo* ordine iam suscepto, quem suscipere impeditur. Quae prohibitio usus ordinis suscepti ad ordines *minores* hodie non extenditur, quatenus functiones ordinum minorum secundum disciplinam nunc vigentem pro more laicorum, *non ex officio* et *solemniter* exercentur (321).

229. II. **Divisio.** Prima et praecipua divisio est illa, quae sistitur ipsa rubrica Codicis, ubi sermo est de *irregularitatibus* aliisque *impedimentis.* Profecto sub nomine impedimenti non intelliguntur enumerari omnia quae *impediunt* ordinationem etiamsi agatur de solo iure ecclesiastico, si praeter irregularitates dicuntur haberi *impedimenta* sacrae ordinationis; multa enim impediunt ordinationem, quae non recensentur in catalogo impedimentorum; quin imo in hac re non habetur discrimen inter irregularitates et impedimenta, et illae et haec ordinationem impediunt. — Voluit tamen legislator inter irregularitates, quae satis communiter licet non sine aliqua controversia iure praecedenti admittebantur, facere hanc distinctionem, applicando nomen irregularitatis *impedimentis perpetuis,* et relinquendo appellationem impedimenti simplicis impedimentis *temporaneis.* Tandem est illa divisio quam iure praecedenti adhibebant auctores, dividendo irregularitatem in *perpetuam* quae sola dispensatione tol-

(319) *Schmalzgr.* l. c. n. 69; *Gasparri* l. c. n. 175 sq.
(320) *Gasparri* l. c. n. 164; *Boenningh.* l. c. p. 5 sq.; *Scherer* l. c. p. 337.
(321) *Suarez* l. c. sect. 2 n. 8 sq.; cap 2 X. de cleric. pugn. V 14. « *Nec praedictus sacerdos... debet in sacris ordinibus ministrare* »; *Gasparri* l. c. n. 150 sq. 171.

leretur, et *temporalem* quae ipso lapsu temporis cessaret; hanc ultimam vult legislator ut dicatur *impedimentum* (non irregularitas), cui terminologiae Codicis debent sese accommodare omnes (confer can. 983) (322).

Praeterea irregularitas dividitur (323): *a) Ratione causae proximae* in irregularitatem ex *defectu* et in irregularitatem ex *delicto.* Illa statuta est a iure canonico propter solum defectum sive innoxium sive aliquo modo culpabilem, quo exercitium sacri ministerii ita impeditur, ut saltem cum debita decentia fieri non possit v. g. ob infamiam iuris. Altera irregularitas ordinarie inducitur non ex delicto *alieno,* sed ex vero certoque *peccato personali, mortali,* externo et *opere consummato,* etiam *occulto,* propter quod lex ecclesiastica aliquem *primario* tanquam inhabilem ob *decentiam sacri ministerii, secundario* vero in *poenam vindicativam* delicti ab ordinibus suscipiendis aut ab exercitio ordinum susceptorum prohibet (324). In *poenam,* inquam, secundaria ratione; quia irregularitates ex delicto in iure tractantur perinde ac si essent vere poena.

b) Ratione extensionis in *totalem,* qua quis ab ipso statu clericali omnibusque ordinibus suscipiendis susceptisque exercendis arcetur, et in *partialem,* quae tantum privat ascensu ad superiores

(322) Difficultas in iure praecedenti partim proveniebat ex eo quod irregularitates omnes non essent enumeratae sub unica rubrica, sed sparsae in variis titulis et colletionibus atque ad probandas nonnullas irregularitates communiter admissas allegabantur fontes iuris particularis v. g. ex Decreto Gratiani; partim vero, cum irregularitas sit impedimentum canonicum *mere prohibens,* non irritans ordinationem, ex natura rei difficile erat distinguere irregularitatem *ab alio impedimento* seu *prohibitione,* etiamsi haberetur ratio illius obiectivae indecentiae quam irregularitas dicitur importare. Quae obiectiva indecentia *aliqua ratione* est fundamentum cuiuslibet prohibitionis ordinem recipiendi aut exercendi per legem impositae, et potest habere gradus nec in omnibus et singulis casibus facile erat definire, an esset talis ut inde esset asserenda irregularitas.
Ad eliminandas omnes iuris praecedentis controversias, legislator, ut par erat, voluit facere enumerationem taxativam; deinde iis impedimentis quae essent *perpetua* reservavit nomen *irregularitatis,* relicta pro *temporaneis* appellatione *impedimenti.*
(323) *Suarez* l. c. sect. 3; *Lega* l. c. p. 187.
(324) Cap. 14 X. de purg. can. V, 34; *Suarez,* de leg. l. V, cap. 19 n. 10; *Lega* l. c. p. 277; *Hollweck,* D. k. Strafg. §§ 70 sq.; *Hofmann* in Act. theol. t. 22 p. 703; *Putzer* l. c. n. 102; *Bucceroni,* Instit. theolog. moral. vol. II, p. 408; *Lehmkuhl,* Theolog. moral. vol. II p. 103; *Gasparri* l. c. n. 178 sq.; *D'Annibale,* Summula P. I. n. 409, 412. (Cfr. infra h. tom. IV, ubi agitur de irregularitate ex haeresi vel homicidio).

ordines relicto exercitio totali vel saltem partiali ordinum iam receptorum.

c) Ratione notitiae in *occultas* et *publicas*, quae praesertim maximi momenti est (v. g. quoad dispensationes); in irregularitatibus ex delicto contractis partim in *utroque* foro tum externo tum interno partim in solo foro *interno* partim in solo foro *externo*, v. g. si iudex tulit falsam sententiam de homicidio patrato. Et *publica* quidem irregularitas habenda est non solum illa, quae *de facto compluribus* est nota, sed etiam quae actu quidem ignoratur, sed ex documentis scriptis et publicis quandocumque probari potest. Cfr. S. C. C. in caus. Mohilov. 9 Iul. 1881. *Occulta* vero merito censetur, quae a *paucis* cognoscitur et iis in circumstantiis, ut *facile* evulgari non praevideatur. Cfr. *Hollweck* l. c. §§ 71 sq.; *Gasparri* l. c. n. 222.

230. III. Notae historicae. *a) De irregularitatibus* ex *defectu.* Irregularitates, quae in Ecclesia catholica iam pridem sunt institutae, profecto *legibus veteris testamenti* de irregularitatibus sacerdotum antiquae legis *non nituntur,* sed iisdem legibus praeformatae dici possunt (325). Nam quod naturali decentia et reverentia rebus sacris debita iam commendatur, id propter insigne exemplum ab ipso divino legislatore veteris testamenti datum facile ad multo perfectius sacerdotium novae legis fuit applicatum.

Origo irregularitatum praesertim est repetenda ex praeceptis S. Pauli Apostoli de ordinibus conferendis, quibus v. g. bigamos ab Episcopatu repellit (326). Irregularitates, quae suadente ratione naturali ipsa apostolica auctoritate fuerunt constitutae, primis iam saeculis non solum ab Ecclesia denuo sunt confirmatae (327), sed etiam novis legibus latis auctae atque accuratius circumscriptae (328).

At quamvis ius de irregularitatibus conditum evidenter sit antiquissimum, tamen proprium *artis* vocabulum « *irregularitatis* »

(325) Levit. XXI, XXII; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 541 sq.; *Richert*, Die Anfaenge d. Irregul.; *Scherer* l. c. t. I. p. 337 not. 14.
(326) I. Timoth. III 2 sq. V 22; Tit. I. 6 sq.; *Suarez* l. c. sect. 4 n. 5.
(327) Cfr. c. 17, 18, 19, Apost. et *Hefele* l. c. t. I p. 805 sq.
(328) Cfr. c. 77, 78, 79, 80, 82. Apost. et *Hefele* l. c. p. 824 sq.; c. 30. Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 2 Conc. Arelat. (a. 314); c. 8, 11, 12. Conc. Neocaesar. (a. 314-325); c. 1, 2, 9. Conc. Nicaen. (a. 325) et *Hefele* l. c. p. 377 sq. 412 sq.; c. 12 Conc. Carthag. VI (a. 401); c. 54 Conc. Tolet. IV (a. 633).

saeculo demum duodecimo occurrit (329). Ex libris virorum doctorum et ex Glossa Innocentius III verbum irregularitatis prima vice in legem ecclesiasticam inseruit (330). Exinde vox *irregularitatis* ad instar aliorum vocabulorum v. g. censurae, suspensionis in legibus ecclesiasticis et in scholis canonicis fuit recepta (331). Sed illud mirum videri potest, quod in iure Decretalium propria quaedam rubrica « *de irregularitatibus* » non reperiatur. Imo ne cum aliis quidem materiis irregularitas in aliqua rubrica expresse enuntiatur, ut fit v. g. in Sext. lib. V tit. 11 de sent. *excom., suspens. et interdicti,* sed sub diversis rubricis lib. I et lib. V iura de irregularitatibus inseruntur (332). Inde quoque non levis orta est difficultas in secernendis irregularitatibus a suspensionibus, poenis vel prohibitionibus ecclesiasticis. Cfr. v. g. *Suarez*, De cens. disp. 40 sect. 7; *Gasparri* l. c. n. 176; cap. unic. tit. 3 in Extravg. Ioann. XXII iunct. *Scherer* l. c. t. I p. 337 not. 15; *Lega* l. c. p. 282 not. 1. Quare mirum non est, quod complures auctores et praesertim *Maiolus* (Romae a. 1576) non satis distinguentes notiones *genericas* prohibitionis, poenae, suspensionis a notione *specifica* irregularitatis, nimis multas invenerint irregularitates in iure expressas. Cui exaggerationi sese praesertim opposuit *Suaresius* in classico suo opere de censuris, cuius vestigia nostra aetate quandoque nimio rigore *D'Annibale* est secutus.

Cum generatim decretis Concilii Tridentini aut subsequentibus Constitutionibus Romanorum Pontificum aut consuetudine quadam universali usque ad nostram aetatem *novae* irregularitates iuri communi (333) introductae non fuerint, universa doctrina canonica de existentia et natura et ambitu irregularitatum ex iure *antiquo* erat eruenda attentis interpretationibus authenticis postea datis (334).

(329) *Petr. Bles.* († a. 1200), Specul. iur. can. c. 56; *Bazianus* (c. 1180) in Gl. Baptismum ad c. 8. D. 50; *Boenningh.* l. c. p. 16 sq.
(330) Innocent. III in cap. 10 § 6 X. de renunt. I, 9 scr. a. 1206; cap. 33 X. de testib. II 20 scr. a. 1203.
(331) Honor. III in cap. 24 X. de homicid. V 12 scr. a. 1216-1227; Gregor. IX in cap. 10 X. de cleric. exc. V 27 scr. a. 1227-1234.
(332) Cap. 4, 5, 17 X. de temp. ord. I 11; cap. 5 X. de furt. V 18.
(333) *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII cap. 1 n. 4, quod Sixtus V, a. 1588 pro solo regno Portugalliae constituerit descendentes a Iudaeis ad ordines non esse promovendos; *Gasparri* l. c. n. 474; infra h. tit. § 2 V *de defectu fidei confirmatae.*
(334) *Suarez* l. c. sect. 4 n. 14.

Quodsi Sixtus V Const. « *Cum de omnibus* » 26 Nov. 1587 irregularitatem ex *defectu natalium* extendit, huiusmodi extensio a Gregorio XIV, Const. « *Circumspecta* » 15 Mart. 1591 fuit revocata, et ius commune antea vigens denuo restauratum (335).

b) *De irregularitatibus ex delicto* (336). Clerici ordinati et Praelati ecclesiastici cum alios fideles *sanctificare* atque *regere* in via salutis teneantur, sane imprimis ipsi sint dignissimi sacramenti ordinis receptores et proprio suo exemplo manifestent necesse est, quod postea in aliis opere complere debent. Cfr. c. 6 (S. Hieron.) D. 25; D. 49, 50. Quare iam S. Apostolus Paulus monet: « *Oportet enim Episcopum* (irreprehensibilem) *sine crimine esse* ». Cfr. Tit. I, 5 sq.; I. Timoth. III, 2 sq. 8 sq. Porro ex antiquissima Ecclesiae praxi homines criminosi ab ordinibus suscipiendis vel iam susceptis sunt repulsi (337). Quae exclusio a clero ne speciem nimii rigoris haberet, quasi Ecclesia rem moraliter impossibilem postularet, nequaquam propter unumquodque peccatum statuta est. Cfr. c. 1, (S. August.) D. 81; D. 25 P. III. Quare tantum locum habuit ob certa delicta graviora et publica et probata atque *post* baptismum et *ante* ordinationem commissa (338), licet nonnisi *post* ordinationem *cognita*. Hinc cum poenitentia publica et solemnis ob gravissima et publica delicta imponeretur (339), ex huiusmodi poenitentibus iure antiquissimo ordinarie (340) nemo ad clerum admitti

(335) Cfr. de iure ante Const. « *Sapienti consilio* »: *Benedictum XIV*, Const. « *Gravissimum* » 26 Nov. 1745, § 5, 6.

(336) *Thomassin.* l. c. p. II, lib. 1, cap. 56 sq.; *Phillips*, Kirchenrecht t. I § 54; *Gasparri* l. c. n. 320 sq.

(337) Can. Apost. 60, (61) et *Hefele* l. c. t. I p. 819; *Origenes*, Contra Cels. l. III, cap. 51 (Migne, P. G. XI 987); c. 30, 76 Conc. Illiber. (a. 300-306) et *Hefele* l. c. p. 167, 189; c. 9, 10. Conc. Neocaesar. (a. 314-325) = c. 1, c. XV, q. 8; c. 2, 9, 10. Conc. Nicaen. (c. 325) = c. 1 D. 48, c. 4 D. 81 et c. 7 D. 24, c. 5 D. 81 et c. 60 D. 50. Cfr. *Hefele* l. c. p. 379, 412 sq.; c. 22 Conc. Epaon. (a. 517) = c. 7 D. 50 et *Hefele* l. c. II p. 684.

(338) Cfr. can. cit. et c. 6 (S. Hieron.) D. 25 cum dict. Grat.; D. 50 passim.

(339) *Bloetzer* in Act. theol. Oenipont. t. XI p. 483 sq.

(340) Cfr. c. 2 Conc. Tolet. I (a. 400) = c. 68 D. 50, ubi cum aliqua limitatione in favorem ostiariorum et lectorum poenitentes ad clerum dicuntur non admittendi; maiore rigore poenitentes excluduntur ab Innocentio I († a. 417) in c. 60 D. 50 etiam ab infimis officiis clericorum. Cfr. quoque c. 4 Conc. Valent. (a. 374); Siricius (a. 385) in c. 66 D. 50; Gelasius (a. 494) in c. 59 D. 50; stat. Eccles. antiq. in c. 55 D. 50; C. 3 Conc. Arelat. IV (a. 524) = c. 2 D. 55 = cap. 1 X. de bigam. I 21.

potuit (341), atque vicissim, ut clerici criminosi poenitentiam illam publicam et solemnem peragerent ob crimina *post* clericatum patrata, non fuit concessum (342).

Qui rigor antiquae disciplinae inde praesertim ex saeculo octavo (343) non solum quoad clericos post ordinationem lapsos, sed etiam quoad promovendos poenitentes emolliri coeptus est. Nam poenitentia illa publica et solemnis paulatim abrogata est. Inter crimina vero occulta privata poenitentia luenda et inter *publica* ideoque publicae poenitentiae subiicienda illud discrimen introductum est, ut quis ob sola delicta *publica* tanquam irregularis ab ordinibus suscipiendis vel susceptis exercendis arceretur (344).

Inde vero ex saeculo undecimo et duodecimo paulatim factum est, et ea solummodo delicta etiam publica et poenitentia deleta inducerent irregularitatem *(ex defectu)*, ob quae quis non obstante poenitentia peracta « *nota vel infamia manifesta respersus* » maneret (345). At pauca quaedam crimina in iure speciatim expressa

(341) Cfr. c. 25 (S. August.) 66 (Siric.) D. 50; c. 18, (Innoc. I a. 415); C. I. q. 1; *Thomassin.* l. c. P. II, lib. I, cap. 56 n. 2, 7 cap. 57 n. 2, 3; *Phillips* l. c. p. 553 sq.

(342) Cfr. c. 66 (Siric.) c. 65 (Conc. Carthag. V a. 401) c. 67 (S. Leo a 458-459) D. 50. At clerici, qui capitalia illa delicta *post* ordinationem patraverant, poenitentiae privatae subiecti et a gradu et dignitate depositi post poenitentiam peractam nonnisi ad communionem *laicam* fuerunt admissi. Qua re sane gravissima poena clericis delinquentibus fuit stabilita. Cfr. c. 61 [62] Apostol.; c. 1, 3, 9, 10, 11 (Gregor. M.) D. 50; c. 7 D. 50 = c. 22. Conc. Epaon. a. 517; *Thomassin.* l. c. cap. 56 n. 5; *Boenningh.* l. c. fasc. I p. 63 sq.; *Scherer* l. c. p. 347.

(343) *Thomassin.* l. c. cap. 58 n. 13 sq., cap. 59 n. 8, 13, 14, cap. 60 n. 4, 5, 6; *Phillips* l. c. p. 558 sq.

(344) *Bloetzer* l. c. p. 593 sq. Cuius distinctionis et efficaciae in ipsa poenitentia privata et sacramentali sitae principales patroni fuerunt *Rabanus Maurus, Hincmarus Remensis, Ivo Carnutensis.* Quare sine solido fundamento *Hinschius* l. c. tom. I p. 39. Rabani sententiam vocat singularem. Cfr. c. 33 (Nicol. M.) c. 34 (Rab.) D. 50; *Boenningh.* l. c. p. 67 sq. Imo Gratianus quamvis in conciliandis canonibus antiquis et novis forte minus fortunatus exstiterit (cfr. Gratian. dict. post. c. 24, 28 D. 50; *Scherer* l. c. p. 347), mitiorem illam et benigniorem Rabani opinionem tanquam suam sententiam adoptavit. Cfr. Gratiani dict. § 3 post c. 32 D. 50. Quae sententia mitior etiam a Glossa recepta (cfr. Glossa ad c. 6 D. 25 v. Primum, Gloss. ad dict. Grat. anta c. 1 D. 50 (v. Ex praemissis) et in ipsa collectione authentica Gregorii IX approbata est. Cfr. cap. 4 (Alex. III) cap. 17 (Greg. IX) X. de temp. ordin. I, 11; cap. 5 (Alex. III) X. de furt. V, 18.

(345) Cap. 5 X. I 18; cap. 21 pr. (Innoc. III a. 1212) X. de accusat. V. 1; *Thomassin.* l. c. cap. 61 n. 12 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 2 n. 17 l. VIII cap. 9 n. 1.

sive publica sive occulta etiam *post peractam poenitentiam* et nulla infamia permanente in poenam *vindicativam* delictorum commissorum induxerunt irregularitatem (346). Quod ius viguit usque ad publicationem Codicis (347). Attendenda tamen est correctio iuris Decretalium (cap. 4, 5, 17, X. I, 17) a Concilio Trid. Sess. XIV, cap. 1 de ref. facta de iure Episcopi ex informata conscientia aliquem repellendi ab ordinibus (348).

II. - De potestate instituendi irregularitates

231. Ecclesia, non potestas civilis, habet ius instituendi irregularitates et de facto quoque omnes irregularitates ecclesiastico iure sunt constitutae, neque ulla irregularitas proprie dicta nititur *solo* iure divino sive positivo sive naturali (349). Nam irregularitates in vetere testamento statutae una cum legibus caeremonialibus sunt abrogatae, impedimenta vero sacrorum ordinum, quae recenset S. Paulus v. g. de bigamis vel neophytis non ordinandis, nituntur iure apostolico, non divino et positivo iure novi testamenti. Quodsi *supposita* institutione divina sacramenti ordinis homines quidam ex ipsa natura rei sive iure naturali sunt exclusi a licita susceptione ordinum, huiusmodi prohibitiones sensu stricto irregularitates non sunt, nisi quatenus Ecclesia circa modum et gradum ita aliquid adiunxit, ut etiam sublata prohibitione divina nihilominus permaneret prohibitio ecclesiastica (350).

Irregularitatum institutio ex disciplina nunc in Ecclesia vigente tamquam causa maior universalem concernens Ecclesiam *soli Romano Pontifici* vel Concilio oecumenico est reservata omnibusque inferioribus Praelatis ecclesiasticis interdicta. Nam ad uniformitatem in clero et in disciplina ecclesiastica conservandam nulla admittitur irregularitas, quae iure *communi* non sit *expressa* (cfr. cit. cap. 18 de sent. excom. in Sext.), sed inferiores Praelati ius

(346) Cfr. de homicidio: Gloss. cit. ad c. 6 D. 50; c. 5, 6, 8 D. 50; cap. 17 X. I. 11.

(347) *Thomassin.* l. c. cap. 61 n. 15; *Boenningh.* l. c. p. 70.

(348) *Gasparri* l. c. n. 615 sq.; *Hinschius* l. c. t. V p. 608 sq.

(349) Cap. 18 de sent. excom. V 11 in Sext.; *Suarez* l. c. sect. 4 n. 1 sq.; *Gasparri* l. c. n. 158; *Ballerini-Palmieri* l. c.

(350) Cfr. impedimenta matrimonialia disparitatis cultus et mixtae religionis.

commune condere non possunt (351). Hanc rationem Codex firmavit, dum can. 983 negat ullam irregularitatem incurri, nisi quae fuerit in canonibus quae sequuntur expressae (in canonibus videlicet iuris communis).

Omnis irregularitas immediate imponitur *ipso iure* ab Ecclesia constituto neque ad *executionem* iudicis ecclesiastici sententiam requirit neque ab homine per *sententiam* iudicialem *imponi* potest, nisi excipias R. Pontificem. Eo enim modo, non alio incurritur impedimentum, quo est statutum a lege (cfr. cit. cap. 18 de sent. excom. ubi expresse fuerat statutum ut *ipso iure* incurrantur irregularitates) (352).

III. - De subiecto passivo irregularitatum

232. *Nemo* irregularitatis capax est, qui ex iure divino a *valida* susceptione ordinum *excluditur* veluti femina vel vir non baptizatus. Omnis enim irregularitas est *privatio* quaedam, quae *supponit capacitatem*; ergo quicumque ipso iure divino ordinum recipiendorum incapaces sunt, vere irregulares dici non possunt. Quare etiamsi quis homo non baptizatus aliquos habeat *defectus* naturales vel morales, qui baptizatum reddunt irregularem, *ante* baptismum irregularis non fit; nam Ecclesia suis legibus ipsum ligare nequit. Cfr. *Suarez* l. c. disp. 40, sect. 7, n. 1 sq. Per baptismum vero

(351) S. C. C. 13 Ian. 1875; *Suarez* l. c. sect. 4 n. 11 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 20; *D'annibale* l. c. n. 399; *Gasparri* l. c. n. 150; *Lega* l. c. p. 277.

(352) Hinc irregularitates non possunt deduci per argumenta ex *analogia* vel a *pari* vel a *maiori* petita, sed stricta interpretatione ex iuris sanctionibus sunt eruendae. Cfr. cit. cap. 18 de sent. exc. in Sext.; *Suarez* l. c. sect. 4 n. 15, 16; sect. 8; *Boenningh.* l. c. p. 20; *Gasparri* l. c. n. 181 sq.

Iure praecedenti valde fuit controversum, num irregularitates induci possent per consuetudinem; quae controversia tunc eo erat maioris momenti, quod *omnes irregularitates*, quae a scriptoribus ut vigentes recte allegari solebant ex *solo iure scripto vere universali* efficaciter repeti posse difficu ter demonstrari poterat. Qua in controversia facile concedi potest secundum analogam sententiam, quae de impedimentis matrimonii defenditur, propter legem *uniformitatis* atque *dissensum* legislatoris potius supponendum per consuetudinem sive *particularem* sive *universalem* novas irregularitates non posse induci, nisi *expressus* habeatur consensus legislatoris supremi. Qui *expressus* consensus vel dissensus supremi legislatoris nostra aetate tam facile haberi potest, ut quaestio de inducenda *nova* irregularitate per consuetudinem universalem non sit admodum practica.

delicta delentur. Quare ob *delicta ante* baptismum commissa nemo *fit* irregularis. At *defectus* etiam *post* baptismum manent. Hinc cum quis baptismo recepto teneatur legibus Ecclesiae, ex istis defectibus forte manentibus ipso facto contrahit irregularitatem.

Omnes homines sive *clerici* sivi *laici*, qui *ordinum* sunt *capaces*, etiam ad incurrendas irregularitates saltem ex defectu sunt habiles, dummodo in his terris Superiorem habeant (353). Quare vel ipsi *Cardinales* et *Episcopi* ab irregularitatibus iure canonico statutis non eximuntur, nisi ex speciali clausula illorum immunitas probetur (354).

Irregularitates ex *defectu* cum non nitantur *dolo subiecti irregularis*, dummodo excipias irregularitatem ex defectu *famae* in casu infamiae facti, etiam a subiectis *insciis* v. g. defectus natalium contrahi possunt.

At irregularitates *ex delicto supponunt* ab ipso subiecto irregulari grave peccatum, ut in sequentibus exponetur, cum culpa *theologica* fuisse admissum. Quare omnes illae causae, quae in subiecto grave illud delictum cum culpa theologica impediunt, etiam illud subiectum irregularitati non reddunt obnoxium (can. 986). Nulla autem ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem excusat (can. 988).

IV. - De effectibus irregularitatum

233. Irregularitas statum clericalem *antecedens* impedit licitam *susceptionem* cuiuscunque ordinis atque etiam primae tonsurae (can. 968) (355) et insuper *exercitium* ordinum utut valide susceptorum sub *gravi* peccato prohibet, si quis *mala* fide ad ordinationem accessit. Eadem prohibitio ab *exercitio* ordinum est asserenda, etiamsi irregularis *bona fide* ordines receperit (can. 968, § 2) nisi specialis

(353) Cap. 10 §§ 1, 6 X. de renunt. I 9; *Suarez* l. c. sect. 7 n. 5; *Gasparri* l. c. n. 198 sq.; *Lega* l. c. p. 289 sq.

(354) Cap. 4 de sent. excom. V 11 in Sext. ad irregularitatem, quam non commemorat, nequit extendi. Cfr. *Boenningh.* l. c. p. 27 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 281.

(355) S. Rota in una Romana pensionis 3 Iun. 1853; *Reiffenstuel* l. c. lib. I tit. 11 n. 23; *Riganti* l. c. Reg. Canc. Apost. 45 § 2 n. 120, 121; *Schmalzgr.* l. c. n. 90 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 26 sq.; *Gasparri* l. c. n. 153, 165 sq.

probetur *exceptio* (356). Minime vero irregularitas arcet ab iis functionibus sacris, quae *ordinibus* non sunt alligatae, aut etsi per se ordinibus adnexae sunt, ex approbata consuetudine Ecclesiae absque solemnitate et non ex officio a laicis quoque exerceri possunt. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII cap. 17 de ref.

Quodsi irregularitas superveniat ex *defectu* corporis, privat solum *exercitio* ordinis suscepti, ad quem per eiusmodi defectum inhabilis factus est, et praeterea aufert facultatem alios ordines suscipiendi (can. 984, 2°). Si superveniat irregularitas *ex delicto* v. g. ex homicidio, privat ordinatum *quolibet* exercitio ordinis suscepti et inhabilem reddit ad alium suscipiendum (357).

234. Quicunque irregularitatem sive *ex defectu* sive *ex delicto* contraxit, ipso facto non privatur iurisdictione sive ordinaria vel delegata, sive voluntaria vel contentiosa, imo ne in licito quidem suae iurisdictionis usu impeditur, nisi adsit scandalum vel exercitium ordinis includatur (358). Speciatim *beneficio ecclesiastico* legitime iam acquisito irregularis *ipso iure* non privatur, etsi irregularitas superveniat ex delicto (359); si autem irregularitas *ex defectu* contrahatur, irregularis beneficiatus multo minus suo beneficio spoliari non debet (360). Denique irregularis fit *inhabilis* ad *validam* acqui-

(356) *Suarez* l. c. sect. 2 n. 2; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 217 p. 293. Inde efficitur irregularem non obstante sua irregularitate ordines suscipientem iuste *gravibus* quoque *poenis* plecti.

Et *iure* quidem *antiquo* huiusmodi irregularis perperam ordinatus *e statu clericali fuit eiectus*. Cfr. c. 9, 10. Conc. Nicaen. (a. 325); c. 5 D. 84 (Siric. a. 385); c. 1 D. 51 (Innoc. I a. 404). Porro poena *suspensionis* ordinum susceptorum aut saltem *interdicto* ab ulteriore promotione fuit affectus. Cfr. c. 6 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 56 D. 50 (Siric. a. 385).

Ex *disciplina* nunc *vigente* ordinator in Pontif. Rom. minatur irregularibus accedentem ad ordines cum irregularitate excommunicationem ferendae sententiae; canon vero 2374 praecipit puniri gravibus poenis secundum diversa casus adiuncta.

(357) Cap. 17 X. de temp. ord. I. 11; *Schmalzgr.* l. c. n. 90; *Suarez* l. c. sect. 2 n. 4; *D'Annibale* l. c. n. 400.

(358) *Suarez* l. c. n. 12; *Boenningh.* l. c. p. 28 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 285.

(359) Cap. 6 X. de cler. exc. V 27; cap. 10 X. de exces. prael. V 3. Ipse tamen sibi procurare debet dispensationem et interim per alium functionibus sibi prohibitis satisfacere. Quam dispensationem si petere nolit aut obtinere non possit, beneficio renuntiare debet, ne Ecclesia in perpetuum privetur servitio. Cfr. *Schmalzgr.* n. 96 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 29 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 284.

(360) Cap. 3, 5, 6 X. de cleric. aegr. III 6; *Boenningh.* l. c. p. 29.

sitionem *novi* beneficii ecclesiastici, saltem si functiones ordinum ipsi sunt adnexae (361); id enim manifeste videtur deduci ex can. 991, 3, ubi habilitas ad obtinenda beneficia ponitur ut effectus dispensationis ab irregularitate. Cfr. Wernz-Vidal, t. II, n. 199.

Art. 2. — De singulis irregularitatibu ex defectu

I. - De defectu legitimorum natalium (362)

235. Notae historicae. I. Qui bonis moribus commendabatur, is iure antiquo, quamvis illegitimos haberet natales, neque in Ecclesia orientali neque in occidentali a statu clericali ordinibusque suscipiendis fuit exclusus (363). Quae praxis immutari coepta est praesertim ex saeculo *decimo* et *undecimo* (364), cum Ecclesia sapienti consilio saltem filios ex incestis nuptiis procreatos et praesertim sacrilegam prolem incontinentium sacerdotum latinorum medii aevi in poenam paterni criminis a sacris ordinibus repelleret. Qua in re maxime eminet can. 8 Concil. Bituricensis (a. 1031), cuius motiva latius patent quam pars dispositiva et per se omnibus illegitime natis applicanda fuerunt.

(361) De hac re, iure codicem praecedente, gravis aderat controversia. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 93 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 284 sq.; *Suarez* l. c. sect. 2 n. 29 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 34 sq.; *Gasparri* l. c. n. 172.

(362) Decret. Grat. Dist. 56; cpl. I lib. I tit. 9 de fil. pr. ord. vel non nec in paternis eccles. tolerandis; cpl. II, IV, lib. I tit. 9 de fil. presbyt.; cpl. V, l. I, t. 11 eod.; Decret. Gregor. IX l. t. tit. 17, de filiis presbyt. ordin. vel non, et lib. IV, tit. 17 qui filii s. legit.; Decret. Bonif. VIII, lib. I tit. 11 de fil. presbyt. et aliis illegitime natis; Clement. VII, Const. « *Ad canonum conditorem* » 3 Iun. 1530; Conc. Trid. Sess. XXV cap. 15 de ref.; Clement. Pap. VIII Decretal. lib. I tit. 11 de fil. presbyt. et al. illeg. nat., ed. *Sentis* p. 23 sq.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 97 sq.; Act. S. Sed. v. g. vol. I p. 350 sq. — Comment. Iur. Decr. in tit. cit. 17; *Suarez* l. c. disp. 50; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 5 sq.; *Phillips* t. c. § 52; *Scherer* l. c. p. 345 sq.; *Gasparri* l. c. n. 235 sq.; *Lega* l. c. p. 329 sq.; *Hinschius* l. c. p. 11 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II, lib. I cap. 80 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 306 sq.

(363) Dict. Gratiani post. c. 1 Dist. 36; c. 3 c. 6 (S. August.) c. 4 (S. Chrys.) c. 5 c. 8 (S. Hieron.) Dist. 56; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 24 n. 12; *Thomassin.* l. c. cap. 80 n. 7 sq.

(364) Cuius severioris disciplinae vestigium iam reperitur in c. 64 Conc. Meldens. (a. 845) = c. 17 C. I. q. 17; maxime vero aucti rigoris testis est *Regino*, De synodal. caus. lib. I, c. 427, 428, 429, licet assertiones suas non semper efficaciter ex fontibus probet.

Imprimis vero apparet ex illis motivis vis et efficacia « *legum saecularium* » medii aevi, quibus omnes filii illegitimi laicorum maxima ignominia affecti fuerunt. Quare Ecclesia in suis ministris seligendis huius ignominiae in foro saeculari contractae necessario rationem habuit, excessus vero legum saecularium v. g. Speculi Saxonici hac in re admissos omnino condemnavit (365).

II. Et revera iam a. 1078 Patres Concilii Pictaviensis, cui praefuit Legatus Gregorii VII, expresse statuerunt, ut non solum illegitimi filii presbyterorum (366), sed ceteri quoque ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoverentur, nisi aut monachi fierent aut in congregatione canonica regulariter viverent. Quod statutum consuetudine, praesertim vero receptione in authenticam compilationem Gregorii IX, factum est ius commune Ecclesiae et universae huius quaestionis fuit fundamentum. Cfr. cap. 5, de servis I, 18. Mox caput illud iuris Decretalium quamvis disertis verbis tantum de interdicta promotione ad *sacros ordines* legem universalem contineret, tacita interpretatione et generali praxi Ecclesiae probata iam ante Bonifacium VIII ad inferiores quoque ordines fuit extensum. Ipse enim Bonifacius VIII, cap. 1, de fil. presbyt. I, 11, in Sext. ius illud non constituit, sed iam constitutum esse *supponit* et ratum habet (367). Quibus canonibus accesserunt severiores sanctiones Clementis VII, in cit. Const. « *Ad canonum conditorem* » et Concilii Tridentini Sess. XXV, cap. 15 de ref. At rigida Constitutio Sixti V. « *Cum de omnibus* » 28 Nov. 1587, qua *omnibus* illegitimis ex sacrilegio aut ex incestu procreatis ad *omnes* etiam minores ordines aditum omnino interdixit, a Gregorio XIV, Const. « *Circumscripta* » 15 Mart. 1591, *in hac re* ad tramites iuris communis ante Sixtum V vigentis revocata est.

(365) *Phillips* l. c. p. 523 sq.; *Scherer* l. c. p. 345; *Gerber*, System d. deutsch. Privatr. §§ 39 sq.

(366) Ex Romanis Pontificibus illam irregularitatem filiorum presbyterorum primus insinuat Alexander II (a. 1061-1073) in c. 12 D. 56 iunct. dict. Grat. post can. cit. 12, cuius vestigia strenue secuti sunt Gregorius VII (cfr. *Thomassin.* l. c. cap. 84 n. 3) et Urbanus II (a. 1088-1099) in c. 1, 13, 14 D. 56 cum dict. Gratiani. Cum Paschalis II, successor Urbani II, S. Anselmo Cantuariensi propter magnum numerum illorum illegitimorum filiorum sacerdotum in Anglia amplam dispensandi facultatem concessisset, Innocentius II in Concilio Lateranensi II (a. 1139) pristinum rigorem restauravit. Cfr. *Thomassin.* l. c. n. 5, 6, 7.

(367) *Benedict. XIV* l. c.; *Boenningh.* l. c. p. 10 sq.

III. Quae praxis Ecclesiae iustis illis limitibus circumscripta etiam nostra aetate merito retinetur. Ita enim efficaciter consulitur *dignitati* status clericalis; publica fit *detestatio* paterni criminis; arcentur a statu clericali viri, qui teste experientia paternae incontinentiae saepe existunt *imitatores;* denique *matrimonio christiano,* cuius proles legitime genita sancteque educata sola ad sacerdotium novi testamenti admittitur, singularis conceditur dignitas atque praerogativa (368).

236. Disciplina vigens. Sunt irregulares: « *illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota solemnia professi* » (can. cit. n. 1°).

I. Omnes et soli filii, qui nati sunt **aut** *extra* matrimonium *vere* vel saltem *putative* iustum (369), **aut** ex *iusto* quidem matrimonio, sed cuisu *usus* ob subsecutam unius vel utriusque coniugis *solemnem professionem religiosam* aut in ecclesia occidentali propter susceptionem *ordinis sacri* per maritum rite factam *solemniter interdictus* est (can. 1114) (370), irregularitatem *totalem* ex defectu contrahunt ac ne ad primam quidem tonsuram promoveri possunt (371).

Quae irregularitas incurritur, etiamsi defectus iste legitimorum natalium non esset *publicus*, sed *occultus* (372) vel *ignoratus*.

II. Quodsi *dubia* sit legitima nativitas velut in infantibus expositis, potius in favorem immunitatis ab irregularitate ferenda est sententia. Ex praxi vero Vicariatus Urbis et multarum Curiarum episcopalium praefertur sententia tutior, ideoque ad cautelam peti solet dispensatio v. g. pro infantibus expositis (273), ne ordinandus deficiat in probanda qualitate requisita ad ordines i. e. generis legitimi et detectis postea illegitimis natalibus prohibeatur ab ordinum susceptorum *exercitio*.

(368) *Goffred. de Trano* l. c. lib. I tit. 1 n. 1, 2; *Boenningh.* l. c. p. 11 sq.; *Suarez* l. c. sect. 3 n. 2.
(369) Cfr. Cap. 2, 14 X. qui fil. IV 17; cap. 3 X. de cland. despons. IV 3.
(370) Cfr. Cap. 14 X. h. t. I 17; cfr. de iure Ecclesiae orientalis: Cap. 6 X. de cler. coniug. III 3; *Boenningh.* l. c. p. 30 sq. 46 sq.
(371) Cfr. Cap. 1 X. h. t. I 17; cap. 1, 2, h. t. I 11 in Sext.; *Suarez* l. c. disp. 50; *Boenningh.* l. c. p. 12 sq.
(372) *Schmalzgr.* h. t. n. 2; *Boenningh.* l. c. p. 53 sq.
(373) S. C. C. in caus. Sulmon. 22 Febr. 1710; *Schmalzgr.* h. t. n. 3; *Scherer* l. c. t. I p. 346, 356; *Boenningh.* l. c. p. 23 sq. 28 sq.; *Honorante* l. c. p. 19; *Suarez* l. c. disp. 50 sect. 4 n. 5 sq.; *Lega* l. c. p. 332 sq.

III. Si filii legitimitas ex actis *publicis* v. g. ex libris parochialibus rite probari potest, non obstantibus *gravibus dubiis* et *indiciis* de illegitima nativitate, irregularitas non existit. Quare S. C. C. in talibus casibus, etiamsi contra acta publica stet ipsa confessio parentum atque fama quaedam publica, non solet dare dispensationem ab irregularitate, sed respondet: « *Non indigere* » (374). Quae iuris praesumptio cessat, si *evidenter* potest demonstrari illegitima nativitas v. g. *ex absoluta impossibilitate* generationis per patrem legitimum (375). In hunc finem prae oculis habenda est praesumptio iuris contenta in can. 1115 « Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis ».

237. Scholion. Cum in *beneficiis* ecclesiasticis ea, quae *haereditariae successionis* imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa et Patrum decretis contraria, etiam *filii legitimi* sine dispensatione Romani Pontificis inhabiles habiti sunt ad ea beneficia obtinenda, quae patres eorum *immediate* ante filios in titulum habuissent tanquam *rectores* aut *vicarii perpetui* (376).

At *filiis illegitimis clericorum* etiam ante clericatum genitis, ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis arceretur, insuper non licuit in ecclesiis, ubi patres eorum beneficium aliquod ecclesiasticum habent (377) aut habuissent (378), *obtinere* beneficium ecclesiasticum quodcumque etiam dissimile nec ministrare quoquomodo in dictis ecclesiis nec habere pensiones super fructibus beneficiorum, quae patres eorum obtinent vel alias obtinuissent (379). Quae praescripta in Codice relata non fuerunt; primum

(374) S. C. C. in caus. Syracus. 27 Iun. 1857 in Act. S. Sed. vol. I p. 350 sq.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 99 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 25 sq. cum alleg. decis. Rotae; *Gasparri* l. c. n. 236.
(375) S. C. C. in cit. caus. Syracus.; *Boenningh.* l. c. p. 27 sq.
(376) Cap. 2, 3, 4, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 13, 17 X. h. t. I 17; Conc. Trid. Sess. XXV cap. 15 de ref.; *Schmalzgr.* h. t. n. 15 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 101 sq.
(377) Cap. 15, 16 X. h. t.; *Pirhing* h. t. n. 30; *Lega* l. c. p. 338 sq.
(378) Qua in re quoad illegitimos filios Clemens VII Const. « *Ad canonum conditorem* » 30 Iun. 1530 et praesertim Conc. Trid. l. c. *rigorem* iuris Decretalium multum *auxit*. Cfr. *Maschat*, Inst. canonic. vol. I p. 244 sq. vol. II p. 23; *Boenningh.* l. c. p. 102 sq.; *Fagnan.* l. c. in cap. 5 X. h. t. n. 19 sq. 7 sq. 15 sq.
(379) *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 24 n. 13 sq. Propter similes rationes ex Gregorii XIV Const. « *Circumspecta* » § 3 filius illegitimus

etiam ex illa ratione quod iure Codicis vix accidere potest, ex sola dispensatione raro concessa, ut coniugatus ad ordines promoveatur; alterum vero implicite continetur in inhabilitate illegitimi ad beneficia.

238. IV. *Aufertur* irregularitas ex defectu natalium *triplici ratione:*

a) Illegitimi filii quicunque (380) valida *professione* (381) solemni (382) in ordine religioso emissa *ipso facto* ex iure communi habilitantur ad *ordines* etiam *sacros* suscipiendos et exercendos, ita ut quis in perpetuum sit immunis ab illa irregularitate, etiamsi postea ex ordine religioso discedat (383). Quae inhabilitatis ablatio ex iure *communi* sese non porrigit ad *Praelaturas* ne proprii quidem ordinis sive perpetuas sive temporales (384). Quae inhabilitas iure Codicis extenditur ad quosvis Superiores maiores cuiusvis religionis (can. 504).

b) Legitimatione, qua *macula illegitimitatis* saltem iuridice tollitur; *causa* vero sublata, etiam irregularitas illegitimitatis maculae *innixa* omnino cessat. Quae legitimatio est *plenissima*, si fiat per sanationem matrimonii in *radice*, qua filii saltem *naturales* iuris dispositione redduntur simpliciter *legitimi* et consequenter habiles ad ordines sacros et dignitates ecclesiasticas. *Plenior* legitimatio fit ad eundem effectum per *subsequens matrimonium* pariter in filiis *naturalibus* exceptis dignitate *Cardinalium* (cfr. Sixti V Const. « *Postquam* » 3 Dec. 1586 §§ 16, 17) beneficiis consistorialibus et munere

---

non poterat admitti in religionem, in qua pater sive ante sive post nativitatem praedicti filii professus fuisset, ipso patre vivente. Cfr. *Piat*, Praelect. iur. reg. t. I q. 76; *Lega* l. c. p. 341.

(380) Cfr. c. 1, 11 D. 56; cap. 1 X. h. t. l. 17; *Schmalzgr.* h. t. 17 n. 6; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 57 sq.

(381) *Fagnan.* l. c. in cap. 1 X. h. t. 17 n. 13 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 59, 61, 62; *Schmatzgr.* l. c. n. 8.

(382) *Schmalzgr.* l. c. n. 6; *Piat* l. c. t. I p. 136, 170 iunct. S. C. super stat. regul. 20 Ian. 1860 in Arch. f. k. K. t. 17 p. 28 sq. Qua ex decisione sequitur eandem vim professioni votorum simplicium sive in formali religione sive in congregatione religiosa emissorum non posse adscribi, nisi specialis probetur exceptio. Cfr. Gregor. XIII Const. « *Ascendente Domino* ». Aliter vel de ipsa simplice professione congregationum religiosarum opinatur: *Ph. Hergenroether-Hollweck* l. c. p. 219 not. 1.

(383) Cap. 1 X. h. t.; *Boenningh.* l. c. p. 58; *Gasparri* l. c. n. 247; *Lega* l. c. p. 341.

(384) Cap. 1 X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 9, 13; *Boenningh.* l. c. p. 62 sq.

Superioris maioris in religione clericali exempta *et iis beneficiis*, ad quae vi fundationis in promovendis *vera* nativitas ex legitimo matrimonio requiritur (385). Denique *plena* legitimatio etiam per *rescriptum* Rom. Pontificis concedi quidem potest non solum filiis naturalibus, sed etiam spuriis, adulterinis atque quibuscunque illegitime natis, ut iidem inde habiles fiant ad *ordines* quoque *sacros* et ad *officia ecclesiastica*, nisi de iure vel statuto vel fundatione specialiter requiratur, ut promovendus ex legitimo matrimonio natus sit (386). Qua concessione non obstante legitimatio *plena* per rescriptum principis quoad multos *alios effectus* manet *inferioris conditionis* quam legitimatio *plenissima* et *plenior*. Cfr. *Schmalzgr* l. c. n. 93 sq.

c) Dispensatione defectus natalium qualiscunque tolli potest *a solo Romano Pontifice;* at nisi expresse aliud ferat rescriptum, valet pro promotione ad ordines etiam maiores et ad beneficia non consistorialia etiam curata; sed ita communi modo dispensatus nequit renuntiari S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius* aut Superior maior in religione *clericali exempta*.

II. - De defectu corporis (387)

239. I. **Notae historicae.** Sacerdotes integro esse corpore non solum apud ipsos gentiles, sed etiam in *lege Mosaica* (388) statutum fuerat. Quae praecepta caeremonialia legis veteris morte Christi evacuata sunt; nihilominus sua vi et efficacia non caruerunt, ut similes quoque *leges ab Ecclesia* pro sacerdotio novi testamenti sa-

---

(385) Cfr. lib. IV tit. 17 X. qui filii s. legit. et commentat. in h. t.; *Benedict. XIV* De Synod. l. XIII cap. 24 n. 13 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 68 sq.

(386) Cap. 7, 20 X. de elect. I 6; *Schmalzgr*, l. IV tit. 17 n. 83, 87, 99; *Suarez* l. c. disp. 50 sect. 5 n. 10, 11; *Boenningh.* l. c. p. 93 sq.; *Gasparri* l. c. n. 240 sq.; *Lega* l. c. p. 337, ubi refert unam dispensationem a S. C. C. concessam filio adultero (19 Ian. 1884), alteram filio sacrilego (9 Sept. 1882).

(387) Cfr. Dist. 55; l. 1, tit. 20 de corpore vitiatis etc.; lib. III tit 6 X. de cleric. aegrotante vel debilitato; ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 340 sq.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 17 sq.; Act. S. Sed. vol. I p. 89, vol. III p. 528, vol. IV p. 430, vol. V p. 561, vol. VII p. 46, 78. 277. — Comment. in cit. tit.; *Suarez* l. c. disp. 51 sect. 2; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 186 sq.; *Phillips* l. c. tom. I § 47; *Lega*, De iudic. t. III, p. 366 sq.; *Gasparri* l. c. n. 249 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II lib. I cap. 78 sq.

(388) Levitic. XXI 16 sq.; c. 1 D. 49; *Phillips* l. c. p. 449 sq.

pienter conderentur (389). Quamvis certi corporis defectus ipso *iure divino* a sacerdotio christiano arceant, vix credibile est *Ecclesiam primis quinque saeculis solas* prohibitiones iuris divini in excludendis viris a statu clericali ob vitia corporis attendisse, ut tenet *Thomassin.* l. c. P. II, l. 1. c. 78, n. 1 sq. c. 82, 83. Certe iam *saeculo quinto* occurrunt decreta Romanorum Pontificum (cfr. Gelas. a. 494, in c. 1, D. 55), quibus viri corpore vitiati ab ordinibus suscipiendis repulsi sunt, licet fortasse ad ordines exercendos absolute inhabiles non essent (390). Quae decreta cum tanquam *novae leges* non promulgentur (cfr. Gelas. l. c.), sed potius denuo confirment canones antiquiores, nobis exhibent disciplinam saeculo quinto antiquiorem. Subsequentes leges Romanorum Pontificum et Conciliorum magis declararunt, qui dicerentur corpore vitiati. Cfr. c. 10, D. 34 (Greg. I); c. 10, D. 55 (Conc. Tribur. a. 895); c. 3, D. 33 (Conc. Tolet. XI, a. 675); c. 1. C. VI, q. 2 (Alex. II, a. 1061-1073); cap. 4, X. de cler. aegr. III. 6. Quae canonicae sanctiones in Decretum Gratiani, in quinque compilationes antiquas atque in compilationem authenticam Gregorii IX, translatae constituebant ius commune ante Codicem vigens. Cum post Gregorium IX, novae leges de defectu corporis latae non sint, regula generalis, quae ex rubrica h. t. in iure Decretalium et antiquis canonibus facile deducitur (cfr. c. 59. D. 50.), innumeris casibus particularibus interpretatione vel dispensatione fuit applicanda.

II. **Disciplina vigens.** " *Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem altaris ministerio defungi non valent. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt* „. Ergo: *a)* De corpore vitiatis hoc *generale principium* tenendum est: Quilibet defectus corporis sive ex culpa sive sine culpa contractus, qui ordinandum aut *ad omnes* sacras ordinis functiones congrue obeundas vel saltem ad *unam* et praesertim ad ministerium altaris et ad congruam celebrationem Missae reddit absolute inhabilem, aut ita impedit, ut is rite, secure, absque scandalo et offensione sacrum ministerium exercere nequeat,

(389) Gelasius a. 494 in c. 5 D. 33; c. 1 D. 36; *Phillips* l. c.

(390) Cfr. c. 77, 78 Apostol.; Constit. Apost. lib. VI cap. 23 apud *Pitra*, iur. eccl. Graecor. hist. et mon. tom. I p. 335.

irregularitatem simpliciter inducit ad qualemcunque ordinem *suscipiendum* (391).

Quare laicus, qui ex corporis vitio ad congruum exercitium *solius sacerdotii* est inhabilis, vel ab ipsa prima tonsura recipienda excluditur, licet reliquos ordines praeter presbyteratum congrue exercere possit. (Cfr. can. 973, § 1). Consequenter qui ita corpore vitiatus **mala** *fide* ad sacram ordinationem accessit, etiam ab *omnibus actibus* ordinum male *receptorum* laicis non permissis penitus prohibetur (can. 968, § 1). Defectus vero huiusmodi *post* susceptum ordinem superveniens *difficilius* (392) clericum ordinatum ab exercitio ordinis impedit atque in casu verae inhabilitatis tantum ab exercitio *illius* ordinis iam recepti prohibet, ad quod factus est ineptus (393). Hisce clericis adnumerantur quoad exercitium ordinum receptorum illi corpore vitiati, qui *bona fide* ordines susceperunt (cit. can. 968).

b) Speciatim vero irregulares sunt *caeci, surdi, muti* (394), *claudi* (395), pede vel brachio vel *manu* (cap. 6, X. I, 20) vel *di-*

(391) Cfr. c. 1 D. 33; c. 59 D. 50; c. 5 D. 55; cap. 1, 6, 7 X. de corpore vit. I 20; decis S. C. C. apud *Lingen et Reuss* l. c. p. 17 sq.; *Suarez* l. c. disp. 51 sect. 2 n. 11, 12; *Schmalzgr.* l. I tit. 20 n. 1, 12; *Gasparri* l. c. n. 253 aliique, qui recte tenent contra *D'Annibale* l. c. n. 414 aliosque falso asserentes corpore vitiatos ab illis *tantum* ordinibus excludi, quibus congrue fungi non possint. Similiter *Lega* l. c. p. 366 scite contra *D'Annibale* defendit ex vitio corporis oriri veras, non tantum *improprias* irregularitates.

(392) S. C. C. in caus. Comens. 5 Maii 1775 et in caus. Firman. 24 Maii 1723; S. C. C. in caus. Florent. 23 Aug. 1727 et in caus. Neapol. 17 Sept. 1814.

(393) Cap. 2 X. de cleric. aegr. III 6; *Suarez* l. c. n. 13; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 203 sq.

(394) Qui oculo *sinistro* omnino caret vel saltem sufficienti vi visiva instructo, at solo oculo dextero *commode* canonem legere potest *et* insuper *difformis* non est, vera irregularitate non ligatur neque in rigore iuris dispensatione indiget, nisi ad cautelam. Quodsi complures doctores videntur sequi rigidiorem sententiam (cfr. *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 97 sq.), huiusmodi opinio in fontibus iuris (c. 13 D. 55) fundamentum non habuit. Nam solis verbis Glossae vel etiam « *communiore* » quadam sententia doctorum irregularitates introduci non possunt. Cfr. S. C. C. 27 Ian. 1872 in Act. S. Sed. vol. VII p. 78 sq.; *Schmalzgr.* l. c. lib. I tit. 20 n. 10; *D'Annibale* l. c. P. I n. 414 not. 20; *Scherer* l. c. p. 338; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 17 sq.; *Gasparri* l. c. n. 256 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 315; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 158 irregularem tantum dicit, « *qui oculum* **exorbitantem** *habet* ». Cfr. de *surdis:* Can. 87 (77) Apostol. iunct. generali decreto Gelasii Papae in c. 5 D. 33 et S. C. C. in caus. Melphit. 25 Ian. 1806 et in caus. Trevir. 27 Ian. 1856; de mutis vero: Cit. decr. Gelas. et c. 3 D. 55 et S. C. C. in caus. Imol. 14 Apr. 1852.

(395) Cfr. c. 55 D. 1 de consecr. = (Zachar. Pap. in Conc. Rom. a. 743)

gitis necessariis (396) *carentes*, statura *nimis pusilli*, *hermaphroditi*, *notabiliter deformes* (397).

Ab hac irregularitate ex defectu corporis alieni non sunt *epileptici* (398), *leprosi* (499), *nimiis capitis doloribus* laborantes (400), *abstemii* vel *similibus morbis affecti* (401).

c) In casu *dubii ante* ordinationem, num defectus corporis vel deformitas tales sint, qui *promotionem* ad ordines impediant, *proprii Episcopi* (402) est secundum prudens arbitrium sententiam *declaratoriam* ferre. Quod ius multo magis Episcopo proprio competit, si agatur de dubio *post* ordinationem superveniente. Imo Episcopus proprius super *dubia* ista irregularitate sive ante ordinationem *iam existente* sive postea superveniente etiam vere *dispensare* potest (can. 15). At ius illud Episcopi declarandi vel dispensandi tam late applicandum non est, ut de irregularitatibus *certis* potius veram dispensationem quam declarationem dedisse videatur. Etenim vera dispensatio super irregularitate certa etiam ex vitio corporis saltem ad ordines *primum suscipiendos* Romano Pontifici est reservata, neque ulla solida ratione v. g. ex iuris textu probatur Epi-

---

iunct. c. 10 D. 55, qui Conc. Ilerd. a Grat. tribuitur, sed = c. 33 Conc. Tribur. a. 895; c. 3 D. 15.

(396) Cap. 2 X. de cleric. aegr. III 6; cap. 1, 7 X. I 20.

(397) Cap. 2, 7 X. I. 20; *Gasparri* l. c. n. 262 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 318.

(398) Cfr. c. 1 C. VII q. 2 = epist. Alex. II (a. 1061-1079); c. 2 ead. C. et q. = epist. Gelas. Pap. (a. 492-496); c. 3 D. 33, qui Pio Pap. tribuitur a Grat., sed = c. 13 Conc. Tolet. XI a. 675; *Gasparri* l. c. n. 277 sq. *Epileptici* iure Codicis sub alio capite ponuntur; et est infirmitas talis naturae quae facile in dementiam degeneret.

(399) Cap. 3, 4 X. de cleric. aegr. III 6.

(400) Cfr. c. 13, 14 C. VII q. 1 = epist. Gregor. M. scr. a. 597 et 602.

(401) Cfr. de *energumenis*: C. 4 (Nicolaus Pap. a. 858-867) c. 5 (Gelas. Pap. a. 494) Dist. 33; *Schmalzgr.* l. c. n. 11.

(402) Cap. 2 X. de corp. vitiat. I 20; *Suarez* l. c. n. 16; *Schmalzgr.* l. c. n. 15, 16; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 17 sq.; *Gasparri* l. c. n. 254 sq. Praelati regulares exempti sane sententiam illam *declaratoriam de vitio corporis post* ordinationem superveniente pro suis subditis religiosis quoad exercitium ordinum saltem intra monasterium dare possunt. At quoad ordines *suscipiendos* ius illud Praelatorum regularium declarandi vel dispensandi saltem in casibus dubiis practici momenti non est; si Episcopus ordinans iudicio vel dispensationi Praelati regularis stare recusat. Id, quod Episcopus pro suo prudenti arbitrio fecere potest. Quodsi irregularitas ex vitio corporis sit certa, etiam Praelati regulares ex iuris communis concessione potestate dispensandi non gaudent. Cfr. *Suarez* l. c.; *Schmalzgr.* l. c.; *Gasparri* l. c.; *Lega* l. c. p. 370.

scopis potestatem dispensandi super *certa* irregularitate ex vitio corporis competere *post* ordinationem, si quis *bona fide* cum illa irregularitate ordines suscepit (cfr. cit. can. 968, § 2) (403).

III. - De defectu sanae rationis (404).

« *Qui epileptici vel amentes vel a demone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere* ».

240. Irregularitas ista nititur *defectu expediti usus rationis* ex aliqua *causa habituali*. Quo defectu laborant imprimis *pueri* ante adeptum usum rationis; hi tamen, cum sit defectus naturalis in omnibus existens non dicuntur irregulares. Porro ex tali defectu a statu clericali arcentur *fatui* sive *stupidi*, *oppressi* tantis doloribus capitis, ut functiones sacras absque periculo graviter errandi perficere nequeant, praesertim vero *amentes* non solum, qui actuali et perpetua laborant insania, sed etiam ii, qui lucida intervalla (405) habere dicuntur.

Imo etiamsi huiusmodi amentes *convaluerint*, saltem in Ecclesia latina ex praxi vigente *absque dispensatione Sedis Apostolicae* (406) ad statum clericalem vel sacros ordines promoveri non possunt. At clerici, qui *post* sacram ordinationem in amentiam incidunt, re-

---

(403) *Suarez*, De cens. disp. 50 sect. 5 n. 4; *Gasparri* l. c. n. 232.

(404) *Suarez* l. c. disp. 51 sect. 1 n. 2 sq.; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 134 sq.; *Gasparri* l. c. n. 277 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 312 sq.

(405) Cfr. c. 2 D. 33., qui canon a Gratiano falso adscribitur S. Gregor. M., sed est auctoris incerti; *Suarez* l. c. n. 4; c. 16 Conc. Arausic. (a. 441); c. 6 Conc. Aurel. III (a. 538).

(406) *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 101; Synod. vero Sciarf. (a. 1888) p. 157 sq. amentem, *postquam* a morbo sanatus sit atque per *septem* annos sanus permanserit, vel ab ipsis ordinibus *suscipiendis* non amplius arcet. Hisce amentibus cum lucidis intervallis tanquam irregulares adnumerari quoque possunt, ut fit in Codice: **Epileptici** et etiam *lunatici* (cfr. c. 15 C. VII q. 1 = c. 14 Conc. Tolet. XI (a. 675); c. 1 C. VII q. 2 = epist. Alex. II (a. 1061-1073); c. 2 C. VII q. 2 = epist. Gelas. (a. 492-496); *Suarez* l. c. n. 6; *Gasparri* l. c. n. 277 sq.; *Lega* l. c. p. 371 sq.; item *melancholici* sive *ideis fixis* laborantes (cfr. S. C. C. in caus. Comaclen. 19 Iul. 1828 in cit. Caus. sel. S. C. C. p. 101); S. C. C. in caus. Friburg. 17 Apr. 1901 et 19 Iul. 1902; *Familler*, Pastoral-Psychiatrie p. 39 sq. 17 sq. 56, 63, 148 sq.

late ad ordinum exercitium mitius tractantur, si secundum prudens iudicium competentis *Episcopi* vel *Superioris regularis* denuo sanae rationis compotes sint (407).

Denique *energumeni* etiam ex defectu rationis irregularitati obnoxii sunt; idcirco a statu clericali iam ex antiquissimo Ecclesiae iure prohibentur (408); ex disciplina quoque vigenti *absque dispensatione Sedis Apostolicae* simpliciter ordinari nequeunt, *etiamsi* iam per notabile tempus ab obsessione diaboli videantur esse liberati (409). Si quis clericus *post* promotionem obsideatur a diabolo, per Episcopum vel Superiorem regularem ad usum sacrorum ordinum iterum admitti potest, postquam per annum vel aliud tempus prudenti iudicio Episcopi vel Superiorum alias competentium definiendum inventus fuerit liber ab incursionibus diaboli (410).

IV. - De bigamia (411).

241. Notae historicae. I. S. Apostolus Paulus statuit, ut Episcopi, presbyteri, diaconi sint unius uxoris viri. Cfr. I. Timoth. III, 2, 12; Tit. I, 6. Quae mandata S. Pauli complures SS. Patres velut S. Chrysostomus atque S. Hieronymus ita interpretati sunt ut *biga-*

(407) S. C. C. 11 Aug. 1900; *Suarez* l. c. n. 5; dict. Grat. post. c. 13 C. XV q. 1; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 158.

(408) Cfr. c. 79 (78) Apost.; Const. Apost. lib. VIII cap. 32; *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cp. 62 n. 25 cp. 79 n. 3 sq. cp. 82, 83; *Kraus*, Real-Encykl. t. I p. 414.

(409) Cfr. c. 3 D. 77 = c. 13 Conc. Tolet. XI (a. 675); cit. c. 2 D. 77; c. 4 (Nicol. P.) 5 (Gelas.) D. 77; S. C. C. in caus. Mediol. 2 Dec. 1724 affirmata expresse irregularitate oratoris et in caus. Panorm. 10 Apr. 1682, licet oratores in utroque casu iam per biennium a diaboli obsessione fuissent liberi, tamen « *pro nunc* » denegavit dispensationem; at in caus. Foroliv. 27 Apr. 1816 elapso *decennio* concessit; *Suarez* l. c. n. 7; *Boenningh.* l. c. p. 135 sq.; ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 340; *Gasparri* l. c. n. 273 sq.

(410) *Suarez* l. c. n. 7; *Boenningh.* l. c. Imo in praxi etiam ad rehabilitandos clericos *iam promotos* recurritur ad *Sedem Apostolicam.*

(411) Decret. Grat. Dist. 26, 33, 34; c. 3 D. 77; c. 1 C. XXVIII q. 3; cpl. I et III tit. de big. non ord.; cpl. II et IV de bigamis; Decretal. Gregor. IX l. I, tit. 21, *de biganis non ordin.* Decretal. Bonif. VIII lib. I tit. 12 de bigamis; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 17 de ref.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 124 sq.; commentat. in cit. tit. iur. Decretal.; *Phillips* l. c. § 51; *Suarez* l. c. disp. 49; *Boenningh.* l. c. fasc. II p. 168 sq.; *Gasparri* l. c. n. 373 sq.; *Lega* l. c. p. 386 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cap. 78 sq.; *Mueller*, De bigamia irregularitatis fonte; *Sachsse*, D. Lehre v. defect. sacram. Quae irregularitas etiam dicta fuit provenire *ex defectu sacramenti.*

mus primario propter *suspicionem incontinentiae* a sacris ordinibus dicerent esse arcendos (412). At *Graeci* ex severiori sua theoria et disciplina de *secundis* vel *tertiis* vel *quartis nuptiis* quoad ordinationem *bigamorum* deduxerunt mitiorem conclusionem, sc. notam illam bigamiae per baptismum tolli ideoque ex secundis nuptiis ante baptismum celebratis non induci irregularitatem (413).

II. Patres vero Ecclesiae latinae (414) praesertim praeeunte S. Augustino verba Apostoli Pauli *primario, non ob suspicionem incontinentiae* et quasi malitiam secundarum nuptiarum (415) dicta esse existimarunt, sed *propter magnum illud sacramentum coniunctionis unius Christi cum una sponsa Ecclesia* in secundis nuptiis minus perfecte repraesentatum. Inde factum est, ut iidem Patres latini non obstante sua benigniore sententia de secundis nuptiis plane honestis neque ulli poenitentiae subiectis ad severiorem pervenirent conclusionem, scl. eum quoque irregularem esse, qui ante baptismum duas duxisset uxores, aut unam ante baptismum, alteram post baptismum (416). Quae *doctrina S. Augustini* de signaculo *sacramenti* tanquam principali fundamento irregularitatis bigamiae in Ecclesia latina approbantibus Romanis Pontificibus recepta (417) et tandem in ipsas authenticas collectiones Decretalium translata est. Etenim

(412) *Devoti*, Ius can. univers. h. t. 21 de bigam. § 3 not. 3; *Suarez* l. c. disp. 49 sect. 5 n. 1, 2 iunct. cap. 2, 3, 7 X. de bigam. I 21, de origine mere apostolica, non divina irregularitatis ex bigamia *vera* saltem quoad Episcopos, presbyteros, diaconos.

(413) Cfr. c. 17 Apost.; c. 1 (S. Hieronym.) D. 26; c. 1 (S. Hieron.) C. XXVIII q. 3; c. 9 (S. August.) C. XXXI q. 1.

(414) Siricius in Synod. Roman. (a. 386) c. 4, 5; c. 2 (S. August.) c. 3 (Innocent. I scr. a. 414 ad Episc. Maced.) c. 4, 5 (S. Ambros.) Dist. 26.

(415) Minime putandum est hanc irregularitatem primis saeculis ad *solam bigamiam veram* fuisse restrictam; nam mox etiam bigamia quaedam interpretativa, similitudinaria in sacris canonibus occurrit. Cfr. can. Apost. 17, 18, 19 et *Hefele* l. c. t. I p. 805 sq.; c. 24 (= c. 19 Conc. Ancyrit. a. 314; *Hefele* l. c. p. 339) c. 32 (= c. 20, 21 Conc. Aurel. I a. 511) C. XXVII q. 1.

(416) Cfr. cit. can. Dist. 26; c. 2 (S. Aug.) C. XXVIII q. 3; c. 1 Conc. Valent. (a. 374).

(417) Innocent. I l. c. et in c. 13 D. 34 (scr. a. 404 ad Victric. Rothomag.); S. Leo in epist. ad univers. Epis. per Afric. constit. ep. 12 cap. 3 (*Migne*, P. L. LIV 658); S. Gregor. M. lib. II epist. 54 (*Migne*, P. L. LXXVII p. 601 sq.). Quare errat Berardi, si opinatur aetate Innocentii III hanc doctrinam de defectu significationis primum reperiri, quamvis concedi possit certe ex saeculo duodecimo et decimo tertio fuisse generatim receptam. Cfr. *Devoti* l. c. not. 3; *Phillips* l. c. not. 17.

cap. 4, 5, X. de big. I, 21 propter *sacramenti* defectum bigamus a sacris ordinibus prohibetur. Nihilominus Ecclesia latina rationem huius irregularitatis ab Ecclesia graeca receptam non respuit (cfr. cap. 4, 7, X. h. t. de bigam.), sed tanquam *secundariam* omnino admisit. Nam profecto non potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentavit. Cfr. c. 4. (S. Ambros.) D. 12.

Bigami licet can. 17, 18, Apost. non solum ab ordinibus hierarchicis, sed etiam ab universo sacro ministerio prohiberentur (cfr. *Hefele* l. c. t. I, p. 805; *Zhishman*, Eherecht d. orient. K p. 424 sq.), tamen primis saeculis nequaquam ubique a *minoribus* ordinibus fuerunt exclusi. Cuius disciplinae mitioris vestigia tum in Gallia tum in Hispania (cfr. c. 25. Conc. Arausic. I, a. 441; c. 3, 4, Conc. Tolet. I. a. 400), imo in ipsis c. 1, 2, X. de bigamis reperiuntur. At Ecclesia Romana (cfr. Innoc. I. a. 404, in c. 13. D. 34), severiorem secuta praxim bigamos simpliciter ad clerum non admisit. Gratianus, qui in dicto post c. 13. D. 34 rigidiori adhaeret doctrinae, falso postea c. 16, 17, Martino Papae, quem cum Martino Bracar. confundit, mitigationem disciplinae adscribit.

Iuri stabilito in Decretalibus Gregorii IX de bigamis non ordinandis accessit unicum caput de bigamis in Sext. Quod caput desumptum est ex c. 16, Concil. Lugdun. II. a. 1274, in quo Gregorius X controversiam quandam sive " *antiquae altercationis dubium* „ de privilegio clericali bigamorum authentica declaratione diremit (418).

(418) *Passerinus* l. c. in cit. cap. unic. h. t. de big. in Sext. n. I. *Distingui* solebant a canonistis bigamia *vera* et *interpretativa*, cui saepissime tanquam tertia species addebatur *similitudinaria* sive metaphorica. Quae tres species bigamiae evidenter non erant sibi coordinatae. Nam bigamia interpretativa et similitudinaria potius sub bigamia *iuris fictione* constituta, quae bigamiae *verae* ut principali opponitur, tanquam species secundariae comprehendebantur.

Praeterea a canonistis, sed non ex concordi sententia, irregularitas bigamiae *divisa* fuit in bigamiam ex *defectu* et ex *delicto*. Cfr. *Thesaurus*, De poenis eccl. P. II v. Apostasia cap. 4 n. 4; *Sanchez* aliique v. g. *D'Annibale* l. c. n. 418 not. 11 n. 420 contra *Suarez* tenent bigamiam saltem *similitudinariam* esse irregularitatem ex *delicto*. Alii v. g. *D'Annibale, Lega* l. c. p. 391 sq. etiam *aliquas* irregularitates ex bigamia *interpretativa* irregularitatibus ex *delicto* adnumerant, quotiescumque causa proxima irregularitatis est crimen. Cui sententiae pariter contradicunt *Suarez, S. Alphonsus* aliique, qui *omnem* irregularitatem ex bigamia interpretativa dicunt esse *irregularitatem ex defectu*. Synodus quoque Sciarf. (a. 1888) p. 158 sq. et Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 142 sq. bigamiam *similitudinariam* recensent inter irregularitates ex *defectu*. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 391,

Tandem *Concilium Tridentinum* Sess. XXIII cap. 17 de ref. bigamiam per transennam attingit, unde deducitur irregularitatem bigamiae etiam ad tonsuram et ordines minores extendi. Qua ratione, quod in iure antiquo iam fuit contentum, etiam disertis verbis est expressum. Exinde novae leges de bigamis non iam prodierunt.

242. Disciplina vigens. « *Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt* ». *Bigamia* in genere *est duplicatio* sive *iteratio matrimonii*. Quare bigamia hoc loco etiam comprehendit trigamiam etc.

Ergo iure Codicis *Inducitur* irregularitas bigamiae ex sola *bigamia vera* sive successiva, propter *sacramenti defectum*, quae in hoc consistit, quod quis *successive*, non simul, ut fit in polygamia, sive *ante* baptismum sive *post* baptismum cum *duabus* (vel *tribus* vel *quatuor* etc.) feminis verum *matrimonium valide* contraxit, nec iure Codicis requiritur ut *utrumque* matrimonium *consummaverit*, ut requirebatur iure praecedenti (419).

V. - De defectu famae (420).

243. Notae historicae. S. Apostolus Paulus (I Timoth. III 7) iam monet: « *Oportet autem illum* (i. e. Episcopum) et *testimonium habere bonum* ab *iis, qui foris* sunt, *ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli* ». Quod praeceptum apostolicum quam sa-

393, 402. Omnes illae explicationes et disputationes circa triplicem speciem bigamiae iure Codicis manent antiquatae: *ex defectu* sola mansit irregularitas ex bigamia *vera*; bigamia similitudinaria mansit in Codice, sed non sub nomine bigamiae, sed affertur tamquam irregularitas *ex delicto*, quod delictum originem dans irregularitati claris verbis proponitur; atque idem dicendum est de bigamia interpretativa.

(419) Cfr. c. 17, 18 Apost.; c. 13, 14 D. 34; cap. unic. h. t. de bigam. in Sext.; *Schmolzgr.* h. t. n. 2; *Pirhing* h. t. n. 4; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 21 n. 4; *Boenningh.* l. c. fasc. II p. 176 sq.; *Suarez* l. c. disp. 49 sect. 1; *Sanchez*, De sanct matr. sacram. lib. VII disp. 83 n. 1 sq.; *Gasparri* l. c. n. 373 sq.; *D' Annibale* l. c. P. I n. 416 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. t. VII, p. 385 sq.

(420) Cfr. leg. Rom. et Decret. Grat. locis mox citandis; commentatores iur. Decretal. in tit. 37 lib. V v. g. *Schmalzgr.* l. c. n. 165 sq.; *Suarez* l. c. disp. 48; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 157 sq.; *Thesaurus*, De poenis eccl. P. I cap. 33; *Phillips* l. c. § 53 p. 536 sq.; *Gasparri* l. c. n. 284 sq.; *Scherer* l. c. p. 343 sq.; *Lega* l. c. t. III p. 341 sq.; *Hollweck*, D. k. Strafg. §§ 77 sq.; *Hinschius* l. c. p. 30 sq.

pienter datum sit, neminem profecto latere potest. Etenim ut clerici integritate bonae famae excellant, ipsa dignitate sacri ministerii requiritur, cuius functiones cum fructu et efficacia quis obire non potest, nisi bona fama praeditus sit. Quodsi in ullo statu defectus *unius* in *universum statum* redundat, id obtinet in statu *clericali*, et ita fieri potest, ut turpi actione unius clerici totum ministerium sacrum vilescat. Quare optimo consilio Ecclesia monitum Apostoli Pauli secuta inde a primis saeculis infames a statu clericali exclusit (421), atque ut de bona fama promovendorum clericorum certius constaret, ex antiquissima praxi populi testimonium requisivit et scrutinia instituit (422). Inde facile quoque intelligitur, quare Ecclesia antiquis temporibus *laicos*, qui ob gravia delicta *publicae poenitentiae* fuerant subiecti, etiam *post* reconciliationem ad *honorem clericatus* non admiserit (423).

Quae quaestio cum intime connexa esset cum infamia *ex delictis* orta, Ecclesia in hac re vestigia iuris Romani (424) secuta est et leges populorum germanicorum non omnino neglexit (425). Profecto nimius rigor fuisset, si propter unumquodque peccatum mortale forte plane occultum irregularitas esset statuta (426). Hinc paulatim introductum est illud discrimen inter irregularitatem, *certis* tantum *delictis* etiam occultis adnexam atque irregularitatem, quae ex delicto solummodo oritur, si illud *cum infamia* sit coniunctum (427).

244. Disciplina vigens. « *Qui infamia iuris notantur* ». I. Infamia (428) *intelligitur* bonae famae vel existimationis privatio vel

(421) C. 6 (Innoc. I) D. 33; c. 2 (dist. Grat.) c. 3, 5 C. III q. 7 (S. Gregor. M.); c. 5 (Conc. Tolet. IV a. 632) D. 51; c. 13 C. XXVI q. 5 (Conc. Tolet. XIII a. 683); c. 4 Conc. Tolet. XVII (a. 694).

(422) Cfr. c. 3 (Siric. a. 385) D. 77; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 13, 14, de ref.

(423) Siric. epist. 1 ad Himer. cap. 13; *Kober*, D. Deposit. p. 70 sq.; *Gasparri* l. c. n. 186 sq.

(424) Cfr. c. 2 (cap. Angilr) c. 17 (Pseudo-Steph.) C. VI q. 1; c. 2 § 20 C. III q. 7; R. I. 87 in Sext. secundum analog. L. 2 Cod. de dignitatib. XII 1.

(425) *Schmalzgr.* l. c. n. 170; *Phillips* l. c. p. 538 sq.

(426) Cfr. c. 17 (Pseudo-Isid.) C. VI q. 1; *Suarez* l. c. sect. 2; *Boenningh.* l. c. p. 160 sq.; *Phillips* l. c. p. 543 sq.; *Hollweck* l. c. § 77 not. 1, ubi scite animadvertit ab Ecclesia non fuisse expectatum Pseudoisidorum, ut poena infamiae in foro ecclesiastico reciperetur; paulo aliter *Hinschius* l. c. t. V p. 41.

(427) Cap. 4, 17 X. de temp. I 11; cap. 5 X. de furtis V 18; *Scherer* l. c. p. 347; *Phillips* l. c. p. 544 sq.

(428) Cfr. de notione infamiae secundum ius Romanum: Dig. III 2 de his,

diminutio. Bona fama vero est dignitatis illaesae status legibus ac moribus comprobatus. Cfr. L. 5 § 1. Dig. de extraord. cogn. L, 13. Quae bona fama est duplex scl. civilis et canonica. Illa habetur, si cives aliquem habent dignum, qui omnibus iuribus status civilis fruatur, altera consistit in bona existimatione aliorum catholicorum, qua quis reputatur dignus, ut fruatur iuribus status christiani.

II. Infamia *dividitur* in infamiam *facti* et in infamiam *iuris* (429). Illa oritur ex delicto *vel* poena diffamante *vel* facto sive defectu ignominioso et publico personae, quae a iure quidem infamia non notantur, sed nihilominus efficiunt, ut quis *de facto opinione* virorum gravium et honestorum bona fama privetur sive in foro civili sive in foro canonico sive in utroque, praesertim si vel in ipso foro civili illa bona aestimatio merito cessarit. Quare fieri potest, ut *legis* dispositione status illaesae dignitatis non iam comprobetur, licet de facto bona aestimatio ex opinione hominum perseveret et vicissim. In priori casu habetur infamia iuris tantum, in altero solummodo infamia facti. At non raro infamia iuris cum infamia facti potest concurrere atque *completam* et totalem constituere infamiam. Infamia autem iuris *proxime* et *directe* inducitur *ex dispositione legum* civilium *vel* ecclesiasticarum, quae delictum aut *ipso iure* aut per *sententiam iudicis* infamia notari statuunt. Hic profecto sermo est de infamia iuris per *ecclesiasticam* legem inducta.

III. Infamia iuris est poena vindicativa, quae non incurritur nisi in casibus in iure expressis et sola dispensatione Sedis Apostolicae cessat. Iidem ergo erunt casus irregularitatis, qui sunt casus expressi in iure circa iuris infamiam. Ipsa irregularitas erit *ex defectu* sc. bonae famae, quamvis infamia iuris non contrahatur nisi propter delictum.

IV. Delicta, quibus inusta est iuris infamia, sunt sequentia: 1°) Qui species consecratas abiecerunt vel in malum finem abdu-

---

qui notantur infamia; Cod. II 12 ex quib. caus. infam. irrogatur X. 57 de infam.; c. 2 (cap. Angilr.) c. 17 (cap. Pseudo-Isid.) C. VI q. 1; *Arndts-Serafini*, Lehrb. d. Pand. §§ 29 sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 52. Cfr. de diversis gradibus infamiae in iure germanicorum populorum: *Walter*, System. d. g. d. Privatr. p. 61; *Gerber*, System. d. d. Privatr. §§ 39 sq. Cfr. quoque *Suarez* l. c. disp. 48 sect. 1 n. 1, qui notiones huc spectantes praeclare exponit; *Schmalzgr.* l. c. lib. V tit. 37 n. 165 sq.; *D'Annibale* l. c. P. I n. 121, 122; *Gasparri* l. c. n. 284 sq., ubi rem solide tractat; *Lega* l. c. p. 341 sq.

(429) Cap. 17 X. de temp. I 11; *Suarez* l. c. n. 3 sq.; *Gasparri* l. c.

xerunt (c. 2320); 2⁰) Qui violant cadavera aut sepulturas (2328); 3⁰) Sacrilege manus iniicientes in personam Rom. Pontificis, vel Cardinalis aut Legati R. P. (2343); 4⁰) Duellum committentes eiusque patrini (2351); 5⁰) bigami (c. 2356); 6⁰) Damnati ob peccatum contra VI cum personis a. 16 minoribus, vel ob sodomiam, incestum, lenocinium (c. 2357).

Habentur casus in quibus per sententiam incurritur infamia iuris: 1⁰) laici lapsi in apostasiam, haeresim vel schisma, si post monitionem non resipiscunt (2314); 2⁰) Clerici peccantes contra VI cum minoribus 16 ann., vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum (can. 2359, § 2) committentes.

Infamia facti iure Codicis non amplius adnumeratur inter *irregularitates* sed inter *impedimenta*, quia non est perpetua et cessare potest et solet.

VI. - De defectu perfectae lenitatis.

245. " Iudex qui mortis sententiam tulit ". Haec irregularitas et sequens dicebatur oriri *ex defectu perfectae lenitatis* (430).

I. **Notae historicae.** Christus Dominus, sacerdos novi testamenti, non solum verbis, sed maxime exemplo suo mansuetudinem efficaciter docuit. Cfr. Matth. XI, 29. Summopere igitur congruit, ut sacerdotes quoque legis novae praeclarum illud exemplum imitentur. Hinc iam S. Paulus " *percussorem* " noluit esse Episcopum vel diaconum. Cfr. I. Timoth. III, 3; Tit. I, 7. Ecclesia vero sacris canonibus inde a primis saeculis viros, qui sanguinem humanum etiam citra culpam effudissent, a statu clericali prohibuit (431). In antiquo imperio Romano huius principii practica applicatio facta est, cum forte iudices criminales vel milites ad ordines essent ad-

(430) Dist. 50 c. 4-8, 36 sq.; Dist. 51; Decret. Gregor. IX, I, 12 de homicidio; lib. V tit. 4 de homic. in Sext.; lib. V tit. 4 de homic in Clem.; *Suarez* l. c. disp. 47; *Boenningh.* l. c. fasc. II, p. 110 sq.; *Scherer* l. c. p. 340 sq.; *Phillips* l. c. § 50; *Gasparri* l. c. n. 405 sq. 447 sq.; *Lega* l. c. p. 405 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 66 sq.; *Benedict XIV*, Inst. eccl. 101; *Kober*, D. Deposit. p. 250 sq.; *Hinschius* l. c. t. I, p. 26 sq.

(431) Cfr. c. 64 Apost.; c. 1 D. 51 = epist. Innoc. I scr. a. 404; c. 8 (Martin. Brac.) D. 50; c. 4 (c. 8 Conc. Tolet. I a. 400); c. 5 (c. 19 Conc. Tolet. IV a. 633) D. 51; c. 29 (c. 31 Conc. Tolet. IV), c. 30 (c. 6 Conc. Tolet. XI a. 675) C. XXIII q. 8.

mittendi (432). Tempore medii aevi (433) Episcopi tanquam vassalli regum in bellum profecti sunt, aut causas sanguinis *ipsi** diremerunt (cap. 5, 9, X. ne clerici III. 50) vel aliis dirimendas commiserunt (434); alii quoque clerici ab armis et bellis non multum abhorruerunt. Hinc huius irregularitatis etiam ut supervenientis frequens fuit occasio. Tandem cum scientia medicorum eodem tempore parum exculta esset, haud raro ars medica deficientibus melioribus medicis a monachis et clericis fuit exercitata. Cfr. Act. theol. Tubing. t. 55, p. 598, sq. At lenitati status religiosi et clericalis videbatur repugnare, ut monachi et clerici saltem maiorum ordinum per adustionem vel incisionem chirurgiae artem exercerent. Id, quod multo magis obtinuit, si ab operationibus istis chirurgicis periculum homicidii casualis vel vere culpabilis non fuit alienum. Quare inde a Clemente III (cap. 7, X. de aet. I. 14) et Innocentio III (cap. 19, X. de homic. V, 12) de medicis atque de clericis et monachis artem chirurgicam exercentibus leges prodierunt et usque ad nostram aetatem vim quandam retinuerunt, et quoad partem in Codice receptae sunt, can. 139, § 2.

II. **Disciplina vigens.** Incurrit irregularitatem *iudex* qui sententiam mortis tulit, sive executioni fuerit mandata sive non (435). Intelligitur sententia *iusta*, ut irregularitas proveniat *ex defectu* i. e. perfectae lenitatis; nam si sententia fuerit certo *iniusta* et executioni fuerit mandata, tunc potius esset quaestio de irregularitate ex delicto homicidii. — De *executoribus* cavet irregularitas sequens. — De cooperatoribus Codex silet (436).

(432) Innocent. I in cit. epist. scr. a. 404.

(433) Cfr. c. 1 sq. C. XXIII q. 8: *Thomassin.* l. c. cap. 66 sq.; *Phillips* l. c.; *Hinschius* l. c. p. 26 sq.

(434) Cap. 3 ne cleric. III 24 in Sext. Cfr. quoque cap. 4 X. de raptorib. V 17.

(435) Cfr. c. 1 D. 51; c. 8 (Martin. Braca.) D. 51; de clericis vero: cap. 5, 9 X. ne cleric. III 50; cap. 4 X. de rapt. V 17 iunct. cap. 3 ne cler. III 24 in Sext.; *Scherer* l. c. p. 340 not. 34 et *Suarez* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 451 sq.; *D'Annibale* l. c. P. I n. 425 sq.

(436) Iure praecedenti irregularitas dicebatur provenire ex participatione in iudicio sanguinis; quae *participatio* variis modis haberi potest; v. gr. iudices assessores seu instructores causae, actuarii, accusatores privati et publici advocati et procuratores qui contra reum partes suscipiunt, testes ultronei et tandem executores, quos omnes sub irregularitate comprehendi communiter tenebatur; imo *D'Annibale* l. c. n. 425, not. 5 invehitur in plures veteres theologos, quos in extendenda irregularitate ad quamlibet etiam valde remotam

Iudices iurati, ubi institutum iuratorum viget, non videntur comprehendi iure Codicis, quamvis iure praecedente a pluribus comprehenderentur. Ipsi iudicant de solo facto, quod iudicium licet influat in sententiam a iudice proferendam, non tamen efficit ut vere possit dici a iudicibus iuratis sententiam mortis ferri (437). — Demum videtur tenendum, sicut iure praecedenti, factum, de quo agitur, debere esse positum a iudice *post baptismum*, cum non baptizatum non urgeat illa *specialis* obligatio imitandi mansuetudinem Christi, quae est ratio cur introducta fuit haec irregularitas (438).

Si tribunal fuerit, ut nunc solet, collegiale, sententia capitalis non fertur nisi per maiorem suffragiorum numerum: quare videtur dicendum a nullo ex iudicibus collegialibus irregularitatem contrahi, si in sententiam capitalem minor suffragiorum numerus concurrerit, in quo nulla difficultas; sin vero numerus maior suffragiorum adfuerit, ab illis solis incurri qui suffragium pro poena capitali dederint non ab aliis.

Iam animadvertebant doctores ab hac irregularitate facilius dispensationem concedi. Cfr. exempla dispensationum apud *Lingen et Reuss*, causae select. S. C. C. p. 113 sq. (439).

246. III. Cum praecedenti connexa est irregularitas, quae can. 984, n. 7 ita describitur: *"Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii et immediati ministri in executione capitalis sententiae"*.

Carnifices fiunt irregulares a momento suscepti muneris, quod munus in communi aestimatione censetur vile et aliquam maculam inurere personae putatur; ministri eius nonnisi a momento ex quo voluntarie et immediate executionem poenae capitalis peregerint.

---

participationem vix non truculentos fuisse asserit. At iure Codicis irregularitas fertur *in iudicem ferentem sententiam*, quod factum illis cooperatoribus tribui non potest.

(437) Id iam iure praecedenti tenuit *Gasparri* l. c. n. 454: iure Codicis videtur a fortiori huic sententiae adstipulandum ob rationes praeced. nota allegatas.

(438) Cfr. c. 1, D. 51; *Suarez* l. c. d. 47, sect. 1, n. 1 iunct. *Ballerini-Palmieri* t. VII, n. 514.

(439) De alio defectu lenitatis per participationem in bello ubi homines occisi sint, Codex silet; quae erat irregularitas valde implexa et pendebat a notionibus valde confusis de bello *defensivo* et *offensivo*, de bello *iusto et iniusto*; quae notiones in modo quo hodie geruntur bella non suppeditabant criterium practicum, pro asserenda vel neganda irregularitate.

Art. 3. — De irregularitatibus ex delicto ortis.

247. Ut supra praemissum est irregularitas ex delicto orta non est stricta poena, qua puniatur delictum unde irregularitas oritur, cum irregularitas in catalogo taxativo poenarum iure Codicis vigentium non adnumeretur (cfr. canones 2291, 2298); ac proinde pro obiectiva ratione habet specialem indecentiam quam prae se fert, ut altari ministret is, qui determinatis in iure delictis se maculavit. Nihilominus irregularitas ex delicto etiam iure Codicis tractatur ad modum poenae et generalia principia de poenis huic irregularitati applicantur.

Quare delicta irregularitate notata hanc non pariunt, nisi fuerint *gravia peccata externa*, sive *publica* sive *occulta*, et quod fuerint perpetrata *post baptismum* (440), salva irregularitate quae inducitur ex sacrilega susceptione baptismatis a ministro acatholico (can. 986).

Ex quo principio: 1) Excusatur ab irregularitate ex delicto qui posuerit actionem per se causativam delicti aut sine peccato, vel sine peccato gravi, vel bona fide aut in materia levi. Hoc sensu excusat ignorantia legis ecclesiasticae (non divinae) prohibentis, nisi fuerit crassa; at non excusat ignorantia irregularitatis.

2) Qui actionem delictuosam ponit ex metu gravi excusante a lege positiva, licet non a naturali v. g. qui ex metu vere gravi ponit actum ordinis sibi poena canonica prohibitum. Pleraque tamen delicta quae irregularitatem de iure pariunt sunt actus intrinsece mali, quorum positio vergit in contemptum fidei, vel ecclesiasticae auctoritatis aut in damnum animarum, in quibus metus etiam gravit non tollit imputabilitatem (can. 2205, § 3).

---

(440) Per *baptismum*, qui omnia crimina et peccata delet, impeditur, ne oriatur irregularitas *ex delicto* ante baptismum patrato, nisi ratione *infamiae* etiam post baptismum perdurantis inducatur irregularitas *ex defectu*. Quare sensu stricto per baptismum nulla irregularitas *tollitur*, cum ante baptismum in catechumeno vera irregularitas non existat; sed *defectus* quidam, qui etiam post baptismum remanent, possunt efficere, ut baptizatus *constituatur* irregularis v. g. ex bigamia, ex vitio corporis, ex illegitimis natalibus. Cfr. c. 1 D. 26 (S. Hieronym. de bigamia, ut culpam quandam continet); c. 1 Conc. Valent. (a. 377); c. 3 D. 77 (Siric. a. 385); Innoc. I a. 404 in c. 13 D. 34, a. 414 in c. 3 D. 26; c. 1 C. XXVII q. 1; c. 18 C. 1 q. 1; *Schmalzgr.* l. c. n. 110; *Scherer* l. c. p. 353.

3) Qui causam quidem posuit delicti, ideoque etiam graviter peccavit, delictum tamen non consummavit v. gr. qui arma contra inimicum explosit, at frustra.

Delicta unde iure Codicis inducitur irregularitas sunt sequentia:

248. I. Delictum **apostasiae, haeresis, schismatis** ad normam canonis 1325 (441). Delicta haec debent esse externa, sed non necessario *publica* (442), quamvis in delictis occultis facilior sit dispensatio quam in publicis. Quae irregularitas iure praecedenti a nonnullis doctoribus (443) repetebatur ex *infamia*, non directe ex delicto; quod iure Codicis sustineri non potest, ut apparet ex ipso canone 985 collato cum can. 2314.

(441) Cfr. c. 18 C. I q. 1; c. 21 C. I q. 7; cap. 2 § 2 de haeret. V 2 in Sext. iunct. praxi et communi interpretationi doctorum v. g. *Pirhing* l. c. lib. V tit. 7 n. 45; *Suarez* l. c. disp. 43 sect. I n. 2; *Boenningh.* l. c. fasc. I p. 106 sq.; relat. (*Benedict. XIV*, Quaest. can. 30) in caus. Roman. 21 Maii 1718 in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 183 sq.; *Gasparri* l. c. n. 460 sq. Cfr. de praxi Ecclesiae antiquae modo severiori modo benigniori contra haereticos: *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 62 sq.; c. 51 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 1, 2 Conc. Ancyr. (a. 314) = c. 32 D. 50; c. 8, 9, 10, Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 8 C. I q. 7, c. 4 D. 81; *Hefele* l. c. t. I p. 408 sq.; c. 18 C. I q. 1 (Innocent. I a. 415); c. 10 Conc. Aurel. I (a. 511); Agapet. I (a. 535) ad Episc. Afric.; *Hefele* l. c. t. II p. 758 sq.; c. 1 Conc. Caesaraug. (a. 592); c. 1 (S. Cyprian.) c. 4 (ex Conc. Constantinop. a. 787) c. 21 (S. Leo. a. 447) C. I q. 7.

(442) Cfr. iam de iure praecedenti: Clem. VII Const. « *Cum sicut* » 15 Ian. 1530, Inquisitoribus dat facultatem: « *Haereticos occultos tam absolvendi ab excommunicatione quam dispensandi ab irregularitate* »; *Suarez* l. c. n. 34; *Thesaurus* l. c. v. Haeresis cap. 1 n. 3; *Reiffenstuel* l. c. n. 255, 259; *Boenningh.* l. c. p. 114 sq.; *Scherer* l. c. not. 76; *Hollweck* l. c. § 96; *Hinschius* l. c. t. I p. 46 sq. Cui sententiae contradixit *Pirhing* l. c. n. 46; *Santi* l. c. eod. tit. 7 n. 10; *Lega* l. c. p. 351 sq. aliique, qui ex diversis motivis propter solam haeresim *publicam* putabant irregularitatem induci. Neque limitationes a *Gasparri* l. c. n. 464, 466 propositae « *ex praxi recepta* », ad quam provocabat (scil. de solis haereticis in secta damnata natis vel ad illam transeuntibus vel personaliter per sententiam damnatis), efficaciter videbatur posse probari, si de irregularitate agatur ob *personale delictum haereseos*, ut fassus est *Lega* l. c. p. 353 not. 2, quod irregularitas semper incurratur *ipso facto*, non per ferendam sententiam.

(443) Cfr. *Lega* l. c. p. 353 sq. et *D'Annibale* l. c. n. 430. Pro haeresi etiam *occulta* aderat: cap. 2, 15 de haeret. V. 2, in Sext.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 157, 160 sq.; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 144; *Suarez* l. c. disp. 43, sec. I n. 4; *Braun* in Arch. f. k. K. t. 45, p. 6 sq.; *Hollwek* l. c. § 97, qui summopere miratur, quomodo attento textu cit. cap. 2. 15 (V, 2) in Sext. oriri potuerit opinio, non directe ex delicto haeresis, sed mediante infamia huic delicto ab Ecclesia statuta irregularitatem induci. Sed haec disputatio post Codicem dicenda est antiquata.

249. II. Irregularitas, quae dicta est ex abusu baptismi. « *Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt* » (444). — Siverunt idem est ac permiserunt seu non impediverunt, licet non postulaverint, modo id fecerint cum perfecta cognitione rei et prohibitionis Ecclesiae; unde ex natura rei requiritur aetas adulta (445), in qua irregularitas inducitur, tametsi noverit baptismum sibi conferri, nedum valide, sed etiam ritu praescripto in Rituali Romano.

Huiusmodi irregularitas, non in odium haeretici ministri baptizantis (446), vel ob dubium de valore baptismi haereticorum (447), sed propter *graviter culpabilem communionem cum haereticis in sacris*, quae haeresis favorem continet et fidei inconstantiam prodit, *ipsi baptizato* in iustam *poenam* vindicativam criminis commissi est constituta (448).

250. III. **Attentata sacrilega matrimonii celebratio.** « *Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis*

(444) Cfr. c. 18 i. f. (Innocent. I a. 415) C. I q. 1; c. 10 C. I q. 7 = Felicis III epist. (cap. 5) in Conc. Rom. lecta et approb. et ad Episc. transmissa a. 487 et 488. Cfr. *Thiel*, Epist. R. Pontif. t. I p. 264 et 265; *Hefele* l. c. t. II p. 614 sq.; Agapet. in resp. ad quaest. Conc. Carthag. a. 535 celebr.; *Hefele* l. c. p. 758; c. 3 (Conc. Carthag. III a. 397) c. 4 (Conc. Carthag. V a. 401) C. I q. 4; c. 5 (c. 19 Conc. Tolet. IV a. 633) D. 51. — *Suarez* l. c. disp. 42 sect. 1 n. 11 sq.; *Thesaurus*, De poen. eccl. v. Baptism. cap. 5; *Boenningh.* l. c. fasc. I p. 98 sq.; *Gasparri* l. c. n. 320 sq.; *Hinschius* l. c. t. V p. 687 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 298 sq.

(445) Cfr. cit. c. 3, 4 C. I q. 4; Gloss. ad c. 10 C. I q. 7; S. C. C. in caus. Roman. 21 Maii 1718 in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 181 sq. Quodsi Felix et Agapetus, l. c. in praec. nota, baptizatos in *qualibet* aetate ab haereticis visi sunt a clero excludere, tamen ipsorum verba ex contextu et certe praelucente exemplo Ecclesiae Africanae, ex praxi et traditione ecclesiastica (cfr. c. 3, 4 C. I q. 4) mitiorem accipiunt interpretationem de aetate *doli capace*. Cfr. *Thiel* l. c.; *Hefele* l. c.; *Suarez* l. c. n. 11; *Thesaur.* l. c.; *Boenningh.* l. c. p. 99 sq.; *Scherer* l. c. p. 348; *Schmitz*, D. Bussbuecher (lib. poenitential.) p. 1, 421, 383 sq. Hinc vel ipsi *impuberes* mitius videntur tractandi. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 201 (202) 476.

(446) *Suarez* l. c. n. 11; *Boenningh.* l. c. p. 99, 100.

(447) *Suarez* l. c. n. 10, 13; *Passerin.* Commentar. in Sext. lib. V tit. 2 de haeret. n. 48 sq. et praesertim n. 60.

(448) De altero abusu baptismi consistentis in dolosa seu graviter culpabili *iteratione baptismi* in iniuriam prioris baptismi Codex silet, ideoque irregularitas inde orta manet suppressa; est delictum quod rarius hodie committitur, cum haeresis de nullitate baptismi ab haereticis collati iamdiu penitus fuerit explosa.

etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta ».

Haec irregularitas non indiget explicatione. Iure praecedenti erat irregularitas, quae dicebatur ex bigamia *interpretativa* vel *similitudinaria*, ut apparet ex fontibus et notis historicis supra propositis de bigamia (449).

251. IV. **Irregularitas ex homicidio**. « *Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperatores* ». Haec irregularitas evidentem habet connexionem cum sequente de suicidio et mutilatione.

A) Ecclesia semper voluit viros clero adscribendos vel iam addictos esse « *sine crimine* » S. Paul. ad Tit. I. 6) atque « *irreprehensibiles* »; optimo igitur consilio homicidas inde a primis saeculis non solum a statu clericali arcuit, sed etiam clericos crimine homicidii inquinatos saltem ab exercendis ordinibus iam receptis plane segregandos esse iussit (450). Etenim sacerdotes novae legis imitentur oportet Christum Dominum, regem mansuetum et pacifi-

(449) Inde est quod a canonistis, sed non ex concordi sententia, irregularitas bigamiae divideretur in bigamiam *ex defectu* et *ex delicto*. Cfr. *Thesaurus*, De poenis eccl. P. II, v. apostasia, cap. 4, n. 4; *Sanchez* aliique v. gr. *D'Annibale* l. c. n. 418, not. 11, n. 420 contra *Suarez* tenuit bigamiam saltem *similitudinariam* esse irregularitatem ex *delicto*. Alii v. gr. *D'Annibale*, *Lega* l. c. p. 391 sq. etiam *aliquas* irregularitates ex bigamia *interpretativa* irregularitatibus *ex delicto* adnumerabant, sc. quotiescumque causa proxima esset *crimen*: cui sententiae pariter contradixit *Suarez*, *S. Alphonsus* aliique, qui omnem irregularitatem ex bigamia interpretativa ortam dicebant esse *ex defectu* innixi rationibus iuris. Synodus quoque Sciarf. (a. 1888) p. 158 sq. et Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 142 sq. ipsam bigamiam *similitudinariam* recensebant inter irregularitates *ex defectu*. Cf. *Gasparri* l. c. n. 391, 393, 402. — Quae disputationes per Codicem antiquatae manserunt, et novum ius respexit solum delictum, alias vero species bigamiae in qua delictum non interveniret (excepta bigamia *vera* in sensu supra explicato) abrogavit.

(450) In Decretalibus L. V, tit. 10, 11, 12; L. I, tit. 20 — Cfr. *de clericis percutientibus fideles vel infideles*: Can. 28 [26] Apostolorum = c. 7, D. 45. *De prohibita clerico effusione sanguinis etiam hostium civitatis obsessae*: C. 1 Conc. Ilerd. (a. 524-546) = c. 36 D. 50; *de clericis reis homicidii saltem in rixa*: Cc. 31. Synod. I S. Patricii (a. 450-456) c. 7 (c. 22 Conc. Epaon. a. 517). (Martin. Bracar.) c. 5, 6 (Nicol. M. fr. ep. scr. a. 858-867) c. 4 (Ioann. VIII epist. scr. c. a. 878-882) D. 50. Cfr. quoque Arch. f. k. K. t. 49 p. 37 sq. (*Scherer*) et p. 40 sq., ubi reliquos Gratiani canones inde a c. 36 sq. D. 50, capita iuris Decretalium, decretum reformationis Conc. Tridentini accurate exponit.

cum, atque a sacrificio incruento agni immaculati merito repelluntur, qui ipsi sanguinem humanum effundere ausi sunt (451).

Hinc si quis *iniuste* (452) et *voluntarie* etiam in rixa (453), sive actione propria (454) sive suo efficaci mandato (455) vel consilio aut proxima et saltem positiva cooperatione (456) publice vel occulte (457) alterum hominem vere occidit morte secuta (458), ex delicto (459) incurrit irregularitatem totalem (460). Item qui propriam

(451) *Suarez* l. c. disp. 44 sq.; Comment. in l. V t. 12; *Boenningh.* l. c. fasc. II p. 5 sq.; *Gasparri* l. c. n. 405 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. t. VIII p. 356 sq.; *D'Annibale* l. c. P. I n. 421 sq.; *Lega* l. c. p. 392 sq.; *Hollweck* l. c. §§ 162, 163; *Hinschius* l. c. t. V, p. 793 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 323 sq.

(452) *Occisio* i. e. *ademptio vitae hominis ab homine facta*, si fuerit iusta v. g. ad defensionem vitae cum moderamine inculpatae tutelae, certe ab ista irregularitate incurrenda excusat. Cfr. cap. 2, 3, 10, 18 X. de homic. V. 12; cap. unic. de homicid. V. 4 in Clem. Quam iustam occisionem et antiquiores scriptores v. g. *Huguccio*, *Ioannes Teutonicus*, *Goffredus de Trano* et recentiores canonistae v. g. *Boenningh.* l. c. p. 152 sq.; *Scherer* l. c. in Arch. f. k. K. p. 60 sq. p. 54 nimis arctis circumscripserunt limitibus. Melius rem exponunt *Schmalzgr.* lib. V tit. 12 n. 35 sq. et praesertim *Suarez* l. c. disp. 46; *Gasparri* l. c. n. 430 sq., quorum sententiam sine solidis rationibus impugnavit *Scherer* l. c. p. 61; *Hinschius* l. c. t. I p. 43 aliique. Cfr. quoque *Thesaur.* l. c. v. Homicidium cap. 1; *Hollweck* l. c. § 162 not. 2, ubi scite disserit de illicita occisione vivi foetus humani, sed forte abortivi vel monstruosi; *Antonelli*, Medicina pastor. t. I, n. 190 sq.

(453) Cap. 1, 6 X. V 12; cap. unic. de hom. in Clem., quod certe a Conc. Trid. Sess. XIV cap. 7 de ref. non est immutatum. Cfr. *Suarez* l. c. disp. 46 sect. 1 n. 3 disp. 44 sect. 1; *Boenningh.* l. c. p. 7 sq. 145 sq.; *Gasparri* l. c. n. 413, 414; *Scherer* l. c. in Arch. f. k. K. p. 60; *Schmalzgr.* l. c. n. 10.

(454) Cfr. cit. c. 4, 5, 6, 7, 8, D. 50; cap. 11 X. V. 12; Conc. Trid. l. c. et Sess. XPIV cap. 6 de ref.; *Suarez* l. c. disp. 44 sect. 3 n. 1, 5; *Boenningh.* l. c. p. 7 sq.

(455) Cap. 3 de homicid. V 4 in Sext.; cap. 6, 11, 18 X. de excess. Prael. V 31; *Suarez* l. c. disp. 44 sect. 3 n. 6 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 16 sq.

(456) Cfr. c. 8 D. 50 (Martin. Brac.), ubi iuxta textum originalem loco « *defensione* » legendum est « *assensione* » iunct. cap. 2 X. de cler. pugn. V 14; *Gasparri* l. c. n. 420 sq.; *Ballerini-Palmieri* t. VII, n. 447 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 424. — De cooperatoribus seu concurrentibus in idem delictum. Cfr. can. 2209.

(457) Conc. Trid. Sess. XIV cap. 7 de ref., Sess. XXIV cap. 6 de ref.

(458) *Suarez* l. c. disp. 44 sect. 2 n. 1, 2, atque de cap. 1 de homic. V 4 in Sext. cfr. *Suarez* l. c. sect. 3 n. 6; *Thesaur.* l. c. v. Assassinium cap. 1 n. 4; *Ballerini-Palmieri* l. c. p. 360; *Scherer* l. c. in Arch. f. k. K. p. 45 sq.; *Hinschius* l. c. p. 796 not. 12 p. 797 n. 7.

(459) Quodsi *gravis culpa theologica* intervenerit in homicidio sive praemeditato sive in rixa sive cum enormi negligentia patrato (cfr. can. 2203, § 1), nemo in dubium vocat irregularitatem contrahi. At irregularitas ista ex *delicto gravi* non potest intelligi, si in homicidio patrando omnis culpa *gravis* vere *theologica* absit. Cfr. *Suarez* l. c. disp. 45 sect. 5 n. 4 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 422.

vel alienam vitam defendens *non* servato moderamine inculpatae tutelae aliquem occidit, pariter incurrit hanc irregularitatem (461), si adfuit voluntas occidendi tamquam medium *non necessarium* propriae tutelae.

B) **Procurantes abortum** *effectu sequuto* et cooperatores. Cooperatores intelligendi sunt eodem modo, quo dictum est de homicidio. Est verum homicidium, quamvis Codex praetulit enumerare duo delicta sc. homicidium et procurationem abortus ut praescinderet a controversiis olim existentibus (462). Comprehenditur quae-

---

Hinc falsum est, si *Hinschius* l. c. p. 43 not. 9 p. 45 etiam in hoc casu admisit irregularitatem *ex delicto*. Qui scriptor ut probet suam assertionem, frustra provocat ad « *peremptoriam normam altioris ethicae christianae* ». Hinc antiquiores et recentiores auctores, qui non obstante immunitate a *gravi culpa* theologica hanc irregularitatem extenderunt ad alios casus, potius illam ex *defectu* quodam lenitatis vel ex *alia causa* repetere solebant. Cfr. *Thesaur*. v. Homicid. cap. 1; *Gasparri* l. c. n. 191, 414; *Lega* l. c. p. 290 sq. 395, qui recurrit ad notionem *quasi delicti*, scl. si homicidium absque *dolo*, sed non sine *culpa* committatur, quae constituit quasi delictum; similiter *Hollweck* l. c. § 162 not. 3, 4, putat in *foro interno* aliquem habendum esse immunem ab irregularitate ex homicidio, si *culpa gravis* sive lata vere abfuit, licet intervenerit *culpa levis*; at etiam prae oculis habendus est can. 2218, § 2, maxime iure Codicis ubi (can. 986) exigit ut delicta sint gravia *peccata*. Cfr. *Lega* l. c. p. 397 sq.

(460) *Suarez* l. c. disp. 44 sect. 4. Porro Ecclesia adeo abhorruit ab homicidio, ut in eius odium statuerit, ut si quis certus esset *de facto* homicidii, sed *dubius* haereret num ipse actione sua illius *causa* fuisset, saltem *sacerdos* per irregularitatem quamdam partialem esset exclusus a celebratione Missae. Cfr. cap. 12, 18, 24 X. de homic. (V, 12); *D'Annibale* l. c. n. 428, not. 12; *Gasparri* l. c. n. 152, 409. Quod praescriptum in Codice non fuit relatum.

(461) Cap. 2, 3 X. de homic. V 12; cap. unic. de homic. V 4 in Clem. iunct. cap. 10, 18 X. de homic. et decis. S. C. C. apud *Lingen et Reuss*, Caus. select. p. 116 sq.; Conc. Trid. ed. *Richt*. p. 92 sq. Cfr. quoque can. 2205, § 4.

(462) Propter illas controversias, iure praecedenti haec irregularitas satis communiter dicebatur incurri a procurantibus abortum foetus animati anima rationali. Quodsi Sixtus V, Constitutione « *Effrenatam* » 29 Oct. 1588 poenas abortus etiam ad procurationem abortus foetus *inanimis* extenderat; deinde Gregorius XIV dictam constitutionem Sixti V, *in ea parte*, ubi de his agit ad terminos iuris communis antea vigentis de foetu tantum *vivificato* reduxit. Et certe de *vivificato conceptu* agit cap. 20 X. de homic. (V, 12) Innocent. III. Cfr. quoque c. 8, 9 (S. August.), c. 10 (S. Hieron.) C. XXXII, q. 2. Passim videlicet et diuturno tempore admisa est (cfr. *Eschbach*, Disput. physiologico-theolog. p. 210 sq.) theoria illa antiqua, secundum quam foetus *masculini* anima rationali animantur *quadraginta diebus*, quae in textu quodam iuris v. g. cit. cap. 12 X. de homic. non erat expressa quoad irregularitatem incurrendam. Distinctio vero inter conceptionem et animationem aut omnino non existit aut ad angustiores limites erat coarctanda, et certe hodie passim reiici-

cumque actio *directe* ordinata ad occidendum foetum vel illum ponendi in statu in quo vivere non possit (463).

252. V. **Irregularitas ex mutilatione vel suicidio.** „ *Qui seipsos vel alios mutilaverunt, vel sibi vitam adimere tentaverunt* „ (464).

Mutilatio est abscissio membri, seu partis corporis propriam et distinctam functionem habentis, quae proinde debet per abscissionem a corpore separari, non mere vulnerari; et irregularitas contrahitur a peragente mutilationem in se (465) vel in alio.

Suicidium est evidenter delictum homicidii continens; in eo tamen ex natura rei debuit attendi delictum mere attentatum per medium de se efficax.

---

tur. Cfr. *Antonelli*, Medicina pastoralis t. I p. 130 sq. Hinc sanctiones canonicae Const. Sixti V de foetu inanimato et Gregorii XIV de foetu animato practice nunc non multum inter se differunt.

Postquam autem iam Pius IX ad incurrendam poenam excommunicationis non apponit clausulam de foetu *animato*, nec Codex et Codex idem praestitit can. 2350 et hoc loco, non amplius videtur habere ullam probabilitatem illa restrictio de abortu foetus *animati*. Videlicet Codex dicendus est esse loquutus secundum id quod scientifice hodie tenetur foetum ab ipso initio conceptionis animari anima rationali, quamvis prudente abstinuerit a quaestione scientifica directe dirimenda.

(463) Cfr. decis. S. Off. 19 Aug. 1889: « In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant... et quamcumque operationem chirurgicam *directe* occisivam foetus, vel *matris* gestantis » (Cfr. Collect. S. C. P. F. (ed. 2) n. 1716. Cfr. quoque ibid. n. 1906 et *Monitore* vol. 10, p. 2, 52.

(464) Cfr. cap. 3 de homic. (V, 4) in Sext.; cap. unic. eod. in Clement.

(465) Imo qui *seipsum voluntarie* solummodo per abscissionem *partis* membri mutilasset, iure praecedenti iam fiebat irregularis, licet illa abscissio *in alio facta* ad incurrendam irregularitatem non sufficeret. Cfr. c. 6 (Innocent. I) Dist. 55. Qui rigor in Codice non fuit relatus. Porro qui eunuchus factus est *a nativitate* aut *per iniuriam hominum* aut propter *necessariam operationem chirurgicam* certe ab irregularitate immunis est (cfr. c. 4, 8 (c. 22, 23, 21 Apostol.), c. 7 (c. 1, Conc. Nicaen. a. 325) D. 55; c. 1, § 1 (Gelas. I, a. 496) D. 36; cap. 3, 5, X. de corpore vitiat. I, 20. At qui sine causa aut insufficienti velut cantores ad conservandam vocem (cfr. Benedict. XIV, De Synodo, l. XI, cap. 7, n. 4, 5), aut indiscreto zelo velut Origenes (cfr. quoque cap. 4, X. I, 20) seipsos castraverunt vel castrari permiserunt, irregularitatem non effugiunt. Cfr. *Schmalzgr*. l. I, tit. 20, n. 3 sq. Quae irregularitas saltem *ex delicto* non contrahitur, si quis mutilationem vel integri membri, non *directa* voluntate in se *causat*, sed ex negligentia graviter culpabili tantum casualiter *patitur*. *Schmalzgr*. l. c. n. 7, 8; *Boenningh*. l. c. p. 96 sq. aliisque, quibus *Suarez* l. c. disp. 51, sect. 2, n. 7, 8 cum non paucis contradicit. Erit autem irregularis *ex defectu*, si ex mutilatione passa comprehendatur inter irregulares ex defectu corporis.

253. VI. **Ex homicidio carsnali.** " *Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur* „.

a) Haec irregularitas saltem quoad partem concinit cum irregularitate, quae iure praecedenti dicebatur provenire ex homicidio casuali (466). Distinguebatur autem homicidium *mere casuale* per oppositionem ad homicidium *voluntarium,* in quo mors alterius sequebatur ex propria actione, in qua ponenda omnis *dolus* et omnis *culpa* erat exclusa. Sed distinguebatur ab homicidio *mere casuali* homicidium *casuale mixtum,* in quo, licet in propria actione, unde alterius mors sequuta fuit, exclusus esset *dolus* et *praemeditatio,* tamen non erat exclusa *negligentia* theologice graviter culpabilis, vel saltem levis vel levissima culpa iuridica; hoc pariter homicidium dicebatur casuale per oppositionem ad homicidium *voluntarium* (467).

b) Quibus suppositis nostra haec irregularitas imprimis arctatur ad solos *clericos* (468) nec extenditur ad laicos. Religiosi tametsi clericatum non habeant, quoad iura (can. 614) et quoad obligationes (can. 592) veniunt sub nomine clericorum, ideoque etiam hac irregularitate tenentur. Deinde evidenter requiritur quod

(466) Cfr. c. 48 (Pelag. vel Gelas ?), c. 49 (Nicol. M.), c. 50 (Conc. Wormat. a. 868), c. 51 (Conc. Fribur. a. 895) D. 50; cap. 9, 13, 14, 15, 22, 23, 25, X. de homic. V, 12.

(467) De notione et divisione homicidii *casualis,* quatenus in iure canonico fuit distinctum ab homicidio *voluntario* cfr. *Suarez* l. c. disp. 44, prooem., disp. 45, prooem., *Boenningh.* l. c. n. 40 sq.; *Gasparri* l. c. n. 440 sq.

Iure praecedenti a pluribus (non omnibus) doctoribus, ut incurreretur irregularitas ex homicidio casuali, quod sequeretur non ex solo exercitio artis medicae vel chirurgicae, sed etiam ex alio actu, fuit requisita negligentia *theologice graviter culpabilis*; dum alii provocantes ad antiquas distinctiones inter culpam latam, levem et levissimam, saltem in casu homicidii casualis mixti non solum adserebant irregularitatem, si intercessisset negligentia theologice graviter culpabilis, sed etiam si solummodo omissa fuisset debita diligentia absque dolo et culpa theologice gravi. Cfr. *Suarez,* disp. 45, sect. 1, n. 1, sect. 5, n. 4 sq., 8; *Boenningh.* l. c. p. 51 sq.; *Thesaurus* l. c. v. Homicid. cap. 1, n. 1; *Gasparri,* l. c. n. 444; *Hollweck* l. c. § 162, not. 3, 4; *Lega* l. c. p. 290 sq. 395. — Iure Codicis profecto requiritur *peccatum grave* (can. 986), quod sensu obvio significat culpam *theologice* gravem.

Illa alia distinctio inter se admiscentem operi *licito* vel *illicito,* quae pariter dabat locum controversiae, iure Codicis locum non habet, cum agatur de *illicito* exercitio medicinae vel chirurgiae, clericis vetito sine indulto apostolico.

(468) Iure praecedenti, cum oriretur irregularitas non ex *solo* exercitio artis medicae vel chirurgice, etiam laicos comprehendebat.

mors alterius ex propria actione sequatur *praeter intentionem,* secus non distingueretur ab irregularitate ex homicidio. Porro clericis prohibitum est sine apostolico indulto exercitium medicinae vel chirurgiae (can. 139, § 2); *graviter ergo peccat* qui has artes exercet, illo indulto apostolico non munitus, quod indultum profecto, non dabitur a S. Sede nisi peritis in illis artibus; ac proinde irregularitas non contrahitur sine gravi peccato et est ex delicto; contrahitur autem, si ex tali exercitio mors sequatur, non in alio casu tametsi in utroque eodem modo peccetur.

Qui indulto apostolico fruuntur, cum legem non violent et in exercitio medicinae vel chirurgiae non peccent, non tenentur hac irregularitate, quae est ex delicto.

254. VII. **Irregularitate ex abusu ordinum** (469). « *Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica, sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti* ».

Irregularitas duplicem partem complectitur: I°. exercitium ordinis sacri prohibitum in eo qui talem ordinem receptum habet; II°. usurpatio ordinis sacri, ab eo factam qui tali ordine non est ordinatus, ponendo actum ordinis quo caret. In prima figura ut per se patet soli comprehenduntur clerici; in altera et clerici et laici.

a) Ergo primo modo contrahitur a clerico *in ordine sacro constituto,* cui ordinis exercitium est prohibitum per quamvis poenam canonicam, sive censura sit sive poena vindicativa, sive sit personalis sive localis, sive poenam incurrerit a iure sive per sententiam hominis (470), si tali poena vinculatus ex temeritate gravi-

(469) Irregularitas quae dicebatur *ex violatione censurae* in Decreto Gratiani et in Decretalibus Gregorii IX claris conceptisque verbis nondum reperiebatur expressa; in Decretalibus autem Bonifacii VIII iam supponitur, non denuo introducitur; hinc potius *consuetudine* quam *iure scripto* videtur esse *constituta* arg. duct. ex cap. 10 X. de cler. excomm. V 27, ex cap. 1 de sent. et re iud. II 14, in Sext., cap. 1, 18, 20, de sent. excom. V 11, in Sext.; *Suarez* l. c. disp. 11 sect. 3, disp. 12 sect. 2 n. 7 sq. disp. 42 sect. 5; *Boenningh.* l. c. p. 138 sq.; *Kober,* D. Kirchenb. p. 308, 248 sq.; *Pirhing* l. V, tit. 27 n. 32, 33, 34; *Gasparri* l. c. n. 353 sq., 366. De violatione suspensionis agebat: cap. 1 de sent. et re iud. II 14 in Sext.; cap. 1 de sent. excom. V. 11 in Sext.

(470) De interdicto personali et locali. Cap. 20 de sent. excom. V 11 in Sext. Cap. 18 de sent. excom. in Sext. — Hinc irregularitatis non est arbitrarie et sine iuris fundamento extendenda ad eos clericos, qui non obstante *peccato mortali* sive suspensione a Deo aut neglecta simplici *prohibitione* aut

ter culpabili posuerit actum ordinis sacri (471) sibi per poenam prohibiti (472); non incurritur si quis violat *meram prohibitionem* non poenam iam incursam. Pariter non incurritur irregularitas ab eo qui exercet actum iurisdictionis vel administrationis (473).

b) Usurpatio ordinis fit a clerico vel laico, qui in ordine sacro non constitutus, huius ordinis actum ausus fuerit ponere. Communiter requirebatur ut *serio* (474) et *solemniter* sive ex officio (475) hoc fieret; quod etiam iure novo videtur esse tenendum. Porro nihil refert, utrum functio illa, quae usurpatur iure divino aux solo iure ecclesiastico cum ordine sit coniuncta.

---

contempta *irregularitate* sua aut spreta *cessatione a divinis* aut *pollutione ecclesiae* aut *praesentibus excommunicatis vitandis* actum ordinis prohibitum culpabiliter exercent. Cfr. cap. 18 de sent. excom. in Sext.; *Boenningh.* l. c. p. 151 sq. 190; *Thesaurus* l. c. P. I, cap. 27 P. II. v. Cessatio cap. 1; *Gasparri* l. c. n. 355, 358, 359.

(471) Cum functiones ordinum *minorum* ordinarie nunc ipsis *laicis* permittantur atque vix unquam *solemniter* et ex officio exerceantur, ordinis minoris exertium non inducit irregularitatem.

(472) Non sufficit exercitium actus *iurisdictionis* neque actus, qui quoad substantiam, at non quoad solemnitatem etiam a laico perfici potest. Cfr. *Suarez* l. c. disp. 11 sect. 31 n. 11 sq. disp. 26 sect. 3 n. 6; *Boenningh.* l. c. p. 143 sq. Quare si subdiaconi vel clerici minores usurpent officium praedicandi, in quo habetur exercitium magisterii ecclesiastici, non potestatis ordinis, irregularitatem non incurrunt; aliter opinatus fuerat *Hollweck* l. c. § 262. Pariter non est actus ordinis baptismi privatim collatio, assistentia matrimonio sine nuptiali benedictione, censurarum irrogatio aut earumdem absolutio etc.

(473) Excusat ab irregularitate ista incurrenda omnis ignorantia probabilis, non vero « *crassa et supina aut erronea* » (cfr. cap. 9 X. de cleric. exc. V 27), atque generatim omne exercitium ordinis, quod in clerico etiam censura innodato *gravi culpa vacat*. Cfr. cap. 1 de sent. et re iud. II 14 in Sext. Id, quod certe obtinet, v. g. si censura est *evidenter* (cfr. cap. 5 X. V 27 de dubio) *nulla*. Cfr. S. C. C. in caus. Herbipol. 19 Iul. 1704; c. 64 (Greg. M.) C. XI q. 3; *Thesaur.* l. c. v. Censur. cap. 11 n. 1, P. I cap. 22 i. f.; *Pirhing* l. c. l. V t. 27 n. 40 sq.; *Boenningh.* l. c. p. 153 sq. 164 sq.

(474) *Suarez* l. c. disp. 34, sect. 4. n. 16. Quae assertio non eo extendenda est, ut quis dicatur effugere irregularitatem, si tantum *ficte* et *simulate* velit in ordine ministrare. *Schmalzgrueber* l. c. n. 10 sq.; *Gasparri* l. c. n. 337.

(475) Ordo exercetur *solemniter*: 1°) quando actus est huiusmodi, ut ab iis solis exerceri possit, qui talem ordinem habeant v. gr. absolutio a peccatis, extrema Unctio, quae a solo presbytero, Confirmatio, quae a solo Episcopo vel presbytero instructo commissione Pontificis, administrari possunt. 2°) si actio ab aliis sine ordine exerceri potest, tum solemniter exerceri dicitur, cum ea forma peragitur quae est propria ordinis. *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 300; *Benninghausen* l. c. p. 195; *Regatillo*, Casos de derecho canonico, vol. II, p. 547. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 339, 341, ubi recte cum *D'Annibale* sententias rigidiores

Art. 4. — De impedimentis simplicibus.

255. Ut supra notatum, quoad effectus iuridicos huiusmodi impedimenta nihil differunt ab irregularitatibus, nisi quia sunt temporanea et cessare possunt sine ulla dispensatione. Iure praecedenti passim dicebantur irregularitates temporales. Quae iure Codicis reducuntur ad septem capita.

256. I. « *Filii haereticorum, quamdiu parentes in suo errore permanent* » (476). Haec irregularitas incurritur tantum a *filiis*, mutato iure praecedente (477), in quo per lineam paternam *primum* et *secundum* gradum comprehendebat, per *maternam* vero lineam ad *primum* dumtaxat gradum extendebatur (i. e. tum filius patris haeretici, tum nepos (ex *filio*) avi haeretici erant irregulares; non autem *nepos* (ex filia) avi haeretici. Comm. Codic. 14 Iulii 1922. *Practice* etiam filius scismatici non puri, et apostatae qui ad sectam haereticam transierit (478) comprehenditur.

Satis est ut alteruter ex parentibus sit haereticus, ideoque est impeditus filius matrimonii mixti, tametsi matrimonium datis cautionibus et cum dispensatione ab impedimento celebratum fuerit. Com-

---

de diacono extra casum necessitatis sine commissione parochi vel Episcopi baptizante vel sacram communionem administrante reiicit; nam in utroque casu talis diaconus, licet ob defectum *iurisdictionis* peccare possit, non usurpat potestatem *ordinis* non receptam, sed vere in sacra ordinatione sibi collatam, ut pariter tenet *Lega* l. c. p. 319 sq. Cfr. quoque l. R. C. 14 Mart. 1906, quod in defectu subdiaconi in Missa solemni possit hoc munus obire tonsurista vel minorista, *sine manipulo* tamen.

(476) Cap. 15 de haeret. V 2 in Sext.; S. C. C. in caus. Leodien. 20 Aug. 1678; S. C. Inq. 25 Iun. 1866, 11 Iul. 1884; 24 Nov. 1890; *Suarez* disp. 43, sect. 3 n. 2; *Gasparri* l. c. n. 469; *Boenningh.* l. c. fasc. III, p. 145 sq.; Arch. f. k. K. l. c. p. 9 recte contra *Pirhing* l. c. n. 105, qui cum aliis sine solido fundamento veram sententiam condemnatoriam vel declaratoriam requirit neque *evidentiam facti* sufficere opinatur.

(477) Cfr. cap. 15, de haeret. in Sext.

(478) De facto ordinarie accidit, et hodie vix evenire contrarium potest, ut *schisma* verum et formale cum haeresi sit coniunctum. *Apostasia* a fide, qua quis religionem christianam per baptismum susceptam penitus abiicit, cum non specie, sed gradu tantum discrepet *ab haeresi*, imo haeresi sit deterior eodem modo inducit hanc irregularitatem in filio. *Suarez* l. c. sect. 2, n. 1, 7; *Pirhing*, l. V tit. 8 n. 8; tit. 9 n. 2; *Boenningh.* p. 133 sq.

miss. Codic. 16 Oct. 1919 (A. A. S. XI, 476 sq.). Si ergo ex duobus parentibus haereticis unus tantum convertatur, manet irregularitas. Vicissim filii nati ex parentibus catholicis, non videntur fieri irregulares, si unus parentum vel uterque in haeresim labatur et per evidentiam facti constet esse haereticum (479).

Iure praecedenti etiam post mortem parentis haeretici, manebat irregularitas contracta (480). Iure Codicis mortuis parentibus haereticis, aut ad fidem conversis, irregularitas cessat. Atque de conversione, lex expresse cavet (481); de morte parentum haereticorum indirecte deducitur, secus, si etiam tunc permaneret esset impedimentum *perpetuum* et hic casus esset adnumerandus irregularitatibus, non inter simplicia impedimenta.

Quo ex titulo impedimentum inducatur Codex non declarat et ambiguum videtur relinquere; porro in iure praecedenti erat controversum, dum alii repetebant ex *sola* infamia haud raro pro diversitate regionum sublata (482), alii rectius dicebant statutum in *poenam* delicti *parentuum* et ita severius iudicabant (483). (Vedi nota a p. 343).

(479) Id tenebatur ex benigna doctorum interpretatione. Ita ex *aequitate canonica* Synod Alex. Copt. l. c.; *D'Annibale* l. c. P. I, n. 432; *Gasparri* l. c. n. 472 aliique, contra quos alii *rigorem* iuris nimis urserunt. Cfr. *Boenningh.* l. c. fasc. III, p. 146 sq.

(480) *Suarez* l. c. n. 2; Archiv. f. k. K. t. 45, pag. 7 sq.

(481) Cap. 15 de haeret. V 2 in Sext.; decret. S. C. Inq. 5 Dec. 1890; S. C. C. in caus. Roman. 21 Maii 1718; Clemens VIII Const. « *Nuper* »; *Suarez* l. c. sect. 9 n. 1, 2; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 24 n. 21.

(482) Cfr. *Pirhing* l. c. n. 107; Arch. f. k. K. l. c. p. 6 sq.; 17 sq. At mitior illa sententia a pluribus doctoribus etiam non ita antiquos et optimae notae propugnata (cfr. v. g. *Pirhing* l. c. n. 47 n. 105; *Schmalzgr.* l. c. n. 108; *Scherer* l. c. § 68 not. 59, 76 aliosque relatos in Arch. f. k. K. l. c. p. 15 not. 1) in Gallia, Germania aliisque in locis, ubi impune grassantur haereses, talem irregularitatem haereticorum et descendentium ab eis non amplius vigere, tum antiquis tum praesertim novis declarationibus Sedis Apostolicae omnem probabilitatem amiserat atque omnino derelinquenda erat. Cfr. S. C. C. in caus. Leod. 20 Aug. 1678; Clemens VIII Const. « *Nuper* » 6 Oct. 1593; S. C. Inq. ad Episc. Haarlem. 9 Iul. 1884; decret. S. C. Inq. de irreg. haeret. eorumque descend. (24 Nov.) 5 Dec. 1890, 3 Febr. 1898. Cfr. Arch. f. k. K. t. 65 p. 455 sq. t. 45 p. 14 sq.; *Zitelli*, Apparatus iur. eccl. p. 349. Inde autem firmabatur sententia, quae tenebat irregularitatem esse statutam *ab Ecclesia* in *poenam* delicti parentum; cuius sententiae patroni contra mitioris sententiae defensores optimo iure notabant, quod infamia hisce descendentibus *iure canonico* inflicta pendebat pariter *ab Ecclesia*, non *a Statu*, qui forte ob rationes politicas mutavit poenas olim in foro civili contra haereticos latas. At cum irregularitas descendentium ab haereticis esset quam maxime odiosa, pro hisce *filiis* haereticorum sua

Iure Codicis certe impedimentum repeti non potest ex *infamia* ipsius filii propter haeresim parentum, cum iure Codicis infamia tam iuris quam facti non afficiat delinquentis consanguineos aut affines (can. 2293, § 4). Nec etiam videtur posse dici filium puniri in patre, quia huiusmodi modi punitionis non adest vestigium in Codice. Quare titulus ex quo iure Codicis deducitur haec irregularitas videtur esse periculi praesumptio ne huiusmodi nutent in fide, a qua desciscunt parentes, et ita homines suspectae fidei sacris addicantur ministeriis, nisi aut per conversionem parentum illud periculum cesset, aut, satis antea probati, certis suae firmitatis in fide datis testimoniis, dispensentur. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. L. XII, cap. 1, n. 4-6.

257. II. " *Viri uxorem habentes* ". Iure praecedenti dicebatur irregularitas vel impedimentum ex *defectu libertatis* seu ex *vinculo matrimonii*, quo quis uxori suae est alligatus; quod non erat impedimentum *absolutum*, sed tamdiu durans donec a *subiectione* illius vinculi adhuc existentis fuisset legitime liberatus (484).

A) **Notae historicae.** Quemadmodum Christus Dominus elegit saltem complures coelibes ad munus Apostolorum, ita etiam Ecclesia inde a primis temporibus potius viros coelibes quam uxoratos sacro suo ministerio addixit. At cum initio religionis christianae non sufficiens existeret numerus virorum coelibum, qui ad ordines ecclesiasticos promoverentur, etiam viri coniugati, dummodo non essent *bigami* (cfr. I. Timoth. III. 2 sq.), vel ad ipsam dignitatem *episcopalem* assumpti sunt. Quinimo *consuetudine* et saltem ex saeculo quarto etiam *iure scripto* statutum est, ne quis coniugatus vir

---

probabilitate non carerebant limitationes a *Gasparri* l. c n. 466 allatae. Quare tantum ii filii videntur esse irregulares, quorum parentes *sectae* haereticae sua nativitate vel propria culpa sunt *adscripti* aut per iudicis ecclesiastici sententiam *personaliter* fuerunt (*declarati*) rei delicti haereseos vel apostasiae aut ita notorii exstiterunt haeretici vel apostatae, ut nulla tergiversatione vel iuris adminiculo potuerint celari.

(483) *Suarez* l. c. n. 2; Arch. f. k. K. t. 45, p. 7.

(484) Cfr. c. 6 § 1 Dist. 77 = c. 16 Conc. Agath. (a. 506); comment. in lib. III, tit. 32 de convers. coniug. iunct. tit. 2 de cohab. cler. et mul. et tit. 3 de cler. coniug.; l. IV t. 6 qui clerici; *Boenningh.* l. c. p. 175 sq.; *Scherer* l. c. p. 342 sq.; *Gasparri* l. c. n. 515; *Rosset*, De sacram. matrimon. n. 3914 sq.; *Hinschius* l. c. p. 36 sq.; *Kraus*, Real-Encyklop. v. Presbyterissa.

ad ordines saltem *hierarchicos* admitteretur, nisi continentiam servaret atque ab usu quoque matrimonii abstineret. Quae disciplina testibus S. Hieronymo et S. Epiphanio etiam in iis partibus Ecclesiae orientalis fuerat recepta, ubi purius et sincerius canones observabantur. Cfr. Instr. S. C. de Prop. F. 24 Mart. 1858 ad Archiep. prov. eccl. Fogar. At iidem praeclarissimi testes iam satis insinuant puriorem illam disciplinam non ubique fuisse observatam. Et profecto inde a turbis per Arium aliosque haereticos excitatis Ecclesia orientalis magis magisque benigniorem suam disciplinam (etiam nunc vigentem) adoptavit et can. 13 Conc. Trullani (a. 692) solemniter approbavit, *excepto* semper *ordine Episcoporum*, ad quem etiam ex antiquissimo iure Ecclesiae orientalis presbyter uxorem retinens promoveri non potest. Cfr. cit. Instr. S. C. de Prop. F. A *reliquis* ordinibus maioribus in Ecclesia orientali non solum viri uxorati non excluduntur, sed in clericis saecularibus matrimonium potius habetur tanquam ordinarium quoddam praerequisitum ad sacros ordines recipiendos. Severior in hac re semper fuit disciplina Ecclesiae occidentalis (485).

Ius precedens hoc erat pro Ecclesia latina: coniugatum non posse ordinari, nisi *volens religionem intrare aut ad sacros ordines promoveri* (486). Quare coniugatus a clericatu arcebatur, nisi una ex duabus conditionibus verificaretur, et servarentur iuris praescripta pro transitu ad religionem vel ad ordines. Speciatim quoad *sacros ordines* valebat principium: « Nullus coniugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus » Cap. 5, de conv. coniugat. III, 32.

B) **Ius vigens.** Impedimentum non indiget explicatione: coniugatus arcetur a statu clericali, quamdiu durat vinculum matrimoniale. Impedimentum cessat, si matrimonium *solvitur* v. gr. per *mortem uxoris*, aut ubi ratum mansit per *professionem solemnem* aut Rom. Pontificis dispensationem. — Simile impedimentum coniugatis (viro aut feminae) pro ingressu in religionem can. 542 constituit.

(485) *Laurin*, D. Coelib. p. 118, 172 iunct. p. 97 sq. 63 sq. 118 sq.
(486) Cap. 4, de tempor. ord. I, 9 in Sex. Quod caput a C nc. Trident. in hac materia non fuit immutatum, ut putavit *Scherer* l. c. p. 342, not. 52 et *Hinschius* l. c. p. 37 sq.

258. III. **Obligati ad ratiocinia.** « *Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus, liberi fiant* ». Etiam hoc impedimentum iure praecedenti dicebatur provenire *ex defectu libertatis*, quam libertatem ingrediendi in statum clericalem impedit *officium* clericis vetitum ac proinde deponendum, vel administratio pariter clericis vetita, a qua quis plane liber non est donec administrationis rationes redditae fuerint (487).

Agitur de quocumque officio saeculari vel saeculari administratione sive *publica* sive *privata* (488), alias clericis interdicta (489), donec obtenta fuerit liberatio (490).

Cuius impedimenti antiquissimi (491) facile reddi potest ratio. Nam si clericis iam ordinatis interdictum est, ne certis negotiis saecularibus sese immisceant (cfr. cap. 2, 4, X. ne cleric. III, 50, cui consonant can. 137, 139), profecto viri promovendi ad statum clericalem liberi sint oportet a vinculis istis saecularibus (492). Cui

(487) Dist. 51, 54, 55. — Commentatores iur. Decret. in cit. lib. I tit. 19, de obligatis ad ratiocin. ordinand. vel non. *Suarez* l. c.; *Phillips* l. c.; *Scherer* l. c.; *Boenningh.* l. c. p. 169 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 66 sq.; *Hinschius* l. c. p. 34 sq.
(488) Quodsi veteres et recentiores scriptores (cfr. *Hostiens.*, Summa h. t. 19 n. 5; *Scherer* l. c. p. 342) hanc irregularitatem voluerunt restringere ad ratiocinia *publica*, non extendere ad *privata*, ista restrictio in fontibus non habet sufficiens fundamentum. Imo c. 8 Conc. Carthag. a. 348 = c. 3 D. 54 = cap. unic. X. I 19 potius contrarium suadet. Nam nequaquam omnia officia ibidem enumerata sunt *publica* et potius *exempli causa*, non taxative allegantur. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. 19 n. 2; *Pirhing* h. t. 19 n. 4; *Phillips* l. c. p. 484; *Boenningh.* l. c. p. 171 sq.; *Gasparri* l. c. n. 553; *Hinschius* l. c. p. 35. Codex pariter distinctionem non facit.
(489) Plura vetantur can. 137, 139. Cfr. lib. I tit. 1 et lib. III tit. 50 ne clerici vel monachi. Quare officia etiam saecularia, quae clerici *post* ordines susceptos obire possunt, ab ordinibus *suscipiendis* illos non impediunt. Cfr. c. 26 (c. 3 Conc. Chalced. a. 451) Dist. 86; c. 1 (c. 3 eiusd. Conc.) C. XXI q. 3; *Schmalzgr.* l. c. n. 9.
(490) *Reiffenstuel* h. t. 19, n. 6; *Pirhing*, eod. n. 4. — Si attendatur decisio S. C. C. in caus. *Atrien.* 23 Iun. 1725 (Cfr. ed. *Richter* Conc. Trid. p. 340) per cessionem bonorum impedimentum non videtur semper sufficienter sublatum. De aliis modis cessationis, vel potius de casibus in iure non comprehensis, *Schmalzgrueber* l. c. n. 4, 6.
(491) In antiquo imperio Romano maxime curiales hac irregularitate fuerunt irretiti (cfr. c. 1, 2, 3 (Innoc. I) Dist. 51; c. 1 (Gelas. I) Dist. 55; L. 53 Cod. I. de Ep. I 3; Novell. 123 cap. 4); at hoc officium certe post saeculum septimum plane cessavit. Cfr. *Phillips* l. c. p. 482 sq.; *Thomassin.* l. c.; *Hinschius* l. c. p. 34.
(492) Cfr. c. 1, 3, D. 51; *Phillips* l. c. p. 482.

rationi accedit, quod illi administratores forte ante redditam rationem ordinati, si postea doli redarguantur, cum gravi damno Ecclesiae et status clericalis fiant infames. Cfr. cap. unic. X. h. t. 19. Timendum quoque fuit, ne quis statum clericalem solummodo amplecteretur, ut in suis causis dominum principalem cogeret ad forum *privilegiatum* adeundum, ea spe illectus, quod ibidem facilius sententiam sibi favorabilem obtineret vel forte etiam opponere posset privilegium competentiae.

259. IV. **Defectus libertatis.** « *Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem* ». Non indiget speciali declaratione: conferantur fontes in nota indicati (493). *Proprie dicti servi* a iuris consultis dicebantur homines, qui iure gentium contra naturalem libertatem *dominio* alterius subiiciuntur; et distinguuntur ab *adscriptitiis* seu glebae adscriptis et ab *originariis*. Schmalzgr. h. t. n. 1, 2.

A) S. Leo M. in c. 1, D. 54 recte monet: « *Debet esse immunis ab aliis, qui divinae militiae est aggregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur* ». Cui immunitati maxime adversatur *vera* atque *proprie* dicta *servitus* ordinandi clerici (494). Hinc Ecclesia ab antiquissimis temporibus (495) omnino prohibuit, ne *servus priusquam* a domino suo vera et perfecta libertate (496) donatus fuisset, ad *statum clericalem* atque *ordines promoveretur.*

B) Quorum sacrorum canonum sanctiones sapientibus nituntur *rationibus*. Etenim si servus ordinatus sacra ordinatione recepta suo servitio domini fuit subductus, id sine evidenti violatione iuris do-

(493) Decret. Greg. IX, *de servis non ordin. et eorum manumiss.* I, 18. — Dist. 34; compil. I et IV h. t.; Dist. 51 et 53; compl. I h. t.; c. 5, 6, 7 Dist. 28; compil. I, II, III, IV, V h. t.; cap. unic. tit. 6 de vot. et vot. red. in Extravg. Ioann. XXII; Comment. in cit. tit.; *Suarez* l. c.; *Phillips* l. c.; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 166 sq.; *Scherer* l. c. p. 342, 357; *Lega* l. c. p. 359 sq.; *Thomassin.* l. c. P. II lib. 1 cap. 73; *Hinschius* l. c. p. 32 sq.

(494) *Schmalzgr.* l. c. lib. I tit. 18 n. 1.

(495) Cfr. c. 1 (S. Leo M. scr. a. 443) c. 9 (Gelas. scr. a. 494) Dist. 54. In eadem distinctione afferuntur canones particulares, ex quibus patet eandem viguisse praxim in Africa, Hispania, Gallia, Germania usque ad saeculum nonum. Complures ex istis antiquis canonibus in Decretales Gregorii IX fuerunt translati. Cfr. cap. 1-4 incl. X. I 18.

(496) Cap. 1 X. I 18 iunct. cap. 4, 6 X. eod.: *Phillips* l. c. p. 479.

mini fieri non potuit (497); quodsi servituti mansit addictus, domino et Ecclesiae i. e. duobus dominis vix potuit servire. Ministerio autem ecclesiastico per servos ordinatos certe defuit necessaria dignitas et independentia ab arbitrio domini. Quare etiamsi ageretur de servis ordinandis, qui *in ipsius Ecclesiae dominio* erant constituti, ideoque conflictus inter Ecclesiam et dominum non esset timendus, tamen Ecclesia praeviam servi manumissionem et accuratum de moribus postulavit examen. Cfr. c. 4. D. 54. Cuius sanctionis canonicae vera fundamenta videntur fuisse, quod status servitutis, utpote status vilis, non satis congrueret dignitati status clericalis, et inter servos antiqui imperii Romani et antiquorum populorum germanicorum nequaquam eximia vigeret morum honestas (498).

C) Quae prohibitio Ecclesiae quamvis propter servitutem ubique fere sublatam non amplius frequenter sit practici momenti, tamen ad instar impedimenti matrimonialis *conditionis servilis* in se tanquam lex canonica nondum est abrogata et etiamnunc viget, *si in regione quadam servi* reperiantur. *Cessat* vero ista irregularitas per *manumissionem* aut per *dispensationem Romani Pontificis,* quatenus nititur iure ecclesiastico. At vix unquam de facto talis dispensatio est concessa (499).

260. Scholion. Maioris practici momenti etiam nostra aetate est illa quaestio, num filiifamilias sine *consensu parentum* statum clericalem suscipere possint. Et profecto filiifamilias cum in statu vitae eligendo liberi sint, neque ex iure divino neque ex iure ecclesiastico in complectendo statu clericali a consensu parentum dependent (500). Leges vero civiles si quid in contrarium statuerunt, utpote ab incompetente potestate latae, hac in *re directam* obligatio-

(497) Hinc servus, qui inscio vel contradicente domino ad ordines minores fuit promotus, mansit servus et domino repetenti est restitutus (cfr. c. 10 D. 54; cap. 2 X. I 18; *Devoti* l. c. h. tit. 18 §§ 2, 3); quodsi ad maiores ordines inscio vel contradicente domino ascenderat, domino etiam repetenti non amplius potuit restitui, sed compensatio iuxta canonum statuta eidem fuit solvenda. Cfr. cap. 7 X. I 18: c. 9, 10, 13, 14, 20 D. 54.

(498) Cfr. c. 6, 12 D. 52; *Phillips* l. c. p. 480.

(499) Cap. 2, 4, 6 X. h. t. 18; *Schmalzgr.* l. c. n. 3; *Devoti* l. c. h. tit. § 4.

(500) Cap. 12, 18 X. de regul. III 31; *Schmalzgr.* l. c. n. 5; *Hallier* l. c. P. I sect. 8 c. 2 art. 1 n. 12 sq.; *Hinschius* l. c. p. 33 sq.

nem non imponunt. At sane summopere *convenit*, ut filiifamilias huiusmodi gravissimum negotium, quantum fieri potest, nonnisi audito consilio et habito consensu parentum transigant (501).

261. V. **Ex militari servitio.** « *Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint* ». *A)* Iure praecedenti, cum militare servitium obligatorium lege civili nondum ubique fuisset introductum, nec generali modo clerici et seminaristae perinde ac laici ubique ad servitium militare fuissent constricti, nondum servitium militare fuerat adnumeratum irregularitatibus seu impedimentis canonicis. Sed profecto *milites*, qui *actu* militiae sunt addicti, ad statum clericalem et ordines promoveri non debebant. Cfr. c. 1, 4 D. 51; c. 83 [82]. Apostol. et *Hefele* l. c. t. I p. 826. Quicumque enim sive ex pacto sive ex dura lege militiae adscribuntur, vinculo quodam detinentur atque vitam agere solent, quae cum statu clericali conciliari nequit. Praeterea cum vita militaris facile mores corrumpat, etiam finitis militiae stipendiis in admittendis istis emeritis militibus ad statum clericalem et praesertim ad sacros ordines summa cautio adhibenda est.

Quare nostra aetate, qua in compluribus regionibus per iniustas leges etiam alumni seminariorum a militari servitio non amplius sunt exempti, in excludendis vel differendis istis alumnis ab ordinibus *saltem sacris* diligenter attendendae variae Stae Sedis Instructiones velut Instr. S. C. Inq. 16 Sept. 1875 pro Ordinariis Italiae et analoga Instr. S. C. Ep. et Reg. 27 Nov. 1892 de admissione virorum religiosorum ad professionem vel ordines sacros post expletum servitium militare.

B) Iure Codicis habetur impedimentum ad ordines in adstrictis lege civili ad *ordinarium servitium* militare; quod impedimentum cessat praedicto servitio expleto. Porro Commissio Codicis (2-3 Iun. 1918. A. A. S. X. 344) declaravit, ad sensum nostri canonis impeditos esse eos, qui ad militiam forte vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia examine peracto, *ad tempus* inhabiles sunt declarati: quare libertas

(501) Cap. 2 X. de regul. III 31 de iure reclamandi parentum quoad impuberes; cod. civ. Ital. art. 221; *Scherer* l. c. p. 358; *Allègre*, Cod. civ. com. t. I p. 274 sq.

ab impedimento non habetur, nisi quis in tempus indefinitum libertatem a servitio adeptus fuerit (502).

262. VI. **Ex defectu fidei confirmatae.** *Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint* ». Neophytus hoc loco dicitur is, qui in adulta aetate fuit baptizatus; unde plerumque retinet hoc nomen quia recenter fuit ad fidem conversus (503).

A) **Notae historicae.** I. Praeceptum Apostoli Pauli (I. Timoth. III. 6) *neophytum* i. e. recenter conversum et baptizatum virum non esse ordinandum Episcopum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli, Ecclesia mox non solum novis legibus confirmavit, sed disertis verbis sacrorum canonum neophytos ad ordines presbyteratus et diaconatus promoveri vetuit (504). Nam rationi a S. Paulo iam expresse allatae accedit, quod neophyti non videantur in *doctrina christiana* adeo bene esse instructi tantaque pollere *constantia* et *virtute*, ut tuto ipsis ministerium et magisterium et regimen ecclesiasticum committi valeat (505). Porro neophyti licet legibus illis ecclesiasticis expresse tantum ab Episcopatu et presbyteratu et diaconatu arceantur, " *communi tamen canonistarum calculo et constanti Ecclesiae praxi* „ (506) etiam ab omnibus *aliis* ordinibus necnon a prima tonsura prohibiti sunt. Postquam canones illi antiqui in Decretum Gratiani fuerunt translati, in collectionibus De-

(502) Cfr. *Vermeersch*, « Periodica » XI, p. 149, « Periodica » V, p. 282, ubi affert Decr. S. C. de Rel. 1 Ian. 1911 (A. A. S. III, 37), quod *ordinarium* militare servitium non obeant qui, ipsa lege, curandis tantum aegrotis vacare coguntur; et quod *ordinario* servitio non comprehendantur exercitia annua, quibus omnes, post finitum servitium, ut aiunt, *activum*, adstringuntur.

(503) Sane vocabulum *neophytus* etimologice idem est ac *nuper plantatus*, et consequenter adhuc tener et debilis; et inde translate is est dictus, qui recenter ad christianam religionem accessit; unde a S. Isidoro l. 8 D. neophytus dictus est *novellus* et *rudis fidelis*.

(504) Cfr. c. 1 D. 48 = c. 2 Conc. Nicaen. (a. 325); *Hefele* l. c. t. I p. 378 sq.; c. 10 D. 61 = c. 10 (13) Conc. Sardic. (a. 343); c. 3 Conc. Laodicen. (a. 441-383); c. 1 Conc. Arelat. II (a. 443-452); c. 5 D. 51 = c. 19 Conc. Tolet. IV (a. 633). Cfr. *Kraus*, Real-Encykl. v. Neophyten; *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cap. 62 n. 14 sq. cp. 85, 86, 87.

(505) Cfr. de aliis motivis: S. Gregor. M. in c. 2 D. 48 (a. 599), S. Hieronym. in epist. ad Ocean.; *Phillips* l. c. § 48 p. 472 sq.

(506) *De Angelis* l. c. lib. I tit. 17 n. 2; *Girardi*, Expositio iur. pont. P. II sect. 96; *Boenning.* l. c. p. 141; *Gasparri* l. c. n. 268. Quo exemplo denuo patet *irregularitates quasdam niti iure consuetudinario.*

cretalium vix quidquam de hac materia statuitur, nisi quis huc referre velit cap. 7, X. de rescript. I. 3 (cfr. *Boenningh.* l. c. p. 42, sq.), et quae post Alexandrum IV constituit Bonifacius VIII de filiis et nepotibus haereticorum in cap. 15 de haeret. V. 2 in Sext., attenta simul constanti praxi Ecclesiae. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII, cap. 1, n. 4, 5.

B) Huc quoque spectant *Clinici* sive lectularii qui antiqua Ecclesia ii dicebantur, qui ex culpabili dilatione in aegritudine ob necessitatem in lecto *(ἐν τῇ κλίνῃ)* baptismum susceperunt. Qui clinici censebantur esse tardi in fide et vita christiana, ob catechumenatum non expletum in doctrina christiana parum instructi, denique propter omissam confirmationem non admodum firmi in fidei confessione. Praesertim vero illis obstabat praesumptio, quod *non libera voluntate,* sed magis ex necessitate sacramentum fidei videbantur suscepisse. Cfr. *Kraus,* Real-Encykl. v. Krankentaufe. Quare mirum non est clinicos inde ex primis saeculis tanquam irregulares ab ordinibus fuisse exclusos. Quam prohibitionem contra clinicos statutam iam commemorat Cornelius Papa in epistola ad Fabium, Episcop. Antioch., atque exinde probat illicitam fuisse assumptionem Novati in clerum. Cf. *Eusebius,* Histor. eccles. l. VI, cap. 43. Postea Concil. Neocaesar. c. 12 (a. 314-325) eandem prohibitionem saltem quoad promotionem ad presbyteratum renovat duplici limitatione adiecta, scl. nisi forte clinicus post baptismum zelum atque fidem demonstret, *aut* raritas fuerit (idoneorum) virorum. At huius canonis prohibitio restringenda est ad clinicos, qui *culpabili procrastinatione* baptismum distulerunt. Cfr. *Hefele* l. c. t. I. p. 249 sq. Qui canon Conc. Neocaes. postea in Decretum Gratiani translatus (can. unic. D. 57) quamvis disertis verbis tantum agat de exclusione a presbyteratu, tamen in Ecclesia latina de *totali* irregularitate in praxi et communi doctorum sententia receptus est (507).

C) Tandem Concilium Tridentinum ansam dedit novae controversiae, num decreto Sess. XIII cap. 4 de ref. *nova* statuta fuerit *irregularitas* ex defectu *confirmationis,* aliis id negantibus velut *Suarez* l. c. disp. 42 sect. 3 n. 14 et *Reiffenstuel* l. c. lib. V tit. 29 n. 7.; *Gasparri* l. c. n. 479 sq.; *Lega* l. c. p. 365, aliis affirmantibus v. g. *Giraldi* l. c. P. II. sect. 91; *Boenningh.* l. c. p. 156: *Phillips* l. c. § 48 p. 474; *De Angelis* l. c. lib. I tit. 17 n. 4; *Ph. Hergenroether-Hollweck* l. c. p. 219.

(507) *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XII cap. 6 n. 7; *Thesaurus,* De poen. eccles. P. II v. Baptism. cap. 6.

263. Disciplina vigens. I. Omnes *neophyti* sensu stricto accepti (508), i. e. qui ex Iudaeis, Mahumedanis, Paganis vel aliis sectis in *adulta* aetate ad fidem catholicam recenter conversi et *baptizati* sunt, tamdiu *impediti* existunt ad omnes ordines *ipsamque primam tonsuram* suscipiendam, donec elapsum sit tempus prudenti arbitrio Episcopi authentice, sed non arbitrarie, declarandum (509), quo suae fidei atque virtutis sufficiens dederint testimonium (510).

II. *Clinici* sensu stricto pariter incurrunt impedimentum *totale* ex *defectu* tanquam *ex causa proxima,* licet ille defectus oriatur tantum in adultis ex *delicto* culpabilis procrastinationis baptismi usque ad *aegritudinem* cum periculo vitae. Quare haec irregularitas non est extendenda ad qualemcumque culpabilem dilationem baptismi, qui revera tamen *ante* aegritudinem periculosam fuit susceptus. Neque certo et indubitanter asserenda est irregularitas, utpote in iure non formaliter expressa, si quis ob *aliam necessitatem* v. g. ob metum gravem incussum suscipiat baptismum. At prudentia profecto suadet, ut viri per talem necessitatem vel coactionem baptizati in praxi magna cum cautela ad instar clinicorum ad statum clericalem admittantur. Quae irregularitas clinicorum certe ipso facto

(508) *Suarez* l. c. disp. 43 sect. 3 n. 5; *Ferraris* l. c. v. Irregularitas art. 1 n. 12; dict. Grat. post. c. 1 D. 48; c. 2 (Gregor. M.) D. 48; *Hinschius* l. c. t. I p. 20.

(509) Cfr. caus. Milevitan. 13 Aug. a. 1718 decisam § Praeterquam et caus. Prag. 12 Maii 1759; *Suarez* l. c. n. 6; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII cap. 1 n. 6; *Boenningh.* l. c. p. 141 sq.

(510) Quod autem statutum fuerat a Bonifacio VIII cap. 15 de haeret. V 2 in Sext. de irregularitate filiorum vel nepotum haereticorum, nequit extendi ad filios aliosque descendentes *neophytorum* ante usum rationis baptizatos, nisi speciali iure a Romano Pontifice approbato de contrario cautum fuerit. Clemens VIII in epist. ad Episc. Pacens. 6 Oct. 1595 et declarationes S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 339; *Suarez* l. c. n. 8; *Benedict. XIV* l. c. n. 4, 5, 6. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 160 sq. (de neoconversis ex secta haeretica vel schismatica). — De speciali iure nunc absoleto. Cfr. Clement. VIII cit. epist.; Sixti V Litt. Apost. 15 Ian. 1588 a Clem. VIII 18 Dec. 1600 confirmatas et a S. C. Inq. a. 1611 denuo inculcatas (cfr. *Benedict. XIV* l. c. n. 4), quibus vetitum fuit, ne in regno Portugalliae descendentes a Iudaeis ad ordines promoverentur. Cfr. de filiis haereticorum: *Boenning.* l. c. p. 142 sq.; *Hinschius* l. c. t. I p. 21 sq.

et absque ulla interventione auctoritatis ecclesiasticae non cessat, sed ex citata duplici limitatione Conc. Neocaes. videtur sequi, quod dispensatio Episcopi *sufficiat*, si saltem *una* ex limitationibus verificetur, neque ad Sedem Apostolicam pro dispensatione videtur esse necessario recurrendum, praesertim si *prior* limitatio fuerit verificata (511). Hoc impedimentum clinicorum ut talium in Codice non est relatum, sed qui culpabiliter procrastinat baptismum usque ad aetatem adultam venit etiam sub nomine neophyti: historice tamen duae neophytorum classes erant distinguendae.

Non confirmati qui sacramento confirmationis carent et licet nondum inveniuntur, « *pleni christiani* » (cfr. c. 1 D. 5 de consecr. = cap. Pseudo-Isid.), attentis verbis Conc. Trid. Sess. XXIII. cap. 4 de ref. et iteratis declarationibus S. C. C. (512) irregulares seu impediti erant dicendi; iure vero Codicis non sunt, sed tantum carent positivo requisito ad ordines recipiendos.

264. VII. **Ex infamia facti.** « *Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii perdurat* ». Huc pertinet Reg. 87 de Regul. iuris in Sexto: « Infamibus postae non pateant dignitatum »; dignitas autem quaedam est adlectio ad statum clericalem, praesertim ad maiores ordines (513).

I. Quae infamia facti *proxime* non incurritur *ex iuris dispositione* in *poenam delicti*, quod proprium est infamiae iuris, sed ex publico delicto sive habitualiter patrato sive enormi vel atroci semel commisso vel ex facto ignominioso vel poena diffamante, quibus quis etiam apud graves et honestos viros bona aestimatione *actu* privatur (514). Quare ad contrahendam istam infamiam facti

(511) *Suarez* l. c. disp. 42 sect. 1 n. 5 sq.; *Boenningh.* l. c. fasc. I p. 101 sq.; *Gasparri* l. c. n. 270 sq.; *Hinschius* l. c. t. I p. 20, 49.

(512) S. C. C. in caus. Augustan. 27 Sept. 1601 et in caus. Anglonen. et Tursien. 15 Maii 1802 in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 181; *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. II sect. 91; *De Angelis* l c. l. I tit. 11 n. 9; *Boenningh.* l. c. fasc. III p. 156 sq.

(513) S. C. C. 26 Febr. 1825. *Hollweck* l. c. § 79 not. 1; Analecta eccles. t. I p. 319; aliter *Lega* l. c. p. 344, 351, negavit infamiam facti inducere *irregularitatem*, eo quod per poenitentiam tollatur, non per dispensationem: quae ratio non amplius valet de simplici *impedimento*.

(514) Cfr. c. 17 C. 6 q. 1; cap. 54 de testib. II 20; *Thesaurus* l. c. P. I, cap. 33 pr.; *Lehmkuhl*, Theolog. mor. vol. II n. 1030; *Hollweck* l. c. § 78 not. 1, 5; *Lega* l. c. p. 350, 345.

omnino requiritur *causa publica*; secus infamia *facti* ne concipi quidem potest. Cfr. c. 17, X. de temp. I, 11. Hinc infamia facti contrahitur ex gravibus delictis ordine iudiciario comprobatis vel notoriis vel ex gravibus accusationibus, quae clausulis parum honorificis dimissae sunt. Cfr. quoque cap. 56, X. de testib. II, 20; cap. 4, X. de accus. V. 1, de non promovendis *pendente accusatione* iunct. can. 2222, § 2. Quae diffamatio minime admittenda est ex arbitraria hominum opinione propter facta, quae nec peccata sunt nec peccati praesumptionem inducunt. Cfr. v. g. de filiis carnificum vel obstetricum: S. C. C. in caus. Carthag. 10 Maii 1755, in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 339; *Boenningh.* l. c. p. 159 sq.; *Gasparri* l. c. n. 306 sq.; *Hollwech* l. c. § 78, not. 5.

II. Impedimentum, quod nititur mera *infamia facti*, ordinarie *cessat* per publicam et continuatam vitae emendationem, non numero quodam authentico annorum circumscriptam, sed prudenti iudicio competentium Superiorum ecclesiasticorum definiendam, qua denuo quis *bonam* famam in opinione hominum adeptus est (515).

At infamia facti cum poena positiva non sit, sed defectus bonae aestimationis ex actuali hominum proborum opinione proveniens, per *dispensationem* Superioris ecclesiastici tolli nequit, imo per se ex solo baptismo recepto non semper illico aufertur.

Quodsi infamia orta est ex suspicione publica facti ignominiosi, impedimentum tollitur per sufficientem probationem *innocentiae* (516), aut per *purgationem canonicam* diffamati (517).

(515) Cfr. c. 4 D. 56; c. 4 C. XXXV q. 6; S. C. C. in caus. Ferrar. 25 Ian. 1851: *Suarez* l. c. disp. 48 sect. 2 n. 5 sq.; *Schmalzgr.* l. c. lib. V tit. 37 n. 174; *Boenningh.* l. c. p. 164; *Gasparri* l. c. n. 310; *Hollweck* l. c. § 80.

(516) Cap. 56 X. de testib. II 20; *Suarez* l. c. sect. 1 n. 21; *Boenningh.* p. 164. Quare mera absolutio *ab instantia* propter crimen non probatum ad tollendam infamiam non sufficit. Cfr. S. C. C. in caus. Vigilien. 23 Sept. 1873, in caus. Capuan. 21 Nov. 1739 et in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 381. At irregularis non est habendus, si sententia tribunalis saecularis a tribunali ecclesiastico est correcta. Cfr. S. C. C. in caus. Hispal. 25 Ian. 1726.

(517) Cfr. lib. V tit. 34 de purgat. canon. et comment. in h. t.; *Boenningh.* l. c.; *Scherer* l. c. p. 352 not. 102. Quodsi dubium quoddam remaneat, quamvis quis a iudice, utpote non repertus culpabilis, fuerit absolutus (quo casu stricto iure dispensatione opus non est, ut patet ex resp. S. C. C. in caus. Trevican. 8 Iul. 1684), tamen ad cautelam dispensatio fuit petita et concessa a S. C. C. in caus. Nepesin. 30 Mart. 1833. Cfr. *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 108 sq.

Art. 5. — De cessatione irregularitatis vel impedimenti.

565. I. *Impedimenta* simplicia cessant ipsa cessatione causae, ut patet ex praemissis. Si irregularitas incurratur a iam ordinato, ob defectum qui postea disparuerit, ad normam can. 984 3° Ordinarius exercitium ordinum potest restituere. — At durante *impedimento* promotio non est licita sine dispensatione.

II. *Irregularitates* cessant *dispensatione,* quae de se, cum agatur de impedimento *iure communi* constituto, est reservata S. Sedi, nisi ab hac aut *in ipso iure* aut *per specialem concessionem* fuerit facta facultas dispensandi. Pro laicis vel clericis saecularibus dispensat S. C. de Sacr.; pro religiosis S. C. de Relig.

III. Ex concessione iuris. *Ordinarii* possunt per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto *occulto* provenientibus, ea excepta quae ex homicidio vel abortu voluntario provenit aliave deducta ad forum contentiosum, (can. 990) (518).

Ordinarii nomine comprehenduntur Superiores maiores religionis clericalis exemptae. Delictum *occultum* (cfr. can. 2197) ad forum contentiosum deducitur per rei citationem ad normam can. 1711 sq.

Ex eadem iuris concessione *eadem* facultas competit cuilibet *confessario* in casibus *occultis urgentioribus,* in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed *ad hoc dumtaxat* ut poenitens ordines susceptos exercere valeat (cit. can. 930, § 2).

Praeterea Episcopis et aliis Praelatis aequiparatis solent etiam concedi facultates extraordinariae per specialia indulta.

IV. Praelati regulares exempti, praeter facultatem supra dictam, ex specialibus privilegiis Sedis Apostolicae eruant necesse est, quid sibi sit permissum in dispensationibus super irregularitatibus suorum subditorum religiosorum, et multo magis super irregularitatibus

(518) Praecesserat Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6, de ref. Cfr. *Schmalzgr.* l. V, tit. 37, n. 116; *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 87; *Gasparri* l. c. n. 217 sq., 224 sq., 230 sq.; *Lega* l. c. p. 304 sq.; *Suarez* l. c. disp. 41, sect. 2, n. 5 sq.; *Boenningh.* l. c. fasc. I, pag. 40 sq.

occultis ex *delicto* provenientibus *saecularium* personarum pro foro *conscientiae* (519).

Exprimenda in petitione. In supplici libello indicari seu exprimi debent *omnes irregularitates* et *impedimenta*; secus dispensatio *generalis* valebit quidem etiam pro reticitis in bona fide, excepta irregularitate ex homicidio et abortu, non autem pro reticitis in mala fide (can. 991).

Quodsi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis (ibid. § 2).

Valor dispensationis datae. Si datur dispensatio *generalis ad ordines* valet etiam pro ordinibus maioribus. Porro taliter dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed nequit renuntiari S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius,* Superior maior in religione clericali exempta (cit. c. 991, § 3).

266. Scholion. In iure Decretalium post titulos de irregularitatibus, habetur tit. 22 l. I. *de clericis peregrinis* (520), ubi plura habentur praescripta de clericis peregrinis *temere non ordinandis* vel *admittendis ad exercitium ordinum* vel *instituendis* in *officiis ecclesiasticis sine litteris Episcopi, cui subiecti sunt.* Unde patet connexio cum irregularitatibus.

I. Porro *Clerici peregrini* dici possunt imprimis omnes clerici *alienae* dioecesis, qui Epicopo illius dioecesis, in qua *actu versantur,* non sunt *subditi.*

(519) Cfr. *Ferraris,* Bibl. v. Irregularitas, art. 3, n. 17, 18; *Piat,* Praelect. iuris regul. t. I, q. 757 sq., t. II, q. 409.

(520) In Decret. Grat. Dist. 71, 72, 73, 98; C. VII q. 1. — Compl. I, l. I, t. 14 de cl. peregr. et eis sine litter. non. recip.; cpl. III, V h. t. — Decretal. Gregor. IX h. t. — Conc. Trid. Sess. XXII decret. de observ., Sess. XXIII, cap. 1, 16 de ref. — Caus. select. S. C. C. ed. *Lingen et Reuss* p. 4; Act. S. Sed. vol. XVI p. 534 vol. XVIII p. 502, 504. — Collect. Lac. t. III (Conc. Angl. Americ.) t. III v. Sacerdotes n. 87-92.

Glossatores in l. c. Grat. v. g. *Paucapalea; Stephan. Tornacens.; Rufin.* in ed. cit. — Comment. iur. Decretal. praesertim *Giraldi* et *Devoti* et *De Angelis* et *Santi* in h. t.; *Scherer* l. c. § 78 VI; *Benedict. XIV,* De Synod. dioeces. l. IX cap. 15 n. 5, Inst. eccles. 34; *Bouix,* De Episc. t. II p. 268 sq.; Arch. f. k. K. t. 36 p. 389 sq. — *Hallier,* De sacr. elect. et ord. P. II sect. 5 cap. 3 art. 10; *Thomassin.* l. c. P. II l. 1 cap. 5 n. 4; *Philips* l. c. § 43; *Saegmueller* l. c. p. 183 sq. (Der Dioecesanverband).

Item clericis peregrinis adnumerantur ii clerici, qui sive intra sive extra dioecesim propriam necessitatis vel utilitatis vel recreationis causa *iter* quoddam instituunt. Huiusmodi clerici peregrini vel potius « *peregrinantes* » commemorantur cap. unic. X. de clericis peregrin. II. 29, qui *(romipetae)* aut propter *appellationem* aut propter *visitationem* sacr. liminum ad Sedem Apostolicam sive Curiam Romanam accedunt. In rubrica autem illius tituli nomine clericorum peregrinorum praesertim intelliguntur ii, qui in *remotis regionibus ordinati* et extra suam dioecesim peregrinantes incertisque plerumque sedibus *vagantes*, ut plurimum *ignoti* sunt Ordinariis locorum. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 16 de ref.

II. Ex *antiquissima Ecclesiae disciplina* Episcopis prohibitum erat, quominus ipsi aut *laicos sibi non subditos* in statum clericalem reciperent aut *clericum ab Episcopo proprio ordinatum* sine illius consensu ad superiores ordines promoverent (521). Unde optimo iure etiam ex *disciplina vigente* clericus, qui *non* est *subditus* multoque magis *vere peregrinus*, ad superiores ordines non est admittendus, nisi cum litteris *dimissoriis et testimonialibus* proprii Episcopi, et imprimis afferat necesse est litteras *formatas* sive testimonium authenticum de ordinibus inferioribus rite susceptis (522).

III. Neque minus antiqua est praxis Ecclesiae, vi cuius clericis peregrinis, *prohibito exercitio sacrarum functionum* atque denegata plena communione, solummodo *peregrina communio* fuit concessa (523). Quod principium etiam subsequentibus temporibus in legislatione canonica retentum est, ita ut ex disciplina quoque vigente nullus clericus peregrinus et ignotus sine litteris commendatitiis proprii Episcopi in aliena dioecesi ad divina mysteria celebranda vel sacramenta administranda praesertim *publice* admittatur (524). —

(521) Cfr. c. 18, 19 Conc. Sardic. (a. 343); *Thomassin. Hallier, Phillips, Scherer* l. c. h. tit. not. 433.

(522) Cap. 1, 2 X. h. t.; lib. I tit. 11 de tempor. ord. X.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8, 16, de ref.

(523) Cfr. c. 14 (15) Apost.; c. 20 Conc. Sardic. (a. 343); c. 37 D. V. de consecr. = c. 41, 42 Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 21. Conc. Agath. a. 506) D. 50; c. 13 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 7 D. 71.

(524) Cfr. c. 1, 2, 3 X. h. t.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 16 de ref., Sess. XXII decret. de observ.; S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 358 n. 67 p. 207 n. 1. sq. 10; *Benedict. XIV* l. c. in not. 433 h. tit.; *Bouix,* De iure regular. t. II p. 188 sq.

Qua de re etiam expresse cavit Codex can. 804, cui nunc standum est.

IV. Clerici inde a primis saeculis sub gravissimis poenis fuerunt prohibiti, ne ab una dioecesi in aliam temere transirent, ut ibidem in perpetuum aut ad tempus clero adscriberentur (525); at transitus cum mutuo Episcoporum consensu clericis fuit permissus (526). Inde orta est necessitas litterarum dimissoriarum sive commendatitiarum sive formatarum (527). Cuius disciplinae rigor paulatim emollitus est, cum ordinationes absolutae fierent frequentiores. Et licet Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 16, de ref. denuo magis accederet ad praxim antiquam, tamen veteres canonistae de discessu clericorum beneficiatorum non residentialium aut certae ecclesiae non adscriptorum ex propria dioecesi in alienam mitiores soliti sunt defendere opiniones (528). Cui opinioni antiquiores declarationes S. C. C. omnino favebant. At nostra aetate, qua sacerdotes magis censentur *adscripti servitio dioecesis,* imo saepe hoc titulo ordinantur, ex compluribus responsis S. C. C. potius aucta videtur potestas Episcoporum in retinendis vel revocandis sacerdotibus propriae dioecesis (529), nisi excipias transitum ad statum religiosum (530). Non pauca Concilia provincialia recentiora apertis verbis hanc praxim approbant. Cfr. Collect. Lac. l. c. in not. 433, h. tit. Quae arctior unio clericorum cum propria dioecesi sane favet illi praxi, qua clerici indigenae clericis *extraneis,* si cetera sint paria, merito praeferuntur. Attamen clerici extranei nequaquam ob hanc *solam rationem* ab Episcopis a beneficiis excludi poterant, quod ad dioecesim ipsorum non pertinerent. Cfr. epist. S. C. Ep. et Reg. ad Metrop. cuiusdam prov. ex mandato Gregorii XVI scriptam d. 17 Dec. 1839 in Collect. in usum Secretar. S. C. et Reg. p. 97.

(525) Cfr. c. 15, 16 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 19, 23 C. VII q. 1 et c. 3 D. 71 iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 419 sq.

(526) Cfr. c. 1 (c. 18 Synod. Rom. a 826) c. 2 c. 21 (Conc. Carthag. III (a. 397) c. 3 (Conc. Milevit. a. 402) D. 72; c. 37 (c. 27 Stat. Eccles. antiq.) C. VII q. 1; *Hofmann* in Act. theol. Oenip. t. XXIV p. 92 sq.; *Many,* De sacr. ordin. n. 67 sq. (de incardinatione); supra h. tom. IV n. 188, IV, b.

(527) Cfr. c. 7 Conc. Antioch. (a. 341); c. 13 Conc. Chalced. (a. 451); c. 34 Apost.; c. 6 sq. D. 71; c. 1 sq. D. 72; c. 1 sq. D. 73.

(528) *Bouix,* De Episc. t. II p. 272 sq. *Scherer.* l. c. not. 78.

(529) *Bouix,* l. c. p. 282; *Gasparri* l. c. n. 860; *Hofmann* l. c. p. 412 sq. Praesertim consulenda sunt decreta Concil. plenar. Baltimor. III (a. 1884) n. 60 sq.

(530) *Nilles,* Selectae disput. acad. II p. 33 sq.

CAPUT V.

DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

267. Fontes: Decr. Grat. c. 2, 3, 4, 5, Dist. 23; D. 24; c. 5, § 1, D. 51; c. 3, D. 77; c. 3, D. 78; c. 4, D. 81; c. C. 12, q. 1. — Comp. III, l. I, t. 10 de scrutin. — Decr. Gregor. IX, l. I, tit. 12 de scrutin. in ordine fac.; lib. V, tit. 30, de eo, qui furtive ordinem suscepit. — Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 7, 12, 16, 18, cum declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. — Concilia recent. in Collect. Lac. v. v. Clerici, Exercitia, Ordinatio, Seminaria. — Concordata recentiora. Cfr. *Nussi,* Conventiones v. v. Episcopi, Seminarium — Act. S. Sed. v. v. Ordinatio sacra, Seminarium. — Syllab. prop. 46.

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in h. t.; *Paucapalea,* Summa p. 35 sq.; *Stephan. Tornac.,* Summa pag. 35 sq. — *Zech* l. c. tit. 8, de examine ordinand. §§ 95 sq.; *Devoti,* Inst. canon. l. I, tit. 4, sect. 2, § 10; *Scherer* l. c. § 66; *Phillips* l. c. t. I, § 44; *Hinschius* l. c. t. I, p. 107 sq.; — *Hallier,* De sacris elect. et ordin. P. I, sect. 1 sq.; *Poüan,* De seminario (a. 1874); *Irenaeus Temistor* D. Bildung u. Erzieh. d. Geistl. (L' instruction et l'éducation du clergé) (1884); *Benedict. XIV,* Inst. eccles. 42, 104, De Synod. dioec. l. V, cap. 3, n. 1 sq. cap. 11; *Gasparri* l. c. n. 658 sq.; *Many,* De sacra ordin. n. 102 sq. 115 sq. 153 sq. — *Thomassin.* l. c. P. I. lib. 3, cap. 2 sq. P. II, lib. 1, cap. 23 sq.

Praenotiones

Sacrae ordinationi praeire debet ex parte Ordinantis scrutinium sive examen ordinandorum, unde Ordinans hauriat praeviam certam notitiam de vocatione, aptitudine et dignitate eorum, ne temere ipsis manus imponat ad tenorem can. 973, § 3. Ex parte ordinandi praeire debet congrua praeparatio per singularia pietatis exercitia, quibus se disponat ad novum statum ecclesiasticum suscipiendum vel in eo iam constitutus ad ascendendum ad altiorem gradum; quae praeparatio congrua habetur in exercitiis spiritualibus ordinationi praemittendis.

268. Notae historicae. I. Ecclesiae catholica praecepti memor, quod dederat Apostolus Paulus I. Timoth. V. 22: « *manus cito nemini imposueris* », collationi ordinum inquisitionem de dignitate ordinandi semper existimavit necessario et ex officio es-

se praemittendam. Ideo suis legibus constituit examina sive scrutinia de qualitatibus ordinandorum. Cuius praxis antiquissimus testis est S. Cyprianus († a. 258), qui in epist. 38, tradit se de moribus ac meritis singulorum clericorum ordinandorum et cleri *consilium* et populi *testimonium* (531) antea audivisse. Concilium quoque *Nicaenum* can. 9 = c. 4. Dist. 81 sive c. 7. Dist. 24, et can. 10 = c. 5. Dist. 81, sive can. 60. Dist. 50, evidenter iam supponit atque inculcat neminem sine praevia inquisitione (ἀνεξετάστως cit. can. 9) esse ordinandum. Disciplinam vero Ecclesiae *Africanae* maxime exhibet c. 22 Concil. Carthag. III (a. 397) = can. 2 Dist 24 his verbis: « *Nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine* vel *populi testimonio* » (532). Cui canoni consonat c. 6 Dist. 24, qui ex statutis Ecclesiae antiquis (saec. sext.) est depromptus. Ecclesia quoque *Romana* eandem praxim secuta est, ut patet ex c. 3 Dist. 78 et c. 5 Dist. 61 = epist. S. Leon. a. 446 et ex c. 3 Dist. 24 = epist. Gelasii scr. a. 492-496 et ex c. 8 Dist. 77 = epist. Gelas. scr. a. 494. Ecclesia quoque *Hispaniae* ab eadem disciplina non fuit aliena. Cfr. v. g. c. 5 § 1. Dist. 51 = c. 19 Concil. Tolet. IV (a. 633). Celeberrimus in hac re factus est can. 11. Concilii Nannetens. a. 658 (?) *in Gallia* celebrati (cfr. *Hefele* l. c. t. III p. 104) = c. 5 Dist. 24, ubi prima vice proprium quoddam atque formale examen ordinandorum occurrit. Quod examen tempore medii aevi spectavit ad *Archidiaconum.* Cfr. cap. unic. X. de scrut. I 12. Cum paulatim in examinibus ordinandorum disciplina ecclesiastica multum collapsa fuisset, Paulus III Congregationem Cardinalium et Praelatorum a. 1538 instituit, quae ipsi suggereret media contra abusus. Quod in voto illius Congregationis expressum fuerat, id postea Patres Tridentini evidenter sequentes cit. canonem 11 Conc. Nannetensis executioni mandarunt. Quod decretum Sess. XXII cap. 7 de ref. etiam Romani Pontifices v. g. Clemens VIII, Alexander VII, Innocentius XIII, Benedictus XIV iterum iterumque inculcaverunt atque accuratius definiverunt (533).

(531) Quam antiquam praxim consulendi populum de dignitate ordinandorum vel ipsum Pontificale Romanum commemorat. Cfr. quoque *Hallier* l. c. P. I, sect. 1 cap. 3; *Gasparri* l. c. n. 672, 1042 sq.; *Many* l. c. n. 115 sq.

(532) Cfr. de Ecclesia orientali: Novell. Iustin. cap. I, 14; *Thomassin.* l. c. P. I, lib. 1, cap. 33.

(533) *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. VI cap. 3 n. 1 sq.; *Phillips* l. c. § 44 p. 419 sq.; *Giraldi,* Expos. iur. pont. P. II sect. 94.

II. Praeter scrutinium in ipsa ordinatione iam antiquo iure probatum, Concilium Tridentinum iussit duo alia scrutinia ante ipsam ordinationem perficienda. *Primum: a)* relate ad promovendos *ad ordines minores* voluit ut obtineretur bonum testimonium a parocho et a magistro scholae, ubi educantur; *b)* relate ad ordinandos in ordinibus *maioribus* voluit ut per mensem ante ordinationem fierent publicae *proclamationes* in Ecclesia et inquisitiones de *natalibus, aetate, moribus* et *vita* promovendorum et *litterae testimoniales* ipsam inquisitionem continentes quam primum ad Episcopum transmitterentur (Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 5 de ref.). *Alterum scrutinium* (l. c. cap. 7 de ref.) fieri debuit feria IV ante ordinationem vel alio tempore opportuno, per examen ordinandorum circa *genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam* et *fidem*, coram aptis examinatoribus ad id designatis subeundum. Quare Tridentinum requisivit *testimoniales litteras, examen, proclamationes* circa quae tria requisita plures prodierunt SS. CC. decisiones, per quas modus declarabatur tria illa requisita in praxim deducenda.

269. Ius Codicis. Substantialiter exhibet ius Tridentinum prout praedictis SS. CC. decisionibus fuerat declaratum et exigit: 1) certa documenta; 2) testimoniales litteras; 3) examen ab ordinandis subeundum; 4) proclamationes.

Praemittenda formalis petitio, qua quilibet ordinandi, sine distinctione inter maiores et minores ordines, per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui Episcopi in hac re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant (can. 992 sq.): qua manifestatione *propositi* iam exhibetur argumentum de libera et spontanea voluntate ordinandi accedendi ad ordines.

270. *Documenta afferenda* sunt: 1) Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis.

2) Testimonium de peractis studiis, pro singulis ordinibus, ad normam can. 976, requisitis.

3) Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit de bonis eiusdem candidati moribus.

4) Testimoniales litterae Ordinarii loci in quo pomovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.

5) Testimoniales Superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus est adscriptus.

Haec quinque requiruntur in promovendis *saecularibus aut religiosis*, qui, quod pertinet ad ordinationem, *saecularium iure reguntur* (can. 993); iure autem saecularium reguntur religioi *non exempti* (can. 964, 4º).

Ad *religiosos exemptos* quod attinet, qui ordinantur ex *dimissione* proprii Superioris maioris (can. 964, 2º), praedictus Superior maior in suis dimissoriis testari debet promovendum professionem religiosam emisisse (cfr. can. 966, 3º), esse de familia domus religiosae sibi subditae (cfr. can. 965-967), praeterea debet testari de studiis peractis et de aliis iure requisitis. Episcopus ordinans non indiget pro his religiosis aliis testimonialibus litteris (can. 995). Sed in admittendo religioso alia testimonia debuit requirere Superior religiosus ad religionem admittens ad normam can. 544 et sq.

Haec in genere de documentis requisitis et afferendis (534). Sed speciali declaratione indigent quae pertinent ad litteras testimoniales.

271. *Litterae testimoniales* sunt litterae, quibus ab auctoritate competente datur testimonium de idoneitate alicuius ordinandi i. e. de qualitatibus positivis pro ordine recipiendo requisitis et de carentia irregularitatum aliorumque impedimentorum. Unde patet etiam ab Episcopo qui iure proprio suum subditum ordinat testimonia requirenda sunt, si subditus in aliena dioecesi moratus sit.

Requiri *debent* ab Ordinario loci, in quo promovendus tanto tempore versatus est, ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit i. e. pro militibus si trimestre tempus ibi versatus sit, pro aliis si semestre post pubertatem. Sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere *potest* litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit (can. 994, § 1). Quodsi post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis

(534) Si in canone dicitur *promovendos* debere *afferre* illa testimonia, in modo quo nunc educantur clerici in ipso Seminario, ad huius rectorem pertinet illa cura requirendi praesertim testimoniales litteras, iuvamen in hac re praestando ipsi candidato, praesertim quia rector Seminarii debet adiungere proprium suum testimonium.

spatio in eodem territorio *rursus* moratus sit, *novae* litterae testimoniales Ordinarii loci sunt necessariae (can. 994, § 3).

Accidere autem potest: 1) quod loci Ordinarius a quo petuntur testimoniales promovendum satis non noverit, ut testimonium dare possit de absentia impedimenti canonici; 2) ut promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere. In hoc duplici casu Ordinarius potest procedere ad exigendum iuramentum *suppletorium* a promovendo praestandum (can. 994, § 2).

272. *Examen ordinandi.* Promovendus sive saecularis sive religiosus (exemptis non exceptis) debet subire examen: 1) circa ipsum ordinem suspiciendum; 2) si agatur *de ordine sacro* etiam in aliis de theologia tractationibus, ea methodo, coram his examinatoribus et de determinatis tractatibus prout constituerit Ordinarius (can. 996); quam examinis formam et materiam congruenter determinabit per statutum dioecesanum.

Huiusmodi examen requirere, tam pro clericis saecularibus quam pro religiosis, pertinet ad illum loci Ordinarium qui *iure proprio* ordinat vel dat *dimissorias* litteras, non ad eum qui *iure delegato* ordinat, cui tamen, ex iusta causa etiam praedictum examen potest delegari. Nihilominus etiam Episcopus delegatus candidatum ordinaturus, licet *possit* acquiescere attestatione Episcopi delegantis quod candidatus iam examen subierit et plerumque id praestabit, non tamen *tenetur*, et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum promovere non debet (can. 997).

273. *Proclamationes sive banna* requiruntur dumtaxat ad sacros ordines, nisi agatur de religiosis a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus, qui evidenter in paroecia satis noti non esse praesumendi sunt, et e contra bene noscuntur a proprio Superiore religioso.

Saecularium ergo nomina ad *singulos* ordines sacros promovendorum publice denuntiandi sunt in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; fieri debet publicatio *die festo* de praecepto, inter Missarum solemnia, aut alia die et hora quibus maior populi frequentia habeatur.

Ordinarius, pro sua prudentia, potest: 1⁰) ab hac publicatione ex iusta causa dispensare; 2⁰) praecipere ut in aliis quoque ecclesiis, praeter paroecialem, publicatio peragatur; 3⁰) publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur.

Publicatio, sive uno sive alio ex duobus modis permissis facta, iteranda est, si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, nisi aliud Ordinario videatur (can. 998).

274. Specialis investigatio ab ipso Ordinario personaliter fieri potest et ubi casus ferat debet. Quare: 1⁰) Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat, et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat. Ex natura rei publicationes in ecclesia factae inducunt in fidelibus obligationem deferendi, si quid sciant contra alicuius candidati ordinationem (can. 999); atque delata v. gr. ad parochum, ab hoc similiter ad Curiam transferenda sunt. 2⁰) Idem Ordinarius alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum iudicaverit, facere ne omittat (can. 1000).

275. Scholion. Episcopo, cui non constet de idoneitate clerici promovendi, semper manet ius a Conc. Trid. (sess. XIV, cap. 1 de ref.) Episcopis concessum, interdicendi, ex informata, ut dicitur, conscientia, ascensum ad ordines, quin ad hoc iudicialiter procedere debeat; quod ius firmavit can. 2222, § 2. Quod ius pariter competit Superioribus religiosis quoad suos subditos, quos *dimittunt* vel *praesentant* ad ordines recipiendos.

276. Novum speciale scrutinium a S. C. de Sacr. praescriptum 27 Dec. 1930 (A. A. S. XXIII, 120). Huic novo praescripto occasionem dedit multitudo causarum ad illam S. C. delatarum, in quibus aut valor ordinationis impetitur aut praesertim contenditur obligationes ordini adnexas non fuisse contractas ex eo quod quis ad ordinem recipiendum fuerit gravi metu constrictus.

Quae S. C. Instructio speciali Rom. Pontificis approbatione fuit firmata, addito mandato, ut omnibus locorum Ordinariis, adamussim observanda, quam primum communicetur, ut in Seminariis quolibet anno, studiorum curriculo ineunte, alumnis perlegatur, ut de

praescriptionibus fideliter adimpletis in ordinaria de statu dioecesis relatione S. Sedes edoceatur.

Paragraphus prima gravissimis verbis in memoriam Ordinariis revocat obligationem scrutandi mores ordinandorum, non probati enim mores solent esse causa cur *sine vocatione* aut *ea amissa* in statum clericalem sese intrudant, qui ordinari non debuerant; qui deinde, postquam spiritum ecclesiasticum amiserunt, praetendunt se coactos ad ordines accessisse.

Paragraphus altera agit de scrutinio ante primam tonsuram et ordines minores faciendo:

1) requiritur petitio candidati scripto facta et propria manu exarata et subscripta, et Moderatori Seminarii exhibenda qua ille declaret, se libera omnino voluntate et spontanea ordines minores postulare.

2) Moderator Seminarii illam, propriis additis informationibus, ad Ordinarium mittere debet. Moderatori Seminarii substituitur Rector collegii, ubi in collegio v. gr. in Urbe candidatus educatur.

3) Praedicto Seminarii vel Collegii moderatori committenda specialis inquisitio de signis vocationis, de propensione ad sacras functiones, de studiorum profectu, de bonis moribus.

4) In inquisitione circa qualitates (proposita etiam formula interrogatorii), speciatim insistitur in iis, quibus pandatur plena spontaneitas et libertas a qualibet coactione ex parte consanguineorum.

Paragraphus tertia. Quoad promotionem ad singulos ordines maiores, praeter novas inquisitiones, praesertim circa mores candidati, is debebit propria manu scribere declarationem, iuramento firmandam, qua fateatur se omnimoda libertate ad sacrum ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa. Cuius declarationis et iuramenti etiam formula praescribitur. Cfr. in Appendice Allegatum II.

Scrutinium pro religiosis. Illa Instructio S. C. de Sacr. deinde adoptata fuit a S. C. de Rel. eam accommodando religiosorum statui, ubi pariter praescribitur forma specialis scrutinii et exigitur declaratio subscripta et iurata. (Instr. S. C. de Rel. 1. Dec. a. 1931 - A. A. S. vol. XXIV, p. 74 sq.). Cfr. in Appendice Allegatum III.

§ 2. - DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ORDINANDORUM

277. Praenotiones historicae. Viris sanctis, qui ad sacerdotium ascenderunt, semper in more positum fuit, ut singularibus pietatis exercitiis sese ad sacram ordinationem praepararent (535). Postquam S. Ignatius factus est auctor exercitiorum spiritualium nova quadam forma et methodo peragendorum, imprimis S. Carolus, Archiepiscopus Mediolanensis, cum suis Episcopis suffraganeis statuit in quarto Concilio provinciali Mediolanensi (a. 1576), ut clerici subdiaconatum suscepturi per mensem vel per longius breviusve tempus exercitia sacra peragerent duce et moderatore sibi adhibito religioso quodam viro. Idem statutum est diaconis, cum ad sacerdotium essent promovendi.

Pium illud exercitium ante ordinum susceptionem saeculo decimo septimo maxime promovit S. Vincentius a Paulo, ita ut in decreto canonizationis speciali encomio ea de re celebraretur. At huius praxis universaliter propagandae sane principales auctores fuerunt Romani Pontifices, qui inde ab anno 1662 primum in Urbe, deinde a. 1682 in universa Italia etiam iuris sanctione adiecta exercitia spiritualia saltem ante sacros ordines peragenda esse iusserunt. Quod exemplum a Romanis Pontificibus datum quamplurimi Episcopi etiam extra Italiam maiori minorive rigore secuti sunt (536). Summa vero utilitate vel potius vera necessitate commendatur illa praxis in seminariis paulatim recepta, ut non solum immediate ante ordines sacros exercitia spiritualia peragantur, sed iam *in primordiis* vitae clericalis per exercitia spiritualia *solidum* iaciatur *fundamentum*, et dein *singulis annis* pium illud exercitium in seminario repetatur.

II. Exercitia spiritualia secundum formam S. Ignatii, quibus alia quaedam species efficacis praeparationis ad statum clericalem suscipiendum continetur, ex sanctionibus *iuris communis* Codicem praecedentis ne ante sacros quidem ordines stricta obligatione peragenda erant. Verum iam Alexander VII Const. « *Apostolica solli-*

(535) *Pouan* l. c. p. 12; *Benedict. XIV.*, Inst. eccl. 104, De Synod. dioeces. l. XI. cap. 2 n. 16, 18.
(536) Collect. Lac. t. I. col. 191, 306, 391, 425, 744 t. II col. 41, 240.

citudo » 7 Aug. 1662 §§ 3, 4 clericis *saecularibus* promovendis ad aliquem ex *sacris* ordinibus in *Urbe* vel e *sex Episcopatibus* suburbicariis exercitia spiritualia per decem dies in domo urbana sacerdotum missionis continuanda speciali lege (537) praescripsit. Item Innocentius XI (538) pro universa Italia et insulis adiacentibus statuerat, ut ab omnibus promovendis tum ad *minores* tum ad *sacros* ordines per decem dies ante ordinationem exercitia spiritualia peragerentur. Clemens XI (539) Constitutionem Innocentii XI ita confirmavit, ut huiusmodi exercitia spiritualia a singulis clericis per decem dies fierent, antequam ad *sacros ordines* assumerentur. Quare etiam in praxi pro ordinibus *minoribus* lex exercitiorum per *decem* dies peragendorum in Italia et insulis adiacentibus non erat recepta.

Consuetudine vel statutis particularibus similis quaedam praxis pariter *in aliis provinciis ecclesiasticis* etiam Ecclesiae orientalis ita vigebat, ut clerici promovendi per decem vel octo aut saltem per tres vel quinque dies ante singulos ordines sacros exercitia spiritualia peragere deberent (540), ita ut iam vere esset usus universalis.

278. Ius Codicis. Praedentem praxim Codex firmavit et fecit *ius commune* magis determinatum et uniforme (can. 1001).

1°) Primam tonsuram et ordines minores praecedere debent saltem *tres dies* completi exercitiorum spiritualium.

(537) Cfr. de loco, quo illa exercitia spiritualia in Urbe essent peragenda: *Benedict. XIV* in Inst. eccl. 104 et Alex. VII in cit. Const. « *Apostolica sollicitudo* ». Sanctio quoque poenalis Alexandri VII l. c. contra ordinantes vel ordinatos non praemissis rite exercitiis spiritualibus etiam in Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » fuerat quoad *substantiam* retenta. Quoniam autem Pius IX in cit. Const. post verba: « *E sex Episcopatibus suburbicariis* », illa alia verba inseruit: « *Si ordinentur extra suam dioecesim i. e. in Urbe* », limitata obligatione quoad locum (i. e. in domo Urbana) etiam poena fuit limitata. Cfr. *Honorante* l. c. p. 53 sq.; *Bucceroni* l. c. n. 102; *Gasparri* l. c. n. 766; *Many* l. c. n. 155.

(538) Cfr. decretum S. C. Ep. et Reg. d. 9 Oct. 1682 ab Innoc. XI approbatum.

(549) Encycl. per S. C. C. 1 Febr. 1710 ad Ordinarios Ital. et insul. adiac. transmissa. Cfr. *Ferraris*, Bibl. v. Exerc. spirit.

(540) Collect. Lac. t. II col. 220 t. V, col. 656, 838 t. VI col. 24, 167, 317, 519, 619. Cfr. de regularibus, qui hisce legibus indiscriminatim in rigore iuris non ubique erant adstricti: *Benedict. XIV* in cit. Inst. eccles. 104, n. 13 iunct. Conc. Roman. (a. 1725) in Collect. Lac. t. I. col. 382, ubi statuitur: « *Attendant Episcopi, ne regularium quempiam ad subdiaconatus ordinem promoveant, si initiandus ipse... non secum attulerit...* (de) *praeviis exercitiis spiritualibus peractis attestationem* ».

2°) Singulos ordines sacros debet praecedere praeparatio spiritualis per *sex* saltem *dies* exercitiorum spiritualium.

3°) Si quis intra semestre promovendus est ad plures ordines *maiores*, Ordinarius potestate pollet reducendi tempus pro ordinatione *ad diaconatum*, non tamen infra tres dies integros. Ex quo ultimo praescripto apparet exercitia spiritualia diuturniora exigi pro subdiaconatu et presbyteratu, quia per primum suscipitur status perfecti coelibatus; per presbyteratum obligatio coelibatus fit practice indispensabilis et graviora alia officia suscipiuntur.

Pro casu, quo omnes ordines *brevissimo tempore* recipiantur, S. C. de Sacr. 27 Aprilis 1928 (A. A. S. XX, 359) institit, ut quantum fieri possit omnino serventur supra memorata praescripta; si tamen infra paucos omnino dies omnes ordines maiores, servatis servandis, conferantur, semper fixum esse debet ut primo ordini maiori praeponantur saltem sex dies exercitiorum spiritualium, ceteris, si fieri poterit, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur.

279. Scholion. Quodsi « *bona est oratio cum ieiunio* » (Tobias XIII, 8) (541) certe inde a temporibus Apostolorum optimo consilio ordinationi praemittitur ieiunium, tum ut ipsi ordinandi ad recipiendam gratiam sese melius disponant, tum ut fideles suo ieiunio precibus unito dignos Ecclesiae ministros implorent. Cfr. Act. Apost. XIII, 2, 3. Cum ordinationes antiquissimis temporibus fierent diebus *dominicis* post ieiunia quatuor temporum, manifeste ieiunium semper ordinationi fuit praemissum. Cfr. c. 4 D. 75 = epist. S. Leon. ad Dioscor. Alexandr. (a. 445). Postquam continua retroactione ordinationes ex die dominica in horas matutinas praecedentis sabbati fuerunt translatae, nihilominus usus ieiunii fuit retentus si legitimis temporibus ordinationes factae sunt. Quod autem cit. c. 4 D. 75 et cap. 13 X. de tempor. I, 11 = epist. Innoc. III ad Mutinens. Episc. et mag. H. (a. 1201) dicitur de continuato ieiunio, id iuxta mitiorem interpretationem intelligendum non erat de absoluta continuatione ieiunii sabbati usque in sequentem diem dominicam pro more antiquo, sed de relativa continuatione ieiunii iuxta disciplinam nunc vigentem (542).

(541) *Hallier* l. c. P. I. sect. 4 §§ 1 sq. 4; *Many* l. c. 153.

(542) *Reiffenstuel* l. I. t. 11 n. 37 sq.; *Gasparri* l. c. n. 770.

Si ordinationes fiant extra tempora legitima, ieiunium ex iure communi non est stricta obligatione praemittendum; at iure particulari huiusmodi obligatio potest esse imposita. Quod ius si desit, ieiunium illud ad summum potest dici conveniens (543). — Porro ieiunium naturale in ipso ordinationis ritu imponitur suscepturis ordinem maiorem ex hoc quod sacram communionem recipere debeant in ipsa ordinationis Missa (can. 1005).

CAPUT VI

DE RITIBUS ET CEREMONIIS SACRAE ORDINATIONIS

(CAN. 1002 - 1065)

280. Fontes: Decret. Grat. Dist. 23, 52, 60, 61, 75, 76, 77; C. IX, q. 2; C. I. q. 1; Dist. 74. — Compl. antiq. l. c. titulis supra citatis; Decretal. Greg. IX, l. I, t. 11, 15, 16; l. V, tit. 29; Decretal. Bonif. VIII, lib. I, tit. 9, de temp.; Pii II, Const. « *Cum ex sacror.* » 17 Nov. 1461 et Reg. Conc. Apost. 24. — Conc. Trid. Sess. VII, cap. 9 de ref., Sess. XXIII, Sess. VI, cap. 5 de ref. — Decretal. Clem. P. VIII, ed. *Sentis* p. 14 sq.; Innocent. XII, Const. « *Sanctissimus Dominus* » 14 Dec. 1693; Pii IX Const. « *Apost Sed.* » 12 Oct. 1869; Collectanea S. C. de Prop. F. n. 1183 sq.; Collect. Lac. t. II, v. Ordinatio (in Eccles. orien.)

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. iur. Decretal. in cit. tit. — *Paucapalea, Steph. Tornac.* l. c. in cit. Dist. Decret. Grat.; *S. Raymundus,* Summa lib. III, tit. 22; *Zech* l. c. tit. 7, de tempore et loco ordinationis §§ 81 sq.; *Devoti,* Inst. canon. lib. I, tit. 4; *Phillips* l. c. § 59; *Scherer* l. c. p. 320 sq.; *Hinschius* l. c. t. I, p. 111 sq.; *Hallier* l. c. p. III, sect. 6, 7; *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 106; *Riganti* l. c. in Reg. Canc. Apost. 24 §§ 1, 4; *Gasparri* l. c. n. 983 sq. de ritibus sacr. ord. n. 45 sq. de temp. et loc. sacr. ord.; *Many* l. c. n. 192 sq. 91 sq. — *Thomassin.* l. c. P. I. lib. 2, cap. 35, 36; *Card. Van Rossum,* De essentia Sacr. Ordinis, a. 1914; *De Puniet,* in Dict. d'archeol. chrét. t. III, col. 2579 sq.; *Michel,* in Dict. de Theol. v. Ordre.

Praenotiones

281. Exposita *praeparatione* remota et proxima sacrae ordinationis, *ipsa collatio ordinum* secundum ritum, tempus, locum, ordinem aliasque conditiones illam comitantes est accuratius proponenda.

(543) Pontif. Rom. de consecr. elect.; S. C. Inq. 14 Dec. 1898; *Many* l. c. n. 154.

Quod attinet ad ipsum ritum codex remittit ad Pontificale Romanum aliosque libros rituales, in quibus illi ritus et ceremoniae recensentur et praescribuntur; non est autem alienum a disciplina canonica accurata investigatio circa ritus substantiales et accidentales, cum in foro canonico persaepe iudicium sit proferendum de valore alicuius ordinationis, in qua aliquid omissum fuit aut debito modo non fuit positum.

§ 1. - DE RITU SACRARUM ORDINATIONUM

I. - De ritu sacrarum ordinationum in genere

282. Sacra ordinatio generatim dicitur ritus sacer, *vi cuius* gradus quidam potestatis ordinis confertur (544).

Ex illis ritibus sacrae ordinationis alii sunt *essentiales,* alii *accidentales.*

Ritus essentiales constituunt *materiam* et *formam* ordinationis sacrae, quibus omissis ordinatio *invalida* est neque ullam confert potestatem ordinis. Qui ritus essentiales ordinationis denuo subdividi possunt in *sacramentales* et in *non sacramentales.* Illi sunt materia et forma *veri sacramenti* novi testamenti, alii sunt mera *sacramentalia,* ad quorum valorem ab Ecclesia per *modum* materiae et formae sunt praescripti (545).

Accidentales vero ritus sunt omnes caerimoniae sacrae (546) quae ex legibus Ecclesiae praeter ritus essentiales ad *licitam* ordinationem omnino observandae sunt. Quae caeremoniae si omissae fuerint, cum ad *validam* ordinationem non requirantur, solummodo in materia *gravi,* non in re levi (sicuti caeremoniae baptismi) postea sunt supplendae; at nequaquam integra ordinatio est repetenda (547).

Inde quoque efficitur clericum ante huiusmodi supplementum caeremoniae gravis in ordine suo solemniter ministrantem graviter

(544) Cfr. *Gasparri* l. c. n. 2 sq. 983 sq.
(545) Cfr. de ordinibus hierarchicis: *De Augustinis* l. c. p. 491 sq.; *Pesch,* Prael. dogm. t. VII n. 577 sq. 621; *Gasparri* l. c. n. 992 sq.
(546) Cfr. Conc. Trid. Sess. VII de sacram. in genere can. 13, Sess. XXIII de sacram. ord. can. 5.
(547) Cfr. v. g. cap. unic. § 1 X. de sacr. unct. I, 15.

quidem *peccare*, sed *non* fieri *irregularem* (548), ordinatio enim est valida, ideoque ille clericus non ministrat in ordine non recepto neque ullo iure propter suum delictum irregularitate punitur.

283. Omnes ritus essentiales et accidentales ordinationis sacrae i. e. ritus substantiales ad valorem ordinationis requisiti et caeremoniae mere accessoriae in *Pontificali Romano* vel in *Euchologiis* Ecclesiae orientalis referuntur et praescribuntur. At nequaquam in illis libris ritualibus ad amussim distinguitur, quinam ritus essentialis vel accidentalis sit dicendus. Quare in praxi omnes ritus ibidem praescripti accuratissime sunt observandi (can. 1002) (549). Ubi autem subtiliori disputatione scholastica ritus essentiales materiae et formae in sacra ordinatione secernendi sunt a ritibus integrantibus et accidentalibus, etiam recurrendum est ad antiquiores libros liturgicos utriusque Ecclesiae et definitiones dogmaticas et decreta S. C. Inq. et S. R. C. et S. C. C. atque S. C. de Sacr. In usu vero decreti pro *Armenis* examine theologico et historico opus est, ne exaggerato eius valore *dogmatico* atque neglecta parte *disciplinari* ad falsas perveniatur conclusiones (550).

284. De fide catholica est (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII de sacram. ord. can. 3) generatim *" ordinem sive sacram ordinationem*, esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum. Certum quoque est in specie ritum sacrum, quo confertur ordo diaconatus vel ordo presbyteratus vel ordo Episcopatus esse verum sacramentum novae legis, ut latius probant theologi dogmatici. Ritus vero sacri, quibus conferuntur prima tonsura vel ordines minores vel subdiaconatus, veris sacramentis non sunt adnumerandi. Cfr. *Pesch*, Praelect. dogm. t. VII, n. 569, sq. 621 sq.; *Gasparri* l. c. n. 10 sq.

(548) *Suarez*, De cens. disp. 42 sect. 4 n. 12; *Schmalzgr.* l. c. lib. V tit. 28 n. 13.

(549) *Gasparri* l. c. n. 994, 1006 sq.; *Many* l. c. n. 192 sq. 254 sq. 294 sq.

(550) *Denzinger*, Enchiridion ante n. 590; *Hefele* l. c. t. VII p. 788 sq.; *Many* l. c. n. 257; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 398 sq.; *Michel*, in Dict. de Theol. n. V; *D'Annibale*, Summula, III, n. 231; *Gasparri*, II, n. 1007; *M. Quera*, El decreto de Eugenio IV para los Armenios y el sacr. del Orden in « Estudios eclesiásticos 1925-1927 »: aliter *Gutberlet* in Act. theol. Oenip. t. 25 sq. p. 621 sq. aliique v. g. *Billot* de valore decreti pro Armenis iudicant. Specialem interpretationem proponit Card. *Van Rossum*, de essent. sacr. Ordinis n. 385 sq.

33, sq.; supra h. tom. n. 177 sq. Hinc ipse Christus Dominus etiam ritum essentialem materiae et formae trium ordinum hierarchicorum *immediate* instituit. Nam is tantum dicitur rem instituisse, qui eius saltem *essentialia* elementa instituit, atque obvio sensui verborum Concilii Tridentini l. c. can. 3 et 6 et Sess. VII de sacram. in gen. can. 1 plene non satisfit, nisi Christus Dominus dicatur immediatus auctor trium ordinum hierarchicorum ipso diaconatu non excepto (551).

285. Praeterea immediata institutio ritus essentialis sacrae ordinationis iuxta melius fundatam sententiam non tantum *in genere* a Christo Domino facta est, sed in *specie* per determinationem materiae et formae (552). Quare Christus Dominus sacramentum ordinis nequaquam ita instituit, ut saltem ordines hierarchici conferentur generatim *per signa et verba exprimentia potestatem dandam*, relicta Ecclesiae potestate tum signa tum verba determinandi v. g. alio modo pro Ecclesia orientali, alio modo pro Ecclesia occidentali (553), aut instituta signa mutandi. Sententia enim ista positivis argumentis efficaciter non probatur atque difficulter conciliatur cum doctrina Concilii Tridentini Sess. XXI doctr. de com. cap. 2, quod Ecclesia in *substantiam sacramentorum* nihil possit (554).

286. Quare quicunque ritus sacri, qui ex *antiqua* Ecclesiae praxi fuerunt certa et sufficiens materia et forma ad constituendum sacramentum ordinis, etiam nunc ad *validam* ordinationem *sufficiunt* neque ex auctoritate Ecclesiae vim suam sacramentalem *amiserunt*.

Etenim Ecclesia *potestate quadam controversa* in re adeo gravi uti non solet, et ex altera parte gratis omnino fingitur, quod *de facto* huiusmodi facultate unquam usa sit, ut recte urget *Benedictus XIV*, l. c. Hinc deducitur ritus sacros, qui *postea* in libris liturgicis ad *antiquas materias* et *formas* certae et *validae* ordinationis

(551) *Lugo*, De sacram. in genere disp. 2 n. 81 sq. disp. 7 sect. 1; *Gasparri* l. c. n. 31, 40, 984.

(552) *S. Thom.*, Summ. theol. P. III q. 60 a. 7; *S. Alphons.*, Theol. moral. l. VI n. 12, 736 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 9, 10, 11; *De Augustinis* l. c. vol. I, P. II art. 4 vol. II p. 512 sq.; *Many* l. c. n. 257.

(553) *Lugo* l. c. disp. 2 sect. 5 aliique auctores v. g. *Bellarminus*, *Hallier*.

(554) *Benedict. XIV* l. c., ubi hanc doctrinam dicit offendere in « *duas gravissimas difficultates* »; *Many* l. c. n. 257.

accesserunt, tanquam ritus saltem substantiales non *requiri.* Simili consequentia infertur ritus sacros qui pro Eccl. Orientali sunt sufficientes *ad valorem* ordinationis, etiam in Ecclesia latina esse sufficientes; nam insufficientia pro hac Ecclesia non posset provenire nisi ex usu praedictae controversae potestatis.

287. At stante controversia de materia et forma sacrae ordinationis, quam hactenus Ecclesia noluit doctrinaliter dirimere, in praxi omnes illi ritus, qui certo aut saltem probabiliter sunt partes essentiales materiae et formae sacramenti ordinis, summa cum religione sunt servandi; secus enim haberetur ordinatio certe nulla aut saltem dubia quoad ipsum valorem (555). Quare quae de impositione manuum per contactum physicum (ad *valorem* non requisitum) (556), de contactu physico instrumentorum (557), de unione materiae et formae ab ipso legitimo ministro ordinationis pronuntiatae (558), de partibus essentialibus et distinctis materiae et formae sive principalibus sive accessoriis rite ponendis (559) ex responsis SS. CC. et probata doctrina theologorum et canonistarum constant, in praxi accurate sunt applicanda.

II. - De ritu singularum ordinationum

288. Primae tonsurae (560) ritus essentialis consistit in *incisione capillorum* propriorum, non comae fictitiae clerici faciendi iuxta

(555) Cap. 1, 3 X. de sacr. non iter. I 16; *Gasparri* l. c. n. 988 sq. 998 sq.; *Many* l. c. n. 295 sq.

(556) Cap. 3 X. de sacr. non iter. I 16; S. C. Inq. 20 Ian. 1875 in Act. S. Sed. vol. 30 p. 157 sq.; S. C. Inq. 22 Ian. 1890 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1205; S. C. Inq. 17 Mart. 1897 in Anal. eccl. t. V p. 482 de secunda manuum impositione; *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor. vol. V n. 896 sq.

(557) S. C. C. 28 Maii 1796 et resp. S. R. C. 3 Dec. 1661. Quae duae decisiones sibi apparenter oppositae ita conciliandae sunt, ut dicatur S. R. C. respondisse ad dubium *facti,* quod consistebat in *scrupulo* contemnendo, S. C. C. resolvisse quaestionem *iuris,* ubi de facto non meri scrupuli fuerunt allati. Cfr. *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 902 sq. Quare *Gasparri* l. c. 995, 1084 ex resp. S. R. C. fratri Ephrem dato nimium videtur deducere.

(558) *Gasparri* l. c. n. 1003 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 897 sq.

(559) Cfr. v. g. resp. S. C. Inq. 27 Maii 1840 de supplenda tertia impositione manuum in ordinatione presbyteri non rite facta; *Ballerini-Palmieri* n. 900; *Gasparri* l. c. n. 999 sq.

(560) Conc. Trid. Sess. XXII cap. 2 de ref.; Pontif. Rom. tit. *De clerico*

formam Pontificalis Romani ab Episcopo facta cum *verbis:* « *Dominus pars* » etc. ab *ipso* promovendo clerico prolatis. Qua in tonsione capillorum cum congrua oratione etiam in Ecclesia orientali consistit ritus substantialis primae tonsurae. Quare quamvis etiam Episcopus tondens ex decreto S. R. C. 12 Nov. 1831 eadem verba: *Dominus* etc. proferre *debeat,* tamen id ad *valorem* collationis primae tonsurae non requiritur (561). Multo minus essentialis est ritus, quo Episcopus postea clerico tonso *imponit* superpellicium *dicens:* « *Induat* » etc., neque adeo gravis videtur, ut in casu omissionis necessario sit supplendus (562).

289. Ostiariatus materia et forma essentialis est traditio clavium ordinando, qui illas manu dextera tangit, ab Episcopo facta et verba Episcopi ordinantis: « *Sic agite* » etc. simul prolata. At licet propter legem Ecclesiae « *claves* » i. e. complures tradendae sint, tamen traditio *unius* clavis ad valorem sufficit (563). Neque claves *ecclesiae* necessario sunt tradendae, sed qualescunque claves, dummodo aptae sint ad aperiendum, tradi possunt; agitur enim de *symbolo,* quod rei, quam repraesentat, par in omnibus esse non debet (564).

Cui ritui duplex accedit caeremonia, scl. Archidiaconus vel alius eius loco ducit ordinatos ad ostium ecclesiae, ut illud claudant et aperiant etiam absque clavi (565); deinde iisdem tradit funes campanae vel saltem tintinnabula altaris (566). At utraque caere-

---

faciendo; *Phillips* l. c. t. I § 34; *Devoti,* Ius canon. univ. l. I tit. 11 § 5, 6; *Gasparri* l. c. n. 1013 sq.; *Many* l. c. n. 192 sq., ubi ea, quae spectant ad historiam diversorum rituum ordinationis in Ecclesia occidentali et orientali solida disquisitione explicantur.

(561) Decreta auth. C. S. R. n. 2682; *Many* l. c. n. 292. Cum in casu incisio facta esset in coma fictitia S. R. C. 25 Sept. 1846 (cit. Decr. auth. n. 2919; « *Benigne annuit pro sanatione, quatenus opus sit, a quocunque defectu, adeo ut nil ulterius sit innovandum* ».

(562) Collatio primae tonsurae in Ecclesia graeca immediate ordinationi lectoris vel cantoris ut ritus distinctus, sed non separatus praemitti solet. Cfr. Collect. Lac. t. II col. 242, 259 sq. 267 sq.; Synod. Alex. (a. 1898) p. 134; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132; *Gasparri* l. c. n. 1019; *Many* l. c. n. 293.

(563) S. R. C. 11 Mart. 1820 (nunc in Decr. auth. omiss., sed non abrog. et S. C. de Prop. F. 27 Sept. 1843 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1189, 1197; S. R. C. 20 Iun. 1899 in Decr. auth. n. 4035; *Many* l. c. n. 288.

(564) S. C. de Prop. F. 18 Mart. 1844.

(565) S. R. C. 12 Nov. 1831 in Decr. auth. n. 2682.

(566) S. R. C. 27 Sept. 1873 in Decr. auth. n. 3315.

monia ad *valorem* ordinationis ostiariatus *non* est necessaria; imo *ne supplenda quidem* est, si forte omissa fuerit (567).

290. Lectoratus materia et forma essentialis habetur in traditione codicis (i. e. missalis, breviarii vel voluminis sacrae scripturae) (568) ab ordinando manu dextera tacti et in verbis: « *Accipite* » etc. ab Episcopo inter traditionem codicis prolatis (569).

291. Exorcistatus confertur ab Episcopo per traditionem *libri* exorcismorum (vel Pontificalis Romani vel missalis), quem ordinandus manu dextera tangit simul dicente Episcopo ordinante: « *Accipite* » etc. Qua in traditione cum verbis Pontificis ritus essentialis huius ordinationis continetur (570).

(567) Cfr. Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 7 n. VII; Synod. Mont. Liban (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 243; Conc. provinc. Alba-Iul. (a. 1872) p. 88; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 132 sq. 142, unde eruitur in Ecclesia orientali per subdiaconatum graeco ritu collatum etiam *acolythatum* et *ostiariatum* recipi.

(568) S. R. C. 27 Sept. 1873 l. c.; Arch. f. k. K. t. II 226 sq. *Many* l. c. n. 197, 289.

(569) Cfr. de ritu ordinationis *lectorum* in Ecclesia orientali, qui ibidem exceptis Maronitis et Syris et Armeniis primus ordo minor esse solet: Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 88; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 242 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898) p. 138: « *In collatione ordinum minorum i. e. lectoratus et subdiaconatus materia est tactus temporum ordinandi; forma vero sunt verba, quae pronuntiat ordinans, dum hic tactus fit. Qui tactus nullo modo impositio manuum dici potest ut expresse monet ritus Ecclesiae nostrae* », *Goar, Euchology.*, Notae in ordin. lect. not. 10 p. 241 sq., ubi docet apud *Graecos* materiam esse crucis signationem factam ab Episcopo manu super caput clerici extensa vel imposita; *Papp-Szilágyi* l. c. P. II § 84; *Gasparri* l. c. n. 1020. *Many* l. c. n. 290 sq. ubi recte docet in reliquis Ecclesiis orientalibus non specialiter exceptis ritum substantialem lectoratus consistere in impositione manuum cum oratione consecratoria.

(570) Specialis quaedam ordinatio exorcistatus sive formalis sive aequivalens in alia collatione minoris ordinis contenta non apud omnes *Ecclesias orientales* reperitur. Cfr. Benedict. XVI Const. « *Etsi pastoralis* » l. c. At v. g. apud Maronitas et Syros in cantoratu etiam exorcistatus comprehenditur, qui confertur traditione libri psalmorum et oratione. Cfr. Synod. Mont. Liban. l. c. col. 242, 255, 267; cit. Synod. Sciarf. p. 132. In Ecclesia vero Alexandrina (cfr. Synod. Alex. a. 1898 p. 134) psaltes seu cantor non proprio ritu constituitur, sed orationem tantum super eum recitat Episcopus; exorcista vero nullam propriam habet ordinationem, sed, si opus est, aliqua persona ecclesiastica deputatur ab Episcopo ad exorcismos peragendos. *Armenii* quoad ritus primae tonsurae atque quatuor ordinum minorum in substantialibus receperunt ritum Ecclesiae Romanae. Cfr. *Many* l. c. n. 248 sq. 253.

292. Acolythatus suscipitur, cum Episcopus tradit verum *candelabrum* sive ceroferarium (non bugia sive palmatoria) (571), quod ab ordinando manu dextera est tangendum simul dicente *Episcopo*: « *Accipite ceroferarium* » etc. Praeterea idem Episcopus tradit unum urceolum vacuum pariter manu dextera tangendum interim dicens: « *Accipite urceolum* » etc. Utraque instrumentorum traditio cum verbis adnexis constituit ritum essentialem huius ordinationis. Quare si prior aut altera traditio cum verbis esset omissa aut dubie posita, ipsa sola absolute vel sub conditione (572) esset supplenda (573).

293. Subdiaconatus confertur, cum Episcopus *tradit calicem* vacuum cum patena vacua superposita, quem ordinandi manu dextera tangunt dicente Pontifice: « *Videte* » etc. Qui ritus essentialiter requiritur. Duae caeremoniae, quae hunc ritum principalem immediate sequuntur i. e. traditio urceolorum etc. per Archidiaconum atque impositio vestium, ad essentiam ordinationis subdiaconi non spectant; hinc si omissae fuerint vel male positae, non eam videntur habere gravitatem, ut necessario supplendae sint (574).

Denique Episcopus accipit et *tradit librum epistolarum* (i. e. sive missale sive librum sacrae scripturae tum novi tum veteris testamenti), qui manu dextera ab *ordinandis* est *tangendus*, simul dicens: « *Accipite* » etc. Cum Pontificale Romanum eos, qui accedunt ad tangendum librum epistolarum, dicat *ordinandos*, et complurium doctorum accedat auctoritas, ultimus ille ritus *in praxi* probabiliter dicendus est altera *pars* ritus *substantialis* ordinationis subdiaconatus, et in casu omissionis est saltem supplendus iuxta responsum S. C. C. 11 Ianuar. 1711, iunct. resp. S. R. C. 16 Iun. 1837 in Decr. auth. n. 2767 (de omissa traditione libri evangeliorum in ordinatione diaconi). At *theoretice* cum sententia communi omnino defendi potest saltem multo probabilius materiam subdiaconatus esse *solam* traditionem calicis vacui cum patena vacua superposita, neque tanquam partialem materiam ad valorem requiri

(571) S. R. C. 8 Iun. 1709 in Decr. auth n. 2194.

(572) *Gasparri* l. c. n. 1025, 1005; *Many* l. c. n. 286, 299, 302.

(373) Cfr. de acolythatu, qui apud *Graecos* in subdiaconatu continetur, textus supra citatos h. cap. in not. 567; *Gasparri* l. c. n. 17, 1028; *Many* l. c. n. 285.

(574) Decret. pro Armen.; Pontificale Rom. (de ord. subdiac.); S. R. C. 27 Sept. 1873 in Decr. auth. n. 3315; *Many* l. c. n. 196, 284, 298; *Gennari*, Consultazioni t. I. p. 519, sq.; *Gasparri* l. c. n. 1084 sq.

traditionem libri epistolarum. Nam in decreto pro Armenis et in *antiquis* libris liturgicis sola traditio calicis et patenae commemoratur; traditio vero libri epistolarum est ritus recentioris institutionis inde ex fine saeculi decimi tertii. Cfr. *Many* l. c. n. 203, 284. In sententia veriori quod subdiaconatus (apud Orientales ordo minor) non sit sacramentum, additio *substantialis* postea facta difficultatem non habet, sed deberet probari esse factam tamquam aliquid substantiale.

Quare etiam in subdiaconatu, ut in acolythatu, habetur duplex ritus partialis ad essentiam ordinationis *in praxi* probabiliter requisitus; omissa igitur vel dubie posita una aut altera parte essentialis ritus, illa pars absolute vel conditionate repetenda est. Cfr. cit. resp. S. C. C. et S. R. C.

294. Scholion. Ex praemissis constat in Ecclesia latina (575) *impositionem manuum* per Episcopum non esse ritum quendam ordinationis subdiaconatus. Inde autem oritur difficultas ex textu vulgatae editionis cap. 1, X. de sacr. non iter. I, 16 = epist. Innoc. III, ad Episc. Heliensem in Anglia a. 1204, ubi in subdiacono sine impositione manuum ad ordinem subdiaconatus promoto *caute dicitur supplendum*, quod incaute fuerat praetermissum. Quare retenta lectione vulgata huius cap. 1, alii illam impositionem manuum in conferendo subdiaconatu sine solido fundamento intellexerunt de aliqua *benedictione* plane diversa a consecratoria et substantiali manuum impositione. Cfr. Gloss. v. Impositione h. c. 1; c. 1. D. 69; *Devoti*, Inst. can. l. I, tit. 16 § 3; Innoc. IV, in comment. ad cap. 1, X. I, 16. Alii ad fictionem omnino falsam confugerunt scl. Innocentii III epistolam fuisse scriptam ad aliquem Episcopum *Ecclesiae orientalis*, ubi sane in ordinatione subdiaconorum fit impositio manuum.

(575) In Ecclesia orientali ritus substantialis subdiaconatus generatim consistit in *sola* impositione manuum cum oratione consecratoria (cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 133), exceptis Armeniis et Maronitis, qui impositioni manuum cum forma *addunt* ex ritu Romano traditionem calicis et patenae, et Coptis, qui sequuntur ritum h. cap. not. 569 descriptum. Cfr. Collect. Lac. t. II col. 243 sq.; *Many* l. c. n. 219, 226, 247, 285; *Papp-Szilágyi* l. c. § 85; *Gasparri* l. c. n. 1028. Cfr. quoque Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 269, ubi post confirmatam potestatem Chorepiscoporum et Abbatum conferendi ordines *cantoris* et *lectoris* mox additur: « *Subdiaconatum vero Chorepiscopi conferre nullatenus audeant, neque id ipsis a R.mo D. Patriarcha committatur, nisi ubi Episcopus sine gravi incommodo haberi non possit* ».

Quare difficultas alio modo est solvenda. Certe in regestis Innocentii III, legitur in cit. epist. ad Ep. Hel. *diaconatus*, non subdiaconatus. Cfr. *Corrector. Roman.* in cit. cap. 1; *Friedberg* in ed. corp. iur. can. ad cit. cap. 1; *Innoc. IV*, l. c., ubi scribit: « *Vera littera est diaconatus* ». « *Non est necessaria ista glossa, quia diaconus bene suscipit manus impositionem* ». Qua lectione admissa omnis difficultas penitus est sublata. Nam in ordinatione *diaconi* manuum impositio est ritus quidam essentialis; ergo si omissa fuerit, cum verbis formae sine dubio esset suplenda (576). Neque mirum est, quod Innocentius III utatur vocabulo « *supplendi* ». Etenim iteratis vicibus stabilivit principium: « *Non intelligitur iteratum, quod factam esse nescitur* ». Quare ritus supplendus ipsi idem est atque ritus *prima vice valide conferendus*, qui opponitur priori collationi *invalidae*; *iteratio* vero perperam facta supponit primam sacramenti administrationem fuisse *validam*. Nequaquam vero Innocentius III, cit. cap. 1, accipiendus est de *supplendo* ritu *mere accidentali* impositionis manuum, qui *addatur* ritui sacramentali diaconatus *valide* iam collati. Id, quod etiam eruitur ex paritate cum sacramento confirmationis. Nam in cit. Cap. 1, X. I, 16 Innocentius III, eodem modo docet impositionem manuum in diacono esse supplendam, quo unctio per chrisma in sacramento confirmationis, si antea *solo oleo* fuisset facta; sed unctio chrismatis in sacramento confirmationis est pars adeo essentialis, ut illo ritu omisso simpliciter totum sacramentum sit *repetendum*. Cfr. *De Augustinis*, De re sacramentaria t. II p. 517 sq. Fatendum vero est terminologiam recentiorem admittere alias significationes. Qua ratione v. g. verbum « *repetendi* » (ordinationem) significat totius ritus essentialis antea invalide positi novam collationem (cfr. S. C. Inq. 15 Iul. 1903), cum ritus « *supplendus* » vel mere supplendus *possit* denotare mere secundarium, vel accidentalem ritum forte omissum et postea addendum. Cfr. S. C. C. 10 Ian. 1711; S. R. C. 16 Iun. 1837; *Many* l. c. n. 257, 296; *Schmalzgr.* l. I t. 16 n. 3, ubi pro sua singulari sententia de necessitate chrismatis ad explicandum cit. cap. 1 X. I, 16 docet: « *Tali casu suppletionem faciendam esse per inunctionem chrismatis, sed sine repetitione* formae (at S. C. Inq. 19 Aug. 1851 in supplenda impositione manuum cum *tactu corporali*

(576) S. C. Inq. 19 Aug. 1851 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1199; *Gasparri* l. c. n. 1037, 1050.

praescripsit etiam repetitionem verborum sive formae) *vel saltem cum intentione non conficiendi sacramentum, sed tantum supplendi defectum* ».

295. Diaconatus ordo in Ecclesia latina (577) confertur imprimis per *impositionem manus* dexterae Episcopi super caput uniuscuiusque ordinandi tactu corporali factam. Qui ritus impositionis manuum indubitanter saltem ex *parte,* imo probabilius *solus* constituit materiam *essentialem* huius ordinationis (578). At in praxi ob praeceptum Ecclesiae et dubia mota propter controversias theologorum huic ritui tanquam *materia partialis* accedere debet *traditio libri evangeliorum,* qui a singulis ordinandis manu dextera tangendus est.

Priori ritui impositionis manuum ab Episcopo tanquam *forma* per se probabilius sufficienti coniungenda sunt verba orationis consecratoriae, sed oratio: « *Accipe Spiritum Sanctum* » etc., certe non est omittenda, licet recentiore tempore fuerit addita et in se sit indeterminata. In altero vero ritu traditionis libri evangeliorum Episcopus pro forma omnino utatur necesse est verbis illis: « *Accipe* (accipite) *potestatem* » etc. Id enim requiritur non solum propter rationes de illa *materia* partiali supra allatas, sed etiam propter accuratam significationem potestatis diaconi illis verbis expressam. Omnes alii ritus in ordinatione diaconi v. g. impositio vestium sunt mere accidentales neque adeo graves, ut in casu omissionis suppleri debeant (579).

(577) Cfr. de ritu Graecorum et Maronitarum aliorumque Orientalium supra h. tom. n. 183 not. 69; *Many* l. c. n. 218, 268, 269. Qui ritus in Ecclesia orientali consistit in *sola* impositione manuum cum verbis consecratoriis, exceptis tamen *Armeniis,* qui more Romano addunt traditionem libri evangeliorum cum congrua forma. At contra Arcudium omnino tenendum est ritum essentialem impositionis manuum in ordinatione diaconi non esse illam, quae coniungitur cum verbis: « *Divina gratia* » etc., sed cum oratione consecratoria: « *Deus principio et fine carens* ». Cfr. *Many* l. c. n. 260, ubi contrariam sententiam solide refutat.

(578) *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 1 sq.; *D'Annibale,* Summula P. III n. 290; *Gasparri* l. c. n. 1038 sq. 1040 sq.; *Pesch* l. c. n. 621 sq.; *Many* l. c. n. 195, 265 sq.; *Van Rossum* opere cit. ubi totam hanc controversiam novo examini subiicit et concludit *pro certitudine* sententiae propugnantis solam manus impositionem cum respondente oratione consecratoria esse unicam materiam et formam essentialem in tribus ordinibus hierarchicis; cfr. speciatim a p. 154 sq. ubi argumentum deductum ex dec. Eugenii IV solide extenuat.

(579) *Gasparri* l. c. n. 1054; *Many* l. c. n. 268, 195, 202, 211; *Van Rossum* c. p. 152 sq.

Impositio manuum si in ordinatione diaconi fuisset simpliciter omissa, sine dubio cum verbis formae ex decisione Innoc. III et Gregorii IX in cap. 1 et 3 X. de sacramentis non iter. l 16 « *ad huiusmodi ordines conferendos* » esset supplenda, vel ex recentiore modo loquendi tota ordinatio diaconi esset ex integro repetenda.

Imo si facta quidem sit impositio manuum, sed *sine tactu corporali,* ex decisionibus S. C. Inq. 20 Ian. 1875 et 26 Ian. 1898 (cfr. Act. S. Sed. vol. 30 p. 157 sq. p. 476 sq.) tota ordinatio diaconatus ex integro, sed *sub conditione* est repetenda. Cum S. C. Inq. in his casibus solummodo *sub conditione* praescriberet repetitionem ordinationis diaconatus, evidenter nequaquam *certam,* sed tantum magis tutam habet illam sententiam, quae tenet *tactum corporalem* in impositione manuum requiri ad *validitatem* ordinationis diaconalis, imo in antiquioribus responsis hanc rigidiorem praxim non adoptavit. Quodsi S. C. Inq. 19 Aug. 1851 iunct. 22 Ian. 1890 (cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1199, 1205) respondit in casu omissi tactus corporalis « *supplendam* » esse impositionem manuum cum tactu corporali et iteratione verborum « *Accipe Spiritum Sanctum etc.* », quae ab Episcopo in impositione manuum proferuntur et « *multis videntur esse forma sacramenti* », imprimis non praescripsit *conditionate,* sed *absolute supplendum* esse allegatum ritum, in responsis vero supra citatis totam odinationem *ex integro conditionate,* repetendam esse decrevit. Praeterea vocabulum « *supplendi* » in cit. decr. 19 Aug. 1851 per se potest significare *absolutam* quandam *additionem* ritus accidentalis vel potius circumstantiae accidentalis scl. tactus corporalis in ritu essentiali impositionis manuum; at si comparetur cum subsequentibus decisionibus eiusdem S. C. Inq., etiam insinuat sensum *repetitionis* universi ritus essentialis impositionis manuum cum sua forma. Quo in casu manet insignis differentia inter repetitionem absolutam (19 Aug. 1851) et repetitionem conditionatam (20 Ian. 1875). Cfr. *Many* l. c. 296 iunct. n. 268 qui resp. 19 Aug. 1851 explicat de *repetitione* ordinationis. Cfr. infra hoc cap. n. 296.

Si rite facta impositione manuum traditio libri evangeliorum fuisset omissa, tantum ille ritus esset suo tempore *supplendus;* nequaquam vero *tota* ordinatio esset *repetenda* sive denuo conferenda (580).

(580) S. R. C. 16 Iun. 1837 in Decret. auth. n. 2763; *Gasparri* l. c. n. 1059 sq.; *Many* l. c. n. 296.

296. Scholion. Singularis difficultas est de interpretando cap. 3 X. de sacram. non iter. I 16, quod aliter ab aliis scriptoribus explicatur. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. l. I tit. 16 n. 3, 4; *Devoti*, Ius canon. univ. l. I tit. 16 § 3; *De Augustinis* l. c. vol. II p. 517; *Pesch*, Prael. dogm. t. VII n. 627; *Many* l. c. n. 257, qui hanc dat solutionem: « *Unde dicendum est Gregorium IX, qui haec scribebat circa annum 1232 hanc solutionem practicam dedisse iuxta disciplinam sui temporis, quo vulgo iam putabatur* (?), *ritum illum esse mere accessorium* (?). *Ceterum, ut ipso capitis tenore patet, Gregorius nihil definit, quod ad fidem pertineat, sed tantum disciplinarem condit canonem* ». Qua in diversitate opinionum *S. Raymundus*, qui sane scire potuit genuinum sensum huius capitis 3 Gregorii IX scr. a. 1232 ad Arch. Lundens., in Summa l. III cap. 22 § 6 hisce verbis videtur suppeditare optimam et simplicissimam interpretationem: « *Est autem* expressum *in iure quaedam* **non esse de substantia** (ordinationis) *scl. tempus... Item quod ordinandus in diaconatum vel presbyteratum recipiat manus impositionem Episcopi non tantum manu super caput* **suspensa,** *sed* **tactu corporali... non est de substantia** ». Cfr. quoque *S. Antonin.* apud *Billot* l. c. vol. II p. 269. Quae interpretatio, cui etiam *Devoti* l. c. adstipulatur, in verbis capitis « *tactu corporali* » et « *suspensio manuum* » sufficiens habet fundamentum. Quare Decretalis Gregorii IX de ritu quodam *accidentali* **tactus corporalis,** non *substantiali* est intelligenda, i. e. impositio manuum sive fiat tactu corporali sive per suspensionem sine illo tactu corporali per se ad *valorem* ordinationis sufficit. Cfr. decis. S. C. Inq. 19 Aug. 1851 et 22 Ian. 1890 et 26 Ian. 1898; *Gasparri* l. c. n. 996 1069; *Van Rossum* l. c. n. 31 sq. qui caput explicat de errore *substantiali* commisso, qui *caute*, i. e. modo, quo a fidelibus non animadvertatur error Pontificis ordinantis, sit corrigendus per *suppletionem* i. e. positionem ritus praetermissi; *Many* l. c. n. 258, 262, qui minus accurate Gregorium IX arguit erroris, quasi saltem practice ritum impositionis manuum habuerit ritum accessorium. Qua in re Gregorius IX sane non erravit, si *solam* omissionem tactus corporalis in impositione manuum diaconis vel presbyteris putavit esse ritum accidentalem, ut patet ex doctrina S. Raymundi et antiquioribus responsis S. C. Inq., cui aliqua responsa recentiora et magis tuta de *conditionata* repetitione non obstant. Deinde etiam sine tactu corporali *vera* imposi-

tio manuum ex natura rei habet locum, neque ex antiqua traditione positiva allegari possunt argumenta, quod ad *validitatem* impositionis manuum requiratur tactus ille corporalis, qui ex *praecepto* Ecclesiae *licite* omitti nequit. Porro « *supplementum* » alicuius omissi ritus essentialis *cum* circumstantia in se accidentali et verbis formae potest etiam significare *repetitionem* sacramenti ante invalide collati; nam non censetur *iteratum*, quod nunquam valide fuit collatum. Ita cit. cap. 3 verba Gregorii IX: « *Ad huiusmodi ordines conferendos* » possunt indicare scopum illius suppletionis. Cfr. *Schmalzgr* l. I. t. 16 n. 3 de supplendo defectu mere accidentali. At tactus ille corporalis omnino sufficiens est ad valorem ordinationis, licet Episcopus manus imponat *cum chirothecis* vel tangat caput ordinandi diaconi vel presbyteri pileolo vel coma fictitia coopertum. Cfr. S. C. Inq. 22 Ian. 1890. Nam tactus *mediatus* sufficit.

297. Presbyteratus ordo in Ecclesia occidentali (581) confertur per *impositionem manuum* Episcopi super caput singulorum ordinandorum tactu physico factam et postea *continuatam in suspensione* manus dexterae Pontificis ordinantis (582). Qua in imposi-

(581) Cfr. de ritu ordinationis presbyterorum in Ecclesia orientali: Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 245 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 146 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898) p. 136 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 30; *Gasparri* l. c. n. 1055 sq.; *Many* l. c. n. 217, 224, 238, 245, 260; *Van Rossum* l. c. p. 97 sq., unde constat ritum essentialem ibidem esse *solam* impositionem manuum Episcopi cum forma consecratoria sine ulla traditione instrumentorum. At quae sit illa forma consecratoria, non concors est sententia. Nam cum Synod. Ruthen. l. c. docet formam ordinis presbyteralis essentialem esse orationem: « *Divina gratia* », ut tenent multi cum Arcudio († c. a. 1634) alii v. g. *Many* l. c. n. 260 rectius illam formam consecratoriam dicunt reperiri in oratione: « *Deus principio et fine carens* ». Nam altera illa oratio: « *Divina gratia* » est potius decretum de *electione* candidatorum, qui *postea* sunt ordinandi; deinde in antiquis documentis non reperitur; denique pro diversitate rituum quandoque cum impositione manuum non coniungitur aut non recitatur ab Episcopo ordinante aut penitus omittitur.

(282) Cap. 3 X. de sacr. non iter. I 16; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 10 n. 4; *Gasparri* l. c. n. 996, 1061; *Many* l. c. n. 254 sq. Difficultates quas movet *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 892 sq., quasi tertia quoque impositio manuum sit pars materiae essentialis ordinis presbyteratus non videntur esse satis fundatae (cfr. *Pesch* l. c. n. 631; *Gasparri* l. c. n. 1074, 1079), neque ex responsis S. R. C. 31 Iun. 1821, 22 Maii 1841 et S. C. Inq. 27 Mai 1840, 4 Mart. 1874 a *Ballerini - Palmieri* l. c. n. 893 allegatis efficax

tione manuum certe saltem *ex parte*, imo probabilius, prout iam de diaconatu dictum est, *unice* reperitur *materia essentialis* sacramenti ordinis presbyteralis. Ecclesia vero in Pontificali Romano praescribit, ut *ordinandis* postea ab Episcopo etiam tradantur *instrumenta* i. e. calix atque patena etiam non consecrati cum vino et

---

argumentum peti potest. Certe S. C. Inq. 9 Dec. 1897 declaravit tertiam impositionem non rite factam solummodo ad cautelam esse supplendam cum verbis comitantibus. Nam tertia manuum impositio est ritus, qui ante saeculum undecimum in Ecclesia latina non occurrit et in Ecclesia graeca semper defuit ideoque ad substantiam ordinationis non pertinet, sed est ritus ex praecepto Ecclesiae servandus. Cfr. S. C. Inq. 27 Maii 1840, 19 Aug. 1851, 4 Maii 1874, 8 Iun. 1898; S. R. C. 22 Maii 1841 in Decret. auth. n. 2836; *Many* l. c. n. 201, 258, 295; *Van Rossum* l. c. p. 145 sq. Cfr. de tactu corporali in impositione manuum: Supra hoc cap. n. 296 atque de necessitate primae et secundae impositionis manuum: S. C. Inq. 12 Sept. 1877, 17 Mart. 1897, 6 Iul. 30 Nov. 1898 et S. Poenit. 31 Mart. 1888; *Benedict. XIV* l. c.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 897 sq.; *Gennari*, Consultazioni t. I p. 620 sq.; *Many* l. c. n. 258, 295; *Lehmkuhl*, Casus conscient. t. II n. 688 sq. Profecto licet ex iure divino requiratur impositio manuum, tamen *una* impositio manuum *vera et perfecta*, sufficit, neque duae sunt necessariae. At ex duabus prioribus impositionibus manuum in Ecclesia latina receptis prima ita essentialiter requiritur, ut illa penitus omissa *aut* absque tactu corporali facta tota ordinatio presbyteralis ex integro sub conditione sit iteranda, ut constat ex resp. S. C. Inq. 3 Maii 1899 et praesertim 4 Iul. 1900. Nam sane in sola illa priori impositione manuum, non in secunda reperitur tactus ille corporalis, quem hucusque Ecclesia tanto rigore exigit. Neque excipi potest priorem impositionem fieri in *silentio* sive *sine forma;* etenim physica coexistentia materiae et formae in sacra ordinatione non requiritur ad valorem, sed moralis unio sufficit, quae sine dubio habetur per secundam manuum impositionem vel potius continuationem primae impositionis usque ad recitationem orationis: « *Oremus dilectissimi* » incl., non ad orationem sequentem. Cfr. S. R. C. 18 Febr. 1843. Porro secunda impositio manuum *theoretice* spectata per se sola ad valorem sufficiens est; nam vera est impositio manuum, quae etiam super plures simul fieri potest, et *tactus physicus* iuxta magis fundatam sententiam non requiritur, sed *suspensio* manuum sufficit; nihilominus in praxi *duplex* illa impositio *ante* traditionem instrumentorum facta adeo necessaria habetur, ut si aut prima aut secunda impositio manuum omissa fuerit, tota ordinatio ex integro conditionate sit repetenda. Cfr. S. C. Inq. 3 Maii 1899 et 4 Iul. 1900. Denique secunda impositio manuum licet ex *praecepto Ecclesiae* continuanda sit usque ad *finem* orationis « *Oremus dilectissimi* » (cfr. S. R. C. 18 Febr. 1843), tamen si post impositionem primam tactu physico factam Episcopus *manum extensam habuerit* super ordinandos *immediate ante orationem:* « *Oremus* » etc., ordinatio ex decreto S. C. Inq. 12 Sept. 1877 *certo est valida*, si *durante* recitatione illius orationis Episcopus *non* amplius tenuisset manum extensam; at si ne quidem immediate ante recitationem orationis: « *Oremus* » manus extensio facta fuerit, ex decreto S. C. Inq. 30 Nov. 1898, ordinatio *sub conditione* est iteranda i. e. S. C. Inq. ordinationem *non* habet *certo* validam, si secunda impositio manuum simpli-

hostia per ordinandos manibus physice, non tantum moraliter, vere, licet mediate tangenda; nec desunt theologi, qui praesertim ob decretum pro Armenis tenent illam traditionem esse unicam vel saltem partialem materiam ordinationis presbyteri. Hinc propter legem ecclesiasticam atque controversias dogmaticas nondum authentice definitas in praxi illa instrumenta ordinandis necessario sunt tradenda. Quae traditio si omissa sit, *postea suppleri* debet (583). *Forma essentialis* ordinationis presbyteri probabilius sunt illa verba consecratoria ex antiqua et nova liturgia Romana in tertia oratione sive praefatione cum prima impositione munuum eiusque continuatione (sive secunda impositione manuum) moraliter unita (584). Nam prima oratio est merum invitatorium ad fideles; altera oratio, cum contineat verba: « *Offerimus consecrandos* », potius est *praeparatio* ad veram ordinationem; tertia vero oratio clare exprimit collationem *determinati* ordinis presbyteralis et cum forma in aliis ritibus adhibita perfecte concordat. At illi formae *principali* necessario accedere debent reliquae formae *partiales*, quae cum *traditione instrumentorum* et cum *tertia impositione manuum* Episcopi iuxta Pontificale Romanum coniunguntur. Nam ritus ab Ecclesia praescripti accurate sunt servandi; dubia autem de valore ordinationis presbyteralis nondum authentice soluta, nisi materiis partialibus ex aliqua probabilitate necessariis uniatur forma conveniens, partem tutiorem in praxi sequendam esse probant.

---

citer *non* habuit locum; at ne verba illa « *immediate ante* » nimio rigore accipiantur, attendendum est quaesitum: « *Episcopus non habuit manum extensam super ordinandos, dum recitabat verba* « *Oremus* » etc., *sed de hoc monitus illam elevavit et extensam habuit per aliquod tempus, sed dum id ageret, iam recitata fuerat dicta oratio, nec constat, utrum, dum manum extensam tenuit, submissa voce verba supradicta iterum recitaverit* », cui S. C. Inq. 14 Dec. 1898 respondit: « *Acquiescat* ». Secunda igitur impositio manuum, si res mere theoretice spectetur, non est necessaria tanquam *propria* et *distincta* quaedam impositio manuum, sed eatenus solummodo perficienda est, quatenus per suspensionem manus dexterae Episcopi prima impositio manuum essentialiter requisita *continuatur* et *cum forma subsequente moraliter unitur.*

(583) S. C. Inq. 1 Aug. 1697, 17 Mart. 1897, 7 Sept. 1897, 20 Apr. 1898, 6 Iul. 1898, 14 Dec. 1898, 11 Ian. 1899, 17 Ian. 1900, 11 Mart. 1903; *Benedict. XIV* l. c. n. 1, 2 sq. 12, 13 cum resp. S. C. C.; *Gasparri* l. c. n. 1074 sq. 1080 sq.; *Many* supra h. tit. n. 52 not. 14; *Pesch* l. c. n. 632; *Pohle* l. c. t. III p. 547 sq.; *Many* l. c. n. 263 sq. 295.

(584) *Gasparri* l. c. n. 1059 sq. 1073 sq.; *Pesch* l. c. n. 630 sq.; *Lehmkuhl*. Theol. mor. vol. II n. 590 sq.; Civiltà Cattol. (a. 1896) vol. VIII p. 672 sq. 677 sq.; *Many* l. c. n. 259, 194.

Reliqui ritus, quos Pontificale Romanum in ordinatione presbyteri praescribit, certe ad materiam et formam *essentialem* non spectant v. g. impositio manuum per presbyteros (585) assistentes, unctio manuum, impositio vestium etc. Quae caeremoniae accidentales si omissae fuerint, postea necessario supplendae non sunt, nisi in iure expresse de contrario cautum sit velut de plane omissa unctione manuum presbyteri in cap. unic. X. de sacr. unct. I 15 (586).

298. Episcopatus ordo confertur in Ecclesia latina (587) per consecrationem, cuius materia et forma essentialis constituitur per *impositionem* manuum Episcopi consecrantis super caput consecrandi tactu physico factam cum verbis: « *Accipe Spiritum Sanctum* » etc. per preces sequentes Pontificalis Romani magis determinatis (588)

(585) S. C. de Prop. F. 6 Aug. 1840 in collect. S. C. de Prop. F. n. 1195.

(586) *Gasparri* l. c. n. 1086. At S. C. Inq. 22 Iul. 1874 in casu quodam particulari, cum in ordinatione presbyteri chrisma, non oleum catechumenorum ad unctionem fuisset adhibitum, neque absque quodam scandalo unctio posset repeti, respondit unctionem non esse repetendam. Cfr. Act. S. Sed. vol. 30 p. 157.

(587) Cfr. de ritu Maronitarum et Graecorum aliorumque Orientalium: Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 245 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 151 sq.; Synod. Alex. (a. 1898) p. 136; *Gasparri* l. c. n. 1055 sq.; *Many* l. c. n. 216, 237, 244; *Van Rossum* l. c. p. 97 sq. Passim in Ecclesia orientali essentialis ritus consecrationis Episcopi consistit in sola impositione manuum tanquam materia, et in oratione consecratoria ut forma. Quae forma etiam in consecratione Episcopi nequaquam, ut Arcudius opinatur, est oratio *Divina gratia* etc. (cfr. supra h. cap. not. 577), sed potius reperitur in sequentibus orationibus consecratoriis, quae duplicem impositionem manuum apud Orientales receptam comitantur. Quodsi in Ecclesia orientali quandoque v. g. liber evangeliorum Episcopo in sinu reponitur, « *haec traditio* (instrumentorum vel insignium ordinis) *nullo modo apud nos ad valorem ordinationis requiritur* », ut docet Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898) p. 136.

(588) *Gasparri* l. c. n. 1109; *Lehmkuhl*, Theolog. mor. vol. II n. 589; Civiltà Cattol. vol. VIII, p. 672 sq.; *Many* l. c. n. 193, 200, 209, 270 sq. 297; *De Puniet* l. c. col. 2594 sq. Profecto preces in Pontificali Romano descriptae accurate recitandae sunt. Quodsi ulterius quaeratur, num sola verba: « *Accipe Spiritum Sanctum* », quae pronuntiant tres Episcopi consecratores, dum simul Episcopo consecrando manus imponunt, sint forma essentialis consecrationis episcopalis, negative est respondendum. Nam illa verba habent originem satis *recentem*, nimis sunt *generalia*, ita ut omnibus ordinibus hierarchicis, *aliis* quoque sacramentis praesertim confirmationi applicari possint. Tandem Leo XIII Const. « *Apostol. curae* » 13 Sept. 1896, qua sententia sua irreformabili controversiam de valore ordinationum anglicanarum iterum diremit, expresse declarat verba illa: « *Accipe Spiritum Sanctum* » esse formam prorsus insufficientem pro ordine presbyteratus et Episcopatus. Cui decisioni nequaquam obstat decretum

et ab eodem Episcopo *consecratore* (589) simul prolatis, dum manus super caput consecrandi Episcopi imponit.

Probabilitate vere solida demonstrari nequit *impositionem* libri evangeliorum super caput vel cervicem consecrandi Episcopi vel *traditionem libri* clausi evangeliorum cum verbis coniunctis esse partialem et distinctam materiam et formam consecrationis episcopalis, quae ad principalem ritum impositionis manuum essentialiter adiungenda sit (590). Nam prior ritus per prima saecula in ecclesia Romana non fuit in usu, nisi excipias consecrationem R. Pontificis, neque occurrit in Hispania et in multis regionibus Galliae et Germaniae; alter vero ritus est recentioris institutionis vel in ipsa Ecclesia Romana, et in plerisque ritibus orientalibus plane deest.

Quodsi in consecratione Episcopi caput et manus *sacro chrismate* aut in ordinatione presbyteri manus *oleo catechumenorum unguntur*, huiusmodi *ritus unctionis* cum verbis additis neque in consecratione *Romani Pontificis* (cfr. cap. unic. § 5, X. de sacr. unct. I, 15) (591), qua verus ordo omnino non confertur, neque in ordinatione *presbyteri* neque in ipsa consecratione *episcopali* est materia et forma partialis ad valorem ordinationis requisitus. Nam certe illae unctiones in sacra scriptura vel in traditione vere divina nullum habent fundamentum (592). Porro Ecclesia graeca etiam unita cum Sede Romana ex disciplina antiqua et vigente illas un-

---

quoddam allegatum S. C. Inq. 10 Apr. 1704, quo dicitur validam declarasse ordinationem presbyteri factam impositione manuum et prolatione formae: « *Accipe Spiritum Sanctum* ». Illud enim decretum S. C. Inq. est prorsus spurium et merum votum alicuius consultoris, cui Clemens XI bis expetitam approbationem constanter negavit. Quare forma ordinis episcopalis solummodo reperiri potest in illa oratione consecratoria, quae continetur in praefatione. Cfr. *Many* l. c. n. 273, 275 sq. 277 sq.; *Van Rossum* l. c. p. 153 sq.

(589) *Pesch* l. c. n. 656; *Gasparri* l. c. n. 1088; *Many* l. c. n. 272; *De Puniet* l. c. col. 2592 sq.; supra h. tom. IV n. 191 i. f. de *uno* consecratore vel de tribus Episcopis *comministris*.

(590) *Gasparri* l. c. n. 1111; *Many* l. c. n. 271, 297.

(591) In libro I Decretalium X. titulus 15 de sacr. unct. et titulus 16 de sacram. non iter. sese habent ad instar appendicis ad tit. 11 libri I i. e. *occasione* ordinationis clericorum agitur etiam de *aliis* quibusdam unctionibus et de *sacramentis* non iterandis. At res per transennam insertae melius videntur tractari in propria sede materiae, et quaestiones ad ipsam ordinationem spectantes appendicibus non sunt reservandae. Cfr. *Schmalzgr* l. c. in prooem. ad tit. 15 et 16 lib. 1.

(592) *Schmalzgr*. l. c. l. I t. 15 n. 9 sq.; *Many* l. c. n. 200, 209, 271; *De Puniet* l. c. col. 2597 sq.

ctiones ordinarie (aliter v. g. Maronitae) non solet adhibere (593), atque etiam Ecclesia Romana per octo vel novem saecula non adhibuit. Inde recte concluditur ritum illum unctionis iure divino (594) non esse institutum.

Nihilominus Concilium Tridentinum Sess. XXIII, de sacram. ord. can. 5, contra pseudoreformatores vere docet: « *Si quis dixerit sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias, anathema sit* ». Cfr. quoque Sess. VII, de sacram. in gen. can. 13.

Hinc omissa illa unctio sane *supplenda* est, sed universa consecratio episcopalis vel ordinatio presbyteri non est reiteranda (595).

Qua ex doctrina etiam illud sequitur consecrationem Episcopi non esse invalidam, si forte in unctione chrisma ex oleo et balsamo *artificiali* fuisset adhibitum; ad summum igitur unctio contra legem ecclesiasticam facta caute esset supplenda (596).

Omnes alii ritus consecrationis episcopalis sunt mere accidentales neque in casu omissionis supplendi videntur, nisi forte expresse fuerit praescriptum v. g. de professione fidei ante consecrationem episcopalem omissa (597).

299. Scholion. Completa ordinatione sacra secundum ritum praescriptum singulae ordinationes in *librum* specialem in Curia episcopali conservandum sunt inserendae, ut de iis semper authen-

(593) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. l. II col. 249 sq. 228.

(594) Profecto Innocentius III in Decretali a. 1204 ad Archiepiscopum Trinovitanum, Bulgarorum et Blacorum Primatem (cfr. cap. unic. § I X. de sacr. unct. I 15), ex *praecepto divino* et *Apostolorum exemplo* repetit sacram unctionem in consecratione Episcopi. At imprimis quoad *exemplum Apostolorum* per errorem secutus est plane spurium canonem 1 D. 75 a Pseudo-Isidoro confictum et S. Anacleto falso adscriptum; verba vero illa de *praecepto divino* evidenter intelligit sensu lato, quatenus unctio Summi Sacerdotis *in vetere* testamento *a Deo* fuerit praescripta. Quae leges caeremoniales veteris testamenti in novo testamento non amplius habent vim legum divinarum. Cfr. quoque cap. 14 X. de decim. III 30; *Gasparri* l. c. n. 1099 sq.

(595) *Schmalzgr.* l. c. n. 8; *Many* l. c. n. 297.

(596) *Schmalzgr.* l. c. l. 1 i. 16 n. 2, 5 iunct. responso S. C. Inq. supra h. cap. not. 586 allegato.

(597) S. C. de Prop. F. 15 Ian. 1875 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1211; Synod. prov. Ruthenor. Gal. (a. 1891) p. 29; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 137.

tice constare possit (598). Omnia quoque documenta singularum Ordinationum accurate in archivo sunt custodienda. Ipsis vero ordinatis clericis *testimonium* de ordinibus receptis in forma nunc in Ecclesia recepta (599) ab ordinatore traditur (600). Ordinati ab Episcopo extraneo ex dimissoriis proprii Episcopi attestatum receptum ordinationis proprio Ordinario exhibere debent pro ordinationis adnotatione in proprii Ordinarii libris (can. 1010).

Praeterea loci Ordinarius si agatur de ordinatis e clero saeculari, aut Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittere debet ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro (can. 1011; 470, § 2). Ordinationis probatio praeter litteras etiam per testes fieri potest (601), sed solum iuramentum ordinatorum de ordinatione canonice recepta sufficiens argumentum non est (602).

CAPUT VII

DE TEMPORE ET LOCO SACRARUM ORDINATIONUM

300. Notae historicae. Ordinatio sacerdotum vel diaconorum inde a primis saeculis non passim omnibus diebus, sed die dominica fuit celebrata. *S. Leo* (cfr. c. 4, 5. Dist. 75) in epistola scr. a. 445, praxim illam ordines sacerdotii et diaconatus post diem sabbati tempore nocturno aut mane *die dominica* et continuato sabbati ieiunio (603) conferendi non solum ex consuetudine Patrumque traditione, sed ex ipsis apostolicis institutis repetit. Cfr. quoque Act. Ap. XIII, 2, 3. *Gelasius* vero a. 494 (cfr. c. 7. Dist. 75) iam

(598) Cfr. c. 1, 3 Concil. Milevit. (a. 402) et *Hefele* l. c. t. II p. 86 sq.

(599) Forma c. 1, 2 Dist. 98 et cap. 1 X. de cleric. peregr. l. 22 pro transmarinis clericis praescripta iampridem est abrogata; *Gasparri* l. c. n. 1127 sq.

(600) Cfr. de Litteris Apostolicis exhibendis ab Episcopis promotis: Cap. 1 de elect. l. 3 in Extravag. com.

(601) Cap. 3 X. de cler. peregr. l. 22.

(602) Cap. 2 X. de cler. peregr.; S. C. Inq. 9 Apr. 1704; Synod. Alexandr. (a. 1898) p. 138 sq.; *Scherer* l. c. p. 323.

(603) *Phillips* l. c. § 59 p. 645 sq.; *Zech* l. c. § 82; *Gasparri* l. c. n. 45 sq.; *Kellner*, Heortologie p. 237, 123 sq. 55; *Many* l. c. n. 91 sq.

statuit ordinationes presbyterorum et diaconorum nonnisi *certis temporibus* et *diebus* esse exercendas scl. circa vesperam sabbato ieiuniorum quatuor temporum et sabbato ante dominicam passionis. Deinde paulatim *saeculo octavo et nono* praxis introducta est, ut celebratio Missae et ordinationum ex tempore matutino diei dominicae in horas vespertinas illorum sabbatorum ieiunii transferretur. Denique cum inde ex *saeculo decimo tertio* etiam Missa iisdem sabbatis mane celebrari coepta esset, ordinationes quoque matutino tempore inter Missam illis diebus factae sunt. Quibus ordinationum diebus postea accessit sabbatum hebdomadae *sanctae* (604). His sex temporibus secundum *disciplinam* in iure Decretalium (cfr. cap. 1, 2, 3, 8, 16, X. h. t. 11 de temp.) et a Concilio Tridentino Sess. XXIII, cap. 8 de ref. approbatam in Ecclesia *latina* ordinationes sacrorum ordinum ex iure communi celebrari debuerunt (605) Ecclesia vero *graeca* quamvis cum Ecclesia latina conveniat in collatione ordinum saltem maiorum inter Missarum solemnia, tamen *certos anni dies* ordinibus conferendis non praefixit; at ex disciplina recentiori magis accessit ad praxim Eccesiae latinae (606).

301. Ius Codicis. - *A.* **De tempore.** *Prima tonsura* conferri potest etiam *extra* Missarum solemnia quocumque *die* vel *hora* (607). Quatuor ordines *minores* dari possunt extra Missarum solemnia, sed *mane* tantum (608), singulis diebus *dominicis* vel *festis duplicibus* (can. 1006 § 4) (609).

(604) Cfr. c. 8 Conc. Rothomag. (a. 1072); Alex. III (a. 1159-1181) in cap. 3 X. h. t. 11.

(605) Catech. Conc. Trid. P. II cap. 7 q. 27; *Kober*, D. Suspens. p. 203 sq.

(606) S. Leo l. c.; Innoc. III in cap. 9, 11 X. h. t. 11; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 139; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 29; Synod. Alex. (a. 1898) p. 146. *Gasparri* l. c. n. 45 sq.; *Many* l. c. n. 99.

(607) Pontificale Rom. P. I. De clericis faciendis; *Many* l. c. n. 93 sq. 96.

(608) Pontific. Rom. l. c. De minoribus ord...; c. 6 Dist. 75; cap. 3 X. h. t. 11; S. R. C. 12 Nov. 1831, 6 Maii 1833 in Collect. S. C. de Prop. Fid. 1191, 1192. *Consuetudo immemorialis* post meridiem feriae sextae ante sabb. generalis ordinationis conferendi ordines minores a S. C. C. et a S. R. C. tolerari posse dicta fuit, sed ex mente utriusque S. C. *expedit*, « *ut Episcopus sese conformet Pontificali Romano* ». Cfr. S. C. C. in caus. Portalegrens. 13 Apr. 1720 in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 186 et S. R. C. 11 Mart. 1820 in cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1189. *Graeci* quocunque die etiam feriali conferre possunt ordines minores, sed ordinem maiorem tantum die dominica vel festo de praecepto. Cfr. Synod. Sciarf. et Synod. prov. Ruth. l. c.

(609) Non amplius requiritur ut sint festa *de praecepto* sive adhuc vigente

Ad *subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum* ordinationes fieri possunt *sabbato* quatuor temporum aut sabbato sancto aut sabbato ante dominicam de passione (can. cit. § 2). Datur tamen Episcopis facultas ut, gravi interveniente causa, possint illas ordinationes habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto (can. cit. § 3). Iure praecedenti Episcopi indigebant pontificia dispensatione (610). Quae dispensatio in casibus particularibus vel privilegio generali dabatur pro diebus dominicis et festis praeceptis et a populo colendis saltem de iure ante reductionem festorum post Urbanum VIII factam, *non* vero *aliis diebus festis* duplicibus etiam secundae classis (611).

Consecratio Episcoporum facienda est *dominica* vel *natalitio apostolorum*, nisi S. Pontifex specialiter indulserit, ut alio die festo fiat. Cfr. Pontifical. Rom. P. I. De consecr. electi in Episcop.; c. 12, D. 76 = epist. Pelag. II, scr. a. 578-590; Reg. Canc. Apost. 24 et *Riganti* l. c. in illam Reg. 24, § 1; *Gasparri* l. c. n. 83 sq.; c. 5, § 1. Dist. 51 = c. 19 Concil. Tolet. IV (a. 633). *Omnes ordines maiores* inter *Missam* ab ipso *ordinatore* vel consecratore celebratam sunt conferendi (612).

Reprobatur consuetudo contra ordinationum statuta tempora; quae servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra (can. 1006, § 5).

Quoties ordinatio iteranda est vel aliquis ritus supplendus,

sive suppresso iuxta catalogum Urbani VIII. Cfr. Cap. 3 X. h. t. 11 cum Gloss. v. Aut duobus; Pontif. Rom. l. c.; S. R. C. 16 Mart. 1833 in Decr. auth. n. 2705; *Reiffenstuel* h. t. 11 n. 31, 32; *Innoc. IV* l. c. in h. cap. 3 X. h. t. 11; *Putzer*, Commentarius in facult. apost. n. 98 sq.; *Many* l. c. n. 95.

(610) Cap. 1, 2, 3 X. t.; Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.; Pontif. Roman. l. c. De ordinib. conf.

(611) Cap. 13 X. t. 11; S. C. C. in caus. Brixien. 15 Ian. 1689 in cit. ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 186 et aliae decl. S. C. C. ibid. allegatae; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 106; *Putzer* l. c. n. 99; *Many* l. c. n. 93 p. 247 n. 98. Cfr. quoque decr. Innocentii XII de moderat. et interp. indult. ordinandi extra tempora.

(612) Can. 1006, § 1. Cfr. Pontif. Roman. l. c. et tit. De sacris ord. in genere et sq. tit.; S. R. C. 8 Iun. 1658, 24 Ianuar. 1660, 23 Sept. 1837, 26 Ianuar. 1658, 28 Sept. 1675 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1183 sq.; S. R. C. 30 Iul. 1901; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII cap. 11 n. 3 sq.; *Gasparri* l. c. n. 60 sq.; *Many* l. c. n. 94; *De Puniet* l. c. col. 2587 sq. Cfr. de singulari praerogativa Romani Pontificis in ipso die suae consecrationis episcopalis: Cap. 28 X. de elect. I 6; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 139 statuit: « *Non licet quemcumque ordinem sive maiorem sive minorem conferre nisi intra Missam* ».

sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora et secreto (can. 1007).

302. Scholion. Quodsi invalida fuerit consecratio episcopalis propter omissum ordinem presbyteratus, et ordo presbyteratus et ordo episcopalis absolute et simpliciter conferendi sunt. Cfr. de obiectione Graecorum, quod Latini per saltum diaconos ordinarint Episcopos: Bened. XIV Const. « *In postremo* » 10 Octobris 1756 §§ 10 sq.; *Hefele* l. c. t. IV p. 246, 365, 367; *Scherer* l. c. p. 322. Si *Goffredus de Trano* l. c. l. I t. 11, n. 7; *Suarez,* De cens. disp. 42 sect. 4 n. 9, aliique tenent Episcopum valide consecratum, sed per saltum omissis ordinibus *infra* presbyteratum, non posse *aliis valide conferre ordines* illos in propria ordinatione praetermissos; haec sententia solidum fundamentum non habet. Etenim illi auctores confundunt *illiceitatem* cum *invaliditate* et frustra provocant ad vulgare principium: *Nemo dat, quod non habet.* Nam *potestas* conferendi ordinem diaconatus aliosque inferiores gradus nititur *charactere episcopali,* quem ille Episcopus certe acceperat, non *charactere diaconali* vel praerogativis inferiorum ordinum. Insuper in ordinibus presbyteratus et Episcopatus omnes ordines inferiores *eminenter* continentur. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1147.

303. *B.* **De Loco.** Ad conservandum ordinem in Ecclesia catholica inde *a primis saeculis* Episcopis severe fuit prohibitum, ne extra territorium proprium ordinationes vel similes actus pontificales peragerent (613). Canonicae illae prohibitiones gravibus quoque sanctionibus depositionis vel suspensionis fuerunt munitae (614). Quae iuris antiqui statuta etiam in collectiones medii aevi sunt translata (615) et in praxi servata. Praesertim vero ex saeculo octavo et nono in Episcopos quosdam titulares et vagantes summo rigore fuit animadvertendum (616). At non obstantibus severissimis canonibus perversa praxis istorum Episcoporum titularium usque

(613) Cfr. c. 9, 13, 22. Conc. Anthioc. (a. 341); c. 2 C. IX q. 3; c. 2. Conc. Constantinop. (a. 381) = c. 8 C. IX q. 2; *Zech* l. c. § 87; *Kober,* D. Suspens. p. 159 sq.; *Many* l. c. n. 100 sq.

(614) C. 36 Apostol.; cit. c. 13 Conc. Antioch. (a. 341).

(615) Decret. Grat. C. IX q. 2, 3; *Hallier* l. c. P. II sect. 6.

(616) Cfr. c. 14 Conc. Vermeriens. (a. 753); c. 13 Conc. Vernen. (a. 755); c. 43 Conc. Cabilon. II (a. 813); c. 8 Conc. Rothomag. (a. 878).

ad Concilium Tridentinum penitus extirpari non potuit (617). Unde in eodem Concilio contra Episcopos ordinarios et titulares legitimam dioecesium circumscriptionem non attendentes nova condita sunt decreta (618), quibus disciplina etiamnunc vigens continetur.

304. *Locus* ordinationis debet esse *proprius* sive in ipsa *dioecesi* Episcopi ordinantis situs eique subiectus, nisi accedat consensus competentis Praelati, saltem quoad illos ordines in quorum collatione pontificalia exercentur (can. 1008); praeterea neque generaliter neque specialiter interdictus sit oportet (can. 2270, 2272) (619). Quodsi prima tonsura vel ordines minores conferantur, non requiritur locus *sacer* et publicus, sed etiam in *privatis* oratoriis conferri possunt (can. 1003 § 3). Collatio vero *sacrorum* ordinum in ecclesia *cathedrali* praesentibus canonicis (620) vel in ecclesia digniore loci cleroque praesente fiat necesse est, saltem si agatur de ordinationibus generalibus (621). Iusta de causa potest Episcopus ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus (can. 1009, § 1, 2). *Consecratio Episcopi* si extra Curiam Romanam fiat, celebretur in ecclesia, ad quam promotus est, aut saltem in provincia, si commode fieri potest (622).

(617) Cap. 5 de elect. I 3 in Clement.

(618) Sess. VI cap. 5 de ref.; Sess. XIV cap. 2 de ref.; Sess. VII cap. 11 de ref. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 140 sq. de singulari privilegio Patriarchae Syrorum ceteroquin quoad *locum* ordinationis cum latinis generatim concordantium, vi cuius « *potest ordinare ad nomen Ecclesiae Antiochenae aut Ecclesiarum, quas immediate gubernat, quemcunque velit de nostra natione et* ubicunque *velit in omnibus locis, ad quos Patriarcatus Antiocheni Syriaci iurisdictio extenditur* »; Synod. Alex. (a. 1888) p. 147 et Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 231, ubi idem privilegium admittitur in Patriarcha Alexandrino Coptorum et Maronitarum.

(619) Conc. Trid. Sess. VI cap. 5 de ref.; S. C. C. in caus. Derthon. 21 Dec. 1691 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 374; *Pirhing* l. c. l. I t. 11 n. 77; *Zech* l. c. n. 89; *Kober* l. c. p. 161 sq. Salvum manet Cardinalibus privilegium, de quo can. 239, § 1, n. 15.

(620) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 8 de ref.; S. C. C. 19 Iun. 1728 in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 186.

(621) Ordinationes particulares Episcopus in sacello sui palatii paragere non prohibetur. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Ad audientiam* » 15 Febr. 1753 § 18.

(622) Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 2 de ref. Cfr. De iure antiquo: Cap. 6 X. h. t. 11 et c. 5 Dist. 51 = c. 19 Conc. Tolet. IV (a. 633) atque c. 19 Dist. 63 = epist. S. Leon. scr. (a. 446?) et c. 4. Conc. Nicaen. (a. 325).

TITULUS VII

DE SACRAMENTALIBUS (CAN. 1144-1154)

(Ius Decret: Lib. I tit. 12 de sacr. unct., tit. 16 *de sacram.* non iter.; lib. III tit. 40 de consecr. eccles., tit. 44 de custod. euchar., chrism. et *aliorum sacramentorum*, tit. 47 de purif. post partum, tit. 48 de immunit. ecclesiar., coemet.).

305. Fontes: Decr. Grat. c. 4 D. 95; c. 1 sq. D. I de cons. — Cpl. III l. I t. 11 d. s. unct., t. 12 de sacr. non iter., l. III t. 36 de purif. — Decret. Gregor. IX l. c.; Decret. Bonif. VIII l. III t. 21 de consecr. — Conc. Trid. Sess. XXIII can. 5. — Pontif. Rom., Rituale Rom., Caeremoniale Episcop. — Bened. XIV Const. « *Inter omnigenas* » 2 Febr. 1744. — Decr. auth. C. S. R.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1946 sq. — Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 601; Collect. Lac. v. v. Sacramentalia, Benedictio, Exorcismus.

Scriptores: Comm. iur. Decr. in cit. tit. — *Zech*, De iure rer. eccl. sect. 2 tit. 17 de sacramental.; *Scherer* l. c. t. II p. 593 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 140 sq. — *Gretser*, De benedict.; *Schmid*, Die Sacramentalien d. k. K.; *Pighi*, Liturgia sacramentalium I, p. 202 sq.; *Arendt*, De Sacramental.; *Maringola*, Instit. liturgic. vol. I p. 89 sq. 231 sq.; *Thalhofer*, Hdb. d. k. Lit. t. II p. 523 sq. — *Duchesne*, Origines du culte chrétien p. 385 sq.; *Probst*, Sakr. u. Sakram. i. d. drei erst. chr. Iahrh.; *Kraus* l. c. v. g. v. v. Exorcism., Oel, Sacramentum, Segen; Kirchenlex. v. g. v. v. Benedictio, Consacrat., Exorcism.; *Fourget* in Diction, de Théologie v. Exorcisme; *Probst* v. Exorcismus in Kirchenlexicon; Sacramente und Sacramentalien in den ersten Iahrhunderten (1).

306. I. **Connexio materiae.** Sicut *Christus Dominus* ad significandas et conferendas gratias suas immediate instituit signa quaedam externa sive *sacramenta*, ita etiam *Ecclesia* pro potestate sibi a Christo commissa instituit *similia* quaedam signa sacra ad externum Dei cultum, quae nunc *sacramentalia* dicuntur (2). Sub hoc Codicis titulo tantum agitur de benedictionibus et exorcismis. At praeter simplices benedictiones, consecrationes et exorcismos plura

(1) Cfr. ex theologis dogmaticis: *S. Thom.*, Summa theol. P. III q. 65 a. 1 q. 83 a. 3 q. 87 a. 3; *Pesch* l. c. t. VI n. 328 sq.; *Schanz* l. c. p. 76 sq.; *Suarez*, in III, disp. 15, sect. 1, n. 1 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. v. IV, tr. 10, sect. 1.

alia dantur in Ecclesia sacramentalia, quae fiunt in ipsa administratione sacramentorum, in sepultura ecclesiastica, cui tamen alius assignatus est peculiaris locus in Codice.

II. **Definitio.** Sacramentalia cum modo stricte (3) modo late accipiantur, etiam diversas nacta sunt definitiones (4); at breviter recteque ad usum canonicum definiri possunt: *Ritus* sacri ab Ecclesia instituti (5) aut *res* ab eadem benedictae praesertim ad spiritualem fidelium utilitatem, seu ut dicitur can. 1144 ad obtinendum ex sua impetratione effectus praesertim spirituales.

III. **Divisio** (6). Sacramentalia: *a)* ratione *ministri* conficiuntur vel a R. Pontifice vel Episcopo vel parocho vel simplici presbytero; *b) in se* sunt aut *actiones* transeuntes aut *res* permanentes; *c)* ratione *usus* alia adhibentur *in cultu divino* praesertim in sacrificio Missae et administratione *sacramentorum*, alia etiam *extra* cultum divinum et sacramenta, atque quandoque haec potissimum sacramentalibus adnumerantur; *d)* ratione *effectuum* distinguuntur in *benedictiones* et in *exorcismos*, quatenus varia bona *spiritualia* vel etiam *temporalia* hominibus conferunt, aut speciatim *daemones* expellunt vel cohibent (7).

IV. **Notae historicae.** Cum homo naturaliter sit inclinatus se suasque res Deo specialiter dedicare, ut obtenta divina protectione

(2) Antiquitus sacramenta et sacramentalia obtinuerant commune nomen *sacramenti*. Cfr. rubr. l. III t. 44 X.; capit. 7. Conc. Later. III (a. 1179) = cap. 9 X. de sim. V 3. At postquam iam Hugo a S. Vict. « *sacramenta minora* » distinxit a septem « *sacramentis principalibus* » (Synod. Londin. a. 1237), Alexander Halensis fuit primus, qui sacramenta illa minora appellavit « *sacramentalia* ». Quae terminologia inde ex saeculo decimo tertio communi usu est recepta.

(3) Quo sensu sacramentalia v. g. a Suaresio aliisque intelliguntur *caeremoniae accidentales* in cultu divino et administratione sacramentorum Ecclesiae catholicae. Cfr. *Zech* l. c. § 387.

(4) *Schmid* l. c. p. 20 sq. refert longum catalogum definitionum; *Arendt* l. c. p. 4 sq. de notione sacramentalium solide fuseque disputat.

(5) Si *Schmid* l. c. p. 115 sq. 20 sq. et *Arendt* l. c. p. 7, 13, sq. refugiunt ab inserenda « *institutione Ecclesiae* » in definitionem sacramentalium, ut fit communiter a theologis (cfr. v. g. *Schanz* l. c. 81), aut adoptant latam notionem institutionis divinae aut adnumerant sacramentalibus, quae ab aliis inter sacramentalia stricta non recensentur. Cfr. *Pesch* l. c. n. 330; *Arendt* l. c. p. 7. Quare universa illa controversia videtur reduci ad quaestionem *nominis* et diversarum *suppositionum*.

(6) *Schmid* l. c. p. 58 sq.; *Pesch* l. c. n. 333 sq.; *Arendt* l. c. p. 16 sq.

(7) Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 601; *Zech* l. c. §§ 389 sq.

bona consequatur et mala evitet, mirum non est, quod inde a primis saeculis etiam in Ecclesia catholica secundum praeformationes veteris (8) testamenti et exemplum ipsius Christi Domini (9) reperiantur sacramentalia (10) atque praesertim benedictiones et exorcismi (11). Qua in re v. g. *signum crucis,* quod passim in benedictionibus adhibetur, ad institutionem Apostolorum revocatur, atque inde a primis saeculis benedictio cum certis ritibus et formis fuit coniuncta (12). Exorcistae, qui ex officio et potestate ordinaria sibi concessa, non ex mero charismate aut in forma quadam privata exorcismos exercebant, iam saeculo tertio reperiuntur praesertim in Ecclesia Romana (13). Qui exorcistae cum etiam curam haberent energumenorum, non ordinabantur, nisi iam *provectioris* essent *aetatis.*

At postquam ordo exorcistatus etiam pueris et adolescentibus conferri coeptus est, munus exorcizandi, quod iam ex c. 26. Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 2 D. 69 et epist. Innoc. I. ad Decent. cap. 6 nonnisi cum licentia Episcopi fuit exercendum, potius ad *presbyteros* est delatum (14).

Institutio, innovatio aut **abolitio** sacramentalium ex natura rei est reservata hierarchiae ecclesiasticae et in ipsa hierarchia Sedi Apostolicae; nam evidens est simplices fideles determinatis actionibus vel ritibus non posse adnectere impetrationes Ecclesiae, ex

(8) Genes. XIV, 18, 19; Exod. XXX 23 sq.; *Schegg,* Bibl. Archaelog. p. 472 sq. 518 sq.; *Arendt* l. c. p. 142 sq. 156 sq. (de benedicendi *potestate* in vetere testamento).

(9) Matth. XIV, 19; Luc. XXIV, 50.

(10) Cfr. de varietate *nominum* supra hoc tit. not. 2.

(11) Quemadmodum de *nomine,* ita etiam de *numero* sacramentalium magna est varietas; etenim Ecclesia pro sua potestate valet augere vel minuere numerum sacramentalium, de quibus theologis et archaeologis disputationem relinquimus.

(12) *Tertullian.,* De coron. cap. 3; *S. Basilius,* De Spir. Sanct. cap. 27; *Kraus* l. c. v. v. Kreuzzeichen, Segen; *Arendt* l. c. p. 166 sq.

(13) *S. Cornel.* ad Fab. apud *Euseb.,* Hist. eccl. l. VI cap. 43; *Kraus* l. c. v. v. Exorcismus, Exorcisten; *Arendt* l. c. p. 329 sq. At exinde quod Christus Dominus *Ecclesiae* dedit *potestatem* exorcizandi, non sequitur etiam *ordinem* minorem *exorcistatus* esse a Christo Domino institutum, nisi quis immediatam et mediatam institutionem divinam viris catholicis probe notam perperam confundat.

(14) *Ferraris* l. c. v. Exorcistatus n. 21 sq.; *Hefele* l. c. t. I p. 766; *Arendt* l. c. p. 377 sq.

quibus sacramentalia habent suam vim obtinendi effectus praesertim spirituales.

Has porro impetrationes universae Ecclesiae in ordine ad effectus pro universis fidelibus adnectere sacramentalibus una potest Sedes Apostolica, non Praelati inferiores (can. 1145). Et ob easdem rationes **authentica** sacramentalium **interpretatio** pariter Sedi Apostolicae est reservata.

§ I. - DE BENEDICTIONIBUS

307. Notio. Benedictiones sunt invocationes divini nominis, quae a ministris sacris legitime deputatis nomine Ecclesiae et ex auctoritate ei a Deo concessa super personas vel res rite proferuntur vel ad postulandum pro hominibus aliquid boni spiritualis et etiam temporalis vel ad conferendam aliquam sanctificationem (15).

308. Divisio. Distinguuntur benedictiones:

I. Ratione *ministri* potissimum in *papales, episcopales, sacerdotales.*

II. Ratione *effectuum* in *invocativas* et *constitutivas.* Illae consistunt in invocatione divini nominis super personas vel res in pristina sua conditione non mutatas, ut Deus bona sua temporalia et praesertim spiritualia hominibus tribuat. Hae vero sunt invocationes divini nominis, per quas personae et res ab usu profano et pristina sua conditione segregatae in perpetuum cultui divino tanquam personae vel res *sacrae* dedicantur.

III. Ratione *obiecti* in *personales, reales, locales.*

IV. Ratione *formae* sive apparatus in *solemnes* vel *armatas* et in *minus solemnes* vel *simplices.* Quandoque distinguuntur benedictiones *verbales* vel simplices, quae solis *verbis* et *caeremoniis* absque ulla sacra *unctione* perfici solent, et *reales,* quae etiam cum sacra unctione chrismatis vel olei fiunt. Huiusmodi benedictiones reales interdum vocantur *consecrationes,* ut distinguantur a benedictionibus *sine sacra* unctione factis. Denique animadvertendum

(15) *Muehlbauer,* Decret. auth. C. S. R. v. Benedictio; *Ferraris* l. c. v. Benedictio; art. 1 n. 1 sq.; *Arendt* l. c. p. 130 sq.; *Hinschius* l. c. p. 141 sq.

est consecrationes stricto sensu acceptas non denotare benedictiones *invocativas*, sed benedictiones *constitutivas*, in quibus intercedit *sacra unctio* v. g. in consecratione ecclesiae, cum in simplice *benedictione constitutiva* v. g. oratorii publici sacra unctio non adhibeatur. Quare *consecratio* per se designat benedictionem *constitutivam* in gradu *perfectiore* quam simplex *benedictio* constitutiva (16).

309. I. **Ministri** capaces sacrarum benedictionum sunt omnes clerici, quibus in sacra *ordinatione potestas benedicendi* est collata. Id quod regulariter valet de solis *Episcopis* atque *presbyteris* (17). At diaconi (18) vel lectores (19) ab omni capacitate benedicendi

(16) *Schmid* l. c. p. 110 sq.; *Arendt* l. c. p. 17 sq. 214 sq.

(17) Cfr. c. 20 D. III de cons.; c. 1 §§ 8, 9 D. 25; c. 6 D. 95; cap. 3 X. de off. archipresb. I 24; cap. 9 X. de cons. eccl. III 40; cap. unic. §§ 1 sq. X. de sacr. unct. I 15; Pontificale Rom., De consecr. electi, De ordin. presbyt.: « *Sacerdotem oportet offerre,* **benedicere,** *praeesse, praedicare, et baptizare* »; « *consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et* **nostram benedictionem...** *ut quaecunque* **benedixerint,** *benedicantur, et quaecunque consecraverint, consecrentur et sanctificentur* »; *Ferraris* l. c. v. Benedictio art. 1 n. 14, 15; *Gasparri*, De s. ordin. n. 1137 sq.

(18) Cfr. praeconium paschale; Rit. Rom., De sacr. bapt.; S. R. C. in c. Angelopolit. 11 Sept. 1847 ad 9, 10, in c. Tunk. 14 Aug. 1858 ad 1; *Gasparri*, De ss. euchar. n. 1041, 1103; *Ferraris* l. c. n. 15; S. R. C. in c. Rom. 15 Sept. 1668 declaravit Cardinales Diaconos posse in suis diaconiis solemnem benedictionem impertiri populo, non celebrante tamen Episcopo. Cfr. nunc can. 239, § 1, 12°.

(19) In Pontif. Rom., De ordin. lector. Episcopus commemorat potestatem *benedicendi panem* et novos fructus. Non desunt doctores, qui putant probabiliter hanc potestatem benedicendi lectoribus non amplius concedi. Cfr. *Scherer* l. c. p. 597. At ex disciplina vigenti, vi cuius huiusmodi benedictiones saltem *solemnes* a solis sacerdotibus fiunt et ex silentio Ritualis Rom. solummodo sequitur *exercitium* istius potestatis, nunc sacerdotibus proprium, non ipsam potestatem lectoribus certo esse ablatam; secus eodem fere argumento probari posset etiam potestatem *exorcizandi* non amplius conferri exorcistis. Cfr. Arch. f. k. K. t. II p. 228. Quodsi alii scriptores (cfr. *Arendt* l. c. p. 390) illam facultatem *benedicendi* lectoris verbis Pontificalis Romani expressam intelligunt de aliqua *cooperatione* caeremoniali ad benedictionem sacerdotalem, verbo *benedicendi* substituunt arbitrariam significationem *cooperationis* in benedicendo, ut iam accidit *Van Espen* in explicando can. 25. Conc. Laodic. (a. 343-381). Cfr. *Hefele* l. c. t. I p. 766. Praeterea factum illud cooperationis lectoris esset ex rubricis probandum, non tantum fingendum. Neque iuvat provocare ad silentium in *aliis* antiquis documentis. Nam manifesta sunt verba Episcopi in Pontificali Romano, quae non possunt intelligi de re mere *ficticia*. Denique illud silentium, in se iam debile argumentum, ad summum probat non viguisse *exercitium* huius facultatis. Quare Ecclesia, quae iuxta magis fundatam sententiam ordinem lectorum instituit, potuit relinquere lectoribus illam *modestam* facultatem benedicendi *suo nomine* panem et fructus, penitus sublato ex disciplina vigente huius facultatis solemni exercitio. Cfr. Arch. f. k. K. l. c. cum *Catalani* et *Baruffaldi*. Porro potestatis non solum licitum sed etiam validum exercitium in rebus a se institutis posse ab Ecclesia ligari manente potestate non est dubitandum.

non sunt penitus exclusi : De iure tamen Codicis (can. 1147, § 4) illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt quae ipsis expresse a iure permittuntur.

II. **Legitimi ministri sunt :**

a) R. Pontifex, cui reservata est benedictio annua *palliorum* (20), *rosae aureae* (21), *pilei atque gladii* (22), benedictio *agnorum cereorum* singulis *septenniis* facta (23), *coronatio Imperatoris Romanorum* (24) tempore medii aevi recepta. Denique nostra aetate praesertim practici momenti sunt illae *benedictiones pontificiae sive apostolicae*, quae cum *indulgentia plenaria* coniunctae sive personaliter a R. Pontifice sive ab eius delegatis dantur (25).

b) Episcopi, qui sepositis quaestionibus potius ad rem *sacramentariam* (26) spectantibus, ex *ipsa iuris dispositione* ad *certas* benedictiones sive consecrationes ita unice intra suam dioecesim sunt *competentes*, ut illas absque indulto apostolico simplicibus *sacerdotibus* delegare non possint v. g. benedictionem Abbatum vel Abbatissarum, benedictionem et coronationem regum, consecrationem ecclesiarum et altarium et calicum etc., trinam benedictionem

(20) Bened. XIV Const. « *Rerum ecclesiast.* » 12 Aug. 1748; *Kraus* l. c. v. Confessio.

(21) Bened. XIV Const. « *Quarta* » 24 Mart. 1751; *Pastor*, Storia dei Papi t. I. p. 167 sq.; *Zech* l. c. §§ 393, 396.

(22) Caeremoniale Rom. l. I. t. 7.

(23) Pauli II Const. « *Immoderata* » 21 Mart. 1470; Bened. XIV Const. « *Pervetustus* » (a. 1752); *Zech* l. c. § 395; Anal. iur pont. t. VIII col. 1475 sq.; Kirchenlex. v. Agnus Dei.

(24) Cap. 34 X. de elect. I. 6; cap. unic. de iureiur. II 9 in Clem.; Ordo coronat. Imperat.; *Scherer* l. c. p. 659 sq.; *Philips* l. c. t. V. p. 677 sq.; *Hinschius* l. c. p. 157 sq.

(25) Rituale Rom., Method. pont. bened. sq.; Bened. XIV Const. « *Pia Mater* » 5 Apr. 1747, Const. « *Exemplis* » 19 Mart. 1748; Clem. XIII Const. « *Inexhaustum* » 3 Sept. 1762; *Beringer* l. c. p. 477 sq. 315 sq.; *Melata*, De benedictione papali; *Arendt* l. c. p. 392 sq.

(26) Cfr. supra de sacram. confirmationis et extremae unctionis; *Arendt* l. c. p. 224 sq. 229 sq.; *Schmid* l. c. p. 142 sq., ubi institutiones divinas multum extendit.

solemnem in ecclesia, benedictionem solemnem in via sive procedendo (can. 1147 iunct. can. 1155) (27). Aliae quaedam benedictiones, quamvis per se Episcopis residentialibus sint *reservatae*, tamen ab iisdem ex iuris permissione parochis aliisque simplicibus presbyteris delegari possunt, servatis tamen legitimis terminis (28).

c) Sacerdotes etiam simplices nulloque canonico impedimento detenti reliquas benedictiones nec R. Pontifici nec Episcopis reservatas impertiri possunt (29), nisi in favorem *parochi* vel ex *speciali* iuris titulo limitatio sit statuta (30).

III. **Reservationis effectus** quoad benedictiones Episcopo reservatas, quae verae consecrationes non sint, non is est, ut a presbytero invalide fiant sine licentia necessaria, sed tantum illicitae sunt, nisi in reservatione decernenda aliud Sedes Apost. expresserit (can. 1147, § 3).

IV. **Obligati ministri** sunt, qui ratione sui *officii* certas benedictiones statuto tempore rite peragere debent (31), si vel a suis sub-

(27) Cfr. c. 1, 2, 3 C. XXVI q. 6 = c. 3. Conc. Carthag. II (a. 390) et c. 34. Conc. Hippon. (a. 393) et c. 44 Conc. Agath. (a. 506); c. 19 Conc. Bracar. (a. 563); c. 1 § 9 D. 25; cap. un. X. de sacr. unct. I 15; cap. 3, 9 X. de cons. eccl. III 40; cap. 3 de privileg. V 7 in Sext.; cap. 2 de privil. V 7 in Clem. iunct. decr. circa us. pontif. S. R. C. 27 Sept. 1659 n. 13, 14, 19; Pontificale Rom.; facult. quinquenn. Sed. Ap. n. 11, 14; Arch. f. k. K. t. XV p. 101 sq.

(28) Rituale Roman. iunct. S. R. C. in caus. Lemov. 2 Apr. 1875 ad 1, ubi responsum fuit Episcopum sive ex iure ordinario sive ex consuetudine *non posse omnes* benedictiones descriptas in Rituali Romano et *reservatas*, in quibus non intervenit sacra unctio, *sacerdotibus minoribus delegare*, S. R. C. in c. Camerac. 13 Mart. 1632 respondit: « *Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Iesu et alios quoscunque habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi coemeteria et similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus sacra unctio non adhibetur et pro servitio dumtaxat monasteriorum et ecclesiarum propriarum;* » S. R. C. in cit. decr. 27 Sept. 1659 ad 18, 19.

(29) De iure antiquo cfr. c. 5 Conc. Regensis (a. 439); Rituale Rom.; S. R. C. dub. 13 Iun. 1893 ad 6 respondit simplicem sacerdotem sive saecularem sive regularem posse invitatum benedicere *privato ritu* campos, animalia et similia.

(30) Cfr. v. g. quoad benedictionem *matrimonialem* proprio parocho reservatam: Conc. Trid. Sess. XXV cap. 1 de ref. matr.; de iure privativo parochi saltem accedente speciali *consuetudine* benedicendi *novas naves:* S. C. C. in caus. Ianuensi 12 Sept. 1891 in Act. S. Sed. vol. XXIV p. 309 sq. De benedictione mulierum post partum S. C. C. 17 Ian. 1896 praeeunte S. R. C. statuit illam a *quocunque* sacerdote posse fieri, si expetitus fuerit; porro inter functiones parocho reservatas can. 462 non enumeratur haec benedictio; at consuetudo particularis quandoque parochis dat ius privativum. Cfr. *Piat* Ius Regul. t. II q. 448 sq.; *Bened. XIV*, Inst. eccles. 105 n. 100 sq.; *Zech* l. c. § 398.

ditis ad benedictiones quasdam *pro suo iure* requiruntur (32), vel a legitimis Superioribus mandatum accipiunt.

310. I. Subiecta capacia benedictionum ecclesiasticarum non sunt soli fideles baptizati, cum etiam *catechumeni* non paucis benedictionibus ad baptismum disponantur (33). Imo vel ipsi infideles pro sanitate corporis et illuminatione mentis servatis normis a S. C. Inq. statutis a presbyteris catholicis benedici possunt (can. 1149) (34).

II. **Legitima** vero et digna subiecta sunt imprimis fideles catholici non irretiti impedimento canonico, ob quod saltem a quibusdam benedictionibus ecclesiasticis merito *prohibentur* aut *iure* postulandi destituuntur (35). Quare haeretici, schismatici, excommunicati a benedictionibus ecclesiasticis arcentur, nisi Ecclesia in casibus particularibus mitiorem praxim toleret v. g. in certis cir-

(31) Caeremon. Episc. l. II cap. 23 et Pontific. Rom. P. III (de bened. sacr. oleor.); Missale Rom. de bened. ciner., candelar., palmarum, fontis baptismalis; S. R. C. in c. Hispal. 19 Dec. 1665, in c. Lucan. 12 Apr. 1755 ad 1, 4, ubi. etiam poena pecuniaria contra parochos negligentes permittitur.

(32) Rit. Rom. — Speciatim *parochi*, si expetiti fuerint, *debent legitimis matribus* concedere benedictionem post partum (cfr. S. C. C. 17 Ian. 1896 cit. not. 30 h. t.; S. C. Inq. 18 Iun. 1873); at matribus, quae prolem illegitimam ediderunt, certe *possunt*, imo debent saltem ex iuris particularis sanctione poenali *denegare* benedictionem post partum; id, quod valet etiam de aliis matribus, quae *ius* ad huiusmodi benedictionem *non* habent. Cfr. S. C. C. 18 Iul. 1859 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1950; Collect. Lac. t. III col. 767 t. V col. 348. At matri legitimae, cuius proles sine baptismo mortua est, non est neganda illa benedictio, ut constat ex reponso S. R. C. in c. Vicentin. 19 Maii 1896 a Leone XIII d. 8 Iun. eod. an. expresse confirmato.

(33) Rituale Rom., Ordo baptismi adult.; *Duchesne* l. c. p. 284 sq.; *Arendt* l. c. p. 396 sq.; *Schmid* l. c. p. 261 sq.

(34) S. C. Inq. 11 Dec. 1749 11 Aug. 1768 in cit. Collectan. n. 1978, 1979.

(35) Cfr. h. tit. not. 32; S. C. Inq. 18 Iun. 1873 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1953 respondit: « *Non esse negandam benedictionem post partum mulieri petenti pro eo, quod eius proles* ex **legitimo** *matrimonio mixto baptizata fuerit apud haereticos,* **nisi** *constet ipsam consensisse aut pro viribus non restitisse* ». Quod responsum facile conciliatur cum decretis complurium Conciliorum provincialium: « *Benedictio post partum... neganda* (est) *matri in matrimonio mixto viventi, cuius infans apud acatholicos baptizatus est* ». (Collect. Lac. t. V col. 28 348, 493), nec ad mitiorem quandam praxim est confugiendum. Cfr. Arch. f. k. K. t. 41 p. 217 sq.; Kirchenlex. v. Aussegnung.

cumstantiis benedicendi domus schismaticorum vel matrimonia mixta (36).

III. **Obligati** fideles generatim non sunt ad recipiendas benedictiones ecclesiasticas, quae ab administratione sacramentorum distinctae esse solent; at caveant necesse est a contemptu vel irreverentia. Quandoque autem benedictio vel consecratio quaedam certis fidelibus potest esse *conditionate* obligatoria v. g. Abbati vel Abbatissae, Periodeutae vel Archidiacono vel Patriarchae in Ecclesia orientali (37), regi ex statutis fundamentalibus regni (37).

311. Res, quae benedici possunt, sive per benedictionem constitutivam vel consecrationem maxime colligendae sunt ex libris liturgicis v. g. ex Rituali Romano. Quare benedictio non tantum deneganda est rebus, quae ad usum *inhonestum* vel *indecentem* destinatae sunt, sed etiam rebus insolitis et ab approbata Ecclesiae praxi alienis (38). Multo magis abstinendum est a benedictione constitutiva rerum cum evidenti periculo usus superstitiosi vel simoniaci vel prohibiti vel saltem profani, v. g. si fiat invito domino, vel eorum obiectorum, quibus a Sede Apostolica prohibitum est per benedictiones adnectere *certas indulgentias* (39), in quantum intendatur illa indulgentiarum adnexio.

312. Ritus in benedictionibus quoad *subiectum, materiam* et *formam* substantialem, caeremonias accidentales, *locum, tempus* ac-

(36) S. C. de Prop. F. 17 Apr. 1758; Instr. Secret. Stat. 15 Nov. 1858; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1818, 1511 sq. 1420 sq.; *Kober*, D. Kirchenbann. p. 286, 326; *Suarez*, De cens. disp. 12 sect. 3.

(37) Cap. unic. X. de purif. post. part. III 47, unde constat mulieribus post partum in novo testamento per aliquod tempus prohibitum non esse ingressum in ecclesiam neque ipsas *obligari* ad praeviam benedictionem suscipiendam; *Schmalzgr.* l. III t. 47 n. 1 sq. — S. C. Inq. 20 Iunii 1860; *Pesch* l. c. t. IV n. 345. sq.

(38) Cap. 1 X. de suppl. negl. Praelat. I 10 et cap. 43. X. de simon. V 3 iunct. Bened. XIII Const. « *Commissi* » 6 Maii 1725 et S. C. C. 12 Febr. 1724; Arch. f. k. K. t. II p. 199 sq.; *Piat* l. c. t. II p. 150 sq. 70, 360 sq.; *Scherer* l. c. t. II p. 763 sq. — Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. tom. II. col. 254; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 145 sq. 148 sq. p. 189 sq. (de praescripta sponsis benedictione matrimoniali).

(39) *Baruffaldus*, Commentaria ad Rituale Rom. tit. 47 n. 18; *Beringer* l. c. p. 332 sq.; *Hinschius* l. c. p. 152 sq. Paulatim ab Ecclesia multarum novarum rerum benedictiones introductae sunt, quarum aptus et pius ritus in novis editionibus Rit. Rom. adiectus fuit.

curate servandi sunt, prout in libris ritualibus vel specialibus decretis Sedis Apostolicae reperiuntur expressi (can. 1148, § 1) (41). Vix opus est addere in benedictionibus ecclesiasticis summopere cavendum esse ab omnibus, quae simoniam vel speciem simoniae habent (42).

Consecrationes ac benedictiones, quae vera sacramentalia sint, sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta (can. 1148, § 2).

313. Effectus benedictionum interni et supernaturales a theologis explicantur (43). Benedictiones *invocativae personarum* et *rerum* ex disciplina vigente vix producunt effectus, qui in iure canonico multum sint attendendi. Profecto in libris liturgicis ille effectus videtur insinuari, quod reges nonnisi benedictione et coronatione consequantur plenam *dignitatem* regiam. Cum dignitas *Imperatorum* Romanorum (nunc exstincta) inde a Carolo M. consisteret in mero *officio advocati* Rom. Pontificis atque Ecclesiae, non in *iurisdictione* quadam *territoriali* pro more antiquorum Imperatorum Romanorum, eius concessio pendebat a forma per R. Pontificem praescripta (44). Item ex iure positivo fieri potuit, ut reges christiani *electi* tempore medii aevi maiore rigore ad coronationem adigerentur, quam ex natura rei et haereditaria successione requireretur. Cuius rei exemplum usque ad nostram aetatem ex multorum opinione habebatur in coronatione regis Hungariae. At formulae illae liturgicae v. g. Pontificalis Rom. nequaquam probant ex mente Ecclesiae reges

(40) Cfr. c. 2 C. XIV q. 6 (S. Gregor. M. a. 599 de synagoga Iudaeorum temere consecrata) cum dict. Grat.; cap. 4 X. de religios. dom. III 36; cap. 9 X. de immunit. III 49; R. I. 51 in Sext.: « *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum* »; Instr. S. C. Inq. 11 Dec. 1749 11 Aug. 1768 in cit. Collectan. n. 1978 sq.; Decret. auth. S. C. Indulg. n. 78, 82, 249 ad 1 et 2 n. 333; *Beringer* l. c. p. 336 sq.

(41) Rit. Rom., De bened. regulae generales etc.; Pontif. Roman.; S. R. C. in c. Arim. 7 Apr. 1832 ad 4 et 23 Maii 1835 ad 9, unde eruitur illas tantum benedictionum formulas esse adhibendas, quae a *S. R. C.* sunt approbatae, ideoque approbatio *Episcopi* non sufficit; Decret. auth. S. C. Indulg. n. 401, 281 ad 5 n. 313 ad 2; *Beringer* l. c. p. 334 sq.

(42) Cap. 6 X. de rer. permut. III 19; cap. 9, 10, 42 X. de simon. V 3; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 831.

(43) *Arendt* l. c. p. 130 sq.; *Schmid* l. c. p. 133 sq. 207, 245 sq.

(44) Cap. 34 X. de elect. I. 6; *Suarez*, De leg. l. III cap. 7 sq.; *Phillips*, Kirchenrecht t. V p. 677 sq.

tantum per coronationem *obtinere* suam *potestatem* et *dignitatem* regiam, sicut R. Pontifex vel Patriarcha vel Abbas minime per *accidentalem consecrationem* vel benedictionem donantur officio et potestate regendi. Formulae illae *declarant*, quod aliunde reges iam habent, atque *accedit* specialis illa dignitas ex benedictione orta (45). Pariter res per benedictionem *invocativam* benedictas v. g. domum eodem modo adhibere licet atque res non benedictas, tamen semper excluso usu superstitioso vel formali contemptu benedictionis.

Benedictiones *constitutivae* vel consecrationes personarum et rerum illas singulari ratione efficiunt *sacras*, ita ut ad usus *profanos* non iam traduci possint (46). Praeterea benedictio constitutiva personarum quandoque potest esse *conditio* quaedam ad alia iura licite valideque exercenda v. g. in Abbate ad conferendos ordines minores, nisi speciale habeatur indultum apostolicum (47).

Denique benedictio constitutiva in rebus dominium privatum v. g. calicis in oratorio domestico non aufert, at domino imponit obligationem abstinendi a profano usu rei consecratae (can. 1150) (48).

§ 2. DE EXORCISMIS

314. I. Notio. Exorcismus est adiuratio *imperativa* per invocationem nominis Dei a legitimo Ecclesiae ministro rite facta ad expellendum daemonem eiusque potentiam effugandam (49).

II. **Divisio.** Qui exorcismus, de quo hoc loco unice agitur, est exorcismus *ordinarius*; exercetur enim *vi potestatis ordinariae* ab

(45) Cap. un. § 5. X. de sacr. unct. I 15; aliter illas formulas explicant: *Hinschius* l. c. p. 157 sq.; *Scherer* l. c. p. 598.

(46) R. I. 51 in Sext.; Pontif. Rom.; Ritul. Rom.

(47) Cfr. text. cit. in not. 38 h. tit.; *Ferraris* l. c. v. Abbas n. 14 sq.; Kirchenlex. v. Abtweihe.

(48) Cfr. c. 33 C. XVI q. 7 iunct. text. cit. apud *Wernz* l. c. t. III n. 140; S. C. C. 27 Febr. 1864 in Act. S. Sed. vol. I p. 217 sq.; *Suarez*, Defens. fid. cath. l. IV cap. 19; *Bargilliat*, Praelect. iur. can. n. 1343 sq.; *Van de Burgt*, De ecclesiis p. 104 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 162 sq. 321 sq.

(49) Marc. XVI 15 sq.; Act. Ap. XIX 13 sq.; Rit. Rom., De exorcizandis obsess. a daem.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. V l. 4 cap. 1 n. 1 sq.; *Ferraris* l. c. v. Exorcistatus n. 1 sq.; *Arendt* l. c. p. 329 sq.; *Schmid* l. c. p. 130 sq.

Ecclesia suis ministris datae; ab illo distinguendus est exorcismus *extraordinarius*, qui exercetur *virtute charismatis* sive gratiae gratis datae. Praeterea ratione obiecti distinguitur exorcismus, quo daemon ex *personis* vere *obsessis* expellitur, alter vero, quo a rebus vel locis vel personis, quae obsessae non sunt, virtus sive potentia diaboli profligatur. Ita exorcismi haud raro cum *benedictionibus* v. g. aquae, salis etc. *coniungi* solent easque *praeparant*. Denique ratione *formae* alii exorcismi sunt *solemnes*, qui publice in ecclesiis secundum ritus praescriptos perficiuntur, alii potius *privati* et occulti (50).

315. I. Minister exorcismi, qui exercetur vel in ipsas *personas* a daemone *obsessas*, vi ordinis iam est *exorcista* (51). Ex disciplina vero vigente ad huiusmodi exorcismum nomine Ecclesiae et in forma publica nemo ex clero sive saeculari sive regulari procedere potest, nisi sit *sacerdos* et insuper ab Ordinario loci in singulis casibus peculiarem et expressam obtineat licentiam (52). Quae licentia ab Ordinario dari tantum debet sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito (can. 1151). Ministri aliorum exorcismorum, qui occurrunt in baptismo aliisque benedictionibus, sunt iidem, qui earundem sacrarum functionum capaces et legitimi vel obligati ministri existunt (can. 1153).

II. **Subiecta,** in quae potestas exorcizandi a legitimis Ecclesiae ministris exerceri potest, non solum sunt *fideles* et *catechumeni*, ut patet ex ordinatione exorcistae et ex Rituali Romano, sed etiam *infideles*, vel acatholici vel excommunicati, dummodo servetur forma praescripta et vitentur abusus (can. 1152) (53).

III. **Forma** in exorcizandis obsessis a daemone aliisque exorcismis servari debet, quae in Rituali Romano reperitur praescripta,

(50) Rit. Rom. l. c. et Ord. bapt. parvul.; *Schmid* l. c. p. 209 sq.; *Arendt* l. c. p. 360 sq.; *Duchesne* l. c. p. 307 sq. 499.

(51) Cfr. c. 10 Conc. Antioch. (a. 341); c. 26 Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 2. D. 69 iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 766; Pont. Rom., De ordin. exorcistar.; *Arendt* l. c. p. 373 sq.

(52) Bened. XIV Const. « *Sollicitudo* » 1 Oct. 1745 § 43 et Const. « *Magno* » 2 Iun. 1751 § 34; S. C. C. apud *Ferraris* l. c. n. 9, 10; S. C. de Prop. F. 11 Sept. 1779 in cit. Collectan. n. 1980; Collect. Lac. t. I. col. 197 t. V col. 186 sq. 484 sq. 871 t. VI col. 338; supra h. tit. in not. histor. not. 13 sq.

(53) S. C. de Prop. F. 11 Sept. 1779 l. c. (de exorcizandis Turcis).

nec formulis ab Ecclesia damnatis vel non appobatis utendum est (54). Praeterea in casibus particularibus circa adiuncta loci et temporis standum est specialibus decretis hac de re datis, v. gr. si monialis quaedam esset exorcizanda (55).

316. Effectus exorcismi patent ex notione et divisione datis, quos theologi prolixiori calamo explicant (56). In iure canonico imprimis ille effectus est attendendus, quod benedictiones invocativae personarum et rerum data opportunitate generatim iterari possunt v. gr. benedictio peregrinorum vel domorum in sabbato sancto; at benedictiones constitutivae et vere consecratoriae personarum vel rerum v. gr. Abbatis (57) vel ecclesiae (58) *valide* collatae ex iure ecclesiastico reiterari nequeunt (cfr. can. 1159). Res tamen et loca consecrata consecrationem amittere possunt (cfr. can. 1170, 1200, 1305), quo casu nova consecratio est permissa, utpote rei vel loci non amplius consecrati.

Porro attendendus est canonicus effectus irregularitatis, de qua can. 984, n. 3°.

Contra *exorcismos illegitime exercitatos* expressae *poenae* in iure communi non sunt statutae, sed ordinarii loci etiam in regulares poenis arbitrariis procedere possunt vel pro suo iure statuere censuras ipso facto incurrendas, servatis tamen principiis iuris poenalis novi Codicis (59).

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII (REMISSIVE)

317. Matrimonium cum inter christianos sit verum sacramentum novae legis, ita ut contractus matrimonii inter christianos sem-

(54) Rit. Rom. l. c.; Bened. XIV cit. Const. « *Sollicitudini* » § 43 et Const. « *Inter omnigenas* » 2 Febr. 1744, § 18; Collect. Lac. l. c.; *Ferraris* l. c. n. 18, 19.
(55) S. C. Ep. et Reg. apud *Ferraris* l. c. n. 11 sq., collect. Lac. l. c.
(56) *Arendt* l. c.; *Schmid* l. c.
(57) S. R. C. in c. Bisunt. 25 Febr. 1606; *Ferraris* l. c. v. Abbas, n. 13.
(58) Cfr. c. 3 D. 68; c. 20 D. I, de consecr.; cap. un. pr. X. de sacr. unct. I; cap. 2 X. de sacram. non iter. I, 16.
(59) Benedict. XIV, Const. « *Magno* » 2 Iun. 1751, § 34; Synod. prov. Neapol. (a. 1699) in Collect. Lac. tom. I, col. 197.

per sit sacramentum aut sit contractus nullus si sacramentum excludatur (Syllab. Pii IX, prop. 73), etiam in disputatione canonica de sacramentis propriam habet sedem, atque in hoc loco Codicis inter cetera sacramenta ultimo loco ponitur. Sed propter rationes practicas separato volumine de matrimonio videtur esse tractandum: nam ob multitudinem quaestionum non potest coniungi tractatio de matrimonio cum tractatione de aliis sacramentis, nisi volumen exhibeatur nimis magnum, et in corpore iuris ob hanc rationem ei assignatur *proprius liber* quartus. Porro Ecclesia etiam de matrimoniis infidelium, quae non sunt sacramentum, debet ius et doctrinam proponere, quorum frequentissime *causae* deferuntur ad tribunalia ecclesiastica, cum uterque vel arteruter coniux per baptismum receptum factus est subditus Ecclesiae, quae in fidelium baptizatorum causas spirituales exclusivam habet competentiam. Hoc ergo loco possumus remittere ad *Wernz-Vidal*, Ius canonic. vol. V, De matrimonio.

LIBRI III. - PARS II.

DE ADMINISTRATIONE CULTUS DIVINI

Prooemium

318. Notiones. Ius de administratione cultus divini non raro vocatur *ius liturgicum* (1). Etenim *liturgia* (*λειτουργία*) ex usu profano loquendi antiquorum Graecorum denotavit quidem officium sive munus vel ministerium *publicum pro* populo, non *populi* susceptum

(1) *Zaccaria*, Bibliotheca ritualis t. I dissert. 1 de iure liturgico; *Bouix*, De iure liturgico; *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturgik t. I p. 331. sq. 346 sq.; Arch. f. k. K. t. I p. 32 sq. 265 t. II p. 198 sq.

(λεῖτον ἔργον) (2); maxime vero in libris canonicis veteris et novi testamenti designat *publicas functiones sacras sacerdotum* et levitarum legitime deputatorum in tabernaculo vel templo praesertim in *offerendis sacrificiis* ad honorem Dei et pro populi salute (3). Quare mirum non est, quod etiam in Ecclesia Christi verbum liturgiae inde a primis saeculis adhibitum fuerit ad significandum sacrificium Christi, divini liturgi (4) et praesertim ad designandam *celebrationem sacrificii eucharistici* (5). Qui usus loquendi in *Ecclesia orientali* usque ad nostram aetatem retinetur, ubi *liturgia* (λειτουργία) est ipsa *celebratio sacrificii Missae* vel *forma* sive ordo illius celebrationis (v. g. « *liturgia S. Basilii* »), cui opponitur *ordo* (τάξις, ἀκολουθία) sacrorum rituum in *aliis* functionibus v. g. in officio divino vel administratione sacramentorum et sacramentalium (6).

At iam ex iure antiquo (7) et multo magis ex praxi per complura saecula vigente liturgia latiorem habet significationem *universi ministerii sacerdotalis novi testamenti*, quod nequaquam ad solam celebrationem sacrificii eucharistici restringitur (8), atque definiri potest: Complexus legitimorum rituum externorum et publicorum (9), qui a ministris Christi et Ecclesiae catholicae rite ordinatis adhibentur (10) tum ad attestandum Dei veri *honorem* per sacrificium

(2) *Birkler* in Act. theol. Tubing. (a. 1871) t. 53 p. 347 sq. Cfr. quoque L. 5 §§ 2, 6 Dig. de iure immun. L. 6; II Corinth. IX 20; Philipp. II 30.

(3) Exod. XXVIII 39; Num. I 50 IV 3; Luc. I 23; Hebr. IX 21 X 11.

(4) Hebr. VIII 1, 2, 6 V 1 sq. IX 21, 23 sq.

(5) Act. Apost. XIII; S. Clem. I. epist. ad Corinth. cap. 44 n. 3; *Bouix* l. c. p. 4 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 1 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Liturgie, Liturgieen.

(6) *Goar*, Euchthen. Graecor. p. 7; *Thalhofer* l. c. p. 2 sq.

(7) Cfr. c. 1 Conc. Ancyr. (a. 314) = c. 32 D. 30; c. 4 Conc. Antioch. (a. 341) = c. 29 Apost.; *Hefele*, Conciliengesch. t. I. p. 222 sq. 808.

(8) Cfr. c. 18, 33 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 9 Conc. Neocaesar. (a. 314-325); *Hefele* l. c. p. 168. Quod Graeci sensu *lato* vocarunt *liturgiam*, id Latini praesertim medio aevo appellarunt *officium* vel *ministerium divinum* vel *ecclesiasticum*. Cfr. *Isidor. Hispal.*, De ecclesiasticis officiis l. I de origine officiorum, l. II de origine ministrorum, i. e. « *eorum, qui divino cultui ministeria religionis impendunt* »; *Gul. Durandus* (Durantis), Rationale divin. officior.; *Probst*, Liturgie d. ersten drei Iahrh. p. 5; *Thalhofer* l. c. p. 3 sq. 249 sq.

(9) *Bouix* l. c. p. 6 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 1 sq. 148 sq. 370 sq.; *Suarez*, De virtute et statu relig. tract. I l. I cap. 1 sq. cap. 7 n. 1 sq. l. 2 cap. 1, 2; *Zaccaria* l. c. t. II disp. 1, ubi fuse disserit de caeremoniis in genere.

(10) *S. Thom.*, Summa theol. III a. q. 82 art. 1 sq.; *Suarez*, De sacram. euchar. disp. 77, 83, 84; *Thalhofer* l. c. p. 232 sq. 251 sq.; *Wernz*, *Vidal* t. II n. 70 sq.

eucharisticum aliosque actus cultus divini tum ad procurandas hominibus *gratias* per sacramenta et sacramentalia (11).

Hinc facile deducitur, quid sit *liturgica;* est enim *scientia* liturgiae Ecclesiae catholicae (12). Similiter patet *notio iuris liturgici*, quippe quod est complexus *legum* sive *divinarum* sive *ecclesiasticarum*, quibus liturgia sensu lato Ecclesiae catholicae ordinatur (13).

319. **Divisiones.** Liturgia sive ius liturgicum dividi potest:

I. Ratione *duplicis finis* in liturgiam cultus divini, quam alii sensu lato vocant *latreuticam*, et in liturgiam *sacramentalem*. Illa principaliter refertur ad *cultum Dei*, haec ad concessionem *gratiae*. « *Principaliter* » inquam; nequaquam enim ista divisio est plane *exclusiva*. Nam liturgia *latreutica* v. g. in sacrificio Missae, quamvis principaliter sit cultus Dei, tamen secundario etiam procurat gratias ad sanctificationem hominum. Vicissim liturgia *sacramentalis*, quae principaliter ordinata est ad sanctificandos homines per gratias divinas, *secundario* v. g. in ipsis formis substantialibus sacramentorum extremae unctionis, ordinis vel adnexis precibus continet etiam cultum divinum (14).

II. Porro ratione *methodi* liturgia dividitur in *generalem* et in *specialem*. Quae divisio tum universae liturgiae tum duabus partibus principalibus (cultui divino et sacramentis atque sacramentalibus) applicari potest (15).

III. Denique ratione *materiae*, quae sub diverso respectu attingi potest, liturgia est *dogmatica*, *moralis* vel *ascetica*, *canonica*,

(11) *Suarez*, De virt. et stat. relig. l. c. l. 2 cap. 2 n. 5 sq. l. 1 cap. 7 n. 4 sq. tract. II l. 1 cap. 1 sq. cap. 3 n. 9 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 262 sq. 276 sq. 148 sq. 156 sq. 176 sq.

(12) *Thalhofer* l. c. p. 5 sq.

(13) *Zaccaria* l. c. t. I. dissert. 1 cap. 1 n. 1; *Bouix* l. c. p. 10 sq.; Arch. f. k. K. l. c.

(14) *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. I l. 2 cap. 2 n. 6, De sacram. eucharist. disp. 79 sect. 3 sq. disp. 76, ubi sacrificium et sacramentum eucharisticum inter se comparat; *Pesch*, Praelect. dogm. t. IV n. 189, sq. 628 sq. t. IX n. 305 sq. not. 1; *Thalhofer* l. c. p. 29, ubi hanc divisionem sine sufficienti fundamento reprehendit.

(15) *Thalhofer* l. c. p. 26 sq. alias recenset et refutat divisiones. In subsequente sectione *prima* tria priora capita non solum continent disputationem *generalem* de *cultu* divino in genere, sed multa quoque ibidem exponuntur, quae spectant ad *generalem* disquisitionem de sacramentis et sacramentalibus in genere sive utrique sectioni *communia* sunt.

symbolica, historica, practica. Disputationes de liturgia licet a iure ecclesiastico alienae non sint, tamen in hac disciplina *ex professo* limitandae sunt ad liturgiam canonicam sive *ius* liturgicum neque ad alia extendendae v. g. ad archaeologiam, nisi quatenus ad meliorem iuris liturgici cognitionem aliquo modo requiritur (16). Codex quidem can. 2, decernit nihil plerumque statui in ipso Codice de ritibus et ceremoniis, quas continent libri liturgici, ad quos remittit, firma tamen lege, ut si quid in Codice corrigatur inductae correctioni sit standum: sed non omnia praescripta iuris liturgici reducuntur ad ritus et ceremonias. Imprimis autem ipsi libri liturgici sunt cognoscendi, eorumque valor et obligatio, quae duo interseruntur legibus a codice latis in quibus saepe provocatur ad huiusmodi libros.

TITULUS IX

DE LEGISLATORIBUS ET LIBRIS LITURGICIS

320. Fontes: Decret. Grat. Dist. 11, 12; Dist. I. sq. de consecr. — Comp. ant. l. III, tit. post tit. de iure patr. — Decretales Gregorii IX, l. III, tit. 40-49; Decretal. Bonif. VIII, l. III, t. 21, 22, 23; Const. Clem. V. l. c. t. 16, 17; Extravg. com. l. c. t. 11, 12, 13. — Conc. Trid. Sess. XXII, doct. de sacrif. Miss. cap. 1 sq., can. 1 sq., decret. de obser., Sess. XXIII, doct. de sacram. ord. cap. 1 sq., can. 1 sq., Sess. XXV, contin. de ref. cap. de... dieb. festis. etc. — Decr. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis* p. 112 sq. — Decret. auth. Congr. Sacr. Rit.; Collect. S. C. de Prop. F. p. 207 sq., 690 sq., 775 sq., 872 sq.; Collect. Lac. Conc. praesert. t. II, de ritibus orientalibus.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech,* De iur. rer. eccles. sect. 1; *Devoti*, Instit. can. l. II; *Scherer*, Handb. d. Kirchenr. t. II, p. 594 sq., 648 sq.; *Hinschius*, System d. k. Kirchenr. t. IV, p. 5 sq. — *Zaccaria*, Bibliotheca ritualis t. I, dissert. 1 sq. et t. II, ubi praesertim antiqui scriptores de iure liturgico recensentur; *Bouix*, De iure liturgico; *Adone*, Synopsis canonico-liturgica; *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturg. t. I, p. 32 sq., 57 sq., 148 sq., 331. — *Kraus*, Real.-Encykl. d. chr. Alterth. v. v. Gebet, Liturgie etc.; *Cabrol* in Dict. d. Theol. cath. v. Liturgie; *Guéranger*, *Duchesne*, *Probst* l. c. supra not. 16. *Arndt*, De rituum relatione iuridica; *Cathrein*, Moralphilosophie, t. II, p. 4 sq.; *Schiffini*, Philos. moral. n. 245 sq., 252 sq. — *Ferreres*, El Breviario y las nuevas Rúbricas; *idem*, El Misal Romano - Estudio histórico.

(16) *Guéranger*, Institutions liturgiques; *Probst* l. c. et alia eiusdem auctoris opera de historia liturgiae; *Duchesne*, Origines du culte chrétien.

Praenotiones

321. Cum disputatio de iure liturgico sit auspicanda, procul dubio prima quaestio est illa, quisnam sit *auctor* sive *causa efficiens* cultus divini. Quae quaestio si in forma canonica proponatur, reducitur ad illam, qui sint *fontes* iuris liturgici. Porro alii sunt fontes *existendi* sive legislatores competentes, alii sunt fontes *cognoscendi* sive collectiones iuris. Quare universa disquisitio in hoc titulo versetur necesse est de *legislatoribus* sive conditoribus iuris liturgici atque de illis *libris* sive promptuariis quibus ius liturgicum reperitur collectum.

322. Notio. Si de auctore, ministro et obiecto cultus divini agendum est, praesupponendae sunt notiones de *cultu* eiusque variis speciebus. *Cultus* licet generica ratione sit externa significatio excellentiae alterius, quo sensu confunditur cum honore; stricte est illa externa significatio cum submissione erga eum, qui colitur. Quare cultus non exhibetur nisi superiori in aliquo genere excellentiae; dum honor etiam aequali atque adeo inferiori exhiberi potest. *Excellentia* autem, propter quam Deo cultus debetur, haec est, quia supremum rerum omnium principium est. Omnes illi actus, quibus Deo cultus exhibetur sunt obiectum materiale virtutis religionis; qui actus ut sint veri actus cultus a virtute religionis provenientes, supponunt actum intellectus, quo recognoscitur summa Dei excellentia et nostra omnimoda subiectio et dependentia, et continent actum voluntatis, quo ordinantur ad honorem Deo exhibendum nostramque eidem submissionem profitendam. Praecipui sunt sex: *adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum et quorumdam dierum sanctificatio.*

Hic est quaestio de cultu *religioso* qui ob *supernaturalem* excellentiam exhibetur et distinguitur a cultu *civili* seu politico, qui ob *naturalem* excellentiam praestatur.

Divisio. Dividitur in *latriam* et *duliam:* prior est *adoratio* stricte dicta et soli Deo debita ob eius supereminentem excellentiam et supremum dominium; altera debetur *sanctis* et *angelis* propter excellentiam divinam per quamdam participationem ipsis communicatam. Ob supereminentem excellentiam Beatae Virginis Mariae

longe superantem excellentiam sanctorum et angelorum ob specialem cum divinitate coniunctionem eius cultus dicitur *hyperduliae*.

II. Cultus alius est *absolutus*, quo quis colitur ob excellentiam sibi insitam (cultus sancti); alius est *relativus*, quo aliquid colitur ob excellentiam sibi extrinsecam sc. ob relationem ad personam in se sanctam et colendam (v. gr. imaginis, reliquiarum) (*).

III. Alius est cultus *publicus*, qui ab Ecclesia institutus nomine Ecclesiae exhibetur i. e. per personas ad hoc ab Ecclesia deputatas et actibus ab ipsa institutis seu designatis. *Privatus* est cultus qui aut ab Ecclesia institutus non est, aut non fit nomine Ecclesiae. Inde patet cultum publicum posse esse *legitimum* seu *licitum*, et *illegitimum* seu *illicitum*: primum habetur, si illi actus, qui ab Ecclesia sunt instituti ad cultum publicum alicui exhibeantur, qui ab Ecclesia prohibiti sint cultu publico coli, v. gr. servo Dei non beatificato, quae prohibitio reddit actum cum tali circumstantia illicitum, et quod ita fit evidenter nomine Ecclesiae fieri non potest sed ipsa obsistente; item actus cultus publici reservati determinatis publici cultus ministris, si a privatis personis sine ulla auctoritatis legitimae deputatione. In casibus memoratis cultus est publicus *de facto*, sed non *de iure*, ideoque est illicitus (can. 1256).

Art. 1. — De legislatoribus liturgicis

323. Principia fundamentalia. I. Si *ius naturale* generatim ut fons iuris canonici negligi non potest, id etiam singulari quadam ratione valet de iure liturgico (1). Etenim Deus, qui est auctor naturae, in ordine supernaturali naturam non destruxit, sed maiore perfectione donavit. Quare quae natura duce et magistra a Deo *ordinata* vel *probata* cognoscuntur de cultu divino sive de religione (2),

(*) Tam latriae, quam duliae vel hyperduliae cultus potest esse absolutus vel relativus; v. gr. Deus, SS. Trinitas, Iesus Christus, Eucharistia latriae cultu *absoluto* adorantur; nomen Iesu, imago Christi, crux sancta, instrumenta passionis Christi latriae cultu *relativo* coluntur; duliae absoluto cultu Sanctus, relativo eius imago colitur etc.

(1) *Wernz*, Ius Decret. tom. I n. 81; *Thalhofer* l. c. p. 148 sq.

(2) Act. Apost. XVII 22 sq. (S. Paul. ad Athenien. de cultu Dei); *S. Thom.*, Summa theolog. IIa IIae q. 81 sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. I, l. 1 cap. 1 sq.; *Cathrein*, Philos. moralis n. 265 sq. 546 sq.

certe in ordine supernaturali cum contemptu non sunt reiicienda. Inde fit, ut non pauca v. g. de cultu externo, quae acatholici in cultu Ecclesiae catholicae censent esse reprehendenda, iam solo lumine rationis facile refutentur (3).

II. Quae Deus ut auctor legis *caeremonialis veteris testamenti* statuerat, procul dubio in nova lege vim obligandi non retinuerunt (4). At quae ab ipso Deo in vetere testamento de cultu divino v. g. de sacerdotibus, caeremoniis, festis, templo fuerant praescripta (5), certe efficaciter probant, quantopere *rationabiles* sint ordinationes liturgicae in Ecclesia Christi (6). Neque quidquam mirum est, quod Ecclesia catholica quamvis *serviliter imitata* non sit institutiones liturgicas veteris testamenti, tamen praeformationes illas antiquae legis caeremonialis minime in sua doctrina et praxi penitus neglexit. Nam non paucae ex illis caeremoniis nequaquam solummodo referebantur ad significandum *futurum* redemptorem v. g. circumcisio, sed cum essent in sese honestae, naturales, communes omnibus gentibus v. g. adhibere cereos in sacris etc., nulla fuit ratio, cur illas Ecclesia reiiceret (7).

III. Christus Dominus, summus sacerdos et legislator novi testamenti, abrogata lege caeremoniali veteris testamenti, ipse in sua Ecclesia per immediatam institutionem divinam unice ordinavit ritus *substantiales sacrificii eucharistici* et *sacramentorum*; institutionem vero aliorum rituum *accidentalium potestati ecclesiasticae* commisit (8). Quae potestas ecclesiastica in rebus liturgicis imprimis

(3) Conc. Trid. Sess. VII can. 13 de sacram. in gen., Sess. XIII cap. 5 decr. d. s. euchar. sacr., Sess. XXII cap. 4, 5 de sacrif. Miss. iunct. decr. de observ.; *S. Thom.* l. c. q. 81 art. 7 q. 84. art. 2; *Suarez* De virt. et statu relig. tract. I l. 2 cap. 2, 3, De sacram. euchar. disp. 73; *Zaccaria* l. c. t. III disp. 1 qu. 3 n. 4 sq.; *Cathrein* l. c.; *Thalhofer* l. c. p. 152 sq. 389 sq. 584 sq.

(4) Bened. XIV Const. « *Ex quo* » 1 Mart. 1756 §§ 61 seq.; *Wernz*, Ius Decret. tom. I n. 82 sq.

(5) Exod. XX 22 sq. XXV sq.; Levit. I sq.; Numer. I sq.; *S. Thom.* I. c. Ia IIae q. 1 sq.; *Suarez*, De leg. l. IX cap. 4, 14 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 391 sq.

(6) *Thalhofer* l. c. p. 163 sq.

(7) Cfr. v. g. de vestibus et coloribus liturgicis: *Zaccaria* l. c.; *Thalhofer* l. c. p. 856 sq. 893, 11.

(8) Lucas XXII 19, 20. « *Hoc facite in meam commemorationem* »; I Corinth. XI 23; Ioann. III 5 iunct. Matth. XXVIII 19 de praecepto baptismi, Ioann. VI 54 de praecepto sumendi euchar.; *Wernz*, Ius Decret. tom. I, n. 85 sq. *Suarez*,

competebat S. Petro et reliquis *Apostolis* eorumque legitimis successoribus (9); supremo igitur et universali modo est penes Romanum Pontificem vel Concilium oecumenicum pro suo supremo plenoque iure *regendi* universam Ecclesiam et ordinandi *disciplinam* atque pro suo *infallibili magisterio;* servata proportione etiam spectat ad Episcopos aliosque Praelatos ecclesiasticos cum vera dependentia a Rom. Pontifice atque intra limites expresso vel tacito consensu eiusdem supremi pastoris statutos (10). Quare in Ecclesia catholica supremum quoddam ius ordinandi liturgiam non est penes multitudinem *fidelium* vel *principes saeculares* (11). Solido igitur fundamento destituta sunt systemata Protestantium de potestate

---

De leg. l. X. cap. 1 praesertim n. 6, cap. 2, n. 2, 16 sq., De virt. et stat. relig. tract. II l. 1 cap. 3 n. 9 sq., De sacram. euchar. disp. 84; *Zaccaria* l. c. t. I dissert. 1 cap. 2; *Gasparri*, De eucharistia vol. I n. 1 sq. 55 sq., De sacr. ordin. n. 31, 40, 984 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. VI n. 203 sq. 866 sq. *Thalhofer* l. c. p. 262 sq. 332 sq.; passim theolog. dogm. in suis tract. de sacramentis. Quare manifeste errant Protestantes, cum docent (v. g. *Harnack*, Prakt. Theologie p. 256) esse aberrationem catholicorum, si ipsi suum cultum « *reducant ad legem divinam* »; *Hinschius*, Syst. d. k. K. t. IV. p. 5.

(9) Ioann. XXI 15 sq.; Matth. XVI 17 sq. XVIII 18 XXVIII 19; Conc. Trid. Sess. XXII cap. 5 doctr. de sacr. Miss. « *ex apostolica traditione et disciplina* » Sess. XX cap. 2 doctr. de com.; *S. Basil.*, De Spirit. Sanct. cap. 27; Innoc. I ad Decent. Eugub. (a. 416) = c. 11 D. 11; *Suarez*, De leg. l. IV cap. 1, 2, 3 n. 1 sq. 4 sq. 16 cap. 11; *Wernz* l. c. t. I n. 90 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 332 sq. 338. sq.; *Zaccaria* l. c. cap. 2, 3. Cfr. quoque de decretis Conciliorum in rebus liturgicis: Conc. Illiberit. (a. 300-306) c. 36, 43 iunct. *Hefele* l. c. t. I. p. 170, 174 sq.; Conc. Nicaen. (a. 325) c. 20 iunct. *Hefele* l. c. p. 320 sq. 430 sq.; Conc. Antioch. (a. 341) c. 1, 2; Conc. Laodic. (a. 343-381) c. 5. 14, 15 iunct. *Hefele* l. c. p. 752 sq. 760 sq.

(10) Conc. Vatic. Sess. IV cap. 3; Pii IX Litt. Apost. « *Non sine gravissimo* » 24 Febr. 1870 in Collect. Lac. t. II col. 571 not. 1: « *Fidelibus... inculces... omnes, qui catholico nomine gloriantur*, (i. e. etiam Orientales), *non solum debere cum illo* (i. e. R. Pontif.) *communicare quoad fidem et dogmata, verum etiam subesse quoad* **ritus** *et disciplinam* »; *Suarez* l. c. c. l. IV cap. 3, 4, 5 l. X. cap. 6 n. 2 sq. l. VI cap. 10, 12; *Zaccaria* l. c. cap. 4, 5; *Wernz* l. c.; *Bouix* l. c. p. 107 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 350 sq.; *Hinschius*, Syst. d. k. K. t. IV p. 13.

(11) Cfr. v. g. edicta senatus et gubernatoris Mediolan. 20, 30 Iunii 1653 iunct. Innoc. X Const. « *Cum nuper* » 6 Oct. 1653; decreta Iosephi II a. 1781, 1783 in Austr.; art. organ. 39 a. 1802 in Gallia; art. 130 novae constitutionis Mexicanae. Qua in re falsa principia iam in theologia fundamentali et in iure publico et in titulis de fontibus existendi iuris ecclesiastici reiecta sunt. Quare fundamento carent, quae *Hinschius* l. c. t. IV p. 16 sq. de limitatione quadam iurisdictionis ecclesiasticae in ordinanda liturgia sub triplici respectu per leges *civiles* facta commemorat. Cfr. *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccles. P. II p. 216 sq. 256 sq.; *Zaccaria* l. c. cap. 1.

populi in liturgiam, qui sicut sacrificio eucharistico veroque sacerdotio novi testamenti carent, ita etiam non habent legitimum subiectum potestatis *legiferae* in liturgiam (12). A vero quoque penitus aliena sunt, quae hac in re antiqui Gallicani, Febroniani, Iosephinistae de iuribus *originariis* Episcoporum et de iure mere *accidentali* Romani Pontificis in ordinanda sacra liturgia philosophabantur; at nostra aetate vix indigent refutatione (13).

324. Notae historicae. I. Qua ratione Ecclesia inde a primis temporibus usa sit potestate legifera de sacra liturgia, non quoad omnia certe accurateque constat. Profecto iam *Apostoli* (14) aliquo modo explicarunt potestatem condendi leges liturgicas; at Romani Pontifices quamvis iam primis saeculis hinc inde suam interponerent auctoritatem etiam in rebus liturgicis, tamen sibi nondum vindicarunt plenum **usum** sui supremi et universalis iuris (15). Inde factum est, ut potestas legifera de *accidentalibus* partibus liturgiae saltem usque ad quintum saeculum potissimum per Praelatos inferiores regionum particularium fuerit exercitata. Quae potestas Episcoporum etiam in rebus accidentalibus nequaquam ita fuit intellecta (16), quasi *singulis* arbitraria ordinatio et immutatio tradi-

(12) *Bouix* l. c. p. 80 sq. 120 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 270. sq.
(13) Decr. S. C. Ind. 27 Apr. 1701; Pii VI Const. « *Auct. fid.* » 28 Aug. 1794
prop. 31, 32, 33; *Bouix* l. c. p. 89 sq., ubi praesertim p. 97 sq. archaeologiam
canonicam de gallicanismo parlamentari in rebus liturgicis late prosequitur;
Thalhofer l. c. p. 346 sq. 108 sq. de Iosephinismo in Austria et Italia.
(14) Act. Apost. II 42 sq.; I Cor. XI 22 sq. 34; *S. Basil.*, De Spiritu
Sancto cap. 27; *Zaccaria* l. c. cap. 2; *Bouix* l. c. p. 160 sq.; *Duchesne* l. c.
p. 45 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 332 sq. 338 sq., ubi iustis limitationibus praemissis
recte reiicit *generalem* assertionem Protestantium, qui velut *Harnack* l. c. in
catholicis reprehendunt perversum studium « *liturgiis mediante traditione vindicandi originem apostolicam* ».

(15 Cfr. v. g. saeculo secundo de interventione S. Victoris I in controversia
de die, quo *festum paschae* celebrandum esset: *Euseb.*, Histor. eccl. l. V cap. 23
sq.; *Hefele* Conciliengesch. t. I p. 86 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 353; *Bouix* l. c.
p. 110 sq.; saeculo quarto S. Siricii epist. ad Himerum, Tarraconensem Episcopum, de tempore conferendi baptismum (a. 385); saeculo quinto epist. Innocentii I ad Decentium Episc. (a. 416) de osculo pacis etc. = c. 11 D. 11,
Coelestini I ad Episcopos prov. Vienn. et Narb. (a. 428) de usu palliorum et
cingulorum; S. Greg. ep. ad Ianuar. Calarit. (a. 594) = c. 1 D. 95; *Zaccaria*
l. c. cap. 4, 5.

(16) *S. Basil.* l. c. cap. 29; *Zaccaria* l. c. cap. 3; *Bouix* l. c. p. 166 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 338.

torum et receptorum rituum fuisset permissa. Imo paulatim ex fine saeculi quarti et praesertim saeculo quinto ea introducta est praxis, vi cuius ad vitandos abusus et fovendam uniformitatem saltem in eadem regione ius ordinandi liturgiam potissimum Conciliis particularibus reservaretur (17).

II. Quamvis primis illis saeculis *consuetudo Romanae Ecclesiae* in rebus liturgicis proponeretur ut *exemplum* et *norma* (18), tamen aliae ecclesiae v. g. in Gallia et Hispania vel in Oriente ad sequendam illam consuetudinem Romanam teste ipso S. Gregorio *nondum tenebantur*, sed etiam in Ecclesia occidentali diversis utebantur liturgiis v. g. mozarabica in Hispania, vetere gallicana in Gallia, Ambrosiana in Italia superiore (19). Quae diversitas liturgiarum multo magis fuit permissa in Ecclesia orientali, ubi S. Basilius et S. Chrysostomus liturgias ab antiquis Patribus scripto traditas denuo ordinarunt vel abbreviarunt (20).

III. Quae disciplina saeculo octavo immutari coepta est, cum imprimis in regno Francorum auctore Stephano II (III) (a. 752-757) atque hortante Hadriano I (a. 772-795) per Episcopos atque praesertim per operam Pippini et Caroli Magni liturgia Romana veteri liturgiae gallicanae substitueretur (21). Similiter in Germania (22), Anglia, Scotia, Hibernia liturgia Romana, quae a S. Augustino iam

(17) Cfr. c. 21 Conc. Hippon. (a. 393); c. 9 Conc. Carthag. XI (a. 407); c. 15 Conc. Venetic. (a. 465); c. 30 Conc. Agath. (a. 506) = c. 13 D. V. de consecr.; c. 1 Conc. Gerunden. (a. 517) = c. 31 D. II de consecr.; c. 27 de Conc. Epaon. (a. 517) = c. 31 D. I de consecr.; c. 1 sq. Conc. Bracar. (a. 563) = c. 14 D. 12; c. 2 Conc. Tolet. IV (a. 633), ubi pro universa Hispania et Gallia Narbonensi unus idemque ordo orandi et psallendi, unus modus in Missarum solemniis et vespertinis matutinisque officiis praescribitur; *Hefele* l. c. t. II p. 113 not. 3; *Duchesne* l. c. p. 113 not. 1; c. 3 Conc. Tolet. XI (a. 675) = c. 13 D. 12.

(18) Innoc. I in epist. ad Decent. Engub. (a. 416) = c. 11 D. 11; c. 4 Conc. Bracar. (a. 563); c. 3, 5 Conc. Vasens. (a. 529); *Duchesne* l. c. p. 81 sq. 91 sq.

(19) S. Gregor. epist. ad S. August. (a. 601) = c. 10 D. 12; *Zaccaria* l. c. cap. 5 n. 1, 2, 3; *Bouix* l. c. p. 171 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 338 sq.; *Duschesne* l. c. p. 92 sq.; *Cabrol* l. c. col. 807 sq.

(20) *S. Basil.*, De Spirit. Sanct. cap. 29; *Thalhofer* l. c. p. 343 sq.; *Duchesne* l. c. p. 45 sq. 55 sq; *Kraus* l. c. v. Liturgieen.

(21) Cfr. cap. 79 Synod. Aquisgran. (a. 789); *Thomassin.*, Vetus et nova Eccl. discipl. P. 1 l. 2 cap. 80; *Zaccaria* l. c. cap. 5. n. 4 sq.; *Bouix* l. c. p. 175 sq.; *Duchesne* l. c. p. 95 sq. 143 sq.

(22) Capit. Gregor. II (a. 716); cap. 4 Synod. Mogunt. (a. 813) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 760 not. 1; *Thalhofer* l. c. p. 342 sq.; *Hefele* l. c. t. IV p. 90, 126, 721, 727, 762; *Hinschius* l. c. t. IV p. 7 sq.

saeculo sexto introduci coepta est, inde ex saeculo octavo magis magisque divulgabatur, donec tandem saec. 11 et 12, passim in illis regionibus saltem quoad substantiam esset recepta (23). Non minore rigore Gregorius VII in Hispania auxilio Alphonsi VI, regis Castiliae fretus, liturgiam Romanam loco liturgiae mozarabicae stabilivit (24).

IV. Toto medio aevo liturgia Romana in universa Ecclesia occidentali, si paucas excipias limitationes saltem in *substantialibus* obligatorio modo fuit praescripta, sed in rebus *secundariis* potestas legifera Episcoporum vel Conciliorum provincialium salva mansit (25).

V. Qua in re propter non leves abusus Pius V immutavit disciplinam medii aevi atque facta correctione librorum liturgicorum Missalis et Breviarii ita liturgiam Romanam in universa Ecclesia occidentali (salvis quibusdam exceptionibus) praescripsit, ut Episcopis ademerit omne ius etiam in rebus *non substantialibus* quidquam immutandi (26).

Sixtus V. Const. « *Immensa* » 22 Ian. 1588 postea instituit *S. R. C.* cum amplissima potestate, ut sacris ritibus invigilaret et quamcumque alterationem a quocumque factam profligaret. Cui

(23) Cfr. cap. 13 Synod. Cloveshov. (a. 747); *Thalhofer* l. c. p. 341 sq.; *Duchesne* l. c. p. 92, 39, 148 sq.

(24) Synod. Ioann. Pen. (a. 1071); Gregor. VII in epist. ad Aragon. regem (a. 1074); *Bouix* l. c. p. 181 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 341; *Hefele* l. c. t. IV p. 849, 883 t. V., p. 27, 158, 200 sq.; *Duchesne* l. c. p. 99.

(25) *Bouix* l. c. p. 180, 188 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 341 sq. 355 Cfr. quoque in corpore iur. can. Const. pontificias de rebus liturgicis v. g. Gregor. IX in cap. 5 X. de feriis II 9; cap. 1 X. de reliq. III 45 (Alex. III de reservat. beatif.); cap. unic. de reliq. III in Sext. (Bonif. VIII de festis Apost. etc.); cap. unic. eod. III 16 in Clem. (Urban. IV a. 1264, Clem. V. a. 1311 de fest. corp. Christi).

In ecclesia quoque orientali similis quaedam praxis introducta est. Etenim in Ecclesia *graeca Patriarcha Constantinopolitanus* universum fere ius liturgicum ordinandum sibi vindicavit, atque omnes Episcopi Patriarchis Alexandrinis et Antiochenis non exceptis sequi *debuerunt morem « novae Romae »*. Apud Maronitas etiam Patriarcha solus post saeculum octavum summam auctoritatem in ius liturgicum videtur obtinuisse, quod tamen iam ex decreto Synodi Montis Libani (a. 1736) solummodo salva ritus substantia et cum Synodo Episcoporum potuit exercere. Cfr. *Zaccaria* l. c. cap. 3 n. 5; Collect. Lac. t. II col. 335.

(26) Conc. Trid. Sess. XXV contin. de... Breviar. et Missali negotium de nova editione Breviarii et Missalis iudicio et auctoritati R. Pontificis commisit; Pii V Const. « *Quod a nobis* » 9 Iul. 1568, Const. « *Quo primum* » 14 Iul. 1570 iunct. Clem. VIII Const. « *Cum sanctissimum* » 7 Iul. 1604; *Bouix* l. c. p. 190 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 355.

Congregationi pro terris missionum atque regionibus rituum orientalium accessit S. C. de Prop. F.; huic autem ex Const. « *Dei providentis* » Benedicto XV 1 maii 1917 quoad ritus orientales successit nova congregatio pro Ecclesia orientali per illam Constitut. erecta (27). Denique alii Romani Pontifices v. g. Clemens VIII, Paulus V, Benedictus XIV principium a Pio V stabilitum maiori minorive rigore etiam applicarunt iuri liturgico, quo functiones sacrae in Pontificali (28) et Rituali Romano (29) atque in Caeremoniali Episcoporum (30) ordinabantur.

325. Disciplina vigens. *Romani Pontifices* nunquam adegerunt Ecclesias orientales, ut derelictis *suis* ritibus *latinum* ritum amplecterentur; in unionibus vero utriusque Ecclesiae conciliandis antiquas liturgias orientales expurgatis erroribus sedulo conservare atque suae puritati et magnificentiae restituere studuerunt (31). Quo ex studio orta est illa disciplina iam a longo tempore vigens, quod *Episcopis* et *Patriarchis* orientalibus potestas legislativa in liturgias adimeretur solique Romano Pontifici maneret reservata (32).

Quare Ecclesiae orientales omnino prohibentur, ne in Missis divinisque officiis celebrandis, in administratione sacramentorum aliis utantur libris liturgicis, nisi iis, qui per S. Congregationem de Prop. F. pro negotiis rituum orientalium a Pio IX 6 Ian. 1862 erectam et a *Sede Apostolica* emendationi librorum huiusmodi deputatam correcti typisque impressi fuerint (33).

(27) *Wernz*, Ius Decretal. t. I n. 143 sq. t. II n. 663, 665; *Thalhofer* l. c. p. 336 sq. *Wernz-Vidal* t. II n. 500.

(28) Clem. VIII Const. « *Ex quo* » 10 Febr. 1596 iunct. Benedict. XIV Const. « *Quam ardenti* » 25 Mart. 1752.

(29) Pauli V Const. « *Apostolicae Sedi* » 20 Iun. 1614 iunct. cit. Bened. XIV Const. « *Quam ardenti* ».

(30) Clem. VIII Const. « *Cum novissime* » 14 Iul. 1600 iunct. cit. Const. Bened. XIV.

(31) Cfr. can. 98, § 2, 3. S. Leo IX in epist. ad Michael. Constantinop. Patr. (a. 1053) = c. 3. D. 11; Benedict. XIV Const. « *Allatae* » 26 Iul. 1755; Pii IX Litt. Apost. « *In suprema* » 6 Ian. 1848, Const. « *Rom. Pontifices* » 6 Ian. 1862; Leon. XIII Const. « *Orientalium* » 30 Nov. 1894; Synod. Sciarfens. Syror. (a. 1888) p. 32 sq.; Collect. Lacens. t. II col. 446 sq. 501 sq. v. Ritus; *Nilles*, Symbolae.

(32) Benedict. XIV Const. « *Demandatam* » 24 Dec. 1743; Pii IX Litt. Apost. ad Arch. Leopol. 13 Maii 1874; Collect. Lac. t. II col. 422 sq. 438 sq. 522 sq. 534 sq. 335; *Bouix* l. c. p. 201 sq.

(33) Benedict. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, Const. « *Ex quo* » 1 Mart. 1756; cit. Synod. Sciarf. p. 38 sq.; Gerarchia Cattolica p. 677

326. Multo magis in Ecclesia latina R. Pontifex ex disciplina vigente exercet supremum et *exclusivum* ius in cultum divinum, quatenus authenticis libris liturgicis definitus et praescriptus est (34). Quare sicut R. Pontifex circa *substantialia* cultus divini et sacramentorum a Christo immediate instituta nullam habet potestatem mutandi (35), ita *Episcopi in accidentalibus* cultus divini et sacramentorum, quorum determinatio potestati Ecclesiae est relicta et de facto a R. Pontifice in libris liturgicis praescripta, ad tramites iuris omni potestate mutandi destituti sunt (36). Quae uniformitas cultus divini etiam in caeremoniis accidentalibus sive principalibus sive secundariis non solum ut fortissimum propugnaculum conducit ad puritatem et unitatem *fidei catholicae* conservandam, sed etiam ad promovendam unionem fidelium *inter se* et cum *Sede Apostolica* (37).

327. Romani Pontifices sane in causis gravioribus ius liturgicum etiam Ecclesiae latinae ordinant *Constitutionibus Apostolicis* per se datis (38); at ex communiter contingentibus utuntur opera S. R. C., quae pro sua potestate ordinaria a Sede Apostolica in totum orbem accepta universum ius liturgicum Ecclesiae latinae rite constitutum urget et interpretatur et, quatenus opus sit, servatis servandis reformat et ampliat (39): pro Ecclesia vero Orientali utitur opera S. Congregationis huic Ecclesiae praepositae. Potestas a S. R. C. ita exercetur, ut « *responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae eandem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quam-*

vel Missiones catholicae p. XXIII. In S. C. de Prop. F. per plures annos adfuit Commissio pro examinandis et corrigendis orientalis Ecclesiae libris. Sed totum hoc negotium transiit ad S. C. pro Eccl. orientali (can. 257).

(34) *Bouix* l. c. p. 148 sq. 190 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 350.

(35) Conc. Trid. Sess. XXI doctr. de com. cap. 2; *Benedict. XIV.*, De Synod. dioeces. l. VIII cap. 10 n. 10; supra h. t. not. 8, 9, 10.

(36) S. R. C. in caus. Cenoman. 10 Ian. 1852 (Decreta authentica C. S. R. vol. II n. 2993); *Bouix* l. c.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 9 sq. 13.

(37) *Zaccaria* l. c. t. I dissert. 2; *Thalhofer* l. c. p. 351 sq.

(38) Cfr. v. g. Const. Apost. supra h. t. not. 26 sq. citatas; *Wernz*, Ius Decret. t. I n. 136 sq. iunct. n. 102 not. 77; *Thalhofer* l. c. p. 356 sq. Cfr. quoque S. R. C. 11 Sept. 1847 et *Gardellini* l. c. h. t. not. 40 et S. R. C. 15 Feb. 18 Apr. 1 Iul. 1873.

(39) *Wernz-Vidal* t. II n. 496; *Thalhofer* l. c. p. 358 sq.; *Bouix* l. c. p. 149 sq.

vis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae » (40), salvo tamen praescripto can. 244 de rebus gravioribus vel extraordinariis antea Rom. Pontifici significandis. Ex illis responsionibus aliae iam ipsa sua forma extrinseca facile cognoscuntur ut *decreta generalia*; etenim expresse nominantur *decreta generalia* atque *Urbis et Orbis* inscribuntur. Alia responsa, si forma attendatur, sunt *particularia*; sed ex illis non pauca sunt *mere particularia*, ut patet ex *obiecto* vel *modo* responsionis; multa vero sunt *aequivalenter generalia*, quippe quae ab *omnibus* ex mandato S. C. dicuntur *observanda* (41). Omnia responsa et decreta *vigentia* S. R. C. nunc reperiuntur in collectione, quam Leo XIII per decretum 16 Febr. 1898 « *apostolica sua auctoritate approbavit atque authenticam declaravit simulque statuit decreta huc usque evulgata in iis, quae a decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda exceptis tantum, quae pro particularibus ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant... Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis* ». At alia deinde accesserunt.

328. *Episcopi* aliique Praelati superiores sive *singulares* sive in *Conciliis particularibus* congregati, quamvis ex disciplina vigente propter iura Sedi Apostolicae reservata in determinando cultu divino multum limitati sint, tamen non omni competentia in multis rebus liturgicis ordinandis destituuntur. Ipsis enim imprimis incumbit ius et officium *executioni mandandi*, quae a Rom. Pontifice vel a S. R. C. de cultu divino statuta sunt. Facultas quoque iisdem est permissa corrigendi atque exstirpandi *abusus*, si qui in sacram liturgiam irrepserint et *peculiaria pietatis exercitia* probandi, quae forte ad fovendam fidelium religionem apta et proficua videantur (42). Denique ex communi iure liturgico non pauca tantum quoad substantiam et in genere ordinata sunt v. g. de cantu et musica in

(40) S. R. C. 23 Maii (17 Iul.) 1846 iunct. S. R. C. 8 Apr. 1854 et 11 Sept. 1847 ad 13 « *Affirmative, sed recurrendum in particulari* » cum nota *Gardellini* ad 2 resp. S. R. C. 6 (10) Maii 18.6 Cfr. Decreta auth. C. S. R. vo. II n. 3916, 3023, 2951, 2646.

(41) Cfr. S. R. C. 8 Apr. 1854 iuxta tenorem Decret. auth. S. C. R. n. 2023.

(42) Conc. Trid. Sess. XXII decret. de observ. et evit. in celebr Missae; Benedict. XIV Const. « *Demandatam* » 24 Dec. 1743 § 3; S. R. C. 17 Sept. 1822 ad 1, 12 Sept. 1857 ad 16; Collect. Lac. v. v. Caeremoniae, Ritus; *Nussi*, Conventiones p. 109 sq.

ecclesiis. Quibus in casibus Episcopi sunt competentes, ut sive statutis generalibus sive praeceptis vel permissionibus specialibus lacunas iuris communis, si quae sint, suppleant (43).

329. *Consuetudo* quemadmodum in universo iure canonico non levis est auctoritatis, ita etiam in rebus liturgicis suam vim exserere potest. Id quod potissimum valet de consuetudinibus *laudabilibus secundum* legem atque etiam *praeter* legem. Etenim non raro fieri potest, ut lex quoque liturgica ex constanti et universali praxi suam legitimam accipiat *interpretationem*; nam consuetudo etiam in sacra liturgia est optima legum interpres.

Praeterea in cultu divino, ubi tot ritus et caeremoniae adhibentur, facile accidit, ut in iure communi sit aliqua *lacuna* vel *generalis* solummodo dispositio. Quo in casu nihil obstat, quominus per consuetudinem *praeter* legem illa lacuna suppleatur, aut ordinatio generalis magis in specie determinetur sive per meram observantiam vel consuetudinem facti sive per consuetudinem iuris (44).

Denique consuetudines quoque *contra* commune ius liturgicum *absolute* et *universaliter* non sunt exclusae; nullibi enim reperitur lex ecclesiastica, quae absolute *omnes* omnino consuetudines *contra* commune ius liturgicum *abroget* vel *prohibeat* vel etiam ut *abusus* et *corruptelas* irrationabiles reprobet. Ergo iuri consuetudinario sua vis generalis contra ius commune etiam in rebus liturgicis non est *penitus* neganda.

Et profecto iterum iterumque declaratum est consuetudines saltem *immemoriales* per *Caeremoniale* Episcoporum non esse abrogatas (45). Item aliae consuetudines *in sese* rationabiles et longaevae licet iuri communi contrariae a S. R. C. ob iustas causas non raro fuerunt *approbatae*, cum aliae omnino reprobarentur (46). At

(43) Conc. Trident. l. c.; Bened. XIV Const « *Quamvis iusto* » 30 Apr. 1749 § 24.

(44) Cap. 9 X. de cons. I 4; *Thalhofer* l. c. p. 360 sq. Cfr. v. g. S. R. C. in caus. Imol. 26 Apr. 1834, ubi respondit: « *Servetur consuetudo* », scl. num in sacra hostia apparere debeat imago Iesu Christi cruci affixi.

(45) S. R. C. 16 Iul. 1605, 7 Iul. 1612 in Decr. auth. C. S. R. n. 184, 299; *Bouix*, De iure liturg. p. 295 sq.

(46) S. R. C. 11 Iun. 1605, 16 Mart. 1591 ad 1 27 Febr. 1847 in Decr. auth. C. S. R. n. 179, 9. 2935; S. R. C. 15 Febr. 28 Apr. 1 Iul. 1873; S. R. C. 17 Sept. 1822 ad 2, 3; *Thalhofer* l. c. p. 362 sq. 366 sq.

negari non potest vim consuetudinis *contra* commune ius liturgicum summopere esse *limitatam*. Nam in compluribus authenticis libris liturgicis maiori minorive rigore consuetudines contrariae *huc usque* vigentes fuerunt *abrogatae*, novae autem *prohibitae*, quoniam omnis *immutatio* fuit *interdicta*, imo etiam ut corruptela vel abusus reprobata. Quare quamvis in theoria consuetudo etiam contra legem prohibentem post longissimum tempus et penitus mutatis circumstantiis procedere possit, tamen in re nostra intra *terminos* a iure statutos propter constantem et vigentem *dissensum legislatoris* id fieri nequit (47).

Tandem S. R. C. ad (13) quaestionem: « *An decreta Sacrorum Rituum Congregationis dum eduntur,* **derogent** *cuicumque contrariae invectae* **consuetudini etiam immemorabili,** *et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam* », 11 Sept. 1847 respondit: « *Affirmative, sed recurrendum in particulari* » (48). Quare si quae vigeat consuetudo communi iuri liturgico contraria nec *aliunde* iam excepta velut consuetudines immemoriales, quae a Caeremoniali Episcoporum discordabant, sane promptum habetur remedium; recurrendum enim est in casibus particularibus ad S. R. C. Quae Congregatio pro sua sapientia aut consuetudinem approbabit aut urgebit executionem iuris communis (49); pendente

(47) Pii V cit. Const. « *Quo primum* » 14 Iul. 1570: « *Huic Missali nostro nihil unquam addendum aut detrahendum aut immutandum esse decernimus* »; S. R. C. 16 Mart. 1591 ad 10: « *Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum sublatae sunt per Bullam* Pii V in principio *ipsius Missalis impressam et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines* »; S. R. C. ex speciali mandato Urbani VIII in principio Missalis: « *Renovando decreta alias facta mandat S. Congregatio in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis Romani non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum declarat* »; Conc. Rom. (a. 1725) praecipit Episcopis: « *Ut contraria omnia, quae... contra praescriptum Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum vel rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse* (Episcopi) *compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine* »; *Suarez*, De leg. l. VII cap. 7, 19, n. 24; *Bauduin*, De consuet. p. 94 sq.; *Biederlack* in Act. theol. Oenip. t. VI p. 470; *Bouix* l. c. p. 254 sq. sq. Cfr. infra h. t. n. 334.

(48) Cfr. quoque S. R. C. 3 Aug. 1839 in Decr. auth. S. R. C. n. 2792; *Bouix*, De Curia Rom. p. 373 sq., ubi tamen non satis distinguit inter consuetudines iuri communi *contrarias* (sed *in se* rationabiles) et consuetudines *abusivas* (tamquam corruptelas et abusus reprobatas). Cfr. cit. scriptores in not. praeced. et not. 39 sq. h. t.

(49) Cfr. supra h. t. not. 46.

vero causa ab innovationibus parum opportunis erit abstinendum. Quodsi responsum S. R. C. consuetudini non faveat, ab Ordinario omnino curandum est, ut ritus *per se rationabiles*, sed non approbati *sine scandalo et admiratione populi prudenter et paulatim tollantur* (50).

Art. 2. — De libris liturgicis

330. Praenotiones generales. I. Explicatis fontibus *existendi* iuris liturgici breviter indicandi sunt fontes *cognoscendi* eiusdem iuris. Qua in re ius liturgicum cum reliquis partibus iuris ecclesiastici eosdem fontes cognoscendi habet communes veluti *sacram scripturam* utriusque testamenti atque universa documenta et monumenta, quibus *traditio divina* vel *apostolica* vel *ecclesiastica* continetur (51).

II. Singulari tamen ratione inter fontes cognoscendi iuris liturgici recensendi sunt *libri liturgici*, qui non solum tradunt *formulas* precum vel liturgiae Missae vel administrationis sacramentorum et sacramentalium, sed etiam normas vel « *rubricas* » de ritibus et functionibus liturgicis sive in iisdem voluminibus sive in distinctis (52).

III. Quae formulae precandi atque sacrae caeremoniae in libris liturgicis Ecclesiae catholicae constanter et universaliter atque praesertim in Ecclesia Romana traditae eo maiorem habent auctoritatem,

(50) *Thalhofer* l. c. p. 368 sq. Cfr. quoque S. R. C. in caus. Novar. 3 Apr. 1821 *de modo*, quo in nonnullis paroeciis ritus Ambrosianus mutandus sit.

(51) *Wernz*, Ius. Decretal. t. I. n. 196, 197 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 32 sq.

(52) *Zaccaria*, Bibliotheca ritualis t. I l. 1 cap. 1 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 33 sq. 370 sq. 378 sq. Antiqua controversia, utrum rubricae omnium librorum liturgicorum habeant *vim legum*, an solummodo *normarum directivarum* sepositis arbitrariis distinctionibus et nimis laxis opinionibus non adeo difficilem videtur habere solutionem. Nam attentis gravissimis verbis Constitutionum Apostolicarum, quibus libri liturgici fere omnes fuerunt publicati, et expensis decretis S. R. C. rubricae, quae verbis *praeceptivis* vel prohibitivis conceptae sunt, iuxta sanam interpretationem canonicam etiam *vim legum* habent, nisi ex verbis appositis v. g. ad arbitrium sacerdotis etc. satis eruatur strictam obligationem non esse impositam. At utrum leges rubricarum imponant obligationem *gravem*, an *levem*, numquis ab ipsa *levi* obligatione quandoque *excusetur*, ex subiecta materia, tenore verborum etc. iuxta principia theologiae moralis est definiendum.

cum teste Coelestino Papa « *legem credendi lex statuat supplicandi* » (53).

IV. Quodsi Rom. Pontifices libros liturgicos universae Ecclesiae *praescribunt*, in iisdem verum ius *commune* liturgicum continetur v. g. in Missali. Cui rei non obstat, si consuetudines particulares et *immemoriales* non abrogantur, secus omnes leges universales, quae carent clausula: « *Non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali* » non constituerent ius commune i. e. ordinarium sive regulare. Hinc *Guéranger* fallitur, si rubricas Missalis et Breviarii Romani *iuri communi* non adcenset, quod a recipiendis duobus illis libris liturgicis eae ecclesiae fuerint immunes, quae ritu Romano non utebantur, vel quarum formulae Breviarii et Missalis ducentis annis erant antiquiores. Consequenter eiusdem auctoris assertio simplicem consuetudinem quadraginta annorum per se procedere contra laudatos libros, eo quod non pertineant ad ius commune, caret fundamento atque cum textibus supra h. tit. not. 47 conciliari nequit (54).

331. Notae historicae. I. In dubium vocari vix potest, quin iam inde ab aetate Apostolorum in cultu divino *formulae* quaedam *stabiles* fuerint adhibitae. Etenim iam ipsa natura rei satis suadetur, quod cultus quidam communis apte celebrari non possit, nisi formae quaedam fixae et stabiles retineantur, ut patet etiam exemplo Hebraeorum atque paganorum. Nec desunt positiva vestigia illarum determinatarum formularum, quae utique tantum saeculo secundo magis expresse reperiuntur.

Neque cum *Lebrun*, Expositio Missae t. II, dissert. 1, putandum est huiusmodi stabiles formulas et liturgias antiquas nonnisi *saeculo quarto* tandem aliquando fuisse *scripto* consignatas. Nam ut testatur *Origines*, Contra Celsum cap. 6, iam ipse Celsus vidit libros rituales christianorum. Porro ipsa uniformitas atque non raro prolixitas antiquarum orationum satis insinuat formam quandam scriptam. Nec quidquam in contrarium probat, si *S. Basilius*, De

(53) Epist. 21 cap. 12, 13; Bened. XIV Const. « *Ex quo* » 1 Martii 1756 §§ 2, 75; *Zaccaria* l. c. t. I dissert. 2; *Thalhofer* l. c. p. 351.

(54) Apud *Roskovány*, Coelibatus et Breviar. t. V p. 997 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 365 sq.; *Bouix*, De iur. liturg. p. 210 sq., ubi sequitur doctrinam *Suaresii*, p. 273 sq.

Spiritu Sancto cap. 27 contendit liturgiam Missae non niti sacra scriptura, sed traditione. Non pauca enim in *sacra scriptura* omissa per *traditionem scripto* consignatam ad nos sunt transmissa (55).

II. Cum in dies novae formulae liturgicae sive a singularibus Episcopis sive a simplicibus presbyteris introducerentur, iam ex fine saeculi quarti Concilia particularia legitima libertate non sublata et antiqua traditione caute custodita omnino prohibuerunt arbitrarias innovationes. Ita v. g. Conc. Carth. III (a. 397) post Conc. Hippon. (a. 393) c. 21 statuit: « *Quicunque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit* ». Quae vestigia mox alia Concilia in Africa et Gallia et Hispania secuta sunt (56).

III. Ritus sacri atque formulae precum praesertim in sacrificio Missae reperiuntur in antiquis liturgiis et sacramentariis sive euchologiis, e quibus non pauca documenta ex antiquissimis temporibus ad nos pervenerunt (57). Atque in Ecclesia *orientali* maxime commemorandae sunt liturgiae, quae dicuntur S. Apostoli Iacobi et Marci, liturgia Clementina in libro octavo Const. Apost., liturgia S. Basilii et S. Chrysostomi (58).

IV. In Ecclesia occidentali eminent liturgia *Romana*, *Ambrosiana*, antiqua *gallicana*, *gothica* sive *mozarabica*. Quae liturgiae in antiquis sacramentariis Ecclesiae latinae recensentur, e quibus tria celeberrima sunt scl. Leoninum, quod S. Leoni perperam fuit attributum, Gelasianum, Gregorianum (59).

V. Quibus libris liturgicis tempore medii aevi adnumerentur necesse est *Ordines Romani* (60). Quibus in Ordinibus inde fere a

(55) *Kraus* l. c. v. Gebet t. I p. 570 v. Liturgie t. II p. 309 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 331 sq.; *Duchesne* l. c. p. 45 sq. 100 sq. Cfr. quoque *Testamentum D. N. Iesu Christi*, quod e codice syriaco (a. 1899) primum edidit *Ign. Rahmani*, Patriarcha Antiochenus Syrorum; Doctrina duodecim Apostolorum ed. a *Bryennio*; *Cabrol* l. c. p. 794, 799 sq.

(56) Cfr. cit. text. supra h. t. not. 17.

(57) *Duchesne* l. c. p. 104 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 33 sq.

(58) *Zaccaria* l. c. t. I l. 1 p. 8 sq.; *Duchesne* l. c. p. 54 sq.; *Kraus* l. c. v. Liturgieen; *Thalhofer* l. c. p. 34 sq. 338 sq.

(59) *Duchesne* l. c. p. 113 sq.; *Kraus* l. c.; *Thalhofer* l. c. p. 33 sq.; *Zaccaria* l. c. p. 29 sq.; *Cabrol* l. c. p. 802 sq.

(60) *Mabillon*, Musaeum italic. t. II; *Zaccaria* l. c. p. 169 sq.; *Meckel* in Act. theol. Tubing. (a. 1862) t. 44 p. 50 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 41 sq.; *Duchesne* l. c. p. 138 sq. 338 sq.; *Wernz*, Ius Decret. t. I, n. 224.

saeculo octavo usque ad decimum quintum compositis ad instar Caeremonialis Episcoporum nunc vigentis accurate describitur ordo et ritus functionum liturgicarum praesertim Rom. Pontificis.

VI. Quamvis iam ante Concilium Tridentinum in universa fere Ecclesia occidentali ritus Romanus fuisset receptus, tamen uniformitate quadam in substantialibus obtenta maxima vigebat diversitas in rebus secundariis et accidentalibus. Unde in libris liturgicis etiam eiusdem dioecesis vel provinciae ecclesiasticae non obstante inventione artis typographicae incredibilis exstitit confusio (61).

Quare Episcopi atque vel ipsi principes saeculares in Concilio Tridentino postularunt, ut Missalia, Breviaria aliique libri liturgici reformarentur (62). Quod opus a Patribus Tridentinis susceptum tandem in Sess. XXV contin. de ref. cap. de Brev. et Miss. Romano Pontifici relictum est, ut eius iudicio atque auctoritate terminaretur.

Romani Pontifices hac in re suo officio non defuerunt atque praeeunte Pio V, qui de Breviario (a. 1568) et Missali (a. 1570) a se correctis novas leges condiderat, paulatim reformationem ad omnes libros liturgicos etiam Ecclesiae orientalis (63) extenderunt. Quae reformatio Rom. Pontificum constituebat ius vigens de libris liturgicis, quod in subsequentibus accuratius explicandum est; sed consequenter ad innovationes inductas in Breviario Romano a Pio X novam reformationem accepit, etiam Missale Romanum.

332. Disciplina vigens. Principii instar ponendum est, unius Apostolicae Sedis esse tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbandi libros, quibus designatur modus, ritus et caeremoniae actus liturgicos divini cultus explendi (can. 1257).

333. De singulis libris liturgicis. *Missale* atque *Breviarum Romanum* a Pio V promulgatum (64) et ab aliis Rom. Pontificibus

(61) *Zaccaria* l. c. p. 49 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 46 sq.

(62) *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 166; *Ebner*, Quellen u. Forsch. zur Gesch... d. Missale Rom. im Mittelalt.; *Baeumer*, Gesch. d. Breviers p. 410 sq.

(63) Bened. XIV Const. « *Ex quo* » 1 Mart. 1756, ubi in parte *historica* illius longissimae Const. fuse exponit quid a Sede Apost. in nova perficienda editione Euchologii Graecorum factum sit.

(64) Pii V Const. « *Quod a nobis* » 9 Iul. 1568 (de Breviario); *Zaccaria* l. c. t. 1 p. 114 sq.; *Bouix* l. c. p. 208 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 48 sq.; *Baeumer* l. c. p. 422 sq.; Pii V Const. « *Quo primum* » 14 Iul. 1570 (de Missali).

correctum (65) in *omnibus* orbis catholici ecclesiis etc., in quibus ritus *Romanus* observari consuevit aut debet (id quod non fit, ubi viget ritus Ecclesiae orientalis vel Ambrosianus vel mozarabicus) omnino obligatorio modo sunt observanda, illis tamen exceptis, quae vel ab ipsa *prima institutione* per Sedem Apostolicam approbata vel *consuetudine*, quae (vel ipsa institutio) *ducentos annos* antecederet, aliis Missalibus vel Breviariis (ante cit. Const. Pii V) usae fuerint. Quibus exceptis ecclesiis etc. ut inveteratum ius retinendi sua *antiqua* Missalia et Breviaria *ritus Romani* non fuit ademptum, ita a Pio V iisdem est permissum, ut nova Missalia et Breviaria Romana, *(non alia)* adoptare possent, dummodo Episcopus et universum Capitulum (i. e. per vota maiora capitulariter et legitime data) in eo consentirent (66).

Quodsi exceptae illae ecclesiae usae fuerint permissione Pii V, non amplius arbitrarie ad Missale et Breviarium *derelictum* redire multoque minus ad *alia* Missalia et Breviaria a libris authenticis Pii V diversa transire valent, sed Missali et Breviario Romano secundum editiones typicas manent obstrictae (67).

Cum in novis ordinibus et congregationibus religiosis et in quamplurimis dioecesibus ex saeculo decimo sexto erectis v. g.

(65) Clem. VIII Const. « *Cum sanctissimum* » 7 Iul. 1604 denuo promulgavit Missale correctum, postquam Const. « *Cum in Ecclesia* » 10 Maii 1602 Breviarium recognitum publicavit. Deinde Urbanus VIII novis curis emendavit Breviarium (25 Ian. 1631) et Missale (2 Sept. 1634). Benedictus XIV aggressus est Breviarii et Missalis reformationem, quae felicem exitum non habuit. Cfr. *Roskovány* l. c. t. V p. 532 sq.; *Baeumer* l. c. p. 562 sq. Denique post alia tentamina et postulata Leo XIII non leviter reformavit textum et rubricas Breviarii et Missalis. Cfr. *Baeumer* l. c. p. 584 sq. Quod ius usque ad Pium X, novae reformationis auctorem, retentum est. At severae *censurae*, quas v. g. Pius V, Clemens VIII cit. Const. contra *illegitimam editionem* Missalis vel Breviarii statuerat, inde a Pii IX Const. « *Ap. Sed.* » certe sublatae manserunt. Imo etiam *poenae vindicativae ipso iure* inflictae contraria consuetudine et potissimum ex nova Leonis XIII Const. « *Officiorum* » 25 Ian. 1897 videntur vigore caruisse. At certe manent etiam nunc *praescriptiones* de praevia approbatione ecclesiastica obtinenda can. 1390, 1399, n. 10 (cfr. S. R. C. 7 Apr. 1832, 26 Apr. 1834, 18 Febr. 1843 in Decret. aut. C. S. R. n. 2692, 2716, 2855). Cfr. *Bouix* l. c. p. 250 sq.; *Scherer* l. c. t. II p. 630 n. 3.

(66) *Bouix* l. c. p. 238 sq. 257; *Baeumer* l. c. p. 438 sq. 457 sq.; *Roskovány* l. c. p. 231 sq.

(67) S. R. C. in caus. Tullensi seu nullius 15 Mart. 1608 alleg. a *Bouix* l. c. p. 247 sq. ex antiquioribus scriptoribus; at in nova collect. auth. decret. C. S. R. hoc decretum non reperitur. Potius ad rem est decr. S. R. C. in caus. Montis Serrati Nullius 10 Maii 1608 in cit. collect. auth. n. 249.

in terris missionum S. C. de Prop. F., exceptio Pii V non habuerit locum atque in aliis regionibus v. g. in Gallia, Hispania, Italia, Germania iam diu in praxi pleno fere vigore introductum fuerit Missale et Breviarum Romanum (68), non paucae controversiae olim existentes nunc sunt antiquatae aut aliunde solutae (69), et fere ubique in Ecclesia latina, ubi viget ritus *Romanus*, ad amussim standum est editionibus typicis Missalis et Breviarii Romani factis ad normam novae reformationis per Pium X inductae.

Quae reformatio Breviarii, a Pio X facta per Const. « *Divino afflatu* » 1 Nov. 1911, eo spectavit ut restitueretur antiqua praxis recitandi integrum Psalterium per singulas hebdomadas, quam idem Pontifex vocat legem traditam a patribus et sancte servatam a decessoribus S. Pio V, Clemente VIII et Urbano VIII in recognoscendo Breviario Romano. Cuius legis observantia frequenter impediebatur ex continuo propagatis Officiis de Sanctis praesertim novis, unde psalmi feriarum et Dominicarum raro admodum recitarentur. Ita autem reformatio facta est, ut ex una parte nihil de Sanctorum cultu decederet, ex altera vero parte Divini Offici onus clericis molestius non evaderet sed potius temperatius. Quae obtenta sunt efficiendo ut integri Psalterii partes per singulos hebdomadae dies distribuerentur, quae essent recitandae etiam *in festis*, paucis exceptis (*Ordinarium* divini officii). Consequenter plurimae rubricae mutandae fuerunt, quod praestitum est per plura decreta S. R. C., quibus Pontificis mens plenam executionem obtinuit. In memorata constitutione plene aboletur et interdicitur praecedens Breviarii ordo, et novus ita praescribitur, ut ii qui ad Horas canonicas quotidie persolvendas tenentur suo officio non satisfaciant nisi novum Psalterii ordinem adhibeant - Consequenter ad Breviarii mutationes etiam plures factae sunt in Missali Romano.

Pro novis rubricis explicandis cfr. *Ferreres*, El Breviario y las nuevas Rúbricas, vol. II, p. 1 sq., in quo opere volumen primum

(68) *Roskovány* l. c.; *Baeumer* l. c. p. 457 sq.
(69) S. R. C. 16 Oct. 1628 ad 2 in Decr. aut. C. S. R. n. 477; *Bouix* l. c. p. 253 sq., ubi p. 268 non satis videtur distinguere tum inter antiquam praxim certe benigniorem et recentiorem disciplinam magis severam, tum inter correctionem Breviarii et Missalis tolerati ab Episcopis factam « *ad formam Romanam* » et mutationes iteratas, arbitrarias, perversas etiam cum recessu ab ipso ritu Romano. Cfr. S. R. C. in caus. Cenom. 10 Ian. 1852 ad 1 in Decr. auth. C. S. R. n. 2993; *Baeumer* l. c. p. 458 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 49 sq.

rem historice tractat egregie; *Dom Baudot*, Le Bréviaire p. 71 sq.; *Barin*, In novissimas Rubricas Missalis Romani. Quae novae Rubricae initio Breviarii ponuntur.

334. Scholion. Cum Missali atque Breviario Romano intime connexum est *Kalendarium* et *Martyrologium Romanum*. Quo Martyrologio Romano omnes dioeceses in Ecclesia latina uti debent, etiamsi proprium quoddam Missale et Breviarium legitime retineant, neque quidquam in illo addere vel demere vel mutare licet. In novis autem editionibus certe iuxta formam a S. R. C. approbatam inseri possunt Sancti, qui ab ultima editione fuerunt vere canonizati, non ii, qui solummodo declarati fuerunt Beati, nisi speciali ratione a Sede Apostolica sit permissum. Cfr. de Kalendario reformato: Gregor. XIII, Const. « *Inter gravissimas* » 24 Febr. 1582; *Baeumer*, Gesch. d. Brev. p. 467 seq.; *Nilles*, Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae; de Martyrologio Romano: Gregor. XIII, Const. « *Emendato* » 14 Ian. 1584 iunct. Bened. XIV. Litt. Apost. 1 Iul. 1748; S. R. C. 30 Iun. 1616, 31 Aug. 1680 in Decr. auth. C. S. R. n. 1651; ead. S. C. in cit. causa Cenom. 10 Ian. 1852; *Baeumer* l. c. p. 468 sq.; *Bouix* l. c. p. 287.

Consequenter ad mutationes in Breviario et Missali Romano factas etiam plures immutationes inductae sunt in Kalendario Romano et multo magis in Kalendariis particularibus. Praesertim quoad festorum et feriarum ac Dominicarum ritum. Cfr. *Ferreres*, Opus cit. vol. II, n. 362 sq., 408 sq., vol. I, n. 183 sq., 575 sq.

335. *Pontificale Romanum*, quod continet *formulas* et *rubricas* functionum liturgicarum *Episcopis* propriarum, post diligentem revisionem (70) a Clemente VIII. Const. « *Ex quo* » 10 Febr. 1597 *universae* Ecclesiae latinae sine ulla *exceptione* ita promulgatum est, ut *abrogatis* omnibus aliis libris pontificalibus *unice* observaretur nuque ullo unquam tempore in toto vel in parte mutaretur sive ei aliquid addendo sive omnino detrahendo (71). Cuius Pontificalis hoc ipso anno nova prodiit editio.

(70) *Zaccaria* l. c. t. I p. 161 sq. 164 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 50 sq.
(71) S. R. C. in cit. caus. Cenom. 10 Ian. 1852; *Bouix* l. c. p. 289 sq. Urbanus VIII postea Const. « *Quamvis alias* » 17 Iun. 1644 denuo correctam editionem Pontificalis Romani eodem ambitu atque Clemens VIII publicavit simulque

336. *Caeremoniale Episcoporum,* quod ad instar antiquorum quorundam librorum ritualium formulis (72) liturgicis caret atque solummodo continet *rubricas* de functionibus pontificalibus sive ipsius Episcopi sive ministrorum, a Clemente VIII, Const. « *Cum novissime* » 14 Iulii 1600 publicatum est. Qua in Const. R. Pontifex illud in universa Ecclesia (latina) ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, observandum esse praecipit simulque statuit huiusmodi Caeremoniale nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari vel ei aliquid addi aut omnino detrahi posse neminemque munera sacerdotalia in Caeremoniali contenta peragere posse, nisi iuxta formam ibidem praescriptam; at *laudabiles consuetudines immemoriales* etiam contrarias non abrogavit (73). Quod Caeremoniale postea per Innocentium X, Const. « *Etsi alias* » 30 Iul. 1650 et per Bened. XIII. Const. « *Licet* » 7 Mart. 1727 correctione facta denuo iisdem terminis praescriptum est. Quo in ambitu obligationis Benedictus XIV, postea nihil immutavit, licet undecim capita libri tertii ad praecavendas controversias de praecedentiis et honoribus in functionibus liturgicis adderet Caeremoniali Episcoporum.

337. *Caeremoniale Romanum* sive S. R. E., ut vulgo vocari solet, continet functiones pontificias sive caeremonias « *capellae Papae* ». Qui liber ortus est ex compilatione antiquorum « *Ordinum Romanorum* » sive liturgiae R. Pontificis et praxis vigentis in capella papali, quam iubente Innocentio VIII, a. 1488 Aug. Patritius adornavit, sed nonnisi a. 1516 per Marcellum, Corcyranum Arch., *privata* auctoritate typis mandatus est sub titulo: *Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum caeremoniarum libri tres* (74).

---

ordinationes adiecit severissimis *censuris* et *poenis* (cfr. supra h. tit. not. 65). munitas de imprimendo Pontificali Romano. Denique ultimo saeculo Benedictus XIV Pontificale Romanum emendatum et nonnullis formulis auctum per Const. « *Quam ardenti* » 25 Mart. 1752 publici iuris fecit.

(72) *Zaccaria* l. c. p. 179 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 51.

(73) S. R. C. in caus. Salernit. 10 Ian. 1604, in caus. Pisen. 11 Iunii 1605, in caus. Salernit. 16 Iul. 1605 in caus. Ebor. 17 Iun. 1606, in caus. Lucerina 14 Iun. 1608 in Decret. auth. C. S. R. n. 183, 179, 184, 256; *Bouix* l. c. p. 91, qui hac in re sequitur *Catalanum*, Commentar. Caerem. Episc. in praef. A qua sententia S. R. C. 17 Aug. 1894. (Act. S. Sed. vol. XXVII n. 189 sq.) non recessit; nam *vetus* consuetudo a. 1894 allegata non fuit *immemorialis* consuetudo, quae *tempore* publicationis Caeremonialis Episcoporum iam exstitit.

(74) *Zaccaria* l. c. p. 169 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 51 sq.

338. *Rituale Romanum* exhibet formulas et rubricas sive « *ritus receptos et approbatos* **catholicae** *Ecclesiae, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt* », ideoque antiquitus (75) dicebatur aptissime « *Sacerdotale Romanum* ». Paulus V, Constit. « *Apostolicae Sedi* » 20 Iun. 1614. « *Rituale Romanum* » a speciali commissione praesertim ad tramites Ritualis Cardinalis Sanctorii sedulo praeparatum universae Ecclesiae (latinae) promulgavit; at cum in parte *dispositiva* proprie dicta *omissis* severis clausulis in publicatione aliorum librorum liturgicorum tantum adhiberet illa verba: « *Quapropter* **hortamur** *in Domino venerabiles fratres...*, ut in posterum... constituto Rituali in sacris *functionibus utantur* », certe *vi primae promulgationis* Rituale Romanum non ubique factum est stricte obligatorium (76) v. g. ad instar Pontificalis Romani. Neque ulla existit *posterior* Constitutio Apostolica, quae ius in cit. Const. Pauli V, contentum *expresse* et universaliter in severiores sanctiones commutavit (77). Denique ultima editio typica a. 1925, diligenter revisa, emendata, et aucta ad normam Codicis iuris canonici, Rubricarum Missalis Romani et Decretorum Apostolicae Sedis solum exhibet Decretum S. R. C. in quo Pontificia aprobatio continetur. De variis mutationibus in Rituali factis cfr. *Ferreres*, Opus cit. n. 469 sq.

At attentis iteratis decretis S. R. C. et praxi eiusdem S. C. non amplius approbandi Ritualia dioecesana a Rituali Romano *distincta*,

---

(75) *Zaccaria* l. c. p. 137 sq. 144 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 52 sq.

(76) S. R. C. 2 Maii 1626: « **Placere sibi,** *quod si non est introducta observatio Ritualis Romani, introducatur* ». At hoc decretum in nova collectione authentica decretorum C. S. R. est *omissum*; *Catalanus* in praef. Comment. ad Rit. Rom.; *Thalhofer* l. c. p. 53 sq.; *Bouix* l. c. p. 297 sq., qui p. 307 rationem Catalani recte refutat, at pro sua sententia severiore insistit compluribus argumentis inefficacibus.

(77) Bened. XIV Const. « *Quam ardenti* » 25 Mart. 1752 sane novam editionem Ritualis Romani cum nonnullis additionibus publicavit, disertis vero verbis vim obligandi non auxit. At idem R. Pontifex saltem indirecte potestatem Episcoporum in publicandis Ritualibus multum limitavit atque observantiam Ritualis Romani multum promovit. Etenim in suis decretis generalibus de libris prohibitis, quae in antiquo Indice fuerunt inserta, § 4 hi libri prohibiti recensentur: 1. *Benedictiones omnes ecclesiasticae*, nisi approbatae fuerint a Sacra Rituum Congregatione. 7. Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendae post reformationem Pauli V sine approbatione S. Congregationis Rituum. Quae principia etiam S. R. C. postea secuta est 7 Apr. 1832, 23 Maii 1835 in Decret. auth. C. S. R. n. 2689, 2725.

sed solummodo appendices vel « *Propria* » pro singulis dioecesibus, *ex disciplina vigente* potius tenendum est leges Ritualis Romani universalem afficere Ecclesiam (78). Ubi vero propter speciales circumstantias praxis vel consuetudo a Rituali Romano difformis videatur esse retinenda, in casibus particularibus ad S. R. C. est recurrendum, ut huiusmodi praxis approbetur (79).

339. *Memoriale rituum*, quo ordinantur functiones quaedam liturgicae v. g. hebdomadae sanctae in parvis ecclesiis parochialibus et conventualibus *ministris sacris* carentibus, prima vice a Benedicto XIII a. 1725 pro huiusmodi ecclesiis in Urbe atque a Pio VII a. 1821 pro universo orbe catholico promulgatum est. Cfr. Editionem Taurinensem (Marietti) a. 1895 cum praemisso *Monitu* S. Congregationis.

340. Scholion. Ecclesia quoque *orientalis* suos habet authenticos libros liturgicos (80), e quibus potissimum commemorandum est: *Euchologium magnum (εὐχολόγιον τὸ μέγα)*, in quo continentur partes stabiles horarum canonicarum, ritus sacrificii eucharistici v. g. liturgia S. Basilii, formae administrationis sacramentorum et multarum benedictionum. Praeterea Graeci adhibent: *Triodium, Pentecostarium, Octoechum, Menaeum, Typicum, Psalterium*. Libri liturgici Syrorum tamen reformandi recensentur a Synodo Sciarfensi (a. 1888) p. 38 sq.

(78) S. R. C. 7 sept. 1850 rescripsit ad Episcopum Trecensem in Gallia: « *In ea Rituale Romanum*, **cuius leges universalem afficiunt Ecclesiam,** *integre* servetur » apud *Bouix* l. c. p. 306.

(79) Pius IX 30 Iun. 1857 ad Episc. Rottenburg. apud *Nussi*, Conventiones p. 40 in app.; S. R. C. l. c. in not. 77 h. tit.; S. R. C. 15 Febr., 28 Apr., 1 Iul. 1873 in caus. Salisb., Bamberg., Ratisbon. iunct. *Thalhofer* l. c. p. 359.

(80) *Zaccaria* l. c. p. 1 sq. 79 sq. 137 sq. 161 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 55 sq.; *Nilles*, Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae.

TITULUS X

DE MINISTRIS CULTUS DIVINI

341. Fontes: Decret. Gregor. IV l. I, tit. 11, 33; Cf. *Wernz-Vidal*, Ius. canon. tom. II, n. 50 sq.; tomo IV, De religiosis, n. 2, n. 383 sq.

Scriptores: Cfr. *Wernez-Vidal*, l. c.; *Suarez*, De sacram. euchar. disp. 77, De virt. et stat. relig. tract. IV, l. 4, cap. I sq. 9 sq.: *Phillips*, Kirchenrecht t. I, p. 276 sq. (de sacerdotio laicorum); *Thalhofer*, Handb d. k. Liturgik t. I, p. 208 sq. 226 sq. 249 275 sq.

342. Connexio materiae. Postquam in titulo praecedente expositum est, quinam sint *auctores* cultus divini *iurisque liturgici*, nunc breviter insinuandum videtur, quibusnam *ministris* ex *Dei* vel *Ecclesiae* ordinatione *cura* illius cultus sit commissa.

343. Clerici. Quodsi de ministris cultus divini in Ecclesia catholica sit disserendum, ex theologia dogmatica omnino est supponendum Christum instituisse Apostolos *sacerdotes* atque ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem Christi Redemptoris in Missae sacrificio (1).

Porro Christus Dominus certe gradum sive ordinem *diaconorum* instituit, qui essent ministri sacerdotum in *ministerio altaris* (2).

Quibus diaconis saltem ex Ecclesiae institutione accedunt *reliqui clerici* praesertim ad idem *altaris* ministerium sive proximum sive magis remotum (3). Quare *clerici*, qui hierarchiae *ordinis* sunt adscripti, pro suis diversis gradibus sunt principales ministri *cultus* divini in Ecclesia catholica.

(1) Conc. Trid. Sess. XXII doctor. de sacrif. Miss. cap. 1 sq. can. 1, 2 sq., Sess. XXI vera et cath. doctr. de sacram. ordin. cap. 1 sq.; can. 1 sq.; *Suarez*, De sacr. euchar. disp. 77 sect. 1, 2; *Gasparri*, De ss. eucharistia n. 22 Cfr. quoque *Pirhing*, Ius canon. l. I t. 11 pr., ubi recte notat potestatem ordinis (sacerdotum) sese non tantum extendere in corpus Christi *verum*, sed etiam in corpus Christi *mysticum*.

(2) Concil. Trid. Sess. XXIII can. 6; *Wernz-Vidal* h. tom. n.

(3) Conc. Trid. Sess. XXIII l. c. cap. 2; *Gasparri*, De sacr. ord. n. 3; *Thalhofer* l. c. p. 251 sq.

Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent (can. 1260). Quare omnis ingerentia cuiusvis autoritatis civilis est exclusa; si autem aliquid conceditur in concordatis, obligatio ministris sacris non imponitur a guberniis, sed ab ipso Rom. Pontifice obsecundante desideriis civilis auctoritatis. Cfr. Epist. Encycl. « *Maximam gravissimamque* » Pii XI, 18 dan. 1924 (A. A. S. XVI, 5) de toleratis ad experimentum in Galla *dioecesanis consociationibus,* iunct. *Vermeersch,* « Periodica » XIII, p. 30 sq.

344. Regulares. Cum cultus divinus in Ecclesia catholicha nequaquam absolvatur *sacrificio eucharistico,* sed etiam ad *orationem publicam* sese extendat (4), praeter *clericos,* qui imprimis (5) destinati sunt orationi publicae, etiam aliae personae ecclesiasticae non ordinatae atque praesertim quamplurimi *regulares* ipsis monialibus non exclusis ad eundem scopum ab Ecclesia deputantur (6). Inde tamen non sequitur ordinem religiosum, si absque obligatione chori admittatur, « *vix nomen religionis mereri* » (7). Sunt enim ordines religiosi, qui licet ab obligatione chori immunes sint, tamen a Romanis Pontificibus tanquam *verae religiones* fuerunt approbati. Atque haec de regularibus interim sufficiant, cum eadem quaestio denuo occurrat, ubi ex professo de officio divino et obligationibus regularium est disserendum, et plene de regularibus disputari non possit, nisi simul exponatur ius constitutum *de votis* atque de *sociali* cultu divino; et sub duplici respectu regulares considerari possunt et debent.

345. De laicis. Laici ad instar sacerdotum novi testamenti ex sese et vi sui status ad *cultum publicum* in Ecclesia exercendum

(4) *Suarez,* De virt. et stat. relig. tract. IV l. 4 cap. 1 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 226 sq.

(5) Cfr. c. 2 D. 92 (S. Gregor. a. 295); *S. Thom.,* Summa theol. IIa IIae q. 91 art. 2; *Suarez* l. c. cap. 9 n. 2 sq. 15; *Thalhofer* l. c. p. 248 sq.; *Wernz-Vidal* t. II n. 54 (de divisione personarum ecclesiasticarum in clericos, religiosos, laicos) 115; tom. III, n. 383.

(6) Cfr. c. 20 D. 23 (de psalmista); *Suarez* l. c. n. 4 sq.; *Zech,* De iure rer. eccles. sect. 2 § 448 not. 94 contra *Dominicum Sotum,* quem alii excusant mitiusque interpretantur; *Thalhofer* l. c. p. 249.

(7) *Suarez* l. c. tract. X. l. 1 cap. 8; *Zech* l. c.

non sunt vocati (8). At quemadmodum a S. Petro universus populus dicitur « *regale sacerdotium* » (9), ita laici *sensu quodam* lato participant in sacerdotio christiano (10).

346. Generalis ministrorum obligatio. I. Ceterorum ministrorum infra Episcopum obligatio, est praeter observantiam legum liturgicarum, subiectio debita Episcopo in peragendis actus cultus. Nam Episcopi non solum habent sibi ex iure communi reservatos peculiares actus cultus divini v. gr. *pontificalia,* sed possunt etiam peculiaribus legibus determinare quae ipso iure divino vel legibus universalibus Ecclesiae non iam definita sint, v. gr. locum, tempus, modum servitii divini vel processionum aliarumque publicarum devotionum praescribere, quatenus iure communi non iam aliter sit cautum. Praesertim vero debent curare executionem iuris communis et correctionem *abusus.*

II. Ceteris ergo ministris cultus divini pro suo munere invigilant locorum Ordinarii, quorum est curare ut sacrorum canonum praescripta de divino culto sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur (11), aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis questus speciem prae se ferens (can. 1261, § 1). Quodsi loci Ordinarius leges pro suo territorio hac de re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorumdem ecclesias vel publica oratoria

(8) Conc. Trid. Sess. XXIII l. c. cap. 4; *Tertullian.,* De praescript. cap. 41; *Victor Vitens.,* De persec. Vandal. l. II cap. 11; *Hallier,* De s. elect. et ord. vol. I p. 8 sq.; *Wernz-Vidal,* tom. II n. 48.

(9) *S. Petr.* I ep. II 9 iunct. Exod. XIX 6.

(10) *S. August.,* De civit. Dei l. 20 cap. 10: « *Erunt sacerdotes Dei et Christi et regnabunt cum eo mille annis* (Apoc. XX), *non utique de solis Episcopis et presbyteris dictum est,* **qui proprie vocantur in Ecclesia sacerdotes**; *sed sicut* **omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma,** **sic omnes sacerdotes,** *quoniam membra sunt unius sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus, plebs inquit sancta, regale sacerdotium* »; *Suarez,* De euchar. sacram. l. c. sect. 3; *Bened. XIV,* De sacros. Missae sacrif. l. II cap. 13 n. 12.

(11) Cfr. de variis supertionibus iam damnatis ad vitam privatam pertinentes in quibus admiscetur aliquid ad cultum habens relationem: Bened. XIV, Const. « *Omnium sollicitudinum* » 12 Sept. 1744; S. R. C. Decr. auth. n. 369, 2486; S. Officium 3 Aug. 1903 in Collect. S. C. P. F. vol. II, n. 2173, 2.

visitare (can. 1261, § 2). Quod ius visitandi ecclesias exemptorum ob hanc rationem vigilantiae circa cultum divinum, non est convertendum in ius ordinariae visitationis quinquennalis, quae ipsis Ordinariis competit in ecclesiis non exemptis, sed hoc ius supponit novas leges particulares ab Ordinario in hac materia datas, nec sufficit ut datae sint leges mere urgentes iuris communis observantiam; quo praeterea iure non debet uti, nisi in quantum positivam habeant notitiam quod propriae novae leges non observantur (Praes. Commis. Codicis 8 April. 1924 apud *Wernz-Vidal* III, n. 402 not. 32 vel *Matthaeum a Coronata,* Inst. II, n. 835).

III. Ad hanc Ordinarii vigilantiam pertinet, efficere ut orationes et pietatis exercitia, quae non iam sint approbata ab Ecclesia sed nova, sine propria revisione et licentia non peragantur in ecclesiis vel oratoriis publicis, et etiam ne quae iam approbata sunt modo insolito vel sine debita decentia fiat. In casibus difficilioribus iudicium S. Sedis ab Ordinario erit implorandum, cui adempta est omnis potestas novas Litanias approbandi publice recitanda (can. 1259) (12).

347. Vetita communicatio in sacris cum acatholicis. Huiusmodi vetitum omnes fideles promiscue tenet, sed speciali ratione, ut per se patet, ministros sacros.

I. In canone 1258 duplex communicatio in sacris distinguitur *activa* et *passiva* (13). *Activa* est quando catholicus cum acatholicis particeps fit cultus acatholici; quo nomine cultus hic sensu latiori sumitur pro doctrina, precibus, sacramentis, quibusvis actionibus liturgicis, immo etiam certis emolumentis seu iuribus honorificis membris Ecclesiae obvenientibus, velut sepultura ecclesiastica. Quae communicatio activa cum haeretis et schismaticis generatim est illicita: « Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum » (can. 1258, § 1). Haec communicatio *declaratur* illicita, quae formula legis satis clare prodit agi de re quoad substantiam illicita ex ipso iure naturali et divino; quod profecto violatur: *a)* quoties activa illa communicatio

(12) Huc quoque spectant praescripta canonum 1385, § 1, n. 2, 3; can. 1399, n. 5°, 12°.

(13) Cfr. Instr. S. C. P. F. a. 1729 (Collect. I, n. 311) *Zitelli*, Apparat. iur. eccl. p. 488 sq.; *Achner*, Com. iur. eccl. § 51; *Schöttl*, D. gegentseitige Gemeinschaft in Culthandlungen zwischen Kath. und Acath. Regensb. 1853.

alieni cultus approbationem et aestimationem contineat v. gr. si quis in templo acatholico praedicationem ad solatium et doctrinam inde hauriendam audiat, si communes preces aut cantilenas in publicis eorum conventibus recitet, coenam haereticam sumat, et similia, *b)* quando ex hac participatione aut *scandalum* oriatur, aut subversio in fide et moribus sit pertimescenda; porro non solum attendendum scandalum aliorum *catholicorum,* sed etiam periculum ne hominis catholici exemplo in errore obfirmentur et ipsi heterodoxi; semper autem eodem divino iure est illicita, si participatio est *formalis* eo quod quis interne, mente et voluntate participet, non solum externe et corpore, quo casu esset participatio mere *materialis.* At si adest participatio mere *materialis* sine scandali vel perversionis periculo, illiceitas non potest repeti ex iure divino, nisi in quantum contineat approbationem falsae et negationem verae religionis, quam communicatio per se significat; quod haud raro pendebit ex complexu circumstantiarum (14).

Porro in ipsa participatione materiali activa distingui debet participatio *privata* et *publica*. *Materialis privata,* si circa rem in se malam non versetur, secluso scandali et perversionis periculo, in se illicita non est, v. gr. si fidelis cum acatholico dominicam orationem aliasve preces privatim recitet, nulla habetur falsae religionis professio, nulla communicatio in cultu acatholico, cum *privatus cultus,* in quo nihil falsi admiscetur, cultus acatholicus dici non potest. *Activa materialis* et *publica* participatio dicenda est generatim prohibita; ubi non adsit periculum perversionis et scandalum fidelium, quae vix umquam deerunt, semper habebitur approbatio falsae et negatio verae religionis, quam illa communicatio per se significat, nisi ex complexu circumstantiarum illa falsi cultus externa approbatio notorie maneat exclusa; demum per se fovet indifferentismum sive in catholicis sive in acatholicis.

II. Plures autem actus iam sunt positive et expressa lege prohibiti seu declarati tales. V. gr. Filios catholicorum baptizandos of-

(14) Haec participatio mere *materialis* in sacris acatholicorum etiam non raro dicitur *passiva*, id quod patet ex § 2 canonis 1258. Sed generatim communicatio in sacris *passiva* potius dicitur consistere in admissione haereticorum vel infidelium ad participandum in sacris catholicis i. e. *pati* ut hi qui catholici non sunt in iisdem participent. Ideo citato canone non dicitur tolerari *communicatio* passiva seu materialis, sed *praesentia* passiva seu materialis.

ferre ministro acatholico (S. Offic. 26 Sept. 1668; 29 Nov. 1672 — Collec. n. 169, 205, 455) — Sacros ordines ab haeretico recipere (S. Off. 21 Nov. 1709 — Collect. n. 278) — Benedictionem nuptialem accipere a ministro acatholico, licet pars acatholica id exigat (S. Offic. 29 Ian. 1817 — Collect. n. 717). — Missam audire in templo schismaticorum celebrante ministro schismatico; quodsi alio modo audiri non possit cessat obligatio (S. Offic. 5 Dec. 1668 — Collect. n. 171). — Non licet propria peccata confiteri confessione apud ministrum haereticum vel schismaticum; in casu periculi mortis licebit, si alius sacerdos catholicus non adfuerit, et dummodo scandalum vitetur nec adsit perversionis periculum et saltem probabile sit acatholicum ministrum ritu Ecclesiae sacramentum esse administraturum. Nec licet catholicis (v. gr. sororibus alicuius hospitalis haereticum ministrum vocare pro haeretico in periculo mortis constituto; quo casu debent passive se habere (S. Offic. 30 Iun. et 7 Iulii 1864 — Collect. n. 1257 — 2030) — Non licet organa pulsare in templo acatholico tempore sacrarum functionum (Collect. 1913).

Potest autem iuramentum emitti coram ministro acatholico, si non agat qua minister religionis, sed qua minister reipublicae; nec absolute est prohibitum iusiurandum super Biblia acatholicorum emittere (S. Offic. 1 April. 1857; 23 Febr. 1820 — Collect. n. 1133, 739, 1342) (15).

III. **Tolerantia in iure admissa.** « Tolerari potest *praesentia passiva* seu *mere materialis,* civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dumodo perversionis et scandali periculum absit. In duplici casu enumerato satis clara et notoria est ex usu et humana consuetudine illa ratio civilis officii vel honoris causa, sive ex parte propinquorum et amicorum vel sociorum, sive ex parte officialium et magistratuum, qui vi muneris intervenire debeant; qua notorietate exstante in catholico

(15) Quoad ingressum in templa et aulas acatholicorum notanda est instructio, quam Cardinalis Vicarius ex mandato Leonis XIII, 12 Iulii 1878 parochis Urbis direxit, apud Acta S. Sedis vol. XI, p. 168 sq. Cfr. quoque In A. S. S. Indic. generalem v. Communicatio et in Collect. S. C. de. P. F. sub eodem verbo Indicis alphabet.

interpretabitur materialis adsistentia de officio civili, non de approbatione falsi cultus (16).

Etiam de ha re plures peculiares praescriptiones datae sunt, praeter praescriptum nostri canonis de recursu ad Episcopum in casu dubii circa gravitatem rationis. V. gr. *a)* toleratur ut catholici, remoto scandalo, visitent ecclesias schismaticorum extra tempus eorum officiorum; item licet easdem ecclesias adire ad venerandam SS. Eucharistiam vel sacras imagines, modo cum schismaticis non coniungantur in precibus (responso S. O. in Collect. n. 458, 1257); *b)* honoris causa, dictum est tolerari posse, si princeps acatholicus in ecclesia sit coronandus, ingressum in templum acatholicum (Collect. n. 2136); *c)* tolerantia etiam admissa fuit in hoc, ut officiales Status, in ecclesia acatholica praesentes sint occasione precum pro principe recitandarum, exclusis semper Episcopis vel presbyteris (Collect. n. 921). Quae omnia cum aliis ita accipienda sunt, ut tamen id quod secundum responsa data potest tolerari, ex complexu circumstantiarum reapse reddatur illicitum, quandocumque aut scandali, aut perversionis periculum adsit, aut contineat in praxi confirmationem acatholicorum in falso cultu aut indifferentismum foveat.

IV. De communicatione in divinis *passiva,* seu de admissione acatholicorum in cultu catholico, nihil hoc canone 1258 directe dicitur (Cfr. can. 2259). Templa ingredi catholica vel concionibus interesse catholicis permittitur acatholicis itemque ut assistant sacrificio Missae et divinis officiis. At permitti non potest, ut acatholicus subserviat Missae a sacerdote catholico celebrandae, nec ut pueri acatholici cantoris munere fungantur in solemni catholicorum Missa (Collect. n. 1702, 1059, 1257; cfr. tamen n. 2227) etc. Illud in genere de communicatione passiva animadvertendum, hanc admissionem acatholicorum ad participandum in cultu catholico ob hoc debere censeri prohibitam, quod cum unitas fidelium debeat esse in participatione eorumdem sacramentorum et eiusdem religiosi cultus, illa

(16) S. Offic. 10 Maii 1763. At idem S. O. 9 Sept. 1874 exigit, ut talis interventus nullam secum ferat communicationem in sacris, nullo modo sit permissum se acatholicorum precibus uniri aut ritibus, aut deferre lumina, nec toleratur sonus campanae ecclesiae catholicae, et quoad sermonem in laudem etiam virtutum dumtaxat civilium defuncti, hic possit ad summum tolerari in persona alicuius laici, numquam ecclesiastici, vel parochi, multoque minus Episcopi. Cfr. S. O. responsa in Collect. n. 727, 1257, 1410, 1705.

admissio esset signum unionis et consensus inter catholicum et acatholicum in professione religiosa perinde ac si cultus catholicus et haereticus substantialiter non different. Quare facilius admitti aut tolerari possunt, quando ex ipsis adiunctis satis apparet non significari unitatem et consensum in culto religioso, sed potius e contra haereticum in hac re agnoscere veritatem religionis catholicae; atque ita Ecclesia permittit celebrationem matrimonii mixti coram ministro catholico, dum severe prohibet coram acatholico.

348. Externa fidelium ordinatio in actibus cultus. Est etiam haec cura, quae pertinet ad ministros cultus, imprimis ad Ordinarium pro tota dioecesi; deinde ad ecclesiarum rectores in suis ecclesiis.

I. Optandum est, congruenter antiquae disciplinae, ut mulieres in ecclesia sint a viris separatae (can. 1262, § 1). De antiquo usu cfr. v. gr. *Ferraris,* Biblioth. v. Ecclesia, art. III, n. 92-94.

II. Viri in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt, nudo capite sint, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta. Cfr. v. gr. Instr. S. C. Prop. Fid. 18 Oct. 1883 (Collectanea, n. 1606).

Mulieres capite cooperto et modeste vestitae sacris ritibus adsistere debent, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt.

III. Magistratus, pro eorum gradu et dignitate locum distinctum habere possunt, servatis normis legum liturgicarum. Hae leges excludunt sedem in presbyterio et choro, sine indulto pontificio (Decr. auth. n. 157, 175, 959, 1808); usum baldachini etiam extra presbyterium (Decr. auth. n. 3387), permisso genuflexorio tapete cooperto; *osculum pacis* cum instrumento; thurificationem per cappellanum cotta indutum, non per ministros inservientes (Decr. auth. n. 1187) can. 1263, § 1.

IV. Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum habeat in ecclesia sibi suisque reservatum. Ordinarius autem consensum ne praebeat, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum. Ea autem in concessionibus factis de iure inest tacita conditio, ut Ordinarius possit, ex iusta causa, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu (can. 1263, § 2, 3). Salvum manet ius patronorum habendi digniorem sedem in ecclesia ad normam can. 1455.

TITULUS XI

DE LOCIS SACRIS AD CULTUM DIVINUM DESTINATIS

(In Iure Decret. Lib. III, tit. 40 de consecr. eccles. vel altar., tit. 48 de eccles. aedif., tit. 49 de immunit. eccles., coemet., tit. 37 de capell. monach.; lib. V, tit. 32 de novi oper. nunt.).

349. **Fontes.** Decret. Grat. Dist. I, de consecr.; C. I, q. 1, 7; c. 1 sq. D. 87, D. 97; c. 7 sq. C. II, q. 2. — Comp. ant. l. III, t. cit. v. g. cpl. I, l. III, t. 14, de consecr. eccles. vel alt. — Decret. Gregor. tit. cit.; Decret. Bonif. VIII, l. III, t. 21, 23; Const. Clem. V, l. III, t. 17; Extravg. com. l. III, t. 13. — Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 7, de ref., Sess. XXII, decr. de observ., Sess. XXV, cap. 20, de ref. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis* p. 127 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1576 sq.; Decreta auth. C. S. R. ed. *Muehlbauer* v. v. Capella, Ecclesia, Oratorium, Titularis iunct. nov. ed. auth. eorund. decret.; Collect Lac. recent. Conc. v. Eccles.

Scriptores. Comment. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech,* De iure rer. sect. 1, tit. 1, 2, 3, sect. 2, tit. 23, 24; *Devoti,* Inst. l. II, tit. 7 sq.; *Scherer,* Handb. d. K. t. II, p. 624 sq. 608 sq.; *Hinschius,* Syst. d. k. K. t. IV, p. 306 sq. — *Gasparri,* De ss. euchar. n. 121 sq.; *Many,* De locis sacris; *Ferraris,* Biblioth. v. v. Ecclesia, Oratorium etc.; *Van de Burgt,* De ecclesiis; *Van Gameren,* De orator.; *Gatticus,* De orator. domest.; *Arndt* in Arch. f. k. K. t. 72, p. 63 sq.; *Thalhofer,* Handb. d. k. Liturg. t. I, p. 705 sq. — *Thomassin,* Vetus et nov. Eccl. disc. P. I, l. 2, cap. 92 sq. P. II, l. 3, cap. 95 sq.; *Kraus,* Real-Encykl. v. v. Basilika, Kirche etc.; *Duchesne,* Origines du culte chrétien p. 385 sq. — *Matth. a Coronata,* Inst. iur. can. vol. II, n. 721 sq.; *Ferreres,* Instituciones vol. II, n. 38 sq.

Praenotiones

350. Ad cultum divinum exercendum peculiari ratione sunt destinata certa loca et tempora, de quibus in Codice in antecessum agitur antequam de ipsis actibus divini cultus peculiares praescriptiones tradantur (1). Saltem *principales* actus *liturgici* ex iuris canonici dispositione sunt perficiendi in locis sacris.

(1) Cfr. lib. III tit. 40 X. de consecr. eccles. vel altar.; l. III t. 36 X. de domibus *religiosis; Zech* l. c. §§ 2, 176; *Gasparri* l. c. n. 121, 280, 260 sq. 155; *Hinschius* l. c. t. IV p. 306.

Quibus locis sacris praesertim adscribi debent *ecclesiae* vel *oratoria* sive *capellae* atque ex natura rei etiam *altaria;* etenim *sacrificium Missae,* quod est augustissimus actus liturgiae catholicae, in ecclesiis et *in altari* tanquam in *loco proximo* est celebrandum. Quodsi *coemeteria* quoque in rubrica coniunguntur cum ecclesiis, id non solum in extrinseca rerum connexione et ordine legali (cfr. l. III, t. 49 X. de immun. eccles., coemet.; cfr. quoque can. 1154) suum habet fundamentum, sed etiam in illa praxi Ecclesiae, qua inde ab antiquissimis temporibus coemeteria christianorum cum locis sacris cultus divini intime fuerunt unita (2), licet ea coniunctio passim hodie deficiat.

Canones generales de locis sacris (can. 1154-1160).

351. In canonibus praeliminaribus huius secundae partis l. II Codicis praemittuntur generales quaedam notiones *de locis sacris.*

I. **Notio et divisio.** *Loca sacra* ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione, quam probati libri liturgici ad hoc praescribunt (can. 1154). Et inde petitur divisio: *a)* in locum sacrum destinatum cultui divino et locum sacrum destinatum fidelium sepulturae; *b)* in locum redditum sacrum per consecrationem vel per simplicem benedictionem (3).

II. **Benedictio** si in sensu generico accipiatur est invocatio divini nominis in res vel personas ad obtinenda bona praesertim spiritualia; in sensu magis restricto cum sermo est de locis sacris intelligitur benedictio constitutiva, qua locus efficitur sacer seu ad cultum divinum deputatus vel saltem ab omni profano usu remotus.

(2) Cfr. c. 19 § 3 C. XIII q. 2; *Kraus* l. c. Katakomben, Altar; *Duchesne* l. c. p. 387 sq.

(3) Nota est distinctio iuridica inter locum (vel domum) *sacrum, religiosum* et *pium.* Locus fit *sacer* si per benedictionem vel consecrationem deputatur ad cultum divinum v. gr. basilica consecratur in ecclesiam. *Religiosus* dicitur locus (vel domus) si per auctoritatem ecclesiasticam (erectio) deputatur ad opera pietatis et caritatis sive spiritualis sive corporalis absque benedictione vel consecratione v. gr. monasterium, seminarium, hospitale — Dicitur autem *pius,* si ex privata voluntate fidelium absque ulla consecratione vel benedictione saltem constitutiva vel deputatione auctoritatis ecclesiasticae ad finem religiosum destinatur. Cfr. *Van de Burgt,* De ecclesiis p. 264 sq. 273 sq.

(Cfr. supra ubi de Sacramentalibus tit. VII, n. 307). Quae benedictiones constitutivae possunt esse *solemnes* et *minus solemnes;* inter solemnes vero eminent illae benedictiones *reales,* in quibus intervenit sacra unctio chrismatis vel olei, et dici solent *consecrationes* (Cfr. supra l. c.).

III. **Minister consecrationis.** Quoad *capacitatem* (utique ex iure ecclesiastico) est Episcopus consecratus; quoad *liceitatem* est Ordinarius loci, quamvis ad regulares pertinentis, excluso Vicario generali speciali mandato carentis; qui Ordinarius loci consecrationem ipse per se facere poterit, si charactere Episcopali sit insignitus, secus ipse unus erit competens ad dandam licentiam consecrationis faciendae cuilibet eiusdem ritus Episcopo (can. 1155).

Consecrationes nemo potest peragere, si charactere Episcopali careat, nisi vel a iure vel per apostolicum indultum fuerit ipsi concessum (can. 1147). Per concessionem Pontificiam in ipso iure factam ad modum privilegii personalis habent S. R. C. Cardinales facultatem consecrandi, ecclesiam et altaria sui tituli (cfr. quoque can. 239, § 1, n. 2, ubi aliae quoque consecrationes permittantur). Cfr. etiam can. 323, 294 de Abbatibus et Praelatis *nullius* et de Vicariis et Praefectis Apostolicis.

IV. **Minister benedictionis** loci sacri. Salvo praescripto can. 1147, § 3, *ius benedicendi* locum sacrum, si hic pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam vel ad laicalem spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem: uterque vero potest alium sacerdotem delegare (can. 1156).

Nemo ergo potest locum consecrare aut benedicere sine Ordinarii consensu; pro *benedictione* loci exempti qui dat consensum erit Superior regularis, pro benedictione vel consecratione loci non exempti erit Ordinarius loci. Revocantur contraria privilegia circa hunc consensum; non alia, ut patet ex dictis (can. 1157).

V. **Probatio benedictionis vel consecrationis.** Ut ea habeatur modo indubitabili, praescribitur ut de ea peracta redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo custodiatur (can. 1158). Nihilominus potest fieri ut documentum deperdatur vel destruatur: quo casu satis probatur per unum testem omni exceptione maiorem, modo nemini damnum fiat. — Porro consecratio et benedictio tractatur sicut tractantur actus

ordinis, scilicet iterari non debent, quando de consecratione vel benedictione legitime constat; quodsi dubium remaneat post diligentem investigationem, tunc fieri potest consecratio vel benedictio ad cautelam (can. 1158, 1159). *Many,* De locis sacr. n. 29.

VI. *Exemptio* seu *immunitas* competit locis sacris a iurisdictione auctoritatis civilis, et plena et independens libertas competit Ecclesia ut in eis libere suam exerceat auctoritatem. Cfr. infra ubi de immunitate ecclesiarum.

CAPUT I

DE ECCLESIIS

I. Nomen, notio, divisio, historia ecclesiarum

352. *Ecclesia* (chiesa) hoc loco ex usu populorum latinorum non designat coetum sive *congregationem fidelium (ἐκκλησία)*, sed *templum* manufactum *(ἐκκλησιαστήριον)*, ad quod fideles sive *ecclesia* vel coetus fidelium *convocantur* ad cultum divinum exercendum et ad recipienda sacramenta. Populi autem germanici et sclavici eandem rem alio vocabulo denotant, (church, Kirche, cerkiew), quod verius ex verbo graeco (*κυριακόν* = dominicum) aut, ut alii subtilius arguunt, ex lingua celtica (cyrch, cylch) est derivandum (4).

Nomen ecclesiae imprimis denotat sacras aedes *maiores*, oratoria autem dicuntur aedes sacrae *minores*. Attamen ex usu loquendi communi et canonico ecclesia potissimum designat aedes sacras in *titulum* erectas atque solemniter consecratas vel saltem *specialiter* benedictas, quae **publicis** atque solemnibus functionibus *cultus divini pro universo populo* perfecto quodam gradu exercendis sunt in perpetuum dedicatae velut ecclesiae cathedrales et parochiales et

(4) *Tertull.*, De idol. cap. 7; *Duchesne* l. c. p. 386; *Kraus* l. c. v. Kirche; *Van de Burgt* l. c. p. 4 sq.; *Thalhofer* l. c. t. I n. 626 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 306 not. 9; *Van Gameren*, De orator. publ. et priv. p. 3 sq.; *De Rossi*, Roma sotterranea t. III, l. III, cap. 13; *Paul Allard*, Rome sotterraine; *Bingham*, Origines ecclesiast. l. VIII, cap. 1; *Frances*, De ecclesiis cathedralibus; *Bona*, Rerum liturgicarum l. I, cap. 19; Commentatores iur. Decret in cit. tit. 40, l. III; *Ferreres*, Los oratorios y el altar portátil, n. 42 sq.

conventuales (5). Unde iam facile erui potest, quae sit saltem principalis differentia inter ecclesiam et oratorium publicum vel semipublicum vel privatum, quae in hunc finem non sunt potissimum erecta, ut omnibus fidelibus usui sint. Cfr. infra h. t. cap. II.

Ecclesiae multiplici ratione *dividuntur.* Sunt enim *basilicae*, quae dicuntur ecclesiae quaedam *magis insignes* vel ob antiquitatem vel ob magnitudinem atque celebritatem. Ex his solummodo quinque ecclesiae Romanae appellantur basilicae *maiores*, reliquae omnes, quibus huiusmodi titulus basilicae concessus est, basilicis *minoribus* adnumerantur. Praeterea distinguuntur ecclesiae *cathedrales, quasi-cathedrales* (Abbatiae vel Praelaturae *nullius*), *abbatiales, collegiatae, conventuales, curatae, parochiales, baptismales, succursales, regulares, saeculares, receptitiae, matrices, filiales* (6). Cfr. infra ubi de hierarchia ecclesiarum.

353. Historia. I. *Apostoli primis temporibus* ecclesias pro more postea recepto certe non habuerunt. At dubitari nequit, quin iam aetate apostolica certa determinataque fuerint loca, in quae primi christiani ad exercendam religionem christianam convenirent. Cuius rei testis est iam ipse S. Paulus (I. Cor. XI, 22), ubi distinguit *domos privatas* fidelium a loco, ad quem universitas fidelium (ecclesia) conveniebat. Primae illae christianorum ecclesiae ferventibus persecutionibus certe simplices et modestae atque saepe in *domibus* privatis absconditae fuerunt, unde etiam nomen « *domus ecclesiae* » consecutae sunt (7). Ante finitas vero persecutiones christiani publicas quoque habuerunt ecclesias (8). Nam praesertim in persecutione Diocletiani ecclesiae christianorum fuerunt destructae. Primis tamen saeculis christiani scriptores ad designandas aedes sacras fidelium a vocabulo « *templi* » vel « *fani* » paganis superstitioni-

(5) *Gasparri* l. c. n. 122, 196, 200 sq. p. 216; *Van Gameren* l. c. p. 24 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 8 sq. de fine ecclesiarum.

(6) *Van de Burgt* l. c. p. 6 sq.; *Hinschius* l. c. p. 307 sq.

(7) *Dionysius* Alex. apud *Euseb.*, Hist. eccl. l. VII cap. 11, 12; Gesta apud Zenophilum (*Migne* P. L. VIII, 727 sq.) a. 303 de ecclesia Cirtensi in Africa: « *Cum ventum esset ad domum, in qua christiani conveniebant* »; *Duchesne* l. c. p. 385 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 734; *Many* l. c. n. 2.

(8) Cfr. c. 36, 52 Conc. Illiber. (a. 300-306); *Euseb.* l. c. l. VIII cap. 1, 2 l. X. cap. 2, *Optatus Milev.*, De schism. Donat. l. II cap. 14; *Hefele* l. c. t. I p. 170; *Thalhofer* l. c. p. 731 sq.

bus proprio abhorrentes, potius nominibus *ecclesiae, dominici, domus Dei, domus orationis, oratorii, martyrii, tituli, basilicae, capellae* atque similibus appellationibus usi sunt (9).

II. Finitis persecutionibus praesertim a Constantino M. magnificae ecclesiae constructae et Deo consecratae sunt (10). Quam praxim frustra impugnarunt antiqui et novi haeretici. Cfr. *Van de Burgt* l. c. p. 9 sq. Nec desunt exempla, quod templa *paganorum* vel *haereticorum* in ecclesias catholicas fuerint commutata. Cfr. c. 21, 22, D. I. de consecr.; *Hefele* l. c. t. I. p. 651, t. II, p. 663, 685. Paulatim eo res adductae sunt, ut Ecclesia sese debuerit opponere zelo cuidam indiscreto et arbitrario multiplicandi ecclesias vel oratoria. Cfr. cap. 17. Conc. Carthag. VI (a. 401) = can. 26, D. I. de consecr.; c. 17. Concil. Aurel. I. (a. 511) = can. 10, C. XVI q. 7; c. 25. C. Epaon. (a. 517). Pro more antiquo *novae* illae ecclesiae in forma crucis atque versus orientem aedificatae sunt ad instar basilicarum. Quibus basilicis aliisque ecclesiis in forma Romana constructis paulatim aliae formae successerunt, de quibus cultores architecturae ecclesiasticae consulendi sunt (11). Disputationibus canonicis solummodo reservatae sunt *leges ecclesiasticae* de aedificatione, consecratione etc. ecclesiarum (12).

II. De ecclesiis a edificandis vel reparandis

(In Decret. Lib. III, tit. 48, de eccles. aed. vel repar.)

354. Conditiones requisitae. Novae *ecclesiae* aedificatio quamvis sit opus bonum, privato arbitrio non est relicta, sed legitimo modo fiat necesse est. Quare ad novam ecclesiam aedificandam in loco *exempto* requiritur saltem auctoritas *Romani Pontificis* (13) sive in-

(9) *Devoti* l. c. t. 7 § 2; *Hefele* l. c. t. I p. 767; *Kraus* l. c. v. Basilika; *Thalhofer* l. c. p. 726 sq.; *Many* l. c.

(10) *Hefele* l. c. p. 502 sq. 626; *Thalhofer* l. c. p. 735; c. 28, 58 Concil. Laod. (a. 343-381); *Euseb.* l. c. l. X. cap. 3, 4.

(11) *Kraus* l. c.; *Jakob*, D. Kunst im Dienste d. Kirche §§ 3 sq.; *Kirsch*, D. christl. Cultsgeb. im Alterthum.

(12) Cfr. v. g. c. 10 Conc. Arausic. (a. 441) de competentia Episcopi ad consecrationem eccl.; c. 3 Conc. Ilerd. (a. 524-543) = c. 34 C. XVI q. 1.

(13) Cap. 4 de privil. V. 7 in Sext.; Leon. XIII Const. « *Roman. Pontifices* » 8 Maii 1881. Cfr. infra h. t. not. 14.

dulto generali sive licentia speciali interposita, in loco autem *non exempto Episcopi* dioecesani licentia est necessaria (14), excluso Vicario generali speciali mandato carente (can. 1162, § 1).

Quae licentia *Episcopi* loci etiam a regularibus exemptis est petenda, si vel ipsi *exempto* conventui iam *existenti*, sed a dioecesi non separato ecclesia *nova* et *publica* sit adiungenda (15); licet generatim permissio conventus regularium secum ferat permissionem ecclesiam habendi propriis regularium ministeriis necessariam. Ceteri sodales religiosi, licet licentiam constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, ut ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent (can. 1162, § 4).

Porro Episcopus quemadmodum illam licentiam dare debet atque sine rationabili motivo denegare non potest, si omnibus circumstantiis examinatis *iusta causa* pro novae ecclesiae aedificatione subsit (16), ita ex iusta et rationabili causa novo operi resistere atque consensum denegare valet. Quae iustae causae denegandi licentiam habentur: *a*) si *dotatio* ecclesiae necessaria desit aut saltem praevidetur defutura necessaria ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus impensas (can. 1162, § 2) (17); *b*) si constructio fiat ad

(14) Cfr. c. 4 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 10 C. XVIII q. 2; c. 44 C. XVI q. 1; c. 9 D. I de consecr.; cit. cap. 4 de priv. in Sext.; cap. 14 X. de priv. V 33; *Schmalzgr.* l. III t. 48 n. 1 sq.; *Gasparri* l. c. n. 125 sq.; *D'Annibale*, Summ. theol. mor. P. III n. 2 sq.

(15) Conc. Trid. S. XXV. cap. 3 de reg.; Leon. XIII Const. « *Romanos Pontifices* » 8 Maii 1881. Qua Constitutione attenta certe *Treugott* in Arch. f. k. K. t. 26 p. 130 sq. nimis *generaliter* asserit ad aedificandam novam et publicam ecclesiam *conventui* regulari adnexam *non* requiri novam licentiam Episcopi (et R. Pontificis), postquam conventus regularis iam legitime est erectus. Nam quamvis cum permissione conventus *possit* esse coniuncta licentia aedificandi etiam ecclesiam publicam, tamen id in omnibus casibus necessario non obtinet. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV cap. 3 de regul.; *Gasparri* l. c. n. 125; *Van de Burgt* l. c. p. 18 sq., quem *Hinschius* l. c. p. 320 not. 2 inefficaci impugnat argumento. Nam non omnis locus vere *exemptus* est etiam a dioecesi *separatus*.

(16) Cap. 3 X. h. t. 48; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4 de ref.; *Schmalzgr.* l. c. n. 6 sq. Unde si licentia ab Ordinario iniuste denegetur, patet recursus ad Metropolitam vel Sedem Apostolicam. Cfr. S. C. C. 16 Ian. 1694 apud *Ferraris* l. c. v. Ecclesia art. 4 n. 15; *Van de Burgt* l. c. p. 90.

(17) Cfr. cit. can. 9 D. I de consecr.; cap. 8 X. de consecr. eccles. III 40. Si de aedificanda ecclesia regulari agitur, dotatio ecclesiae confunditur cum dotatione domus regularis. *Reiffenstuel* Ius can. III, 48, n. 10.

quaestum faciendum, non ad promovendum cultum divinum (18); *b*) si leges *iustitiae* etiam in alteram ecclesiam (19) violentur, ita ut appellatio ad Metropolitam vel R. Pontificem vel querela nullitatis vel actio de damno dato vel *novi operis* nuntiatio merito fieri possint (20). In finem vitandi aliorum detrimentum, quod tamen maiore fidelium spirituali utilitate non compensetur, Ordinarius iubetur audire vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit novae ecclesiae aedificatio, quibus forte competere possit actio de novi operis nuntiatione (can. 1162, § 3).

Quodsi Episcopus licentiam concedendam esse arbitretur, profecto suae permissioni nequit apponere *conditiones* vel limitationes iuri *communi contrarias*, v. g. quod certi fideles in nova ecclesia licet *publica* non satisfaciant praecepto Ecclesiae de audienda Missa. At non videtur prohiberi, quominus in *simplicibus* ecclesiis vel oratoriis publicis concedendis limites quosdam constituat in sacris functionibus peragendis (Cfr. S. R. C. 14 Iun. 1845), salvis tamen quoad substantiam praescriptis canonum 479 sq.

355. Si Episcopus generatim *consilium* novae ecclesiae aedificandae approbavit (21), novi operis executio non est inchoanda, nisi ipse Episcopus vel eius delegatus etiam *locum* inspexerit et approbarit, *crucem* in eo fixerit, lapidem primarium servato ritu Pontificalis Romani benedixerit et posuerit. Curandum quoque est, ut *dos* vel promissio dotis in forma iuris valida praestetur. Cfr. c. 8, X. de consecr. III, 40. Universa autem ecclesiae aedificatio ad Dei honorem perficienda est pro *natura* cultus catholici, cuius centrum est sacrificium Missae, ad promovendam fidelium devotionem, *stylo* a profano alieno, iuxta *situm, formas* et *delineationes* sanis principiis artis christianae et antiquae Ecclesiae *traditione* et ab auctoritate *ecclesiastica* v. g. ab Episcopo ad tramites iuris vigentis et

(18) Cfr. can. 10 ead. D.

(19) Cap. 1, 2, 4 X. de novi op. nunt. V 32; *Schmalzgr.* l. c. n. 8; *Gasparri* l. c.; *Ferraris* l. c. n. 18 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 28 sq. 89 sq.; *Scherer* l. c. t. II pag. 628 not. 12; *Hinschius* l. c. t. IV p. 322 sq.

(20) Quae veteres auctores v. g. *Schmalzgr.* l. c. n. 9 sq. h. t. 48 de *erectione* novarum ecclesiarum parochialium sive de *divisione* parochiarum disputare solent, iam satis superque in propria materiae sede de erectione et divisione officiorum ecclesiasticorum fuerunt exposita. Cfr. *Wernz-Vidal* tom. II, n 144 sq.; 163 sq. De privilegio distantiae cfr. *Ferraris*, l. c. v. Eccl. n. 17 sq.

(21) Collect. Lac. v. Ecclesia v. g. t. VI col. 29, 341.

specialis finis ecclesiae approbatas (can. 1164) (22). Benedictio et impositio primarii lapidis ad Ordinarium loci spectat, nisi agatur de ecclesia regularium exemptorum, quo casu pertinet ad Superiorem maiorem (can. 1163). Episcopus debet sequi ritum Pontificalis, sacerdos uti ritu in Rituali romano descripto.

Vitandae quoque sunt singularitates et novitates, praesertim si expresse in iure prohibitae sint. V. g. vel ipse fundator in limine fundationis nequit sibi reservare ius ex *domo privata* aperiendi *ostium* vel *fenestram* in ecclesiam a se aedificatam, sed expressum requiritur indultum apostolicum. Cfr. S. R. C. 12 Sept. 1840; S. C. C. apud *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae S. C. C. p. 864 sq. Multo minus id permitti potest in favorem personae, quae ecclesiam non fundavit (can. 1164, § 2). Similiter *subtus pavimentum* ecclesiae non possunt construi cubicula ad usum *mere profanum*, etiamsi aditus ad illa pateat extra ecclesiam. Cfr. S. R. C. 31 Augusti 1867, 4 Maii 1882. Item *super* ecclesiis non licet aedificare cubicula ad diu noctuque habitandum et dormiendum. Cfr. S. R. C. 11 Maii 1641; S. C. C. apud *Lingen* et *Reuss* l. c. p. 862 sq. et in Act. S. Sed. vol. XX, p. 319 sq.; *Barin*, in Ephemerides liturgicae V, 36 (a. 1922) pag. 511. Morem antiquum fuisse ut ecclesiae ita construerentur ut ecclesia seu eius altare maius aut sanctuarium respiceret orientem testantur *Constitutiones apostolicae* l. II, cap. 57; *Socrates*, Hist Eccl. l. V, cap. 22, quam praxim repetunt ex more christianorum orandi vultu ad orientem verso, quem referunt *Didascalia* cap. 12, Clemens Alexandrinus, Origenes, alii; sed praescriptio de hac re iure comuni numquam extitit. (Cfr. *Durand* in Études, oct. 1897, p. 168 sq.; *Bona*, Rerum liturg. l. I, cap. 20, § 4) — Idem dicendum est de forma ecclesiarum, in qua adfuit magna varietas, cum aliae essent oblongae ad formam navis, aliae rotundae, aliae octangulares, aliae in formam crucis, *Bona* l. c.; *Bingham*, Origines ecclesiasticae l. VIII, cap. 3 sq.; *Cabassutius*, De veterum ecclesiarum situ, partibus, structura; *Many* l. c. n. 9; *Ferraris* v. Ecclesia, art. III, n. 74 sq.

(22) Cap. 1 X. de vit. et hon. cler. III 1; Collect. Lac. v. g. t. V col. 179, 372 sq. 524 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 30 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 107 sq. *Devoti* l. c. tit. 7 §§ 4, 9 sq.; *Gasparri* l. c. n. 126 sq.; *Iakob* l. c. §§ 3 sq. 21 sq.; *Schuster*, Liber Sacrament. I, c. 13 p. 15 sq. Cfr. quoque Pii XI sermonem *de arte sacra* in A. A. S. XXIV, 355.

356. Gubernii consensus et approbatio ad novam ecclesiam aedificandam ex natura rei nullo modo requiritur, nisi ipsi Ecclesiae videatur esse opportunum, ut, *postquam* in foro ecclesiastico universum negotium est definitum, etiam consensus gubernii petatur aut propter iniuriam temporum toleretur (23).

357. Ecclesia rite aedificata summa cura mediisque aptis est *conservanda*, et si collapsa fuerit, sedulo *reparanda* et restauranda. Indignum enim est, ut domus Deo dedicata collabatur atque adeo profanetur (24). Qua in restauratione ecclesiarum perficienda ad amussim servanda sunt, quae Episcopi pro diversitate regionum de *stylo* aliisque conditionibus sapienter praescripserunt (25).

358. Cui incumbat reparatio. Principalis autem difficultas in ista materia solet esse quaestio, quis ex iure canonico (26) *ad solvendas expensas restaurationis* ecclesiarum sit *obligatus*.

Cum in ordinanda et definienda illa obligatione pro diversitate regionum maxima sit varietas, quae inde ex saeculo elapso potius aucta quam imminuta est, primo loco *constitutiones* vel *consuetudines* vel conventiones *particulares*, si quae sint neque ab Ecclesia fuerint reprobatae, in praxi sunt attendendae et observandae (27).

Quodsi ex iure communi Ecclesiae petatur solutio huius quae-

(23) *Vering* l. c. § 207; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto eccles. § 177 not. 3, 4; *Hinschius* l. c. p. 324 sq. 332 sq.

(24) Cap 1, 3 X, h. t. 48; Conc. Trid. Sess. VII cap. 8, Sess. XXI cap. 7 de ref.; *Van de Burgt* l. c. p. 363 sq.

(25) Collect. Lac. v. g. t. V col. 589, 865.

(26) Cfr. *Nussi*, Concordata p. 202. In praxi leges quoque *civiles* de hac re latae omnino sunt attendendae. Illae enim leges, quae per se eo modo fuissent condendae, ut ius ab Ecclesia constitutum tuerentur et ad instar brachii saecularis defenderent, paulatim a potestate civili tanquam de causa suae *competentiae* subiecta ex propria auctoritate atque non raro etiam cum iustitiae violatione fuerunt latae. Cfr. *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 215 not. 19, ubi de competentia Ecclesiae in hac materia minus accurate disputat.

(27) Cf. v. g. pro Italia et insul. adiacent. Benedicti XIII. Const. « *Pius* » 12 Maii 1725 de media annata ad restaurationem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum; S. C. C. 20 Iul. 1895 in Act. S. Sed. vol. 28 p. 298 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 33; *Aichner* l. c. n. 232; *Bargilliat* l. c. n. 1264; *Santi* h. t. 48 n. 3; *Lucidi*, De visit. sacr. lim. P. I. vol. I p. 63 sq. (n. 41 sq.); *Gasparri* l. c. n. 132 sq.; *Friedberg-Ruffini* l. c. § 181 p. 779 sq.

stionis, nunc deducendum est ex can. 1186, ubi distinctio fit inter ecclesiam cathedralem paroecialem et alias ecclesias.

a) Quoad *cathedralem*: 1° profecto ex natura rei illud onus incumbit specialibus *fundis ecclesiasticis* aedificationi ecclesiae destinatis atque imprimis *fabricae ecclesiae*, si quae existit et bona ad istum scopum deputata habeat, salva tamen ea parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem (28); 2° deficientibus bonis fabricae vel fundi specialis, onus reparationis devolvitur ad eos, qui ex pacto vel statuto vel consuetudine particulari ad restaurationem obligantur; 3° deinde transit ad episcopum et canonicos pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem (29); 4° demum ad dioecesanos, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione inducat ad sumptus suppeditandos pro eorum viribus.

b) Quoad eccl. *paroecialem* similis ordo servandus, ut 1°) recurratur ad bona fabricae et ad eos qui pacto vel statuto aut consuetudine ad hoc tenentur; 2°) ad patronum ad normam canonis 1469; 3°) ad eos qui fructus ex ecclesia provenientes percipiunt iuxta taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam; 4°) tandem recurrendum est ad parochianos, quos pariter Ordinarius loci magis hortetur quam cogat; quae hortatio convenienti modo facta etiam in praxi erit magis utilis quam coactio. Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 120 sq.; Act. S. Sed. vol. I 150, vol. II p. 93, 464; Archiv f. k. K. t. XVI, p. 366, sq. (30).

c) Aliarum ecclesiarum reparatio, servata proportione, incumbit iis, de quibus dictum est loquendo de ecclesia paroeciali; quare imprimis ipsi fabricae, si adest; deinde patronis si qui sint; rectori et beneficiatis; tandem recurrendum est ad populum qui ecclesia utitur praesertim per eleemosynarum collectas sub directione et consensu Ordinarii.

(28) Cfr. c. 27 (S. Gelas. a. 494) C. XII q. 2; c. 2, 3 C. X. q. 5; Concil. Trident. Sess. XXIV cap. 3 de ref. « *Episcopi... fabricarum reditus in usus ecclesiae necessarios et utiles... expendi curent* »; *Schmalzgr.* l. c. n. 34.

(29) Cap. 1, 4 X. h. t. 48; Conc. Trid. Sess. XXI cap. 7 de ref.

(30) Conc. Trid. l. c.; *Schmalzgr.* l. c. n. 33 sq.; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 100; *Van de Burgt* l. c. p. 367 sq.; *Lucidi*, De visit. sacr. limin. P. I. vol. I p. 62 sq. (n. 39 sq.) de reparatione sacrar. aedium; *Gasparri* l. c. — Textus iuris praecedentis, ut legenti patebit magis sonant compulsionem quam simplicem hortationem.

Quae normae huc usque de aedificatione et reparatione ecclesiarum statutae, *servata proportione*, etiam ad *domos* parochiales, alia aedificia ecclesiastica, utensilia ecclesiae, coemeteria sunt applicandae (31).

359. Scholion. Si nulla iam sit spes fore, ut ecclesia ruinosa restaurari possit, *Episcopi* pro suo arbitrio ex huiusmodi ecclesia sibi *subiecta* possunt transferre beneficia et iura et bona dotalia in ecclesiam *matricem*, si filialis sit, vel in alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, atque in eisdem ecclesiis erigant necesse est altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel capellas transferant beneficia cum omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiae impositis. Ipsa vero ecclesia collapsa penitus destrui et in profanos usus, non sordidos, (erecta tamen ibi cruce) converti non prohibetur (can. 1187) (32).

III. - De consecratione et benedictione ecclesiarum

(In Decretal. Lib. III. t. 40 de consecr. eccles. vel altar.).

360. Ecclesia postquam plene perfecteque constructa est, ex antiquo usu (33) per ritum specialem cultui divino dedicari *potest*, nisi aliunde quid obstet saltem solemni dedicationi, v. g. quod sufficientes *cautiones* datae non sint, si ecclesia spectet ad laicam fa-

(31) S. C. C. 24 iul. 1838, 18 Dec. 1847; *Aichner* l. c. § 231 i. f.; *Hinschius* l. c. p. 332 sq.

(32) Conc. Trid. Sess. XXI cap. 7 de ref. ubi ad maiorem efficaciam suae potestatis Episcopis datur facultas ut procedant etiam tamquam Delegati Apost. Sedis. S. C. C. 27 Febr. 1864 in Act. S. Sed. vol. I p. 217 sq.; *Benedict. XIV*, Quaest. can. 142; *Schmalzgr*. l. c. n. 38, 66, 67; *Van de Burgt* l. c. p. 443 sq.

(33) De *historia* cfr. *Devoti* l. c. § 16; *Duchesne* l. c. p. 385 sq.; *Kraus* l. c. v. Dedicatio. Etiamsi dedicatio ecclesiae ad sacras functiones ipsa natura rei commendatur, tamen ex primis tribus saeculis testimonium quoddam expressum non habetur de consecratione ecclesiarum saltem per ritum quendam specialem et solemnem peracta, nisi forte quis excipiat Acta martyr. SS. Tryph. et Respic., ubi dedicatio alicuius martyrii (oratorii sive ecclesiae) commemoratur. Qui ritus dedicationis certe tempore persecutionum fuit simplicissimus atque per deputationem ad cultum divinum cum signo crucis atque *ipsa celebratione* mysteriorum fieri potuit. Cfr. *Duchesne* l. c. p. 389 sq. At quamprimum persecutiones fuerunt finitae, mox solemnissimae occurrunt consecrationes ec-

miliam, vel pars subterranea inserviat rebus et negotiis profanis. Cfr. S. R. C. 4 Maii 1882; *Gasparri* l. c. n. 125, 149 sq.

Principium generale est in nova ecclesia divina officia celebrari non posse, antequam eadem vel solemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata (can. 1165). Cfr. can. 12, 15 D. I. de consecr.; Rituale Rom. l. c.

I. *Dedicatio* in genere est ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo locus profanus efficitur sacer et a legitimo ministro in perpetuum deputatur ad cultum divinum.

---

clesiarum, quas Constantinus M. aedificaverat. Cuius rei testis est *Euseb.*, Hist. eccl. l. X. cap. 3, 4, ubi narrat consecrationem magnificae basilicae Tyri (a. 315) factam. At lex universalis *solemniter* per ritum *specialem* consecrandi ecclesias, *antequam* in illis mysteria celebrarentur, istis primis temporibus nondum exstitit, ut constat ex responsis S. Athanasii contra querelas suorum adversariorum. Cfr. *Hefele* l. c. t. I p. 626, 651 iunct. p. 460, 470 et *Duchesne* l. c. p. 389 sq. Saltem ex saeculo quinto non desunt canones, quibus iam severe interdicitur, ne in ecclesiis non consecratis sacrificium Missae celebretur. Cfr. c. 23 Synod. S. Patricii in Hibernia (a. 450-456). Plane singularis autem videtur illa praxis eodem saeculo in Italia commemorata, quod ad consecrationem ecclesiae vel oratorii in provincia metropolitana R. Pontificis requiratur *praeceptum Sedis Apostolicae* (cfr. Gelas. a. 494 in c. 6 [4, 5, 7] D. I. de cons.), quasi consecratio ecclesiae fuerit causa reservata Romano Pontifici, non propria Episcopis. Cuius praecepti apostolici necessitas saltem ex parte facile explicatur; nam Rom. Pontifices voluerunt impedire, ne ecclesiae dedicarentur in honorem personarum defunctarum, quae tali honore dignae non fuerunt. Quare ista praxis connexa fuit cum *beatificatione* vel *canonizatione* servorum Dei. Cfr. Gelasium apud *Thiel*, Epist. R. Pont. p. 375 sq. Accedit, quod certe Rom. Pontif. optime prohibere potuerunt, ne absque mandato apostolico consecrarentur novae ecclesiae *cathedrales*. Indubitanter vero ex iure quodam *universali* in toto orbe catholico *vigente* necessario non requirebatur mandatum apostolicum ad consecrationem *omnium* ecclesiarum. In aliis enim regionibus *Episcopi* semper libere usi sunt facultate consecrandi ecclesias, atque etiam in Italia iam diu ante Decretales Gregorii IX antiquum ius de mandato apostolico per contrariam consuetudinem fuit sublatum. Cfr. c. 10 Conc. Arausic. I (a. 441); c. 10 Conc. Aurel. I (a. 511); c. 5 Conc. Bracar. (a. 572); c. 19 Conc. Tolet. III (a. 589); c. 8 Conc. Metens. (a. 888); *Kraus* l. c.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 241 not. 6 p. 319; *Rufin.*, Summa ed. *Schulte* p. 470; *Many*, De locis sacris, n. 10 sq.

Quodsi in antiqua liturgia Romana ritus consecrationis *ecclesiae* consistebat in *consecratione altaris* et *translatione reliquiarum* pridie facta, quae postero die per solemnem celebrationem Missae complebatur, in Ecclesia Galliae *specialis* quidam *ritus* consecrationis *ipsius ecclesiae* fuit introductus. Quem ritum postea Ecclesia universalis pariter recepit atque in Pontificali Romano ratum habuit. Cfr. *Duchesne* l. c. p. 390 sq. Definita competentia ministri et substantia ritus non paucae quoque caeremoniae et conditiones accidentales v. g. de tempore consecrationis (cfr. c. 1 Concil. Caesaraug. a. 691), de *dotatione* ecclesiae (cfr. cit. Conc. Bracar. et Toletan. III) paulatim fuerunt statutae.

Distinguitur dedicatio in *consecrationem* sive dedicationem *solemnem* et in *benedictionem* sive dedicationem *minus solemnem*, si *interim* ex iusta causa *consecratio differatur. Consecratio* consistit *essentialiter* in ungendis sacro chrismate duodecim crucibus, quae pictae aut sculptae sunt in parietibus cum prolatione verborum: « *Sanctificetur* » etc. in Pontificali Romano praescriptorum. Ritus vero *essentialis benedictionis* est aspersio *parietum* in parte superiore et inferiore cum aqua benedicta simul prolatis precibus in Rituali Romano praescriptis.

II. Solemni consecratione dedicandae sunt ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales. Non est prohibitum ecclesiam iam benedictam et cultui divino ita dedicatam solemniter consecrare.

Ecclesia ex ligno vel ferro aliove metallo consecrari non potest, sed tantum benedici. Quodsi prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos, ante aedificationem Ordinarius consensum aedificationi non praebeat; si vero iam fuerit aedificata, eam ne consecret neque benedicat (can. 1165).

In aliis ecclesiis supra non enumeratis dedicatio minus solemnis sive *benedictio* sufficit. Imo si agatur de ecclesia, quae pertineat ad laicam familiam et per vigentes leges civiles possit haereditaria ratione transmitti aut vendi, abstinendum est ab eiusmodi ecclesiae *consecratione,* nisi habeantur *sufficientes cautiones.* Cfr. S. R. C. in caus. Taurin. 4 Maii 1875 iunct. cap. 8 X. h. t. 40; c. 26, 27 C. XVI q. 7 (scr. Gelas. a. 495-496); *Van de Burgt* l. c. p. 104 sq.; *Wernz* l. c. t. III n. 140.

361. *Consecrationis validae et licitae minister* ex supra dictis est solus *Episcopus* dioecesis, in qua ecclesia sive saecularis sive regularis aedificata est, post captam dioecesis possessionem (34). Eodem iure pollent, *si ordine episcopali sint insigniti,* pro dioecesi *Vicarius capitularis, Vicarius generalis,* si mandato speciali sit instructus (cfr. *Bened. XIV.,* De Synod. dioec. l. II, cap. 8, n. 2), pro territorio separato Praelatus nullius, pro ecclesia tituli cardinalitii

(34) Pontif. Roman. P. II tit. de ecclesiae dedic. seu cons.; cap. 1 X. de relig. dom. III 36; cap. 2 X. h. t. 40; Leon X Const. « *Dum intra* » 19 Dec. 1516 § 12; Conc. Trid. S. VI cap. 5 de ref.; S. C. de Prop. F. 1 Dec. 1837 de Patriarchis; *Schmalzgr.* l. c. n. 13 sq.

in Urbe ipse *Cardinalis titularis* etiamsi Episcopus consecratus non sit ex can. 239 (cfr. decis. Congr. spec. 25 Iunii 1879). *Simplici presbytero* consecratio ecclesiae ex iure communi non competit; est enim actus *ordini episcopali* soli adnexus et a solo *Romano Pontifice* per modum privilegii generalis vel indulti specialis difficulter obtinendi concedi potest (35). Multo magis solummodo Romanus Pontifex per meram *ratihabitionem* potest efficere, ut consecratio altaris vel ecclesiae invalide facta sanetur. Cfr. cap. 10, X. h. t. 40. At *Episcopus alienus* ex legitima commissione *Ordinarii* loci consecrationem ecclesiae *licite*, imo absque illius consensu saltem *valide* perficit, dummodo ipse sit valide consecratus et ritum essentialem servet, sed eo in casu suspensioni ab usu pontificalium ipso iure subiicitur (36).

Quae commissio legitima praeter Episcopum loci potest dari a Vicario capitulari vel a Vicario generali munito speciali mandato, vel a Praelato nullius vel Cardinali titulari, at non ad deputandum Episcopum alterius ritus. Cfr. S. C. Inq. 16 Iunii 1831.

Una simul cum ecclesia debet consecrari saltem altare maius; quodsi iam esset consecratum hoc altare saltem aliud altare secundarium. Manet tamen quod aliquod altare possit consecrari sine consecratione ecclesiae (can. 1165, § 5).

Benedictio autem ecclesiae, cum sit actus *ordinis sacerdotalis,* sed reservatus Episcopo, ab Ordinario loci simplici sacerdoti etiam in dignitate non constituto licite et valide delegari potest (37). Porro quoad regulares exemptos simplex benedictio ad Superiorem maiorem pertinet delegabilem alii sacerdoti.

362. Ecclesiarum consecratio licet *omni die* de iure fieri possit (38), tamen decentius in dominicis diebus aliisve festis de prae-

(35) Cfr. c. 8 Conc. Metens. (a. 888) de Chorepisc. iunct. *Hefele* l. c. t. IV p. 546; cap. 9 X. h. t. 40; Bened. XIV Const. « *Ex tuis precibus* » 16 Nov. 1748; *Bened. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII cap. 15 n. 2 sq. 5; *Gasparri* l. c. n. 156 sq. 279.

(36) Conc. Trid. l. c.; Bened. XIV Const. « *Iam inde* » 12 Maii 1756; *Many* l. c. n. 11 sq. §§ 3, 5. Cfr. c. 20 sq. D. I. de consecr.; *Gasparri* l. c. n. 156 sq. 279; *Bargilliat* l. c. n. 535, 1271 sq.

(37) S. R. C. 7 Oct. 1645; Rituale Rom. tit. VIII cap. 27; *Schmalzgr.* l. c. n. 15. 16.

(38) Cap. 2 X. h. t. 4; Pontifical. Roman. l. c. *Schmalzgr.* l. c. n. 20; *Gasparri* l. c. n. 158.

cepto peragitur. Qui dies *certae consecrationis* (non benedictionis) in unaquaque ecclesia singulis annis solemniter, sed non ut festum de praecepto celebrandus est, nisi Episcopus in actu consecrationis alium diem fixum per rubricas non exceptum ut anniversarium designarit (39), vel ex indulto *apostolico commemoratio annua* (dedicationis) omnium ecclesiarum totius dioecesis vel ditionis vel ordinis religiosi in unum communem diem festum fuerit translatus v. g. in Gallia in dominicam post octavam omnium Sanctorum. Cfr. decret. *Card. Caprara* 9 April. 1802 et 21 Iun. 1804 iunct. resp. S. R. C. 31 Augusti 1872 et 2 Sept. 1871; *Many* l. c. n. 16; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 203, not. 4.

Episcopus ecclesiae vel altaris consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum si S. R. E. Cardinalis (Cfr. Pontif. Rom. iunct. cap. 14, X. de poenit. et remiss. V, 38).

363. Quoad *formam* dedicationis ecclesiae, sive fit per *consecrationem* sive per *benedictionem*, religiose servandus est ritus in Pontificali vel Rituali Romano praescriptus. *Many* l. c. n. 13 sq.

Dedicatio ecclesiae quodammodo inchoatur *benedictione* (c. 9. D. I. de consecr.) *primarii lapidis*, quae Episcopo loci per se est reservata, sed ab eodem etiam simplici sacerdoti delegari potest atque secundum formam in citatis libris liturgicis praescriptam et attentis decisionibus S. R. C. 23 Febr. 1884 ad dub. 1 et 11 Mart. 1871 ad 3. Salva manet facultas benedicendi et imponendi primarium lapidem Superiori maiori religionis clericalis exemptae quoad propriam ecclesiam (can. 1163-1156).

Qua in benedictione primarii lapidis iam satis exprimitur *titulus*, a quo ecclesia aedificata et consecrata postea sit appellanda. Quamvis enim ecclesiae *principaliter* dedicentur *Deo*, tamen v. g. ex specialibus *mysteriis* vel *Sanctis*, in quorum memoriam et honorem

(39) Cfr. c. 16, 17 D. I. de cons. (can. Pseudoisid.); cap. 14 X. de poenit. V 38 = capit. 62 Conc. Later. IV (a. 1215); S. R. C. 29 Iulii 1780 ad 3, 18 Aug. 1629, 14 Iun. 1608, 13 Mart. 1649, 8 Iunii 1894 ad 3, 4 Febr. 1896; *Gasparri* l. c. n. 172 sq. 177, 178 sq. 137 sq.

sunt fundatae, *titulum* obtinent, unde ad instar nominis *baptismalis* ab invicem aptissime distinguuntur. Cfr. S. R. C. 27 Sept. 1857; *Kraus* l. c. v. dedicatio *.

Quodsi titularis ecclesiae sit *persona creata* v. g. Sanctus, etiam *patronus* dici potest; secus v. g. SS. Trinitas vel mysterium vel res est tantum titulus, non patronus. Similiter patronus, qui est *ecclesiae titulus*, bene distinguendus est a patrono *loci*. Cfr. S. R. C. l. c.; *Gasparri* l. c. n. 137 sq. — Etiam festum titularis, quotannis celebrandum est. Beatis dedicari nequeunt ecclesiae sine indulto apostolico (can. 1168).

Proxime praeparatur consecratio ecclesiae per *ieiunium* in vigilia, quod est strictae obligationis tum pro Episcopo consecrante tum pro iis tantum, qui ecclesiam sibi consecrari petunt. Cfr. S. R. C. 19 Iul. 1780, 12 Sept. 1840; S. O. 14 Dec. 1898.

Quibus in ritibus consistat *essentia* consecrationis vel benedictionis ecclesiae facile patet ex definitionibus supra n. 436 datis.

Quodsi ecclesiae consecratio facta sit, *omissa* altaris consecratione cum ipsius ecclesiae consecratione coniungenda, valida quidem, sed illicita est dicenda, nisi habeatur apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia altaria consecrata reperiantur (40).

364. Consecratio ecclesiae regulariter *iterari non potest*, nisi forte fuerit *invalida* aut *ignoretur* vel prudenter *dubitetur* num ecclesia sit consecrata, aut per *exsecrationem* simpliciter ipsam consecrationem amiserit, v. g. si per incendium parietes penitus vel quoad maiorem partem destruantur (41).

In sacra aede legitime dedicata per consecrationem vel benedictionem omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus

(*) Illa electio tituli in impositione primarii lapidis non est dicenda definitiva ideoque immutabilis; sed ab Ordinario in ipso consecrationis vel benedictionis die mutari potest; item dum ecclesia benedicta postea consecratur.

(40) Decret. S. R. C. 19 Maii 1896 a Leone XIII 8 Iun. eiusd. an. expresse confirmatum, quo antiquior sententia, quae etiam nullitatem consecrationis ecclesiae sustinuerat, antiquata est. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 159 sq.; *Many* l. c. n. 14 ubi animadvertit posse ecclesiam consecrari a pluribus Episcopis, qui inter se dividant partes consecrationis.

(41) Cfr. c. 16, 18, 20 sq. 24 D. I. de consecr.; Bened. XIV Const. « *Iam inde* » 12 Maii 1756 sq.; S. R. C. 17 Dec. 1875, 19 Aug. 1878; *Schmalzgr.* l. c. n. 21 sq.; Acta theolog. Oenip. t. XX p. 376 sq.; *Gasparri* l. c. n. 154, 279.

paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia ad religionem exemptam pertinente in qua evitetur detrimentum ecclesiis paroecialibus ad normam can. 609, § 3. Cfr. can. 1171.

IV. - De exsecratione et pollutione et reconciliatione ecclesiarum

365. Exsecratio ecclesiae consistit in totali amissione illius sanctitatis, quae per consecrationem vel benedictionem fuit data. Ex sententia huc usque satis communiter recepta consecratio dicebatur inhaerere parietibus sicut benedictio pavimento, et ecclesia censebatur exsecrata, si *tota* vel saltem *maior* pars *externa parietum* sive tota simul incrustatio destructa fuit (42). Quae sententia ex recentioribus decisionibus S. R. C. (43) est corrigenda. Consecratio enim in parietibus facta totum aedificium atque potissimum *muros* afficit. Quare consecratio ecclesiae perditur sive exsecratio habet locum, si tota ecclesia aut notabilis pars murorum (cfr. S. R. C. 4 Sept. 1875 ad 2) destruatur, aut ecclesia in *perpetuum* ad usus profanos auctoritate Ordinarii fuerit conversa (can. 1170).

Non item si vi aut malitia hominum redacta fuerit ad usus profanos, etiam per aliquod longum tempus, quae malitiosa profanatio non producit ecclesiae exsecrationem (44). Similiter cum benedictio ecclesiae verius dicatur inhaerere *parietibus* quam soli

(42) Cfr. c. 20 D. I. de consecr. iunct. Act. theol. Oenip. l. c. p. 371, 378; *Gasparri* l. c. n. 182; *Schmalzgr.* l. c. n. 16.

(43) S. R. C. 5 Maii 1882, 11 Ian. 1892, 19 Maii 1896, 9 Aug. 1897; Acta theolog. Oenip. l. c. p. 372 sq.; *Suarez*, De virt. et stat. rel. tract. II l. 3 cap. 2 n. 4; *Gasparri* l. c. — Paulo aliter *Scherer* l. c. t. II p. 631, ubi *generale* verbum italicum (*intonaco*) in allegatis decisionibus S. R. C. adhibitum non satis videtur distinguere a duobus vocabulis *specialibus*, quibus in lingua italica partes *singulae* incrustationis designantur.

(44) Cap. 1, 6 X. h. t. 40; Conc. Trid. Sess. XXI cap. 7 de ref.; Act. theol. Oenip. l. c. p. 373 sq. 376 sq.; *Gasparri* l. c. n. 184 sq. Videlicet consecratio vel benedictio effectum moralem habent ex institutione Ecclesiae; qui effectus ea forma et modo perdurat quo ipsa Ecclesia determinat. Licet autem essentia consecrationis *in fieri* consistat in crucibus inungendis et relativis verbis proferendis; postquam consecratio perfecta est, ecclesia manet perpetuo consecrata donec eadem moraliter perseverat modo ab Ecclesia determinato.

pavimento, ecclesia benedicta exsecratur, si parietes vel notabilis illorum pars destruantur. Cfr. Bened. XIV Const. « *Iam inde* » 12 Maii 1756, § 13; *Gasparri* l. c. n. 183, 167. Aliter *D'Annibale*, Summula P. III, n. 9 suo tempore cum aliis, qui cum existimarent benedictionem ecclesiae inhaerere *pavimento*, censebant etiam dirutis parietibus benedictionem non cessare, nisi *tota* ecclesia auctoritate Superioris destructa esset sine ulla spe reaedificationis. Quare de iure vigente non amittit consecrationem vel benedictionem ecclesia seu oratorium: *a)* licet ipsi parietes ex parte cum tecto corruant, modo tamen pars remanens sit vere et certe maior partibus destructis; *b)* licet crusta parietum, in qua cruces depictae erant etiam tota exciderit; *c)* quamvis nullum supersit vestigium crucium olium inunctarum; *d)* licet parietes et alia omnia successive reparentur, modo pro singulis reparationibus pars destructa minor sit parte remanente. Quodsi ecclesia amplietur in longitudinem vel latitudinem, modo pars addita sit minor parte antiqua, non est necessaria nova consecratio; sed pars minor per suam adiunctionem ad partem consecratam etiam sacra seu consecrata efficitur.

Facta igitur exsecratione ecclesia cultui divino servire non amplius potest, nisi *denuo consecretur* vel *benedicatur*.

366. Pollutio seu **violatio** consecrationem ecclesiae *non tollit*, sed ipsius sanctitatem ita *contaminat*, ut antequam *ista macula* per *reconciliationem* ablata sit, sacra ibidem celebrare graviter sit interdictum (45).

De iure Codicis solum hisce actibus *polluitur* ecclesia: 1° per delictum *homicidii* cui evidenter aequiparatur suicidium voluntarium personae *vel* loco sacro *iniuriosum*, quocunque modo intra ecclesiam patratum (46); 2° per voluntariam et graviter peccaminosam *effusionem sanguinis humani* in ipsa ecclesia factam (47); 3° per *sepulturam infidelis* (48) vel *excommunicati* per sententiam declara-

(45) *Schmalzgr.* l. c. n. 63 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 250 sq.

(46) Cfr. c. 19, 20 D. I. de consecr.; cap. 4 X. h. t. 40.

(47) Cap. 4, 10 X. h t. 40; cap. unic. eod. tit. III 21 in Sext.

(48) Ita iam ex communi sententia doctorum. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 253. Quae sententia sane probari nequibat ex non raro allegatis can. 27, 28 D. I. de consecr.; isti enim canones de re probanda nihil omnino continent, et si quid continerent, certe ex sese non habebant vim iuridicam pro universa Ecclesia. Potiori iure provocari potuit ad resp. S. R. C. in caus. Carthag.,

toriam vel condemnatoriam ibidem peractam; 4° per impios et sordidos usus quibus ecclesia addicta fuerit. Ut per dictos actus ecclesia violetur necesse est ut sint, nedum *certi*, sed etiam *notorii* et in ipsa ecclesia positi; porro ad *alios* actus in iure non expressos sive delicta etiam graviora sive censuras vel poenas ecclesiasticas non possunt extendi (49).

367. *Primarius effectus* pollutionis ecclesiae in hoc consistit, quod in ecclesia polluta, donec reconcilietur, *divina celebrari* non possint nisi adsit gravis causa excusans in iure admissa et ab Episcopo approbata, si urgens necessitas non obstet (50). Imo nec Missa est *continuanda* si *ante canonem* polluatur ecclesia (51). Quodsi quis contempta lege prohibente in ecclesia polluta sacra perageret, graviter peccaret condignisque poenis esset castigandus, sed *irregularitatem* vel *censuram* in iure expressam ipso facto non incurreret. Can. 1173 (52).

Porro polluta *ecclesia* iure Codicis non polluitur *coemeterium* tametsi *illi contiguum*, et vicissim; etenim pollutio de loco in locum nequit *extendi*, nisi huiusmodi extensio in iure exprimatur (53).

Ecclesia vero polluta non amittit *ius* ad indulgentias, quae ipsi forte sunt adnexae (54).

---

23 Apr. 1875 (Decret. auth. C. S. R. n. 3344), ubi mandatur, ut ecclesiae, in quibus *Hebraei* et *Protestantes* fuerant sepulti, *reconcilientur*, « *eo quia ex tumulatione cadaverum acatholicorum* (i. e. Hebraeor. et Protest., de quibus in quaesito agebatur) *pollutae fuerint* ». Nunc dubium omne exulat. — At cum versemur in re odiosa, quae strictae est interpretationis, asserta pollutio nequit extendi ad casum, quo forte *catechumenus* in ecclesia fuisset sepultus. — Cohaerenter ad nova principia in iure paenali Codicis sancita, excommunicatis vitandis aequiparati sunt excommunicati per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; inde disparuit antiqua controversia. Cfr. v. *Gasparri* l. c. n. 254; Reiffenstuel l. III, t. 40, n. 91 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 66 sq.; *Kohn.* in Arch. f. k. K. t. 40, p. 60, 74 sq.; *Many* l. c. n. 34.

(49) *Schmalzgr.* l. c. n. 82, 83; *Gasparri* l. c. n. 244, 249. Per voluntariam et graviter peccaminosam seminis humani effusionem non amplius iure codicis violatur ecclesia, ut iure praecedenti. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 252; *Many* l. c. n. 33.

(50) Cap. 18 de sent. excom. V 11, in Sext.; *Schmalzgr.* l. c. n. 64, 65; *Gasparri* l. c. n. 243.

(51) Missale, De defect. X. 2.

(52) Cit. cap. 18 de sent. exc. in Sext.

(53) Aliter iure praecedenti. Cfr. cap. unic. de consecr. III 21 in Sext; *Schmalzgr.* l. c. n. 69 sq.; *Gasparri* l. c. n. 249.

(54) S. C. Indulg. 18 Sept. 1862.

368. Quando *consecrata* vel *benedicta ecclesia certo* et *publice* polluta est, quamprimum per *reconciliationem*, non per solam Missae celebrationem nec per *novam* consecrationem vel benedictionem cultui divino est restituenda (55). *Quodsi* pollutio ob dubium iuris vel facti incerta sit, in rigore iuris reconciliatio non est necessaria; at non raro fit « *ad cautelam* ». Cfr. S. R. C. 3 Mart. 1821, Febr. 1847 (can. 1174). Antea vero cadaver exinde est removendum, si remotio sine gravi incommodo fieri possit, quando ex eius sepultura accidit violatio (can. 1175).

Quae reconciliatio ecclesiae *consecratae* novo iure pertinet ad eos, quibus ius est loca sacra *benedicere* ad normam canonis 1156, qui praeterea ius habent alium sacerdotem ad hoc delegare. Aliter iure praecedenti. Imo in can. 1176 additur: « In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eamdem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario ».

Ecclesiam vero *benedictam* reconciliare potest ipse rector ecclesiae, vel in eius defectu aut ex ipsius consensu quilibet sacerdos. Consensus rectoris facile praesumi potest si rector est absens et urgeat necessitas reconciliationis.

Reconciliatio ecclesiae *benedictae* fieri potest aqua lustrali communi, servato ritu Romani Ritualis (tit. VIII, cap. 28). Reconciliatio ecclesiae *consecratae* fieri debet aqua ad hoc benedicta, quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant benedicere possunt (can. 1177). Quae benedictio specialis habetur in Pontific. Romano, in qua, si presbyter benedictionem faciat, mutare debet quoad rubricas ea quae Episcopum respiciunt (56).

V. - De immunitate ecclesiarum

369. *Immunitas* ecclesiarum est pars immunitatis *localis*. Quae immunitas localis *duo* privilegia importat; *unum* est, quod ob re-

---

(55) Cap. 10 X. h. t. 40; S. R. C. 19 Aug. 1634 ad 2; *Schmalzgr.* l. c. n. 84 sq.; *Gasparri* l. c. n. 243 sq. 255 sq.

(56) Aliter iure praecedenti. Cfr. cap. 9, 10 X. h. t. 40; S. R. C. 9 Febr. 1608; Pontif. Roman. P. II tit. de eccl. et coemet. reconcil; Leo X Const. « *Religionis* » 3 Febr. 1514; Leo XII Const. « *Plura inter* » 11 Iul. 1826; S. R. C. 12 Dec. 1761, 15 Dec. 1646; *Schmalzgr.* l. c. n. 84; *Gasparri* l. c. n. 256 sq.; *Many* l. c. n. 41 sq.

verentiam *locis sacris* debitam *actus profani* in iisdem exerceri prohibeantur; *alterum* est, quod certis criminosis eo confugientibus libera detur commoratio sive *asylum*, unde sine venia auctoritatis ecclesiasticae violenter extrahi non possint (57).

Quoad primum privilegium certi *actus profani* videntur adeo manifeste repugnare sanctitati et reverentiae loco sacro debitae, ut *ex natura rei* iam sint ibidem prohibiti; alii autem actus, licet ex natura rei loco sacro non congruant, certe ex speciali lege ecclesiastica accedente merito prohibentur (58). Pariter ex natura rei rationes *congruae* allegari possunt, ob quas convenienter prohibeatur violenta extractio confugientium criminosorum ad *asylum* ecclesiasticum. At per se et intrinsece certe malum non est, convenienti *tempore* et *modo* malefactorem ex templo per vim extrahere; secus id etiam in casibus a iure exceptis et paulatim multum auctis non fuisset permissum. Unde facile deducitur, nequaquam *indiscriminatim* universam immunitatem localem ex *stricto* quodam *divino iure* sive naturali sive positivo posse derivari. Nam quamvis immunitas localis possit vere repeti ex iure divino naturali quoad illos actus, qui ex natura rei in ecclesiis prohibentur (59), tamen quoad reliquos actus (60) et quoad *asylum* (61) ex iure *canonico* est derivanda. Quod ius canonicum profecto *rationem* habet in *aequitate naturali* fundatam et iure quoque *civili* tanquam per *brachium saeculare* fuit protectum. At *ratio* quaedam *naturalis* non est *lex naturalis* (62), neque immunitas localis Ecclesiae simpliciter a iure civili

(57) Decret. Gregor. IX l. III, tit. 49. *Schmalzgr.* l. III t. 49 n. 66 sq.; *Zech* l. c. tit. 24 de reverentia locis sacris debita; *Devoti* l. c. sect. 2 §§ 21 sq. de immunitate ecclesiarum; *Van de Burgt* l. c. p. 161 sq. 176 sq.; *Gasparri* l. c. n. 152; *Many* l. c. n. 44 sq. — Specialem « *De iure asyli* » egregiam edidit dissertationem *Zech*, praeposito generaliori titulo « *Benignitas moderata Eccl. Romanae in criminosos ad se confugientes seu De iure Assyli Ecclesiastici* ». *Ingolstadii 1761.*

(58) *Schmalzgr.* l. c. n. 67 sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. II l. 3 cap. 1 sq. 3 n. 3 sq. cap. 4 sq.

(59) *Suarez* l. c. cap. 3.

(60) *Suarez* l. c. cap. 4.

(61) *Schmalzgr.* l. c. n. 93 sq.; *Reiffenstuel* l. III t. 49 n. 20 sq.; *Suarez* l. c. cap. 8. Paulo aliter *Scherer* l. c. t. II p. 641 not. 63, ubi putavit veteres auctores parum consequenter (?) ex multiplici mutatione iuris asyli deducere illius originem humanam.

(62) *Santi* l. III t. 49 n. 1; *Pennacchi*, In Const. Apost. Sedis t. I, p. 645 sq.

ortum habuit (63). Quodsi Codex can. 1160 ecclesiae vindicat exemptionem *sacrorum locorum* a iurisdictione auctoritatis civilis et plenam libertatem exercendi suam spiritualem iurisdictionem, id multo magis applicandum est ecclesiis seu locis unice destinatis ad cultum divinum, e quibus pro suo iure arcere Ecclesia potest quidquid sanctitati ac decori divini cultus sibi unice subiecti aut contrarium aut incongruum prudenter existimet.

370. Inter actus profanos, qui in ecclesiis fieri prohibentur, speciatim (64) recensendi sunt: I. *Iudicia saecularia* tum criminalia tum civilia; II. *negotiationes*, nundinae, contractus (65); III. *profani ludi* theatrales (66); IV. publici conventus societatum *profanarum;* V. *convivia:* VI. *seditiosae* conclamationes et *profanae* confabulationes; VII. *lasciva* et profana musica; VIII. *profanus usus* pro habitatione vel asservatione suppellectilis, nisi necessitas excuset; IX. *munitio ecclesiae* per modum castri ad alios offendendos (67).

Quae normae generales iam iure antiquo stabilitae facile applicari possunt ad alios casus plane aequiparatos et hoc loco singillatim non enumerandos. Cfr. v. g. Pii V Const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566 §§ 4, 5; Urbani VIII Const. « *Cum ecclesiae* » 30 Ian. 1642. Quodsi nostra aetate casus novi et moderni occurrant imprimis attendenda sunt decreta SS. Congregationum v. g. S. C. Inq., S. R. C., S. C. de Prop. F.

Huc spectant v. g. decisiones S. C. Inq. 14 Iul. 1887; 3 Septembr. 1887; 17 Ian. 1890; 24 Nov. 1897 quibus praescribitur, ut

(63) Syllab. Pii IX prop. 30; *Devoti* l. c. § 37 not. 1. Cui doctrinae non obstat, quod ius asyli legibus civilibus multiplici ratione fuerit praeformatum, approbatum et efficaciter protectum.

(64) De prohibitionibus iam antiquitus factis cfr. v. g. de agapis can. 28 Conc. Laodic. (a. 343-381); de conviviis c. 29 Conc. Hippon. (a. 393) iunct. c. 4, 5 D. 42 et *Hefele* l. c. t. I p. 767 t. II p. 58; de variis actibus indecentibus c. 9. Conc. Antissiodor. (a. 585), c. 17. Conc. Cabilon. (a. 644), c. 93. Conc. Trull. (a. 692).

(65) Cap. 1, 5, 9 X. h. t. 49; cap. 2 h. t. in Sext.; resp. S. C. C. 27 Maii 1623 d. 30 Maii eod. an. ab Urbano VIII confirmatum in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 469 n. 2.

(66) Cap. 12 X. de vita et honest. III 1.

(67) Cfr. can. 15 Conc. Lateran. I. (a. 1123) = c. 14 C. X. q. 1; *Schmalzgr.* l. c. n. 67 sq.

in ecclesiis occasione exsequiarum et festorum tantum *vexilla religiosa* societatum laicorum admittantur; secus parochus se abstineat. Religiosa autem vexilla sunt illa, quae iuxta formulam Ritualis Romani fuerunt benedicta. At solummodo benedicenda sunt « *vexilla earum societatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica approbata fuerint ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum prae se ferant* ». Collect. S. C. P. F. (ed. 2ª) n. 1681 (68).

Episcopi quoque sive in Synodis dioecesanis sive in Conciliis particularibus habent ius in ecclesiis conservandi ordinem legitimum etiam per ministros specialiter deputatos et reprimendi novos abusus ortos et a parochis exigendi, ut in casibus *dubiis* statuto generali vel consuetudine legitima nondum solutis ad se recurrant (69) v. g. de concentibus musicis etiam religiosis et ad cultum divinum non ordinatis, de congressibus catholicis, de academiis etiam sacri argumenti, de distributione praemiorum etc. Cfr. v. g. Collect. Lac. t. VI, col. 30, 175; Synod. dioec. Neapol. (a. 1882) const. III, cp. 1, n. 17. Quae Episcoporum potestas canone 1178 firmatur dum ipsorum et aliorum ad quos spectat curae commendatur, praeter munditiam quae Domum Dei decet, ut ab ecclesiis arceantur negotiationes et nundinae, et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit.

371. Scholion. In regionibus quibusdam Germaniae ex saeculo decimo septimo usque ad ultima tempora occurrit praxis, ut una eademque ecclesia *simul* cultui catholico et acatholico Protestantium inserviat. Non opus est, ut multis verbis probetur, huiusmodi « *simultaneum* » usum a mente Ecclesiae catholicae omnino esse alienum et generaliter prohibitum atque ad summum *ad tempus* propter tristem necessitatem cum debitis cautelis *tolerari*. Quare optimo iure Pius IX, 12 Mart. 1873, istam tolerantiam non extendit ad usum simultaneum eiusdem ecclesiae per catholicos et asseclas novae sectae « *veterum catholicorum* », sed potius ecclesias a neohaereticis

(68) Cfr. quoque « Monitore eccl. » t. V, part. II, p. 211 sq.; tom. X, part. I, p. 233 sq.; *Many* l. c. n. 215.

(69) Cfr. v. g. de agitationibus politicis: Decreta Episcoporum Hiberniae 19 Maii 1854 a Sede Apostolica approbata et statuta Episcoporum Galiciae a. 1862 atque Pii IX. Breve « *Libentissime* » 17 Mart. 1862 ad Arch. Leopol. rit. lat. in Arch. f. k. K. t. 8 p. 152 sq.

usurpatas ita interdicendas esse statuit, ut omnis cultus catholicus ibidem penitus prohiberetur (can. 823). Cfr. c. 41, § 1, C. XXIV, q. 1; cap. 2 X, de sacr. non iter. I, 15; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1797 sq. 1800, 1817, 1831, 1853; *Gasparri*, l. c. n. 279; *Hirschel* in Katholik (a. 1875) t. I, p. 362 sq.; *Hinschius*, l. c. t. IV, p. 358 sq., ubi in dubium vocare nequit, quid principia catholica postulent, sed de eorum applicatione movet querelas non fundatas.

372. Ius asyli (70). I. Apud antiquos populos atque praesertim apud Hebraeos moribus et legibus fuit receptum. Cfr. Exod. XXI, 13; Numer. XXXV, 6 sq.; Deuteron. XIX, 2 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 537.

Quod ipsa natura rei ob reverentiam domui Dei debitam atque praxis veteris testamenti et Imperatorum Romanorum (cfr. L. un. Cod. Theod. de his, qui ad statuas confug. IX, 44; L. un. Cod. Iust. eod. I, 25) commendavit, id Ecclesia quoque pro sua clementia in favorem sacrarum aedium novi testamenti obtinere studuit i. e. impunitatem vel saltem moderationem legitimae poenae sive castigationis omnibus iis, qui per fugam ad templa christiana sese sub tutelam Dei et Ecclesiae constituerant.

Cuius studii antiquissimum documentum est illa supplicatio, qua Episcopi Concilii Carthaginiensis (a. 399) ab Imperatore petierunt, ut limitationes iuris asyli tollerentur. Quam parum vero Ecclesia iam inde ex saeculo quinto habuerit intentionem in concedendo asylo solummodo suam interponendi *intercessionem*, maxime inde patet, quod in suis Synodis severas statuerit poenas (71) contra

(70) *Grashof* in Arch. f. k. K. t. 37 p. 3 sq. de leg. Imper. Rom. de iure asyli eccles.; *Suarez*, De relig. tract. II, l. III, cap. 8 sq.; *Giraldi*, Exposit. iur. pontif. P. I sext. 637; *Wiestner*, Ius asylorum; *Zech*, De iud. eccles. sect. 2 tit. 3 de modo declin. for. crim. per fug. ad eccl. seu de iure asyli eccles. Benignitas moderata Rom. Eccl. seu De iure Assyli; *Hahn*, De ancipiti... Assilor. iure apud *Schmidt*, Thesaurus, t. V, p. 426 sq.; *Assemani*, De eccl. earumque rever. et asylo, Romae 1766; *Bened. XIV*, De Synod. dioeces. l. XIII cap. 18 n. 12; Inst. 41; *Ferraris* l. c. v. Immunitas ecclesiastica; *Thomassin.* l. c. P. II l. 3 cap. 95 sq.; *Widder*, Kirchl. u. weltl. Asylr. in Arch. f. k. K. t. 78 p. 24 sq.; *Hinschius*, l. c. t IV, p. 380 sq.; *Many* l. c. n. 47 sq.

(71) Cfr. c. 5 Conc. Arausic. (a. 441); Gelas. Papa (a. 492-496) in c. 10 C. XVII q. 4; c. 1, 3, 2 Conc. Aurel. I (a. 511) = c. 36 C. XVII q. 4 et c. 3 C. XXXVI q. 1; c. 39 Conc. Epaon. (a. 517); c. 8 Conc. Ilerd. (a. 524-546) = c. 19 C. XVII q. 4; c. 13 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 21 Concil. Aurel. IV

illos, qui reos ad asyla ecclesiastica confugientes sacrilego ausu extraxerunt aut non obstante promissione data post traditionem interfecerunt vel mutilarunt.

Cuius iuris asyli etiam tempore medii aevi eo maior fuit convenientia, quo crudelior esset lex *talionis* atque minus *ordinata* et nimis *severa* pro diversitate temporum et regionum *iustitiae criminalis* administratio. At ne ius asyli degeneraret in nimium favorem hominum criminosorum et iudicia criminalia redderet illusoria, iam in iure antiquo certae limitationes iuris asyli fuerunt statutae. Quo magis autem ex fine medii aevi nimia extensio iurisdictionis ecclesiasticae a guberniis civilibus impugnaretur, eo magis etiam ius asyli fuit restrictum. Ipsi quoque R. Pontifices inde ex fine saeculi decimi sexti auxerunt numerum criminum exceptorum, ob quae beneficium asyli ecclesiastici penitus negarunt (72).

At quamvis *crimina excepta* augerentur, tamen partim iuris statutis partim theoriis canonistarum claris textibus iuris *communis* non fundatis ius asyli ad tot *loca* sacra vel religiosa (v. g. etiam ad oratoria privata Episcopi auctoritate erecta, ad palatia Episcoporum), ad tot *personas* (v. g. etiam ad clericos et religiosos iam aliunde soli foro ecclesiastico subiectos) fuit extensum et tot cautelis et sanctionibus munitum, ut rigor antiquae disciplinae saltem in theoria quoad substantiam retineretur (73).

II. Substantialiter, exclusis personis et delictis exceptis, consistebat in hoc: 1° quod qui confugissent ad Ecclesiam, non erant violenter ab ecclesia extrahendi; 2° quod confugientes ad ecclesiam non possent damnari ad mortem vel poenam corporalem; 3° non tamen reum ab omni poena eximebat; 4° qui crimen exceptum patrasset, facto brevi processu ut de hoc constaret, debebat tradi curiae saeculari, ut secundum leges puniretur. *Many* l. c.

(a. 541); c. 22 Concil. Clarimont. (a. 549); c. 8 Conc. Matisc. (a. 585); c. 7 Conc. Rem. (a. 624-625); c. 10 Conc. Toletan. XII (a. 681); c. 5 Conc. Tolet. XVI (a. 693); cap. 2 Synod. Paderborn. (a. 785); cap. 39 Synod. Mogunt. (a. 813); cap. 6, 9, 10 X. h. t. 49; *Devoti* l. c. §§ 26 sq.

(72) Cap. 6, 10 X. h. t. 49; Greg. XIV Constitut. « *Cum alias* » 24 Maii 1591; Benedict. XIV Const. « *Officium* » 15 Mart. 1750. Cfr. *Many* l. c. n. 52, 54, 58, 59.

(73) Cap. 9 X. h. t. 49; Gregor. XIV cit. Const. « *Cum alias* » § 7; *Ferraris* l. c. v. Immunitas art. 2, 3; *Reiffenstuel* l. III t. 49 n. 28 sq. 54 sq.

III. Salutarem influxum iuris assyli in ipsum bonum publicum civitatis, ea ratione qua illud ius fuerat ab Ecclesia moderatum, sic concludit *Zech* l. c. pro suo tempore: « Bonum publicum potius summopere prodit. Sic enim excitatur in subditis templorum reverentia; in iudicibus optanda Servatoris nostri mansuetudo imitationi proponitur; animantur rei ad misericordiam Supremi Numinis implorandam; frangitur protervorum superbia et salutaribus poenitentiae exercitiis tumida colla summittuntur; datur locus opportunus clementiae et iustitiae tamen via non praecluditur; servantur vitiosi ut tamen emendentur vitia; tolluntur pessimi scelerum fructus, ut tamen arbor non eradicetur; ita reis parcitur ut nolint deinceps peccare; ita spes veniae intenditur ut impunitas non permittatur. Adeo opportune iustitiae rigor lenitate temperatur, ut vere commendetur Ecclesiae benignitas temperata ».

IV. Cum praesertim ex ultimo saeculo leges civiles ius asyli fere ubique extra Statum pontificium non amplius agnoscerent, et propter mitiores poenas et meliores ordines iudiciarios tanta convenientia et necessitas huius privilegii ecclesiastici non iam existeret, in omnibus fere regionibus ius asyli vix iam erat ullius practici momenti. Nihilominus Ecclesia usque ad nostram aetatem ius asyli absolute et simpliciter non sustulit. Imo in concordatis ultimo saeculo initis, « *ut honoretur domus Dei, qui est Rex regum et Dominus Dominantium* », observantiam iuris asyli saltem *sacrorum templorum* urget addito tamen « *in quantum id publica securitas et ea quae iustitia exigit fieri sinant* » (74). Denique Pius IX Const. « *Apostol. Sedis* » in « *immunitatem asyli ecclesiastici* **ausu temerario** *violare iubentes* **aut** *violantes* » excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatam omnino retinuit (75).

(74) Concordatum cum Austria a. 1855, art, 15; cum Republ. Aequatoris a. 1862, art. 10; cum ead. Repub. a. 1881, art. 10.

(75) *Nussi* l. c. p. 152, 157, 161 sq. 179 sq. 184, 191, 203, 228; *D'Annibale* l. c. n. 120 sq. Quae censura, ut constat ex epistola Nicolai II ad Episcopos Galliae, in qua refertur Concil. Roman. (c. 6 C. XVII q. 4), ab initio fuit *ferendae* sententiae atque nonnisi a Gregor. XIV in cit. Const. § 8 commutata est in excommunicationem latae sententiae Rom. Pontifici reservatam. — Negata recognitione ex parte auctoritatis civilis, facile, ut per se patet, sequitur quod rei non amplius confugiant ad ecclesias, ubi facilius et securius caperentur, et inde fere non est locus immunitati asyli.

Quae censura suo obiecto non caruit; nam certe tempore promulgationis Const. « *Apost. Sed.* » (a. 1869) ius asyli Romae atque in Statu pontificio theoretice et practice nondum fuerat abrogatum. Optimo quoque iure R. Pontifex non penitus neglexit ius concordatorum vel consuetudines irrationabiles aut nondum legitime praescriptas.

Cum recentiora autem concordata v. g. cum Austria (a. 1855) et republica Aequator. (a. 1862) inita memoratas *generales* clausulas: « *In quantum id publica securitas et ea, quae iustitia exigit, fieri sinant* », habeant adiunctas et tantum de *sacris templis* vel *sanctis aedibus* loquantur, etiam in illis regionibus ius asyli ecclesiastici magis theoreticum quam practicum habet valorem.

Denique Episcopus quidam nostra aetate Sedi Apostolicae haec exposuit: « *In eadem Const.* (i. e. « *Ap. Sed.* ») *excommunicatione Romano Pontifici reservata plectuntur « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes ». Hisce vero in regionibus lex asyli ecclesiastici secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit* (76), *ita ut vix quisquam sine casu ad petendum eius patrocinium animum intendat. Nihilominus movetur quaestio, utrum abrogata contraria consuetudine lex asyli denuo statuta* (?) *in his quoque regionibus sit saltem quoad substantiam* (?) *servanda necne* ».

Cui quaestioni, ut videtur aliquantisper obscurae nec satis determinatae, S. C. Inq. 22 Dec. 1880 respondit: « *Ad II. Affirmative et detur particula Instructionis fer. IV, 1 Febr. 1871, ad rem faciens* ».

Commentarium huius censurae Card. D'Annibale l. c. n. 121 hisce verbis finit: « *Iuris asyli in regnis saecularibus vix vestigium superest* » atque mox in nota 18 subiungit: « *Sed ubi lex asyli contraria consuetudine est abrogata,* **si denuo statuatur,** *servanda erit sub poena excommunicationis huiusmodi* », et allegat cit. resp. S. C. Inq. 22 Dec. 1880 et Inst. 1 Februar. 1871.

(76) *Schmalzgr.* lib. III t. 49 n. 99 sq.; *Reiffenstuel* l. c. n. 26; *Hollwech,* D. kirchl. Strafges. p. 211 sq., qui tamen ex cit. resp. S. C. Inq. 22 Dec. 1880 contra *Pennacchi* l. c. t. I p. 659 sq. atque veteres auctores *nimium* deducit, si putat ius asyli quoad substantiam per contrariam consuetudinem *ne posse quidem* abrogari. Nam ad summum sequitur *factum* non abrogati iuris, non *impossibilitas* abrogationis.

Quae verba « *denuo statuta* » et « *quoad substantiam* » nondum accurate et authentice definita sunt.

At salvo meliori iudicio illa « *substantia* » videtur *opponi extensioni* quoad *delicta* et *loca* et *formalitates accidentales.* Quare nihil videtur obstare, quominus per contrariam consuetudinem ius asyli sub triplici illo respectu saltem quoad *extensionem* limitetur. Certe vel in ipsis concordatis recentioribus cum suis generalibus clausulis ut loca asyli tantum commemorantur *domus Dei* sive *sacra templa.*

V. Codex quoque can. 1179 ecclesiis ius asyli vindicat, ita autem illud circumscribit: « ut rei qui ad ecclesiam confugerint inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii vel saltem rectoris ecclesiae » ubi nullum apponitur impedimentum exercitio iustitiae, sed tantum consulitur sanctitati loci; idcirco ius asyli in Codice retentum valde differt ab antiquo iure asyli.

Certe in praxi curandum est, ut saltem illud vestigium iuris asyli vel potius immunitatis ecclesiasticae ab actione profana diligenter retineatur et custodiatur, quam vel ipsae leges civiles haud raro reliquerunt intactam, et ipsa natura rei et sanctitas loci requirit, v. g. ne quis homo criminosus tempore officiorum divinorum in ecclesia per violentiam temere capiatur.

Ecclesiarum Hierarchia (can. 1180)

373. Quemadmodum in clericis, ita etiam in ecclesiis adest gradatio quaedam seu hierarchia dignitatis, ex qua hoc inter se ordine a maiore ad minorem dignitatem praecellunt.

I. Ecclesiae *patriarchales* Urbis seu *Basilicae maiores.* Sunt autem: *a)* Basilica *Lateranensis,* seu Salvatoris, seu S. Ioannis in Laterano, quae inde primum locum tenet super omnes ecclesias, non excepta Vaticana, quod sit ecclesia cathedralis Romani Pontificis; idque etiam confirmavit Gregorius XI, const. « *Super universas* » 13 Iun. 1372 et S. Pius V, const. « *Infirma aevi* » 21 Dec. 1569 (77).

(77) Fuit disputatum, utrum sola B. Lateranensis constituat Cathedralem Rom. Pontificis, vel potius omnes simul Basilicae Patriarchales, quasi partes unius totius, quasi membra cum capite. Cfr. Card. *de Luca* « Miscellanea »

b) Basilica *Vaticana* seu S. Petri.

c) Basilica *S. Pauli extra muros.*

d) Basilica *Liberiana,* seu S. Mariae ad Praesepe (78).

II. Ecclesiae *cathedrales,* sedes alicuius episcopi: quae iterum sunt vel patriarchales (aut primatiales), vel metropolitanae, vel simplices cathedrales, prout Episcopus sit aut Patriarcha (vel Primas) aut Metropolita aut simplex Episcopus. His assimilantur ecclesiae, quae sunt sedes alicuius Praelati *nullius,* quae etiam dici solent quasi-cathedrales.

III. Ecclesiae *abbatiales,* quae sunt sedes alicuius Abbatis, quae iterum sunt vel saeculares vel regulares prout ad saeculares vel regulares pertineant.

IV. Ecclesiae *collegiatae* sc. cui adnexum est collegium canonicorum legitime institutum, quarum aliae sunt *insignes,* aliae simplices collegiatae.

V. Ecclesiae *parochiales,* sedes alicuius paroeciae.

VI. Ecclesiae *regulares,* regularium conventibus adnexae, ita tamen ut populo pateant.

VII. Aliae *ecclesiae,* quae pro publico fidelium usu aedificatae sunt, sed nullam praedictarum speciem ingrediuntur.

---

disc. 1, n. 26 (t. 14, parte 4, p. 7); « De praeeminentiis » disc. 15, n. 7 (t. 3, parte 2, p. 82), disc. 41, n. 3, 4, 17 (eod. tomo) — Ceterum convenit generatim vocari has quatuor Basilicas *Patriarchales,* quia habentur ut ecclesiae quatuor patriarcharum: Lateranensis ut eccl. Rom. Pontificis, qui est Patriarcha totius Occidentis; Vaticana ut ecclesia Patriarchae Constantinopolitani; S. Pauli ut Patriarchae Alexandrini; Liberiana ut Patriarchae Antiocheni. *Thomassinus,* Vetus et nov. eccl. discipl. part. I, l. I, cap. 9. — Quibus nonnulli addunt Basil. S. Laurentii extra muros ut eccl. Patriarchae Hierosolymitani. — Ita maiores Romanae Basilicae referunt imaginem simul et universalitatis et unitatis Ecclesiae.

(78) Quae quatuor Basilicae multis honestantur privilegiis; in earum altari principali soli Rom. Pontifici fas est divina mysteria celebrare, nec ulli alii sine expressa Rom. Pontificis licentia, singulis vicibus renovanda (*altare papale*); habent privilegium *portae sanctae,* quae non aperitur nisi anno jubilaei ab ipso Rom. Pontifice aut a Cardinali ad hoc delegato. Tres basilicae intra Urbem existentes habent rectorem Cardinalem archipresbyterum, qui tenetur sibi assumere vicarium. Basilica S. Pauli habet rectorem abbatem regularem Ord. S. Benedicti cum pluribus monachis. Cf. *Andreucci* t. 1, De vicariis basilicarum Urbis libr. I, tract. VI. — Privilegia basilicae Vaticanae in unum collegit Benedictus XIV const. « *Ad honorandum* » 27 Mart. 1752.

Basilicae minores (79). « Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemorabili consuetudine. Basilicae (minoris) privilegia ex alterutro capite colliguntur » (can. 1180). Cum aliqua ecclesia in dignitatem basilicae minoris erigitur, in Litteris erectionis solet apponi clausula: « cum omnibus privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae huiusmodi basilicae uti solent »; quae ex decr. S. R. C. in *Lucerina* 27 Aug. 1836 (decr. auth. n. 2744) reducuntur ad *conopoeum* (seu magnum umbraculum ad instar tabernaculi) omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, ad *tintinnabulum,* et (si res ferat) ad *usum cappae magnae* pro canonicis; ubi hi non adsunt potius ponitur *stemma* basilicae. Sed semper standum est litterae concessionis.

Remanent istae basilicae in suo ordine v. gr. ecclesiarum parochialium, collegiatarum etc.

374. Appendix. *De fabricis ecclesiarum.* Licet de hac re sub propria rubrica « De administratione bonorum ecclesiasticorum » erit agendum, hic breviter recensenda sunt praescripta canonum (1182-1185), qui hoc loco Codicis inseruntur.

Notio. Ecclesia vel *fabrica* ecclesiae (ecclesia episcopalis, collegiata, conventualis, parochialis) est institutum ecclesiasticum sive *persona iuridica* (distincta ab ipsis administratoribus fabricae), cui tamquam *subiecto* dominii omnia illa bona et iura temporalia adscripta sunt, quae praesertim (non unice) *cultui divino* alicuius ecclesiae inserviunt (v. gr. ad *conservandam* et reparandam et exornandam ecclesiam vel ad comparanda utensilia cultus divini). Quibus in bonis administrandis Ecclesia non recusavit operam etiam laico-

---

(79) In Urbe *basilicae minores,* praeter S. Laurentium *extra* muros, extant aliae octo. Extra Urbem existunt in dies plures ex omni genere ecclesiarum sc. cathedrales, collegiatae, paroeciales, regulares, sanctuaria specialis devotionis. Ecclesia S. Francisci, Assisii, a Benedicto XIV, const. « *Fidelis Dominus* » 25 Mart. 1754, erecta fuit in basilicam patriarchalem et capellam papalem, in qua Rom. Pontifici reservavit duo altaria, quae *papalia* esse et vocari iussit. Cfr. *Many* l. c. n. 62 sq. Idem constituit Pius X pro ecclesia Assisiensi Stae. Mariae Angelorum, quam voluit omnino immutabiliter manere sub potestate, dominio et proprietate S. Sedis (A. A. S. 1, 394 sq.).

rum acceptare, modo illi nomine et approbatione ipsius administrationem susciperent (80).

Praecepta Codicis ad haec reducuntur: 1° Administratio eorum bonorum, quae pertinent ad conservandam, reparandam ornandam ecclesiam et ad cultum divinum in eo exercendum pertinet ad Episcopum cum Capitulo, si agatur de ecclesia cathedrale; ad Capitulum, si de Collegiata; ad rectorem, si de alia ecclesia. 2° Si alii sive clerici sive laici admittuntur, ii cum administratore ecclesiastico vel eius vicem gerente, eoque praeside, constitunt Consilium quod dicitur Consilium fabricae ecclesiae. 3° Hi, qui praeter administratorem ipsum admittuntur ad praedictum Consilium, nominantur ab Ordinario et ab eodem possunt ex iusta causa removeri (can. 1182, 1183). 4° Administratio fieri debet, servatis legibus de administratione bonorum ecclesiasticorum inferius explicandos.

Consilium fabricae non potest sese ingerere in ea omnia quae pertinent ad spirituale munus, et nominatin excluditur ingerentia seu intrusio: 1° in ipsum exercitium cultus, quod hoc vel illo modo fiat, hac vel illa solemnitate, his vel illis ministris sacris etc.; 2° in modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinis in ecclesia et coemeterio; 3° in definiendam rationem qua fiant collectae, denuntiationes, actus divini cultus, ornatus ecclesiae; 4° in dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione communionis, cathedrae sive suggestus, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis et aliarum rerum quae ad exercitium religiosi cultus pertinent; 5° in admissionem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinentur; 6° in scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum quae ad archivum paroeciale pertinent (can. 1184).

Qua intrusione vetita, non tamen est prohibitum, quin in aliquibus ex enumeratis possit et nonnumquam expediat audire consilium seu opinionem praedicti Consilii fabricae, salva tamen rectoris seu administratoris libertate agendi, etiam contra Consilii fabricae opinionem, si prudenter iudicet eam opinionem non esse sequendam.

(80) Cfr. iam can. 35 Conc. Wirceburg. (a. 1287); *Hefele*, Conciliengesch. t. IX, p. 381, 858: Conc. Baltimor. I (a. 1829) cfr. Coll. Lac. t. III, col. 27.

Porro sacrista, cantores, organorum moderator, pueri chorales, campanae pulsator, sepulcrorum fossores ceterique inservientes a solo ecclesiae rectore nominantur, pendent, dimittuntur sub auctoritate Ordinarii, nisi aliud ferant legitimae consuetudines et conventiones. Haud raro etiam in his poterit esse prudens agendi ratio, si Consilium fabricae saltem audiatur.

375. Scholion. Cum quaestione de bonis ad cultum ecclesiae necessariis connexa est praescriptio canonis 1181, ubi expresse iubetur ut ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, et reprobatur quaevis contraria consuetudo aliquid exigendi v. gr. ponendo ad ianuas ecclesia collectores cum fideles ingrediuntur. Cfr. respons. S. C. P. F. 15 Aug. 1869 in Collect. n. 1345: Instr. S. C. Consist. 7 Dec. 1918, cap. III, n. 22 in A. A. S. X, 487. — Cfr. quoque dec. S. C. C. 11 Dec. 1920 in causa *Paderbonen.* de exigendo pretio pro sedilibus seu scamnis et de praetenso iure sedilia propria in aliquo determinato loco ecclesia habendi.

CAPUT II

DE ORATORIIS (can. 1188-1196)

Fontes et scriptores ut in capite praecedenti (81)

376. Notio-Oratorium in sensu quodam *lato* est locus relative exiguus orationi et cultui divino destinatus. Quo sensu quivis fidelis auctoritate sua privata potest destinare ad hunc finem aliquam suae domus habitationem etiam ornatam sacris imaginibus atque altari sine ara, in qua sese cum propria familia colligat ad exercitia pietatis, meditationem, recitationem precum etc.

(81) Cfr. quoque Iuris Decretal. l. III, tit. 37 *de capellis monach.* — *Gallicus*, De oratoriis domesticis, cap. III; *De Bonis*, De oratoriis publicis; *Van Gameren*, De orator. public. et priv. p. 1 sq.; *Ferreres*, Los oratorios y el altar portátil; *Devoti*, Inst. canonicae l. II, tit. 7, § 2, not. 3; sect. III, de capellis et oratoriis; *Arndt*, D. Rechtsverh. d. Orator. in Arch. f. k. K. t. 72, p. 63 sq.; *Kraus*, Real-Encycl. v. Capelle; *Hinschius*, Kirchenr. t. IV, p. 311; *Many*, De locis sacris n. 65 sq.

Stricte est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam (can. 1188). In hoc differt ab ecclesiis non solum quia solent esse minoris magnitudinis (quae differentia est accidentalis et non necessaria), sed praesertim quia ecclesiae primario eriguntur ad utilitatem communem fidelium, dum oratorium primario erigitur in utilitatem alicuius communitatis vel certae classis personarum; et hoc est formale discrimen. Cfr. notionem ecclesiae can. 1161 datam. Praecipua convenientia est in eo quod tum oratorium tum ecclesia destinetur ad cultum *publicum* nomine et auctoritate Ecclesiae Deo praestandum, praesertim per celebrationem sacrificii eucharistici, qui est praecipuus actus cultus divini.

377. Divisio. Codex cum iure praecedenti distinguit triplicem speciem.

I. **Publicum,** si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii vel etiam privatorum, ita tamen, ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi.

II. **Semi-publicum,** si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire.

III. **Privatum** seu **domesticum,** si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit (can. 1188 § 2).

A) Quoad oratoria *publica* patet parvum haberi discrimen inter oratorium publicum et ecclesiam. Unicum illud est quod ecclesia principaliter est destinata omnibus fidelibus; oratorium publicum determinatis tantum personis sive physicis sive moralibus, quamvis et ecclesia et tale oratorium et omnibus pateat et omnibus sit ius ingressus saltem tempore divinorum officiorum. Quare oratorium ut sit publicum debet habere ingressum in publica via, vel saltem si ad ianuam perveniri nequeat nisi per atrium, aream etc. hoc atrium sit publici iuris perinde ac publici iuris est via. Cui publicitati oratorii non videtur nocere privatus ingressus, modo aliunde sit alius ingressus publicus. Ius autem liberi ingressus omnibus promiscue fidelibus aut documento fundationis constare

potest, aut proprietarii concessione cum Episcopi consensu, aut legitima praescriptione potuit esse acquisitum.

Satis communiter assignantur ut indicia oratorii publici sequentia signa: 1° Memoratus publicus liber ingressus, qui est praecipuus character oratorii publici; ex quo libero facto atque per aliquod longum tempus perdurante saltem grave indicium colligi potest veri iuris ingressus populo fideli competentis. 2° Titulus beneficii adnexi, quod cum characterem habeat perpetuitatis, saltem probat perpetuitatem destinationis oratorii ad cultum divinum. 3° Campanile cum campana, quae profecto inservit ad vocandos fideles ad divina officia; quamvis praecriptio de campanis facta pro ecclesiis can. 1169 ad oratoria etiam publica non sit extensa. 4° Altare fixum seu immobile, quod de iure non necessario haberi *debet* nisi in ecclesiis consecratis, unde non leve petitur argumentum oratorium, in quo id verificatur, ad ecclesias quam maxime accedere et perpetuo modo divino cultui esse dedicatum. 5° *Dos assignata* oratorio, ex qua arguitur sicut ex beneficio adnexo. 6° *Titularis* assignatus oratorio, cuius festum celebretur quotannis, itemque *festum dedicationis* celebrari solitum, utraque enim celebratio pertinet ad ecclesiam consecratam vel solemniter benedictam, cui proinde accedit tale oratorium. Cfr. *De Bonis* l. c. cap. 12; *Many* l. c. n. 67, 69.

Si attendantur verba, quibus Codex describit otatorium publicum, huius duplex species distingui potest: *a)* quae erecta sunt in commodum alicuius collegii sensu lato accepti v. gr. alicuius instituti religiosi, confraternitatis, seminarii, universitatis cum facultate accessus pro omnibus fidelibus; *b)* quae erecta sunt in commodum alicuius personae vel familiae privatae.

B) Quoad *semipublica*, non est necesse ut communitas in cuius commodutu erecta est sit religiosa neque ut domus, in quo adsit coetus fidelium qui oratorio utitur, sit domus pia; nam oratoria in quibusvis gymnasiis et praesidiis militum erecta in commodum adolescentium, militum, sunt semipublica, ut aperte constat ex can. 1192, § 4. Vel ipsum oratorium privatum, si ex legitima licentia Rom. Pontificis vel Ordinarii loci destinetur usui alicuius coetus personarum, aliis exclusis, tale oratorium ex hac destinatione fit semi-publicum v. gr. si capella adnexa alicui villae et in usum privatae familiae aedificata, legitime deinde destinetur ad usum colonorum cum propria ipsorum familia, vel ad familias circa villam

sparsas et ab ecclesia paroeciali distantes. Alii similes casus cum magna varietate facile occurrere possunt. Cfr. Decr. Auth. n. 4007.

Habentur in citato decreto oratoria semipublica, praeter oratorium palatii episcopalis et cardenalitii (82), quod palatium non est domus privata sed publica: 1º oratoria *domorum* seu *locorum religiosorum* ad finem pium auctoritate episcopali erectorum, quales sunt domus instituti religiosi virorum vel mulierum, hospitalia, domus confraternitatis, domus spiritualibus exercitiis destinatae, domus presbyterorum saecularium cum votis aut sine votis. 2º Oratoria *locorum piorum*, quae ad finem pium destinata sunt, licet erectione episcopali careant, modo ad illum finem sint perpetuo destinata, ut sunt hospitalia, orphanotrophia etc.; 3º Oratoria *locorum publicorum* quae sunt talia ex fundatione vel erectione i. e. publicae utilitati destinata, velut collegia pro aeducanda iuventute, gymnasia, lycaea, carceres, praesidia militum, arces, oratoria coemeteriorum etc. — In quibus servandum praescriptum canonis 1192, § 4, quod praeter oratorium principale, alia minora non erigantur, nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas exigit.

C) Quoad *privata* seu *domestica* oratoria, praeter privata Cardinalium et Episcoporum recensenda sunt oratoria privata coemeteriorum seu aediculae in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectae (can. 1190), cuius aediculae erectio est relicta voluntati et devotioni fidelium, qui sibi seu familiae extruunt sepulturam. Sunt autem qui lege vel privilegio generali gaudent iure oratorii privati. Cfr. Pium X, motu proprio *Inter multiplices* 21 Febr. 1905, in quo illud privilegium conceditur Protonotariis Apostolicis Supranumerariis. S. R. C. decr. auth. n. 4154 ubi etiam includuntur Protonotarii Apost. ad instar. Item hoc privilegio fruuntur S. R. Rotae Auditores, in catalogo privilegiorum Pio X in speciali audientia a Decano illius Tribunalis (M. Lega) exhibito 26 Iul. 1913, in qua idem Pontifex singula privilegia in catalogo exhibita, ex certa scientia, rata habet et confirmat aut concedit et impertit.

(82) Quae oratoria distinguenda sunt ab oratoriis quae ab his erigi possunt ubique locorum in privatis suis aedibus. Haec sunt quae can. 1189 dicuntur *privata*, quae tamen ex privilegio fruuntur omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semipublica gaudent. Cfr. S. R. C. decr. auth. n. 3906 iunct. can. 239, n. 7, 14.

378. Historia. Inde iam *ex primis saeculis* occurrit distinctio quaedam inter ecclesias sive maiores aedes sacras et oratoria sive minora aedificia sacra (83). Maxime vero oratoria vel capellae dicebantur sacella monasteriis vel domibus monachorum aliorumque religiosorum adiuncta (84). Cum insuper erectio oratorii etiam privati, in quo Missae sacrificium potuit celebrari, unice penderet a licentia Episcopi dioecesani, paulatim ex oratoriis nimis multiplicatis non leves orti sunt abusus. Quare Concilium Tridentinum Sess. XXII decret. de observ. et evit. in celebr. Miss. sapienter statuit: « *Ne Ordinarii patiantur* **privatis** *in domibus atque omnino* **extra** *ecclesiam et ad divinum cultum tantum dedicata oratoria ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscunque peragi* ». Quo iure Tridentino a Romanis Pontificibus (85) atque S. C. C. iterum iterumque inculcato et explicato etiam ex disciplina nunc vigente utimur.

I. - Oratorii publici regimen

379. *Oratoria publica* eodem iure quo ecclesiae reguntur (can. 1191, § 1). Quare ut sint legitima, imprimis requirunt *canonicam erectionem* (86). Quae habetur, si adsit consensus *Episcopi* loci (87), sufficiens subsit *causa* verae necessitatis *vel* utilitatis, non falsae devotionis vel lucri, congrua quaedam suppeditetur *dotatio* (88), ex convenientia, non ex iuris necessitate *vocentur* ii, quorum interest (89), rite facta sit aedificatio cum *publica* ianua atque *per se*

(83) Cfr. can. 7 Conc. Chalced. (a. 451) iunct. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 16 de ref.; c. 21 Concil. Agath. (a. 506); can. 25 Concil. Aurel. (a. 511); c. 14 Conc. Clarim. (a. 535); c. 31 Conc. Trull. (a. 692); capit. 15 Zachariae Pap. (a. 747); *Thomassin.* l. c. P. I l. 2 cap. 92 sq.; *Van Gameren* l. c. p. 3 sq.

(84) Cfr. cit. lib. III t. 37, X.; *Van Gameren* l. c. p. 16 sq.

(85) Benedict. XIV Const. « *Magno cum animi* » 2 Iun. 1751; *Van Gameren* l. c. p. 125 sq.

(86) *Van Gameren* l. c. p. 58.

(87) Cfr. c. 4 Concil. Chalced. (a. 451) = c. 10 C. XVIII q. 2; cap. 4 de privileg. V in Sext.; Instr. S. C. de Prop. F. 18 Oct. 1883 in Coll. S. C. de Pr. F. n. 1589.

(88) S. C. C. in caus. Caesenat. 6 Iun. 1840; *Van Gameren* l. c. p. 60 sq. De dotatione praesertim pro oratorio publico non consecrando, cfr. *Many* l. c. n. 71.

(89) *Van Gameren* l. c. p. 74 sq. Certe si non est aedificanda nova ecclesia

universum oratorium in dominium Ecclesiae transierit, nisi sufficientes cautiones praestentur. Denique etiam oratorium publicum habeat necesse est suum *titulum*, a quo nuncupetur (90).

380. *Publica oratoria*, antequam in illis sacra celebrentur, saltem ritu in Rituali Romano pro *publicis* oratoriis praescripto *benedicenda* sunt (91) et praesertim *principale* coemeterii publici oratorium per propriam benedictionem est benedicendum (92). Nihil obstat, quominus etiam consecrentur sicut ecclesiae. Qua benedictione vel consecratione peracta oratorium publicum in usus profanos non iam converti potest (93).

381. In oratoriis publicis non tantum preces ad Deum funduntur, sed etiam sacrificium eucharisticum super altari rite consecrato pro universo populo et sine limitatione numeri Missarum in forma solemni offerri potest. Aliae quoque permittuntur sacrae functiones nisi de aliqua determinata functione contrarium rubricarum praes-

---

in detrimentum iam existentium, id quoque valet de oratorio publico; attamen nec ex nova ecclesia nec ex novo publico oratorio habendum est ut nocumentum grave illa imminutio sive concursus fidelium sive eleemosynarum, quae quasi necessario sequitur ex erectione novae ecclesiae vel oratorii; quod nocumentum compensatur bonis quae oriuntur ex huiusmodi erectione. Ceterum semper in tuto posita sunt iura paroecialia. *Many* l. c. n. 71.

(90) *Van Gameren* l. c. p. 79 sq.; *Gasparri* l. c. n. 196 sq.; *Arndt* l. c. p. 69 sq.; Collect. S. C. de Pr. F. l. c.

(91) Rit. Roman. tit. VIII cap. 27; S. C. R. 29 Nov. 1877, 27 Iunii 1888. Cfr. cit. Collect. n. 1584, 1591. Quae benedictio certe in *perpetuum* sufficit neque ex iuris necessitate est solummodo *provisoria*, quam postea sequi *debeat consecratio*, ut per se requiritur in *ecclesiis*. Unde denuo patet aliquod *discrimen* inter *ecclesiam* et *oratorium* publicum. At solemnis *consecratio* oratorii publici a S. R. C. nunquam fuit prohibita vel in casibus particularibus reprobata, imo potius decr. 23 Ian. 1899 expresse concessa; licite igitur fit praesertim si oratoria illa publica proprio constent aedificio atque structuram formamque ecclesiae referant. Quo in casu tamen illud animadvertendum est, quod in oratorio publico *tantum benedicto non potest* celebrari festum anniversarium dedicationis nec festum *titularis* ritu titularium. Quod festum tituli utique celebrandum omnino est in *ecclesia* solummodo *benedicta*; qua re patet nova differentia ecclesiae et oratorii publici. Denique si oratorium publicum vere fuerit *consecratum*, ibidem praeter festum anniversarium consecrationis etiam celebrari debet festum titularis ritu duplici primae classis cum octav. Cfr. S. R. C. 18 Iul. 1885; *Gasparri* l. c. n. 199 sq. 216, 137 sq. 172 sq. 142; *Arndt* l. c. p. 65 sq.; *Many* l. c. n. 72.

(92) S. C. R. 31 Ian. 1887.

(93) R. I. 51 in Sext.

criptum obstet (can. 1191, § 2). At in omnibus attendendae sunt regulae et conditiones ab Episcopo praesertim iuxta normas Concilii Tridentini et decreta S. R. C. 10 Dec. 1703 et Bened. XIV. Const. « *Etsi minime* » 7 Febr. 1742 §§ 14, 15, accuratius praescriptae. Qua potestate Episcopi certe non continetur, quod suo statuto declaret illos, qui Missae in huiusmodi oratoriis publicis assistant, praecepto Ecclesiae non satisfacere. Episcopus enim nequit mutare ius commune nec post aedificatum oratorium publicum arbitrarias apponere limitationes.

Nihil quoque obstat, quominus in publicis oratoriis habeatur campana, qua populus ad rem divinam et ad fundendas preces evocetur (94).

382. Praeterea quae supra de *exsecratione, pollutione, reconciliatione, immunitate* ecclesiae saltem benedictae statuta sunt, etiam oratorio publico solemniter benedicto merito applicantur (95).

383. Scholion. I. Iura, quae de publicis oratoriis *saecularium* vigent, facili negotio etiam ad *vere* stricteque *publica* oratoria *regularium* transferuntur (96), sed ad interna sive *domestica* regularium sacella nequaquam indiscriminatim applicari possunt (97).

Quodsi agatur de oratorio publico cum conventu regularium coniuncto, imprimis quoad *erectionem* valent eaedem normae de consensu Ordinarii et Sedis Apostolicae, quae supra de aedificatione *ecclesiae* conventualis fuerunt expositae. Post erectionem legitime factam regulares in illis oratoriis publicis omnes functiones exercere possunt quae in oratoriis publicis saecularium permissae sunt et quae ipsis ex privilegiis Sedis Apostolicae permittuntur nec speciali iure prohibentur. Si in granciis vel hospitiis regularium publicum oratorium sit exstruendum, certe secluso indulto apostolico licentia Ordinarii loci requiritur et sufficit, nec ad Sedem Apostolicam est

---

(94) Cfr. cap. 16 X. de excess. Prael. V, 31 iunct. cap. 10 X. de privileg. V 33; cit. caus. Caesenat.; *Devoti* l. c. § 33; *Arndt* l. c. p. 88 sq.; *Gasparri* l. c. n. 126.

(95) Rit. Rom. l. c. cap. 27, 28; *Schmalzgr.* l. III t. 40, 49. Cfr. quoque *Many*, a quo n. 74 sq. agitur de iure parochi et Episcopi in oratoria publica, quae tamen intelligenda sunt cum moderatione per Codicem inducta.

(96) *Van Gameren* l. c. p. 102 sq.; *Arndt* l. c. p. 98 sq.

(97) Collect. S. C. de Prop. F. n. 1577, 1591.

recurrendum. Cfr. cap. 14 X. de privil. V 33; cap. 4 de privil. V 7 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXII decr. de observ.; S. C. C. 9 Febr. 1754, 21 Aug. 1761; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX cap. 1 n. 9. Quibus in oratoriis publicis granciarum functiones sacrae ultra iustos limites celebrationis Missae non sunt facile extendendae, nec visitatio Ordinarii loci est exclusa, nisi regulares speciali gaudeant privilegio apostolico. Cfr. cap. 27 X. de cens. III 39; cap. 10 X de privil. V 33; S. C. C. 8 Febr. et 15 Mart. 1723, 27 Iul. et 17 Augusti 1726. At saltem quoad oratoria semipublica in granciis et hospitiis religiosorum exemptorum extra domos religiosas regulariter erectas, dicendum est ea erigi posse ab Ordinario ipsorum religiosorum. Recentiores congregationes religiosae votorum simplicium, cum iure suo non sint capaces habendi ecclesiam, nisi specialibus munitae sint privilegiis apostolicis, in aedificando oratorio publico omnino dependent a consensu et licentia Ordinarii loci. Cfr. Ben. XIV Const. « *Quamvis iusto* » 30 Aprilis 1749; S. C. C. 14 Aug. 1861, 8 Iul. 1707. Cfr. quoque *Many* l. c. n. 106, 107.

384. Scholion II. Oratorium publicum per consecrationem vel solemnem benedictionem cultui divino dedicatum est locus religiosus et vere sacer. Quodsi coniunctum sit cum domo religiosa eius veluti naturam participat et quasi membrum efficitur. Sicut ergo domus religiosa vel conventus pertinet ad institutum seu religionem, ita cum ipsa pertinet oratorium, non minus quam ecclesia, illi domui vere adnexa. Idem dicatur de hospitali, seminario, collegio ecclesiastico etc. Quodsi aedibus privatis coniunctum sit, et praesertim si extructum sit sumptibus et cura ipsius domini aedium et in solo ad eiusdem domini dominium pertinente, certe quamdiu divino cultui dedicatum non fuit in proprietate talis domini manet. Sed semel ac fuit ab Episcopo divino cultui dedicatum, hic actus Episcopi certe non est actus, quo auferatur a dominio proprietarii illius privatae domus, ita tamen in eius dominio manet, ut de illo libere disponere non possit perinde ac si dominus esset. Nam ex ipsa institutione et dedicatione oratorii, populus fidelis verum ius acquisivit, et quidem in perpetuum, ut ibi sacris assistat; et consequenter patronus in perpetuum privatur iure convertendi in proprios privatos ac profanos usus; unde fit practice ita liberum ab usu cuiusvis dominii privati, ut privatione dominii fere aequivaleat, et reducatur ad me-

ram possessionem (98). Quare concipiendum est ad instar entis iuridici et autonomi, capacis acquirendi et possidendi bona, quae fiunt ecclesiastica; nec quae oratorio data legata aut relicta sunt ingrediuntur in patrimonium proprietarii domus, cui adnexum est oratorium. Cfr. *Many*, l. c. n. 73.

II. - Oratoria semipublica

385. Haec *semipublica* oratoria hoc iure reguntur:

1º Erigi seu ad publicum cultum adhiberi nequeunt sine *Ordinarii* licentia; quam dare non debet, nisi per visitationem compererit decenter esse instructum et ab omnibus usibus domesticis liberum (can. 1192).

2º In aedificiis publici characteris, praeter oratorium principale, alia minora oratoria Ordinarius erigere non debet, nisi necessitas aut magna utilitas id exigat (can. 1192, § 4).

3º Oratoria semipublica non necessario debent benedictione constitutiva consecrari, multo minus consecratione dedicari; non est tamen prohibita illa benedictio et ipsa consecratio, praesertim si agatur de oratorio stabiliori et grandiori (cfr. can. 1196). De se ergo sufficit benedictio invocativa domus seu loci, quae utique praemittenda est. Cfr. Decr. Auth. S. R. C. n. 4025. — Quodsi saltem benedictione constitutiva consecrata sunt, fiunt loca sacra, a potestate civili prorsus exempta et immunitatibus loci sacri gaudent.

4º In oratoriis semipublicis legitime erectis, omnia divina officia et functiones sacrae perfici possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit (can. 1193); non tamen posset Ordinarius excipere quod fideles ibi Missae assistentes praecepto non satisfaciant, aut quod sacra communio ibi distribui non possit, quod esset contra can. 1249, 869.

5º Oratorium semipublicum cum debita licentia legitime erectum ad usus profanos converti nequit sine auctoritate eiusdem

(98) Aliqua ratione concipi possunt ad instar rerum iuris divini, quas ius Romanum opponit rebus iuris humani et distinxit in res sacras religiosas et sanctas, quae erant extra commercium. Cfr. quae scite disserit *Bidagor* in praeclara monographia « La iglesia propia en España » v. gr. cap. 2, III; 4, 7, 8 ubi historicam evolutionem secundum legitima canonica principia proponit.

Ordinarii, cuius licentia necessaria fuit ad erectionem (can. 1192, § 3). (Cfr. de hisce oratoriis *Many* l. c. n. 98 sq.).

III. - De oratoriis privatis

386. Oratorium privatum in domo *sua* unusquisque sibi constituere potest (cfr. c. 33 D. I. de consecr.) ad actus devotionis et pietatis peragendos; sed ut *privatis* in domibus *Missae sacrificium* etiam in sacellis mere privatis i. e. in commodum alicuius privatae personae vel familiae erectis celebrare liceat, ex disciplina iam a Conc. Trid. Sess. XXII decr. de obser. constituta (99) indultum Sedis Apostolicae omnino requiritur. Quare Episcopis ius concedendi licentiam ad divinum sacrificium in illis oratoriis *mere* privatis domorum privatarum celebrandum nunc est omnino ademptum (100), salva exceptione mox indicanda.

Multo magis per Concilium Tridentinum l. c. abrogata sunt omnia privilegia *altaris portatilis*, nisi specialis possit probari exceptio. Neque penes Episcopos ex iure communi mansit facultas *aliis* concedendi altaris viatici *usum* (101), quem Episcopi aliique Prae-

(99) Ex antiqua disciplina c. 58 Conc. Laodic. (a. 343-381) prohibetur, ne sacrificium Missae ab Episcopis vel presbyteris in domibus celebretur. Cfr. *Hefele* l. c. t. I, p. 774, 779, 782. At complures prohibitiones antiquorum canonum magis latae fuerunt contra haeretica et schismatica conventicula quam contra qualemcunque celebrationem Missae in domibus privatis. Cfr. c. 5. Conc. Antioch. (a. 341); c. 5, 6. Conc. Gangr. (a. 343-381). At inde ex saec. quinto et sexto magis magisque invaluit praxis, ut saltem cum licentia Episcopi in oratoriis privatis Missae sacrificium celebrari posset, exceptis tamen maioribus anni festivitatibus. Cfr. c. 21. Conc. Agath. (a. 506) = c. 35 D. I. de consecr.; c. 25. Concil. Aurel. I (a. 511) = c. 5 D. III de consecr.; c. 3, 7. Conc. Aurel. IV (a. 541); c. 31. Conc. Trull. (a. 692) = c. 34 D. I. de consecr. Quae potestas Episcoporum permittendi in oratoriis privatis sacrificium Missae postea toto medio aevo non fuit in dubium vocata. Cfr. cap. 30, X. de priv. V, 33. Nimia autem facilitas concedendi oratoria privata paulatim ipsi cultui divino atque dignitati et disciplinae clericorum gravia damna intulit. Quare reformatio Tridentina fuit prorsus necessaria. Cfr. quoque *Van Gameren* l. c. p. 125 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 728 sq.; *Gasparri* l. c. n. 205 sq.; *Arndt* l. c. p. 335 sq.; *Hinscius* l. c. p. 314 sq.; *Many* l. c. n. 79 sq.

(100) Benedict. XIV, const. « *Magno cum animi* » 2 Iun. 1751, § 11; S. C. C. 23 Ian. 1847, 20 Dec. 1856; *Van Gameren* l. c. p. 134 sq. 155 sq.; *Arndt* l. c. p. 339 sq.; *Gasparri* l. c. n. 208 sq.; *Hinschius* t. IV, p. 314 sq.

(101) Decret. Clem. XI, 15 Dec. 1703; Benedict. XIV cit. Constit. « *Magno cum animi* »; *Van Gameren* l. c. p. 134 et p. 138 sq.; *Arndt* l. c. p. 444 sq.

lati Episcopis superiores ex singulari privilegio in *proprium* tantum commodum ita habent, ut « *in eo celebrare et facere celebrari possint* (102) (can. 822, § 2, 3). Cfr. quoque S. C. R. 22 Augusti 1818; S. C. C. 19 Iun. 1586. Qua in prohibitione generali celebrandi sacrificium Missae in solo altari portatili extra ecclesiam vel oratoria non est comprehensus casus *gravissimae necessitatis publicae*. Attamen si tempus suppetat, petenda est *licentia Ordinarii*, quae vim habet authenticae *declarationis*, constare de casu *a iure* excepto (103). Privilegium altaris portatilis est valde simile oratorio privato; ampliorem tamen tribuit facultatem sc. celebrandi ubique, honesto tamen et decenti loco. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 267 sq.

387. Quae privata oratoria his legibus reguntur:

1º Licet in oratorio privato, et apte accommodato, Missa celebrari non possit sine indulto apostolico, tamen Ordinarius loci potest permittere celebrationem unius Missae per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa (can. 1194). Per modum actus opponitur *habituali* celebrationi Missae, cuius permissio est reservata S. Sedi; non tamen significat una dumtaxat vice, sed ex causa accidentali, iusta tamen et rationabili, quamdiu ipsa duret; ceterum ex natura rei casus extraordinarii non perdurant. *Ferreres* l. c. n. 288 sq.; *Many* l. c. n. 82. Quodsi agatur de oratorio nondum erecto ex indulto pontificio, prius ab Ordinario per se vel per alium est visitandum (can. cit.).

Simili ratione videtur interpretanda facultas, quam can. 822, § 4 facit Ordinario et Superiori maiori religionis exemptae permittendi celebrationem Missae extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco (excluso semper cubiculo), cum talem concessionem fieri posse dicatur in casu aliquo extraordinario et per modum actus, interveniente iusta et rationabili causa (Cfr. S. C. de Sacr. 23 Dec. 1912). Quae facultas licet interpretanda sit *restrictive* (Comm. Codic. 16 Oct. 1919, in A. A. S. XI, 478), explicatio

(102) Cap. 12 de privileg. V 7 in Sext.; *Van Gameren* l. c. p. 204 sq. 212 sq.; *Arndt* l. c. p. 440 sq.; *Ferreres* l. c. n. 275 sq.

(103) Quare in hac materia antiquiores scriptores in nimis benignas inclinarunt sententias. Cfr. *Van Gameren* l. c. p. 144 sq. 193 sq.; *Schmalzgr.* l. III tit. 40 n. 8 sq.; *Arndt* l. c. p. 349 sq.; *Gasparri* l. c. n. 260 sq. Cfr. tamen *Ferreres* l. c. n. 285 sq.

proposita non est certe extensiva. Mitius respondit S. C. de Sacr. 3 Maii 1926, quamvis de casu particulari (104).

2º Potest etiam Ordinarius permittere plurium Missarum celebrationem etiam habitualiter in aediculis a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam in coemeteriis erectis, tametsi sint oratoria privata. At in coemeteriis plerumque etiam haberi solet Oratorium publicum vel semipublicum (can. 1190, 1194).

3º Oratoria domestica nec possunt consecrari nec benedici benedictione solemni more ecclesiarum, sed solum benedictione invocativa loci vel novae domus (can. 1196): quare iis quae supra de execratione, pollutione, reconciliatione ecclesiae vel oratorii dicta sunt non subiiciuntur, nisi secundum quamdam analogiam; sed etiam favoribus v. gr. *immunitatis localis* non gaudent (105).

4º In illis, nisi aliud in indulto constet, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit, unica Missa, eaque lecta, celebrari potest, exceptis festis solemnioribus (106); aliae functiones ecclesiasticae fieri non possunt (107). Nihilominus Ordinarius, modo adsint iustae et rationabiles causae, utique diversae ab illis ob quas indultum oratorii concessum fuit, etiam solemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem (can. 1195).

(104) Agebatur de celebratione Missae in domibus privatis, praesente cadavere, quando haec celebratio petitur a parentibus defuncti, et de interpretatione can. 822, § 4 relate ad hunc casum: S. C. declaravit posse permitti ab Ordinario etiam trium Missarum celebrationem, non plurium, his tamen conditionibus existentibus: 1º) ut cadaveris expositio sit facta servato debito decore et in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate Missae; 2º) ut fiat solum in casu extraordinario, concurrente iusta et rationabili causa; 3º) casum extraordinarium verificari occasione obitus Episcopi residentialis, vel personae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et beneficia in Ecclesiam vel in rempublicam vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; item si agatur de personis iam huiusmodi privilegio ornatis; 4º) tandem deinde debitae exequiae expleri debent in ecclesia (A. A. S. XVIII, 388).

(105) *Arndt* l. c. p. 369; *Schmalzgr.* l. III, tit. 49, n. 131, 132.

(106) Festa solemniora, ex iure communi excepta, habentur, ubi nunc etiam de praecepto servantur: Nativitas D. N. Ich., Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Assumptio B. M. V., eiusdem Conceptio Imm., SS. Apost. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum; item Corpus Christi et S. Ioseph. Ubi in Dominicam translata sunt, non videntur esse dies excepti.

(107) Cfr. *Many* n. 94 sq. — Potest administrari sacra communio; baptisma etiam solemne, servatis servandis (cf. can. 776 iunct. S. C. de Sacr. 16 Iunii 1893); poenitentia saltem viris nec videntur exclusae feminae si adsit sedes apta ad mulierum confessiones audiendas (cfr. canones 909, 910), Missa nuptialis ad normam canonis 1109, § 2 seu de Ordinarii licentia.

5º Ad indultum obtinendum adeunda S. C. de Sac., quae praevia Ordinarii informatione, illud si casus ferat concedit in forma *Brevis* solutis praefixis taxis, quae variis favoribus in indulto concedentis proportionantur. Praeter indultarios principales et secundarios in indulto comprehensos, alii in oratorio Missam audientes die festo praecepto non satisfaciunt (can. 1249) (108).

388. Scholion. Licet S. R. C. 4 Mart. 1901 declaraverit oratorium fixum extra privata cubicula in navi erectum recensendum esse inter oratoria publica, unde posset inferri a quolibet sacerdote posse in tali oratorio Missam celebrari; alio tamen decreto (10 Nov. 1905) declaravit ad celebrandum etiam in tali oratorio requiri peculiare indultum S. Sedis, nisi illud indultum sit factum ipsi navi seu eius proprietario. Facultatem habent Cardinales et omnes Episcopi etiam titulares (can. 239, 349).

TITULUS XII

DE ALTARIBUS ECCLESIARUM VEL ORATORIORUM

(In Decret. cfr. Lib. III, tit. 40, de consecr. eccl. vel altar) (1)

389. I. Notio. Cum Ecclesia catholica augustissimum habeat sacrificium eucharisticum, in suis templis principem locum occupat *altare* (2). Quod altare (3) sensu stricto intelligitur *mensa* sive tabula lapidea, super qua sacrificium Missae offertur (4); sensu vero latiore comprehendit *basim* cum illa tabula (lapidea), quae proprie « *mensa altaris* » dicitur.

(108) De clausulis apponi solitis in indultis plura disputant v. gr. *Many* n. 84 sq.; *Ferreres* Opusc. cit. n. 329 sq.

(1) Cfr. Fontes et Scriptores tituli praeced. *Schmalzgr.* l. III t. 40 *de consecr. eccl. vel altaris* n. 31 sq.

(2) Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 530; *Thalhofer* l. c. t. I § 57; *Gasparri* l. c. n. 280 sq.; *Hinschius* l. c. p. 398 sq.

(3) De nomine altaris cfr. *Thalhofer* l. c. p. 748 sq.; *Kraus* l. c. v. Altar.

(4) *Kraus* l. c. n. 5.

II. **Divisio.** Altare distinguitur in *fixum* sive *immobile*, i. e. mensa vel tota superior pars cum basi *firmiter* in unum compositum *coniuncta*, quae *consecratur* ab Episcopo ad normam Pontificalis Romani, ut stabiliter in ecclesia vel oratorio publico perseveret nec permanente consecratione mensa a basi separari possit, et in *portatile* vel viaticum, quod est mensa lapidea sive pars superior a basi separata et ab Episcopo pariter consecrata, ut ex uno loco in alium portari possit. Quod altare mobile vel ara portatilis differt a *privilegio altaris portatilis* (cfr. can. 822) (5). *Sensu* autem *latiori* etiam altaria, quae utplurimum inveniuntur in oratoriis privatis vel semipublicis, imo etiam in ecclesiis et oratoriis publicis et basi firmiter coniuncta non sunt, pariter dicuntur *fixa*, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit et altaris portatilis imaginem prae se non ferat (6). Praeterea distinguitur altare *maius* sive principale, cui opponuntur altaria *minora* in eadem ecclesia. Denique altaria quaedam dicuntur *privilegiata*, quibus a Sede Apostolica adnexum est privilegium celebratione Missae per indulgentiam liberandi animam ex purgatorio, si divina misericordia id acceptum tulerit.

390. Notae historicae. Altare in Ecclesia catholica inde a primis temporibus invenitur; nam semper in ea verum fuit sacerdotium verumque sacrificium. Quod sacrificium ut plurimum super mensis aut *sarcophagis martyrum* fuit celebratum; partes igitur principales veri altaris christiani (tabula, stipes, sepulcrum) usque ad nostram aetatem retentae iam primis saeculis reperiuntur (7).

Finitis persecutionibus cum magnificae aedificarentur ecclesiae, etiam altaria maiore ornatu praedita sunt. Neque mirum est, quod Ecclesia relicta architectis et viris artis christianae peritis magna

(5) Inde antiquitus dici solebat altare *gestatorium* vel *itinerarium, viaticum*; aut *tabula* vel *lapis itinerarius*. Cfr. S. R. C. in caus. Senien. 14 Dec. 1888, in caus. S. Hyppol. 31 Aug. 1867, in caus. Theles. 24 Maii 1895, unde etiam constat saltem in oratorio stricte privato *altare immobile* licite consecrari non posse; *Gasparri* l. c. n. 284; *Schmalzgr.* l. c. n. 31; *Thalhofer* l. c. p. 768 sq.

(6) S. R. C. 3 Dec. 1661; *Van Gameren* l. c. p. 198 sq.

(7) I Cor X. 21 XI 20; *Kraus* l. c. n. 4 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 750 sq. 753 sq.; *Martène*, De antiquis Eccl. ritibus l. 1, cap. 3, art. 6; *Bingham*, Origines eccl. l. VIII, cap. 6, § 11 sq.; *De Rossi*, Roma sotterranea, t. III, l. III, cap. 14; *Many* l. c. n. 108 sq.; *Ferreres*, Los orat. y el altar portátil, n. 46 sq.

libertate, paulatim in aedificandis et erigendis altaribus certas normas *suis legibus* praescripserit (8).

Inter istas leges, quae *solae* ad ius canonicum spectant, maxime eminent statuta canonica de *consecratione* (9) altaris, quibus alia de *forma* et *ornamentis* accesserunt. Quae statuta de altari praesertim reperiuntur in rubricis generalibus Missalis Romani tit. XX atque recentioribus decretis S. C. R. (10).

391. Disciplina vigens. I. In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse *immobile*; in benedicta omnia altaria possunt esse mobilia (can. 1197).

II. Altare sive fixum sive portatile ex uno et vero *lapide duro, puro* et *integro*, non ex lapide puniceo vel ex gypso vel alia simili materia, constare debet (11). Quare altare sive fixum sive portatile enormiter fractum, sed firmiter coementatum aut ex pluribus lapidibus efformatum valide ac licite consecrari non potest. S. C. R. 19 Maii 1896. Ne ipsa quidem altaria *portatilia* ex *duabus* partibus ita constare possunt, ut pars superior sit lapidea, inferior vero pars existat lignea et inter tabulam lapideam et ligneam in concavo spatiolo sint reliquiae Sanctorum (can. 1198) (12).

Porro tum in altari immobili tum in petra altaris mobilis rite excavetur necesse est *sepulchrum* pro repositione *reliquiarum*, quod postea per parvum lapidem naturalem sive *sigillum* ope coementi iuxta Pontificale Rom. praeparati est claudendum et firmandum (can. cit., § 4). Cfr. S. R. C. in caus. S. Hyppol. 31 Augusti 1867, in caus. Fulden. 31 Mart. 1887, in caus. S. Ioann. Amer. 15 Dec. 1882; *Gasparri*, l. c. n. 295 sq. Denique altare imagine sive picta sive sculpta tituli, sub quo consecratur, nonnisi in forma legitima exornetur (cfr. Bened. XIV in epist. 16 Iul. 1746) atque instruatur

(8) *Thalhofer* l. c. p. 756 sq.

(9) Cfr. c. 48 Conc. Carth. V (a. 401) = c. 26 D. I. de consecr.; c. 14 Conc. Agath. (a. 506) = c. 32 D. I. de consecr.; c. 26 Concil. Epaon. (a. 517) = c. 31 D. I. de consecr.; c. 15 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 7 Conc. Hispal. II (a. 619); c. 7 Conc. Nicaen. II (a. 787); cap. unic. § 8 de sac. unct. I 15; cap. 1, 3, 5 X. de cons. III, 40.

(10) *Thalhofer* l. c. p. 768 sq.

(11) Cfr. c. 31 D. I. de Consecr.; S. C. R. in caus. Lamac. 31 Martii 1887; *Schmalzgr.* l. c. n. 32 sq.; *Gasparri* l. c. n. 289 sq.; *Many* l. c. n. 114.

(12) S. C. R. in caus. S. Hyppol. 31 Aug. 1867.

ligneo suppedaneo, nisi per unum aut plures gradus ad altare ascendatur (cfr. S. R. C. in caus. Cuneen. 2 Iun. 1883 ad 1). Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; ipsum autem altare in legitima sit distantia (saltem unius metri) a cadaveribus defunctorum, ubi ille mos tumulandi adhuc retinetur. Cfr. S. R. C. in caus. Nicoter. 2 Apr. 1875, secus Missa in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur (can. 1202, § 2). Pariter ab altari excludendus est quilibet profanus usus.

III. *Forma* altaris tum *fixi* tum *portatilis* sit quadrata aut oblonga. Lapidea ara in utroque altari etiam in eo, quod sensu lato dicitur fixum, tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis commode capere possit (can. 1198) (13).

IV. *Consecratio* altaris omnino requiritur, ut super eo sacrificium Missae licite celebrari possit (14). Quae consecratio consistit in ritu sacro ab Ecclesia instituto, quo totum altare (fixum) vel saltem petra (altaris portatilis) fit res sacra a legitimo ministro cultui divino et praesertim sacrificio Missae dedicata (can. 1199).

Consecrationem altaris solus *Episcopus* loci, in quo altare situm est, aut alius Episcopus consecratus ab eo rite delegatus licite et valide perficere potest; simplex autem *sacerdos*, ut valide consecret altare, solummodo *indulto* vel privilegio *Romani Pontificis* habilis efficitur (15).

Ritus consecrationis altaris est is, qui in Pontificali Romano tum pro altari immobili tum pro mobili speciatim est praescriptus et compluribus decisionibus S. R. C. accuratius definitus. Qua in consecratione praesertim attendendum est ad *unctionem* sacro *chrismate* et repositionem reliquiarum *martyrum* in sepulchro; requiruntur enim ad *valorem* consecrationis (16).

(13) Missale Rom. l. c.

(14) Cfr. c. 19 D. I. de consecr.; cap. 1 X. de consecr. eccles.; S. C. de Prop. F. 2 Sept. 1780; *Schmalzgr.* l. c. n. 35, 36; *Gasparri* l. c. n. 309 sq.

(15) Cap. 5 X. de consecr.; Pontif. R. P. II de altar. consecr.; Missale Rom. l. c.; Congr. part. 25 Ian. 1879 de iure Cardinalium in suis titulis Urbis; S. R. C. 25 Septembr. 1889; *De Angelis* l. III t. 40 n. 2. *Schmalzgr.* l. c. n. 37 sq.; *Bened. XIV*, De Synod. d. l. XIII c. 15 n. 2; *Gasparri* l. c. n. 312 sq.

(16) S. R. C. in caus. Fanen. 17 Iun. 1843, in caus. Maurian. 2 Maii 1892, in caus. Rhed. 23 Sept. 1837 iunct. Instr. 6 Octob. 1837. Cfr. de iure antiquo can. cit. in not. 9 h. tit.; *Gasparri* l. c. n. 314 sq.; *Many* l. c. n. 119.

Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet ut fiat die dominico aliove festo de praecepto (can. 1199).

V. Consecratio altaris valide facta non est iteranda nisi execratio locum habeat.

a) Altare immobile amittit consecrationem (execratur), si tabula vel mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur; sed in hoc casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore. Rit. Roman. Appendix p. 584.

b) Tum altare *immobile* tum *petra sacra* amittunt consecrationem: 1°) si frangatur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci iunctionis (17); 2°) si amoveantur reliquiae vel sepulcri operculum, excepto tamen casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias (can. 1200) (18). — Rituale Rom. l. c. p. 586 etiam proponit formulam breviorem pro consecratione altaris hoc alio modo execrati et pariter permittit fieri posse per presbyterum ab Ordinario delegatum.

At licet *ecclesia* exsecretur, tamen *altare* consecratum non exsecratur sive sit mobile sive immobile et vicissim exsecrato tantum altari, non execratur tota ecclesia (can. 1200) (19). Quodsi *ecclesia polluitur*, simul etiam altaria *fixa* in ea erecta *polluuntur*, ideoque in iisdem sacrificium Missae celebrari nequit, antequam reconciliatio ecclesiae facta sit (20).

Altare vero *portatile*, quod per accidens in ecclesia polluta reperitur, non polluitur, et *alibi* super eo celebrari potest.

VI. **Titulus altaris.** Sicut ecclesia, ita quodlibet etiam ecclesiae altare, saltem immobile, proprium sibi titulum habere debet. Primarii altaris titulus idem esset debet ac titulus ecclesiae. Mutari

(17) Cap. 1, 3, 6 X. de consecr.; S. R. C. in cit. c. S. Hyppol.

(18) Cap. 1, X. de consec.; S. R. C. in caus. ord. Cister. 25 Sept. 1875.

(19) Cap. 1, 3, 6 X. de consec.

(20) *Schmalzgr.* l. c. n. 46, 47. Cfr. quoque cap. 2 X. de sacr. non iter. I 16, quod altaria non sint denuo consecranda, in quibus *degradati* presbyteri celebraverant.

quidem potest titulus altaris mobilis de licentia Ordinarii, non autem altaris immobilis titulus. (Cfr. *Many* l. c. n. 135) (21).

Altaria *Beatis*, etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine S. Sedis indulto (can. 1201).

392. Scholion. Praeter *altare* in ecclesia quamplurimae aliae *res sacrae* reperiuntur (22), velut sacrae imagines (23), pulpitum, fons baptismalis, organum, campanae aliaque multa, quae legibus ecclesiasticis subiiciuntur; at cum non spectent ad *loca sacra*, sed potius ad *sacra utensilia*, in alio titulo sub propria rubrica de iisdem est disserendum.

De *coemeteriis* non directe ad cultum divinum destinatis, post titulos de cultu divino inferius agetur simul cum sepultura fidelium, cum qua quaestio de coemeteriis est intime connexa.

TITULUS XIII

DE SACRIS LINGUIS, CANTIBUS, CAEREMONIIS VEL RITIBUS

(Cfr. in Decretal. Lib. III. tit. 1, de vita et honest. in Extravg. com. (de cantu eccles.); lib. III. tit. 41, de celebr. X.; lib. I. t. 15, de sacr. unct. tit. 16, de sacram. non iter.).

393. Fontes: Decret. Grat. c. 54, sq. D. I. de consecr. — Decretal. l. c. supra. — Conc. Trident. Sess. XXII, doctr. cap. 8, 5, et can. 9 et decret. de observ. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis* p. 112, sq. l. III. t. 23, *de celebr. Miss., sacram. eucharist. et aliis divin. off.* cap. 11. — Clem. XI. Const. « *Unigenitus* » 13 Sept. 1713, prop. 76; Pii VI. Const. « *Auct. fid.* » 28 Aug. 1794, prop. 66. — Collect. S. C. de Prop. F. p. 701 sq. 714 sq. (de ritib. sinens. et malabar.) p. 733 sq. 882, (de sacr. rit. et prec.), p. 797 sq. (de ritib. orient.); Decret. auth. C. S. R. ed. *Muehlbauer* et nov. ed. Rom. — Collect. Lac. t. II. (de rit. orient.) t. l. III. sq. v. v. Caeremoniae, Cantus, Ritus t. VI, col. 597, 617, 618, (de rit. sinens.).

---

(21) De iure asyli altaris cfr. *Schmalzgr.* l. III, tit. 49, n. 107, 147; *Thalhofer* l. c. p. 752; *Devoti* l. c. § 37 not. 1; *Hinschius* l. c. p. 380 sq.

(22) *Zech* l. c. sect. 1 t. 5 sq.; *Thalhofer* l. c. §§ 59 sq.

(23) Conc. Trid. Sess. XXV de invoc... et sacr. imag.; S. R. C. 15 Iul. 1892, 14 Aug. 1894; *Devoti* l. c. §§ 13, sq.; *Gasparri* l. c. n. 128, 129, *Hinschius* l. c. p. 239 sq.

Scriptores: Commentat. iur. Decr. l. c. — *Zech*, De iure rer. sect. 1 tit. 7, ubi disserit §§ 95 sq. de cantu et instrumentis musicis in ecclesia; *Scherer* l. c. t. II, p. 648 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 426 sq. — *Zaccaria*, Biblioth. rit. t. II, part. 2 p. l. sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. I. l. 2 cap. 2 sq. tract. IV, l. 4 cap. 7 sq. (de cantu eccles.); *Thalhofer* l. c. t. I, p. 370 sq.; *Gasparri*, De ss. euchar. n. 840 sq.; *Iakob*, D. Kunst im Dienste d. Kirche p. 373 sq. — *Thomassin.*, Vetus et nov. Eccles. discipl. P. I. l. 2, cap. 71 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Liturgie sq.; Gesang, Gebet.

Praenotiones

394. Inter generales quaestiones circa cultum divinum, praeter quaestionem de ministris, de loco sacro ubi actus cultus sunt peragendi, etiam enumeranda est quaestio *de cultus praestandi forma et de utensilibus cultus divini*.

Qui actus liturgici *generatim* duplici constant elemento i. e. *verbis* atque aliis *sensibilibus actionibus* sive *caeremoniis* vel *ritibus* velut in baptismo vel benedictione sacerdotali. Verba autem multis *linguis* atque *formis* proferri possunt, nec minor est varietas in *actionibus sensibilibus*. Quare cum cultus divini sive liturgiae *ordinatio* spectet ad Ecclesiam, ex *positivo iure ecclesiastico* est eruendum, *quibus linguis, formis, caeremoniis* vel *ritibus* a se praescriptis vel approbatis *ipsa Ecclesia* suum cultum perficere *velit*.

§ 1. - DE SACRIS LINGUIS ET FORMULIS VERBORUM

395. Principia. Quemadmodum Ecclesia sacram liturgiam non in *loco profano*, sed in *ecclesiis* specialiter consecratis vel benedictis celebrare solet, ita etiam summopere convenit, ut *lingua* quoque liturgica saltem sua *forma* a vulgari sermone sit distincta et *divinis mysteriis* conformis. Quodsi utraque Ecclesia, occidentalis et orientalis, iam pridem in cultu divino retinet *antiquas* linguas a linguis vulgaribus diversas atque adeo *mortuas*, huiusmodi *disciplina* optimo consilio introducta etiamnunc sapienter conservatur et retinetur nec est « *contra Christi institutionem* » vel naturam cultus divini (1). Illae

---

(1) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 8 can. 9; Clem. XI Const. « *Unigenitus* » et Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » l. c. in font.; *Bellarmin.*, De sacram. in genere cap. 31; *Bened. XIV*, De sacros. Missae sacrif. l. II cap. 2; *Thalhofer* l. c. p. 397 sq.

enim linguae liturgicae ipsa sua *antiquitate* atque usu tot saeculorum consecratae cultum divinum reddunt magis *venerandum* et a vita vulgari alienum. Porro quamvis eaedem linguae nunc sint *mortuae*, tamen in illa immutabilitate linguarum liturgicarum thesauri antiquae fidei et disciplinae *fideliter* conservantur. Deinde si uniformitas *disciplinae* ecclesiasticae generatim optimum est medium ad corroborandam Ecclesiae *unitatem*, id potissimum valet de uniformitate *sacrae linguae* atque *liturgiae*. Etenim omnes fere nationes una lingua liturgica eodemque ritu utentes sunt veluti unius labii in perfecto illo actu cultus divini atque cum Sede Romana et inter se intime coniunctae. Nec quidquam obstat, quod linguae illae antiquae a multis non intelligantur. Nequaquam enim *liturgia* Ecclesiae catholicae est *praedicatio* verbi Dei, sed *cultus* a ministro publico Deo exhibitus; populo vero fideli rite instructo non deest cognitio necessaria, ut cum devotione maximoque fructu cultui catholico assistat (2).

Quae disciplina profecto non nititur iure *divino* (3). Quare penes *Rom. Pontificem* certe etiam nunc est potestas maiori minorive ambitu in sacra liturgia celebranda *permittendi* usum linguae *vulgaris* (4); imo ipsi soli est propria et reservata neque ulla ratione Episcopis competit.

396. Notae historicae. Christus Dominus sive lingua hebraica sive syrochaldaica sacrificium eucharisticum instituit, certe suo *exemplo* non dedit *legem divinam* de lingua liturgica neque suo

(2) *Thomassin.* l. c. cap. 82 n. 3; *Thalhofer* l. c. p. 411 sq.
(3) *Thalhofer* l. c. p. 398.
(4) V. g. Ioannes VIII a. 800 linguam slavonicam *vulgarem* per S. Cyrillum et S. Methodium in liturgiam inductam saltem intra certum ambitum admisit. Cfr. Leon. XIII Encycl. « *Grande munus* » 30 Septembr. 1880; *Nilles*, Kalend. t. II p. 685 sq., ubi alia documenta afferuntur. At Sedes Apostolica novis concessionibus adhibendi linguam *vulgarem* in sacra liturgia non favet. Nam etiamsi Urbanus VIII 17 April. 1624 (cfr. Collect. Lac. tom. II col. 501 sq.) dicitur permisisse Carmelitanis, ut in Persia retento ritu *Romano* celebrent Missam in lingua *arabica*, postea iisdem religiosis facultas celebrandi Missam ritu Romano, sed in lingua *armena* 30 Ian. 1627 (Collect. S. C. de Prop. F. n. 796) expresse negata est. S. C. de Prop. F. eandem petitionem quoad idioma georgianum vel armenum 30 Apr. 1631 (Collect. Lac. l. c. col. 502) pariter reiecit, nec magis benigna fuit 7 Ian. 1755. (Collect. S. C. de Prop. F. n. 800) pro antiqua praxi in toleranda lingua *sinensi*. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 850 sq.; *Nilles* l. c. p. 689; *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. c.

praecepto: « *Hoc facite in meam commemorationem* » Apostolis expresse mandavit, ut *certa* uterentur lingua in cultu divino. Nam si institutio quaedam et praescriptio Christi Domini exstitisset de *una* lingua liturgica, profecto primis iam saeculis non tanta fuisset *varietas* linguarum, quibus sacra mysteria sunt celebrata. Neque ullum reperitur vestigium *positivi* praecepti Christi in liturgia pro diversitate nationum varias quoque linguas *vulgares* adhibendi, unde illa diversitas explicetur, multoque minus *naturalis* existit obligatio, ut constat ex praecedentibus. Imo attento celeberrimo canone S. Augustini propter illam varietatem linguarum liturgicarum ne lex quidem *omnibus Apostolis communis* de *una* sacra lingua est asserenda, sed ad summum principalibus quibusdam linguis liturgicis origo quaedam apostolica vindicari potest (5).

Et revera in dubium vocari nequit, quin ab antiquissimis temporibus etiam sacra liturgia eadem lingua fuerit celebrata, qua cuique populo pro suo idiomate proprio vel saltem familiari evangelium est *praedicatum*. Inde orta est liturgia syriaca, graeca, latina etc. (6).

Postquam linguae illae antiquae factae sunt *mortuae* aut saltem substantialiter fuerunt *immutatae*, Ecclesia in sacra liturgia linguis antiquis non substituit linguas *vulgares* vel ipsa sua imperfectione parum idoneas, ut iisdem sublimis ille cultus catholicus perficeretur. Quare ut Ecclesia in aliis rebus disciplinaribus v. g. in habitu clericorum non obstante mutatione morum in laicis pergebat vivere v. g. in Occidente « *more Romano* », ita etiam in sacra liturgia antiquam linguam v. g. latinam retinuit. Quae disciplina vel ipsis germanicis populis neoconversis fuit adeo naturalis, ut nemo postularet linguae *vulgaris* usum in divinis officiis (7).

Qua in re prima vice disciplina ecclesiastica saeculo nono subiit mutationem, cum SS. Cyrillus et Methodius penes populos a se conversos introducerent in sacram liturgiam usum *vulgaris* linguae slavonicae. Romani Pontifices cum non levi haesitatione tandem approbarunt illam innovationem, quae tamen nequaquam apud omnes populos slavicos fuit recepta (8).

(5) *Kraus* l. c. v. Liturgie sq.; *Thalhofer* l. c. p. 398 sq.
(6) *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. c. *Thalhofer* l. c.
(7) Cfr. capit. 52 Synod. Francof. (a. 794); *Thalhofer* l. c. p. 405 sq.
(8) Cfr. supra h. tit. not. 4; *Thalhofer* l. c. p. 401 sq.; Innoc. IV a. 1248 et 1252 iunct. *Nilles* in Act. theol. Oenipont. t. XXIV p. 66 sq. et Arch. f. k. K. t. 70 p. 406 sq.

At ex saeculo duodecimo non defuerunt haeretici velut Albigenses et Waldenses, qui pro suis *perversis doctrinis* in cultu divino linguam vulgarem induxerunt. Quorum vestigia Wikleffitae et Hussitae saec. 14 et 15 secuti sunt (9). Maxime vero pseudoreformatores saeculi decimi sexti, qui suum cultum reiecto sacrificio *Missae* principaliter ad praedicationem evangelii restringentes solummodo linguas vulgares retinendas esse statuerunt. Concilium Tridentinum l. c. in font. illorum erroneas theorias et praxes damnavit. Cum postea Iansenistae, Iosephinistae, Pistoriensis Synodus similes errores protestanticos renovassent, a Clemente XI Const. « *Unigenitus* » a. 1703 et a Pio VI Const. « *Auctorem fidei* » a. 1794 l. c. reprobati sunt. Nostro saeculo exstinctis rationalistarum surculis in Germania pruritus ille introducendi linguam vulgarem in sacram liturgiam paulatim inter catholicos fere integre cessavit (10), nisi excipias quasdam regiones slavicas (11).

397. Disciplina vigens. Pro diversitate rituum inter legitimas linguas liturgicas Ecclesiae *occidentalis* potissimum recensenda est lingua *latina* (12), quae tum in ritu Romano tum in ritu Ambrosiano et Mozarabico retinetur. In Ecclesia *orientali,* in qua quatuor principales sunt *ritus* scl. graecus, armeniacus, syriacus, copticus (13), multo *maior* reperitur numerus *linguarum liturgicarum* scl. graeca,

(9) *Hefele* l. c. t. V p. 834 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 407 sq. Cfr. de legitima praxi cap. 14 X. de off. iud. ord. I 31 = capit. 9 Concil. Lateran. IV (a. 1215) iunct. *Hefele* l. c. p. 885.

(10) *Thalhofer* l. c. p. 408 sq. 108 sq.

(11) Cfr. epist. pastor. Episcop. prov. Gorit. 27 Nov. 1887 in Arch. f. k. K. t. 59 p. 401 sq. contra turbulentos motus introducendi in Illyria liturgiam slavicam.

(12) *Bened. XIV*, De ss. Miss. sacrif. l. c.; *Gasparri* l. c. n. 850; Bened. XIV Const. « *Ex pastorali* » 25 Aug. 1751 de ritu slavo-latino sive de ritu latino in idiomate slavo, « *quod nunc slavum litterale appellant* », non in *vulgari* idiomate slavo; *Nilles* l. c. p. 685 sq. 689 sq. Cfr. de praxi nunc *vigenti* in usu ritus slavo-latini et linguae palaeoslavicae, *non vulgaris:* Instr. S. R. C. 5 Aug. 1898 iunct. resp. eiusdem S. C. 18 Nov. 1898 et 13 Febr. 1892; Arch. f. k. K. t. 70 p. 414, unde ex epist. Nuntii Apost. Viennens. 11 Maii 1887 constat in indulto Leonis XIII a. 1887 pro archidioecesi Antibarensi non agi « *de nova prorsus concessione, sed de vetustae concessionis confirmatione* », nec de concesso « *idiomate aliquo vulgari, sed de idiomate liturgico* » i. e. palaeoslavico.

(13) *Arndt* in Arch. f. k. K. t. 71 p. 193 sq. et in Analect. eccles. t. II p. 416 sq.

armeniaca, syriaca, coptica, quibus accedunt in graeco ritu lingua romanica et slavica, in ritu syriaco etiam lingua arabica, in ritu coptico lingua aethiopica (14).

398. Quamvis Ecclesia generatim linguas *vulgares* a solemni sua liturgia arceat atque omnia reiiciat, quae sapiant *commixtionem linguae liturgicae* et *vulgaris* (15) vel videantur viam parare ad abolendam vel labefactandam linguam liturgicam (16), tamen usum linguae vulgaris in universo suo cultu v. g. in devotionibus popularibus non excludit; remoto igitur periculo a severioribus ordinationibus recedit (17) atque in functionibus quoque *stricte liturgicis,* sed *secundariis* nonnunquam aliquid indulgere solet (18).

399. Praeter *substantiales formas* sacrificii eucharistici et sacramentorum ab ipso Christo Domino institutas Ecclesia in suo cultu multas induxit *accidentales verborum formulas,* quibus maiestas sacrae liturgiae commendatur et populi fidelis devotio excitatur (19). Huc spectant *symbola*, quibus solemnis fit fidei professio, *precatio-*

(14) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 215 sq.; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 34 sq. de lingua liturgica; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 116 sq.; Syn. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 78 sq.; Arch. f. k. K. l. c. p. 406 sq.

(15) Bened. XIV cit. Const. « *Ex pastorali* »; Instr. S. R. C. 5 Augusti 1898; *Nilles* l. c. p. 689; Arch. f. k. K. l. c. p. 408 sq.

(16) S. C. de Prop. F. 29 Mart. 1824, 15 Sept. 1759, 23 Sept. 1773 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 805, 801, 802; S. R. C. 10 Dec. 1870 contra usum canendi inter Missam *solemnem* cantiones *vulgari* sermone.

(17) Decret. Alex. VII 12 Ian. 1661 *contra* versiones vulgares *totius* Missalis, imo vel solius ordinis sive ordinarii Missae (Pius IX 6 Ianuar. 1851, 6 Iun. 1857) iunct. benignioribus resp. S. C. Inq. 11 Decem. 1850 et S. C. Indic. 23 Apr. 1860; Instr. S. R. C. 5 Aug. 1898 n. 12 sq.; *Gasparri* l. c. p. 851; *Thalhofer* l. c. p. 422 sq.

(18) S. C. de Prop. F. 30 Apr. 1808 et S. C. Inq. 9 Maii 1879, 23 Aug. 1880, 23 Aug. 1886; S. R. C. 21 Iun. 1879, 30 Dec. 1881 (Collect. S. C. de Prop. F. n. 617, 635 sq.), ubi permittitur, ut interrogationes in administratione baptismi *repetantur* lingua *vernacula*, postquam primo in lingua latina iuxta Rituale Rom. factae sunt. At S. R. C. 23 Maii 1835 ad 5 decrevit consuetudinem dicendi in communione fidelium verba *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* in idiomate vulgari esse eliminandam. Cfr. de permissione et tolerantia in ritu orientali not. 14 h. tit.

(19) Conc. Trid. Sess. XXI doctr. cap. 2, Sess. XXII doctr. cap. 5; *Suarez*, De leg. l. X. cap. 2 n. 16 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 370 sq.

nes multiplices cum suis singularibus initiis et clausulis, *doxologiae, psalmi, hymni* et *cantica, lectiones* (20).

§ 2. - DE CANTU ECCLESIASTICO ET MUSICA SACRA

400. Principia (21). Ut in ipsa *sacra scriptura* auctores inspirati quandoque sublimia referunt cantica v. g. Magnificat, Benedictus, ita etiam in sacra Ecclesiae liturgia praeter *lectiones* et *preces* etc. reperiuntur *hymni* et *cantica* spiritualia. Quodsi pro natura rei sublimes illi psalmi et hymni non simplicibus modulis recitantur, sed *cantantur*, profecto alii quoque textus liturgici tantam habent solemnitatem atque pulchritudinem, ut si pro sua dignitate cantati fuerint, summopere augeant maiestatem et splendorem cultus divini atque populi fidelis excitent devotionem. Quare cantus ecclesiasticus cum imprimis ordinatus sit *ad glorificandum* Deum, ad augendam *solemnitatem* et *dignitatem* cultus divini, deinde ad excitandam *populi devotionem*, tam praeclaro atque distincto *fini* conformis sit oportet (22). Quaecumque igitur in cantu ecclesiastico *domum Dei* dedecent atque magis ad *theatra* et *coetus profanos* sunt amandanda aut dignitati et sanctitati *verborum* divini officii, quae potius opprimunt quam exornant, sunt opposita aut impediunt *pietatem*

(20) *Thalhofer* l. c. p. 397 sq. 470 sq.; *Duchesne* l. c. p. 100 sq.

(21) Cap. unic. de vit. et hon. cler. III 1 in Extravg. com.; Benedict. XIV Encycl. « *Annus* » 19 Febr. 1749 pro Statu pontif.; Pius X, 22 Nov. 1903, Analecta eccl. t. XII p. 3 sq. Cfr. varia statuta de cantu gregoriano 24 Iun. 1905; 11 Aug. 1905 in Analecta eccl. t. XIII, p. 260, 345; 26 Ian. 1906 ibidem t. XIV, p. 172; Motus propius Pii X 8 Dec. 1903 latine et italice exhibetur inter Decr. Authent. n. 4121. Decreto S. R. C. 8 Ianuarii suponitur, sublatis privilegiis, ille Motus proprius, qui merito dicitur Codex liturgitus cantus ecclesiastici (cfr. Decr. Auth. n. 4131). Accesserunt plura decreta de ipsa editione cantus gregoriani — Cfr. etiam *S. Thom.*, Summa theol. IIa IIae q. 91 art. 2; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. IV l. 4 cap. 7 n. 9; sq. cap. 8, 9; *Thalhofer* l. c. p. 521 sq.; *Iakob* l. c. p. 373 sq.; *Ferreres*, Tesoro del sacerdote II, n. 193 sq.

(22) Cfr. de *duplici* fine cantus eccles.: Cap. unic. de vit. in Extravg. com.; arg. Conc. Trid. Sess. XXII doct. cap. 5; Pii IX Breve ad soc. S. Caecil. 16 Decem. 1870 « *Sanctitati divinae domus rituumque maiestati respondeat* »; S. R. C. 24 Sept. 1884 ad Episc. Ital.; Concil. prov. in collect. Lac. v. g. Conc. Neoeborac. (a. 1861) declarat: « *Sonos musicos et cantus in templis divino cultui nitorem ac splendorem addere et christifidelium pietatem promovere* »; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 41; *S. Thom.* l. c.; *Suarez* l. c. cap. 7 n. 11; *Thalhofer* l. c. p. 526 sq.

fidelium vel *falsos* excitant devotionis sensus, a genuino cantu ecclesiastico longe aliena sint (23).

At *cantus musicus* atque *usus instrumentorum musicorum*, etsi in se imperfectior, tamen ab ecclesiis quoque christianis et catholico cultu tanquam indignus et profanus non est exclusus, dummodo admittatur intra ambitum ab Ecclesia *permissum* vel saltem *toleratum* (24).

401. Quoniam cantus ecclesiasticus est *pars sacrae liturgiae* et publici cultus divini complementum, profecto authenticum atque supremum *iudicium* de genuino cantico ecclesiastico, qui vere suo fini correspondeat, non est penes quoslibet de plebe, sed *soli Ecclesiae* competit. Ipsi quoque soli propria est *potestas* condendi *leges* de conditionibus requisitis cantus ecclesiastici, quem in domo Dei habere *vult* v. g. cantum stricte liturgicum et Gregorianum vel potius *permittit* v. g. cantum figuratum vel etiam musicum vel saltem *tolerat* v. g. symphonias instrumentorum (25). Hinc cantus quidam, licet *aliqua* ratione religiosus, imo forte suo modo perfectus, non est cantus liturgicus vel ecclesiasticus, si Ecclesia illum admittere *non vult* (26), nec vicissim cantus, quem Ecclesia permittit vel saltem *tolerat*, privato arbitrio est condemnandus, etiamsi *supremum* gradum perfectionis non attingat (27).

(23) Concil. Trid. Sess. XXII decret. de observ.; Bened. XIV cit. Encycl. §§ 2, 3, 6; Collect. Lac. v. g. t. V col. 183, 475; Syn. Sciarf. (a. 1888) l. c.

(24) Benedict. XIV cit. Encycl. « *Annus* » §§ 3 sq. 10; *Suarez* l. c. cap. 8 n. 4 sq. 7; *Thalhofer* l. c. p. 522 sq. 530, 561 sq.

(25) Cap. unic. de vita et hon. cler. in Extravg. com.; Bened. XIV cit. Encycl. « *Annus* » §§ 3 sq. 10 sq. 13 sq.; *Suarez*, De leg. l. IV cap. 11 l. X. cap. 2 n. 16, 17; *Thalhofer* l. c. p. 525 sq.

(26) Decret. S. C. R. 10 Apr. 1883 a Leone XIII confirmatum iunct. Litt. Apost. eiusdem R. Pontificis 24 Dec. 1883.

(27) Decr. generale S. R. C. 7 Iul. 1894 quoad uniformitatem cantus *choralis* servandam, ubi antiqua decreta reassumuntur et confirmantur; Litterae encycl. S. R. C. ad Ordinarios *Italiae* 21 Iulii 1894, qua transmissae sunt: « *Normae pro musica sacra* » 6 Iul. 1894 a Leone XIII confirmatae. Cfr. Act. S. Sed. vol. XXVII p. 42 sq. Quibus ex *normis* evidenter cantus *Gregorianus* est is, quem Ecclesia ut *proprium* reipsa spectat; praeterea declaratur in genere *polyphonico* non solum genus *diatonicum* Petri Aloysii Praenestini esse musicam domui Dei *aptissimam*, sed etiam in genere *chromatico haberi* musicam divino cultui *idoneam*. Quae principia si prae oculis habeantur et in theoria praxique rite applicentur, facile in disquisitionibus litterariis et reformandi studio via media invenietur ab extremo rigore atque a laxismo aeque aliena.

402. Notae historicae (28) I. *Cantus* cum pro sua natura cultui divino conveniat, iam in vetere lege (29) atque inde ab aetate apostolica etiam in liturgia christiana fuit receptus (30). Cuius disciplinae testis est ipse S. Paulus v. g. ad Coloss. III, 16, atque Plinius in celeberrima epistola ad Traianum tradit christianos cum ad orationem convenirent sacra carmina et hymnos cecinisse. Nec primis illis saeculis Ecclesia solummodo in sacra liturgia cantum admisit, sed praeterea in agapis, officio divino sive horis canonicis, in funeralibus celebrandis (31). Qui cantus ecclesiasticus a Sanctis Patribus v. g. a S. Ignatio, S. Ephrem, S. Basilio, S. Hilario aliisque commendatus atque promotus (32) certe iam ex saeculo tertio et quarto per *sacros canones* etiam contra *abusus* fuit defendendus (33).

Quodsi potissimum S. Ambrosius (a. 374-397) et S. Gregorius (a. 590-604) cantum ecclesiasticum ordinarunt, eodem tempore non defuerunt Concilia (34), quae de ecclesiastico cantu positivas conderent leges v. g. de psalmistis vel cantoribus, de uniformitate cantus.

(28) Cfr. de historia cantus in genere: *Ambros*, Gesch. der Musik; speciatim de historia cantus ecclesiastici et musicae sacrae; *Gerbert*, De cantu et musica sacra; *Iakob* l. c. p. 411 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 537 sq.; *Kraus* l. c. v. Gesang; *Duchesne* l. c. p. 107 sq.

(29) Paralip. l. I cap. XXV 1 sq. l. II cap. V 12 sq. XXIX 25 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 526, 539; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 552.

(30) At usus *instrumentorum musicorum*, quem in cultu veteris testamenti etiam ipse Deus instituerat, (cfr. Numer. X. 1 sq.; Paralip. l. c.; *Schegg* l. c.), primis tribus saeculis saltem a publico cultu christianorum fuit alienus. Nam de instrumentis musicis in sacra liturgia toto illo tempore non solum est silentium, sed *Clemens* Alex. et *S. Chrysostomus* etiam aperte testantur ab Ecclesia cantum, non instrumenta musica adhiberi. Cfr. *S. Thom.*, Summa theol. l. c.; *Iakob* l. c. p. 458 sq. Quodsi Ecclesia istam praxim instrumentorum musicorum ab initio non admisit, forte inter christianos praesertim ex Iudaeis conversos *modum canendi* sacrum huius populi aliquo modo retinuit, sicut artem cantus graeci ut naturaliter bonam certe non respuit. Cfr. *Iakob* l. c. p. 411 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 539.

(31) *Tertull.*, Apolog. cap. 39; Const. Apostol. l. VIII cap. 34 sq. *Gregor. Naz.* in orat. panegyr. S. Basil. n. 80.

(32) Synod. Sciarf. (a. 1888) l. c.; *Kraus* l. c.

(33) V. g. in Conciliis Antioch. (a. 264-269) contra abusus Pauli Samosateni (*Hefele* l. c. t. I p. 140); c. 15, 59 Conc. Laodic. (a. 343-381) iunct. *Hefele* l. c. p. 761 sq., qui recte illos canones in benigniorem partem interpretatur quam *Scherer* l. c. t. II p. 675 not. 67 aliique.

(34) Cfr. c. 10 Conc. Carthag. (a. 398) spur.; c. 6, 9 Conc. Tolet. (a. 400); c. 14 Conc. Chalced. (a. 451); c. 15 Conc. Venetic. (a. 470); c. 30 Conc. Agath. (a. 506) = c. 13 D. V. de consecr.; c. 1 Conc. Gerund. (a. 517) et c. 27 Concil. Epaon. (a. 517); c. 23 Concil. Turon. (a. 567); c. 9 Conc. Antissiod. (a. 585);

Cantus Ambrosianus (35) etiam in alias regiones v. g. in Galliam fuit divulgatus; at multo maiorem celebritatem nactus est cantus *Gregorianus* (36), quem Ecclesia occidentalis praesertim in Anglia (37), Gallia, Germania una cum *ritu Romano* magis magisque adoptavit. Id quod potissimum factum est in Gallia et Germania ex saeculo octavo et nono, postquam Pippinus et Carolus M. sublato antiquo cantu gallico vel Ambrosiano cantum Gregorianum summo studio promoverunt (38).

II. Cum Ecclesia per mille fere annos in cultu divino unice usa esset cantu *unisono*, non polyphonico et multo minus musico, tandem circiter ex saeculo undecimo retento cantu Gregoriano etiam cantus *figuratus* per usum *organi* (39) iam praeformatus paulatim introductus est. Novam artem Ecclesia non reprobavit, quamdiu *consonantiae, quae melodiam sapiunt,* supra cantum ecclesiasticum simplicem proferebantur, et ipsius cantus ecclesiastici integritas illibata permansit. At « *nonnulli novellae scholae discipuli* », qui derelicto antiquo cantu lascivioribus delectabantur modis, a Ioanne XXII a. 1322, acriter reprehensi sunt (40). Quae severa sanctio Romani Pontificis cum abusus reprimeret, legitimam libertatem insignibus magistris non ademit; illi enim etiam post Ioannem XXII, innixi solido fundamento cantus Gregoriani in genere *diatonico* semper praeclarissima opera usque ad finem saeculi decimi sexti publicarunt (41).

III. Concilium Tridentinum postquam. Sess. XXII, decr. de observ. paucis gravibusque verbis cantum lascivum in ecclesiis

---

c. 22 Conc. Tolet. III (a. 589); c. 13 Conc. Tolet. IV (a. 633) = c. 54 D. I. de consecr.; c. 4 Conc. Trull. (a. 692).

(35) *S. Augustin.*, Confess. l. IX cap. 6, 7; *Thalhofer* l. c. p. 538 sq.; *Iakob* l. c. 414 sq.

(36) De historia cantus Gregoriani consulendi sunt; *Ioann. Diac.*, Vita S. Gregor. l. II cap. 2 iunct. *Grisar* in Actis theologic. Oenip. t. XIV p. 377 sq.; *Pothier*, Les mélodies grégoriennes; Paléographie musicale par les Bénédictins de Solesmes; *Iakob* l. c. p. 416 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 545 sq.

(37) *Ioann. Diacon.* l. c. l. II cap. 6 sq. 36 sq. 37; c. 13 Concil. Cloveshov. (a. 747); *Grisar* l. c.

(38) Cfr. capit. 79 Synod. Aquisgran. (a. 789); *Hefele* l. c. t. III p. 744; *Iakob* l. c. p. 419 sq.

(39) *Iakob* l. c. p. 428 sq. 460.

(40) Cap. unic. de vita et honest. III 1 in Extravg. com.

(41) *Iakob* l. c. p. 436 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 556 sq.

reprobavit, Sess. XXIII, cap. 18 de ref. *cantus* computique ecclesiastici studium in seminariis clericorum praescripsit. Quo Concilio finito, Romani Pontifices v. g. Pius V., Clemens VIII, Paulus V, cum reformationi liturgiae atque librorum liturgicorum diligentissimam navarent operam, etiam in iisdem libris v. g. in Missali, Caeremoniali Episcoporum atque specialibus ordinationibus (42) cantum ecclesiasticum pristinae suae puritati restituere et ad novum splendorem perducere studuerunt.

IV. Profecto Ioannes Pierluigi Palaestrinus († 1594), cantum polyphonicum ad eximium gradum perfectionis adduxerat, ita ut in ipso Caeremoniali Episcoporum l. I, cap. 28, atque quamplurimis Conciliis provincialibus ille cantus non tantum per quandam *tolerantiam*, sed *positiva approbatione* permitteretur. At negari non potest eodem saeculo decimo sexto iam reperiri vestigia *novae* cuiusdam musicae ecclesiasticae, in qua paulatim derelicto cantu Gregoriano et genere diatonico usus generis *chromatici* cum propriis melodiis a cantu Gregoriano alienis invaluit. Cuius novae scholae primi magistri insigniores extremos scopulos vitantes sane musicam etsi *minus perfectam*, tamen ecclesiis *idoneam* composuerunt. Quorum discipuli minus attendentes ad legitimos terminos inde ex saeculo decimo septimo et octavo a genuina musica ecclesiastica magis magisque recesserunt (43).

Romani Pontifices velut Alexander VII Const. « *Piae sollicitudinis* » 23 Apr. 1657 et Innoc. XII decr. 20 Aug. 1692 atque Concilia provincialia novis abusibus exiguo cum successu sese opposuerunt. Imo aucta potius est relaxatio probatae praxis ecclesiasticae, cum praeter *organum* iam per complura saecula ex legitimo

(42) V. g. Pius IV a. 1564 iam commissionem octo Cardinalium instituerat, cui etiam reformatio musicae sacrae fuerat demandata. Porro Gregorius XIII a. 1575 Ioanni Pierluigi commiserat novam editionem *Gradualis* et *Antiphonarii*, quae a *principe musicae* sacrae ad felicem exitum non est perducta. Eodem Pontifice regnante Guidetti a. 1582 Romae publici iuris fecit *Directorium chori* atque tandem sub Paulo V a. 1614-1615 secutae sunt novae editiones Antiphonarii et Gradualis. De quibus editionibus atque quaestionibus connexis complures agitatae fuerunt controversiae atque etiam nunc disputationum nondum est finis. Cfr. decret. S. R. C. 7 Iul. 1894; *Thalhofer* l. c. p. 38, 535, 549 sq.; *Iakob* l. c. p. 424 sq. 428; *Respighi* aliique.

(43) *Iakob* l. c. p. 448 sq.

usu receptum (44) praesertim ex fine saeculi decimi sexti alia atque alia *instrumenta musica* in cantu ecclesiastico adhibita sunt. Unde factum est, ut potissimum ultimo saeculo musica ecclesiastica non raro magis conformis esset *theatro* quam *domui Dei* (45).

V. Quibus malis celeberrima Benedicti XIV, Encycl. « *Annus* » 19 Febr. 1749 efficax remedium non attulit. Verae et practicae reformationi musicae ecclesiasticae tandem ultima parte saeculi praecedentis et nostro saeculo manus admota est, cum resuscitato zelo clericorum et laicorum in promovendis operibus catholicis etiam sacrae musicae suppetiae latae sunt. Quae reformatio praeparata est per *solida studia* de *genuina* natura musicae ecclesiasticae profundioribus disquisitionibus *historicis* innixa et praesertim maiore illa diligentia et reverentia, qua ex *fontibus iuris ecclesiastici* depromptae sunt *normae* a Rom. Pontificibus, S. R. C., Conciliis provincialibus etc. iam pridem statutae. Quae leges ecclesiasticae cum a Conciliis provincialibus ultimo saeculo celebratis (46) praeeuntibus et approbantibus Rom. Pontificibus (47) denuo summa vi inculcatae, *mediis* quoque aptis, quod maius est, *executioni* mandarentur, reformatio musicae sacrae multis in regionibus etiam *de facto* obtenta est. — Praecipuus vero et magis efficax reformator musicae sacrae fuit Pius X, cuius insigne monumentum in hanc rem fuit cit. *Motus proprius* « Fra le sollecitudini » 22 Nov. 1903 cum subsequentibus decretis circa reformationem librorum liturgicorum, in quibus cantus ecclesiasticus continetur; quem Motum proprium voluit idem Pontifex esset ad modum « *Codicis iuridici mussicae sacrae* ». Cfr. Decr. Urbis et Orbis S. R. C. 8 Ian 1904.

403. Disciplina vigens. Relicta speciali disputatione de *theoria* atque *historia* musicae profanae et sacrae ut provinciam cultori-

(44) Conc. Trid. Sess. XXII, decr. de observ.; Caeremon. Episcop. l. I, cap. 28; Benedict. XIV cit. Encycl. « *Annus* » §§ 3 sq. 10 sq.; *Iakob* l. c. p. 460 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 563 sq.

(45) *Catalanus*, Comment. in Caerem. Episc. t. I p. 387 (a. 1743); *Thalhofer* l. c. p. 560 sq.; *Iakob* l. c. p. 456.

(46) Cfr. Collect. Lac. in indic. v. Cantus.

(47) Pius IX et Leo XIII quid ad promovendam reformationem musicae sacrae et uniformitatem cantus Gregoriani praestiterint, potissimum patet ex decretis S. R. C. 7 Iulii 1894 et 6 Iul. 1894; at quamvis libros a se publicatos

bus huius scientiae propriam, unice hoc titulo summatim exponendum est, quid *iure ecclesiastico vigente* de musica sacra cantuque ecclesiastico constitutum sit.

404. *Cantores*, qui functionibus *stricte liturgicis* inserviunt, ex mente Ecclesiae saltem in insignioribus aedibus sacris sint *clerici* (48). Quodsi commode fieri nequeat, ex laicis assumi possunt *pii* et *honesti* aliasque *idonei viri* et *pueri* (49) ; at *mulieres* praesertim cantatrices scenicae omnino excluduntur (50), et ubi mulieres cantant *in choro*, satagendum est, ut huiusmodi usus eradicetur (51). Quae sanctiones ad ecclesias *monialium* seu sororum non sunt extendendae multoque minus ad *devotiones* et cantus *populares*. Pius X, l. c. n. 12-14 (52).

405. Idioma, quod in canticis tempore sacrarum functionum *stricte liturgicarum* omnino adhiberi *debet*, est lingua ritus propria

---

authenticos declararent, tamen ad illorum usum commendatione et exhortatione, non stricta lege Ordinarios inducere studuerunt; *Iakob* l. c. p. 427 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 38.

(48) Cfr. c. 15 Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 1 Conc. Roman. (a. 595); Pontific. Rom., De officio psalmistatus; *Thalhofer* l. c. p. 542 sq. 551 sq. *Iakob* l. c. p. 388 sq.

(49) Recentiora Concilia provincialia v. g. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V col. 863 sq., quae exemplum S. Caroli in Conc. prov. Mediol. IV, secuta sunt.

(50) Conc. prov. Strigon. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V, col. 33; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 42.

(51) S. C. de Prop. F. 6 Iul. 1874 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1964.

(52) Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) l. c.; Synod. Sciarf. (a. 1888) l. c. S. R. C. in Angelopolitana 17 Ian. 1908, postquas Pius X praescripserat ut cantus gregorianus in populi usum restitui curaretur, quo ad divinas laudes mysteriaque celebranda magis *agentium* partem, antiquorum more, fideles conferrent, permissum esse declaravit ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariabiles Missae cantent; itemque ut extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas concinant. Cui responso addidit hanc mentem : « Mens est : 1°) ut intra Christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; et 2°) ut ubi officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum praesertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda et cauto semper ut quaevis inordinatio semper vitetur. At in causa Neo-Eboracen. noluit approbare quod coetus virorum et mulierum sine omnimoda separatione in eodem odaeo simul canerent.

Pius X, l. c. I. (53). Quare Ecclesia occidentalis in hisce functionibus stricte liturgicis tantum cantiones lingua *latina, non vernacula* lingua compositas admittit. Quae prohibitio idiomatis vulgaris potissimum valet de cantu in Missa solemni vel cantata et in horis canonicis (54) v. g. in vesperis solemnibus atque etiam in expositionibus (55) ss. sacramenti et processionibus (56) theophoricis, sed ubi in his viget consuetudo, mitior praxis toleratur (57). In cantionibus, quae ceteras functiones sacras non raro comitantur, lingua *vulgari* uti licet (58).

406. *Textus* canticorum ecclesiasticorum nequaquam arbitrarie sunt eligendi, sed doctrinae catholicae sint conformes et spiritui atque ritui sacrae functionis sive devotionis, cui destinantur, necesse est fideliter respondeant, fideles ad devotionem excitent atque digni sint domo Dei (59).

Speciatim in functionibus *stricte liturgicis* tantum textus liturgici sine *abbreviatione* vel *alteratione* cantari possunt, qui ab Ecclesia expresse sunt praescripti (60) aut saltem permissi (Pius X, l. c. n. 7-9) (61). In functionibus *extraliturgicis* textus cantionum, quae lingua vulgari permittuntur, desumendi sunt ex piis riteque probatis catholicorum libris vel ad tramites iuris particularis sint approbati (62).

407. *Forma* (genus) cantus ecclesiastici Ecclesiae propria habetur *in cantu Gregoriano*. Qui cantus non solum in functionibus

---

(53) S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I n. 7.

(54) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 8 iunct. Pii V Const. « *Quo primum* » 14 Iul. 1570 et decr. S. R. C. 22 Mart. 1862, 31 Ian. 1896 et 25 Iun. 1898.

(55) S. R. C. in caus. Bob. 3 Aug. 1839 ad 2.

(56) S. R. C. 14 Ianuar. 1898 ad 5.

(57) S. R. C. 27 Sept. 1864 ad 7, 2 Augusto 1872, S. R. C. 3 April. 1883; *Thalhofer* l. c. p. 576 sq.

(58) S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I. n. 8.

(59) S. R. C. l. c. n. 1; *Iakob* l. c. p. 376 sq.

(60) Pii V cit. Const. « *Quo primum* »; Alex. VII Const. « *Piae sollicitudinis* » 23 Apr. 1657 et decr. Innoc. XI 20 Aug. 1692; S. R. C. in caus. Thaurin. 11 Sept. 1847 ad 2 et in caus. S. Marci 11 Sept. 1861 ad 14, 15 et in caus. Dianen. 22 Iul. 1892; S. R. C. 6 Iulii 1849 P. I. n. 10, 11; S. R. C. 25 Iun. 1898.

(61) Cit. decr. Alex. VII et Innoc. XII; Bened. XIV cit. Encycl. « *Annus* » § 8; S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I. n. 7.

(62) S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I. n. 1, 8; *Iakob* l. c. p. 379 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 580 sq. — Pius X l. c. vult ut foveatur cantus gregoriani usus popularis.

stricte liturgicis a ministris cultus divini et cantoribus v. g. in Gloria etc. adhibendus est secundum normas in libris liturgicis traditas (63), sed certis anni temporibus *excluso* cantu figurato est praescriptus (64) v. g. a dominica quinta quadragesimae usque ad Pascha excepta feria quinta hebdomadae sanctae. Quodsi *cantus polyphonus* tum generis diatonici tum generis chromatici ab Ecclesia permittitur, omnino curandum est, ut servatis generalibus legibus ecclesiasticis (65) praesertim harmonia vocum sit *devota, distincta, intelligibilis* (66) atque haud negligantur specialia decreta, quibus cantus sacrae liturgiae et textui *subordinatur* (67). Cfr. cit. Motum proprium Pii X, n. 4-6, ubi post cantum gregorianum praesertim commendatur polyphonia classica scholae Romanae; n. 10, 11 ubi habentur praescripta magis particularia.

Organum, quo inter omnia instrumenta musicalia Ecclesia latina utitur tanquam instrumento sibi *proprio* et cantui ecclesiastico quam maxime accommodato (68), ex decentia pulsandum est omnibus *diebus dominicis* et *festis* de praecepto per annum in iure non exceptis (69) simulque eo *modo,* qui non sit lascivus et profanus vel cantum ecclesiasticum opprimat vel functiones sacras impediat (70), Pius X, l. c. n. 15-21; Pius XI, l. c.

« *Alia instrumenta musicalia non addantur, nisi de consensu Episcopi* ». Quodsi ad *cantum* ecclesiasticum praeter organum adhibeantur alia instrumenta musicalia ab Ecclesia *permissa,* non alia, quae potius musicae theatrali et profanae conveniunt, comitatus instrumentorum musicorum cantum decorose sustineat, non opprimat et indoli functionis sacrae sit conformis (71). Pius X, l. supra citato; Pius XI, l. c.

Praeludia et *interludia* et *finalia* solius *organi* absque cantu, dummodo sint *brevia* et aliunde domo Dei digna et ritui sacro conformia, certe permittuntur; imo in casibus expressis per *organum* etiam cantus *suppleri* potest (72), at merae *symphoniae aliorum* instrumentorum musicalium etiam graves, quae nimia sua prolixitate taedium non excitant nec formant partem functionum liturgicarum, ad summum *tolerantur* v. g. in processionibus (73). Pius X, l. c. n. 22, 23.

Demum Pius X, l. c. n. 24-28 praecipit ut in Institutis ecclesiasticis colatur cantus gregorianus, suadet erectionem *Scholae cantorum,* quae saltem in praecipuis ecclesiis sunt restituendae; porro in scientiis sacris tradendis, praesertim in schola liturgiae et iuris canonici, iubet proponi principia et leges musicae sacrae. Id ipsum urget Pius XI, l. c. Cum Pius X etiam iniunxisset revisionem et correctionem librorum cantus liturgici, editi iam fuerunt: *Kyriale* a. 1905; *Graduale* a. 1907; *Officium pro defunctis* a. 1909, 1913; *Cantorinus* seu Toni communes a. 1911; *Antiphonale* a. 1912, 1919.

408. Codex de cantu unicum habet canonem 1264. « Musicae in quibus sive organo sive instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur ab ecclesiis omnino arceantur, et leges liturgicae circa mussicam sacram serventur » (quo firmantur, quae hactenus proposita sunt). — « Religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio canere, tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant ».

409. Quae Pius X, cit. Motu proprio de Musica Sacra constituerat Pius XI solemni quodam modo confirmavit speciali const.

(63) S. R. C. 21 Apr. 1873, 4 Febr. 1874, 25 Maii 1877, 14 Martii 1896; *Iakob* l. c. p. 380 sq.; *Gasparri* l. c. 858.

(64) Caeremon. Episcop. l. I cap. 28 n. 13 l. II cap. 13 n. 3.

(65) Cap. unic. de vit. III 1 in Extravg. com.; S. R. C. 6 Iul. 1894 n. 1, 4, ubi severior lex Ioannis XXII cit. cap. unic. contenta videtur accepisse mitiorem interpretationem. Cfr. *Iakob* l. c. p. 383, 450 sq.

(66) Caeremon. Episcop. l. I cap. 28 n. 12; Bened. XIV cit. Encycl. « *Annus* » § 9.

(67) Caeremon. Episcop. l. II cap. 8 n. 70; S. R. C. 21 Februarii 1643.

(68 Conc. Trid. Sess. XXII decret. de observ.; Benedict. XIV cit. Encycl. « *Annus* » § 3; Synod. Sciarf (a. 1888) p. 41 sq.: Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V col. 863.

(69) Caeremon. Episcopor. l. I cap. 28 n. 1 sq.; S. R. C. in caus. Benev. 2 Apr. 1718.

(70) Caeremon. Episcop. l. c. n. 11; Conc. Trid. l. c.; *Iakob* l. c. p. 384 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 563 sq.

(71) Caeremon. Episcop. l. I cap. 28 n. 11; Epist. circul. Cardin. Vicarii Patrizi in Urbe 20 Nov. 1856, ubi pro singulis casibus, quibus alia instrumenta musicalia essent adhibenda, requirebatur expressa et scripta licentia; *Benedict. XIV* cit. Encycl. « *Annus* » §§ 3 sq. 7 sq. 10 sq.; S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I. n. 6; *Iakob* l. c. p. 386 sq.; *Thalhofer*; l. c. p. 562.

(72) Caeremon. Episcop. l. c. n. 6, 9, 11; S. R. C. 11 Sept. 1874; S. R. C. 6 Iul. 1894 P. I. n. 6; *Thalhofer* l. c. p. 565 sq.

(73) Benedict. XIV l. c. § 13; Epist. circ. cit. Card. Patrizi; *Iakob* l. c. p. 398.

« Divini cultus » 10 Dic. 1928 (A. A. S. XXI, 33). In quo Pontif. Diplomate, supponitur leges datas a Pio X veras fuisse leges obligantes, quae tamen passim ex variis praetextibus non fuerint observatae. Porro in eumdem finem, ut illae plenae executioni mandentur, nonnulla praecepit, aliqua damnat. Positive urget: I. Ut clerici etiam religiosi iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur, eaque institutio deinde continua quadam ratione perficiatur usque ad sacerdotium; ideoque in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis frequens et cantus gregoriani et musicae sacrae adsit vel lectio vel exercitatio. II. Ut *chorale officium* ad Ecclesiae praecepta et vota, etiam quod attinet ad cantum instauretur in basilicis, cathedralibus, collegiatis et conventualibus ecclesiis, et vitia quae in hac re inoleverint corrigantur. III. Ut ubique populus christianus cantus sacros rite participare doceatur et ad hoc rite instituatur adhibita opera eorum, qui in hac re iuvamen praestare possunt, praesertim eorum, quibus iuventus educanda et erudienda est concredita.

Insuper urget, ut omnia profana eliminentur etiam ab organi confectione, ut impediatur ne instrumenta dominentur voci humanae, quae longe instrumentis est praestantior et sola formaliter Deum laudare potest. Tandem commendat fructus sperandos ex executione legum liturgicarum de hac materia, et contra difficultates exurgentes excitat studium Sacrorum Antistitum, quos merito sperat obsequentes operam navaturos Summo Episcopo episcopali suo munere dignissimam.

Scholion. De cantu *in ecclesiis Orientalibus* haec refert *Papp-Szilaggi,* Enchirid. iur. eccl. Orient. § 57 « Ea est proprietas Ecclesiae Orientalis, ut cantum instrumentalem in ecclesia non admittat; cantus in eccl. Orientali de regula melodicus est et unisonus, ut singula verba clarius intelligantur et eorum sensus ab auditoribus assequatur, ut dum intellectus sensu cantus occupatur, melodia animus ad pietatem excitetur. Per exceptionem Rutheni cantum proprium *harmonicum* habent, et in parte etiam figuralem, quem etiam Russica ecclesia adoptavit ».

§ 3. - DE SACRIS CAERIMONIIS VEL RITIBUS

410. Principia. Vocabula *caeremoniae* vel *ritus* inde ab antiquissimo tempore frequenter habentur *synonima* ad significandas

externas formas legitimas cultus divini. At non raro unumquodque verbum obtinuit speciales magisque restrictas significationes.

Quo sensu restricto *caeremoniae* saepe opponuntur *ritibus* (sacris formulis *verborum, substantialibus* ritibus sacrificii et sacramentorum *a Christo* institutis) atque solummodo significant *gestus corporis* (actiones symbolicas, formas *accidentales) ab Ecclesia* in cultu divino institutas et additas (74). Quae significatio caeremoniarum hoc titulo solummodo est practici momenti, quatenus ad canonistas spectant *leges* ab Ecclesia de illis caeremoniis latas.

411. Quicumque admittit cultum Dei externum, is facile etiam admittit actus gestusque corporis in functionibus liturgicis. Nam certi corporis gestus velut genuflexio vel elevatio oculorum in caelum sunt adeo naturales, ut sponte sua fiant nec legibus sint praescribendi. Id quod valet non solum de actibus religionis, quos ipsa natura nos docet, v. g. de oratione, sed etiam de actibus cultus supernaturalis a Christo institutis (75). Quid enim naturalius, quam quod sacerdos in sacrificio eucharistico, in quo partes mediatoris agit, generatim *stet,* (cfr. Bened. XIV, Epist. *« Aetas »* 11 Oct. 1757), in administrando vero sacramento poenitentiae, quod per modum iudicii est institutum, *sedeat* pro more iudicum.

Quodsi Protestantes gestus corporis in suo cultu ultra modum limitant v. g. ad standum et sedendum, imprimis plane *arbitraria* est illa restrictio et contra naturalem hominis religiosi inclinationem, v. g. si adeo abhorrent a flectendis genibus. Porro alios gestus corporis, quos ipsi omittunt, frustra Ecclesiae catholicae obiiciunt; nam istae difficultates iam ex natura rei non habent solidum fundamentum, et praeterea si quid probant, solummodo denuo efficiunt, Protestantes postquam perperam sacrificium eucharisticum et certa sacramenta reiecerunt, cultum quendam divinum habere summopere imperfectum (76).

(74) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 5; Sess. VII de sacram in gen. can. 13; *Gasparri* l. c. n. 840; *Thalhofer* l. c. p. 370 sq.; *Zaccaria*, Biblioth. rit. vol. III p. III sq.

(75) *Suarez,* De virt. et stat. relig. tract. I, l. 2 cap. 2, 3; *Bellarmin.*, De sacram. in genere l. II cap. 29 sq.; *Zaccaria* l. c. p. IX sq.; *Thalhofer* l. c. p. 584 sq.

(76) Conc. Trid. l. c.; *Bellarmin.* l. c. cap. 30 sq.; *Zaccaria* l. c. p. V II sq. XVI sq.; *Thalhofer* l. c.

Ecclesia catholica cum in publico cultu divino non potuerit privato arbitrio relinquere usum caeremoniarum, pro suo manifesto iure praeter ritus substantiales sacrificii et sacramentorum iure divino iam institutos etiam caeremonias accidentales instituit atque adeo praescripsit (77).

412. Notae historicae. I. Christus Dominus non solum ipse ritus substantiales sacrificii eucharistici et sacramentorum instituit, sed etiam exemplo Ecclesiam suam non paucas edocuit caeremonias (78). Quare mirum non est, quod inde ab aetate apostolica Ecclesia exemplum divini redemptoris secuta similes adhibuerit *caeremonias* accidentales (79). Cuius disciplinae antiquissima exempla sunt v. g. *signum crucis*, quo iam initiati fuerunt catechumeni, *trina immersio* in baptismo, *impositio manuum* etiam extra sacras ordinationes in signum reconciliationis (80).

II. Finitis persecutionibus iam in antiquissimis liturgiis de compluribus gestibus corporis reperiuntur praecepta v. g. de inclinatione (81). Imo vel ipsis fidelibus accuratius praescriptum fuit, quo decenti corporis situ sacrae liturgiae assisterent. Qua ratione v. g. c. 20. Concilii Nicaeni (a. 325) praecipitur, ut pro more antiquo christiani diebus dominicis et a paschate usque pentecosten *stantes*, non *genuflexi* orent (82). Multo magis iis personis ecclesiasticis, quae *nomine Ecclesiae* horas canonicas recitarunt, stricto mandato iniunctum est, quo corporis situ fungerentur officio suo. Hinc se-

(77) Conc. Trid. l. c.; *Bellarmin.* l. c. cap. 31; *Zaccaria* l. c. p. XI sq. Cfr. v. g. de caeremonia generatim *genibus flexis* assistendi sacrificio Missae: Rubr. gener. Missalis, tit. XVII n. 2; Caeremon. Episcopor. l. I cap. 30. — De symbolismo sacrarum ceremoniarum cfr. *Compaing* apud *Vacant* Dict. Theol. cath. v. Ceremonias n. VI.

(78) Luc. XXII 41; Hebr. V. 7 (de genuflexione et prostratione); Ioann. XI 41 (de elevatione oculorum).

(79) Act. Apost. VII 59, IX 39, 40; *Tertull.*, De orat. cap. 17, 23; *Kraus* l. c. v. v. Gebet, Gestus, Orans; *Thalhofer* l. c. p. 610.

(80) *Tertull.*, De corona milit. cap. 4; *S. Basil.*, De Spirit. Sanct. cap. 27; *S. Cyp.* in epist. 74; *Kraus* l. c. v. v. Kreuzverehrung, Kreuzzeichen, Taufe, Handauflegung; *Duchesne* l. c. p. 284 sq.

(81) Const. Apost. l. VIII cap. 6, 8, 15; *Thalhofer* l. c. p. 600.

(82) *Tertull.*, De corona milit. cap. 3; *S. Basil.* l. c.; *Hefele* l. c. t. I p. 430 sq. Cfr. Nicol. M. in respons. ad consult. Bulg. (a. 866) cap. 54, ubi defendit morem *iunctis manibus* orandi contra rigorem Graecorum; c. 68 D. I. consecr., ut omnes *non sedentes*, sed *stantes* audiant evangelium.

cundum praxim antiquam, quatenus preces in choro non *flexis genibus* recitabantur, certe inter psalmodiam *standum* fuit, ita ut usus sedilium nonnisi modice v. g. inter lectiones permitteretur. Qua in re inde ex saeculo undecimo mitior praxis est introducta (83).

III. Quo magis introducebantur uniformes libri liturgici, quibus praeter formulas verborum, ritus quoque et caeremoniae continebantur, eo magis etiam omnes gestus corporis praesertim sacrorum ministrorum in cultu divino Ecclesiae catholicae definiti sunt (84). Id quod accuratissime factum est inde ex saeculo decimo sexto, cum Romani Pontifices libros liturgicos novis atque authenticis editionibus publicarent v. g. Missale, Breviarium, Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum. Quibus accesserunt quamplurima decreta S. R. C. (85).

413. Disciplina vigens. Inter caeremonias sive gestus corporis, qui etiam nunc in cultu divino Ecclesiae catholicae occurrunt, hi potissimum recensendi sunt:

I. *Signum crucis* (86), quod tum veneranda antiquitate tum sublimi sua significatione principem occupat locum, in cultu privato christianorum atque in sacra liturgia frequentissimum habet usum. Praesertim vero a ministris cultus publici in Missa, horis canonicis aliisque functionibus liturgicis ea forma et illa verborum associatione faciendum est, qua in rubricis cavetur (87).

II. *Elevatio oculorum* (ad Deum vel ad caelum), fiat necesse est, quotiescumque a rubricis praescribitur, atque a sacerdote celebrante in elevatione oculorum *crux est aspicienda* (88).

III. *Inclinatio capitis* distinguitur in *magnam*, *mediam*, *parvam* (89) et opponitur *profundae* et *mediocri* inclinationi *corporis* (90).

(83) *S. Basil.* in epist. 107; *S. Chrodeg.* regul. cap. 7 iunct. cap. 126 sq. Synod. Aquisgran. (a. 817); *Thalhofer* l. c. p. 591 sq.

(84) Cfr. v. g. c. 13 D. III de consecr.; cap. 10 X. de celebr. III, 41.

(85) *Muehlbauer*, Decreta auth. C. S. R. v. g. v. v. Genuflexio, Impositio, Inclinatio capitis, Laici.

(86) *Gretser*, De sancta cruce; *Kraus* l. c. v. Kreuzzeichen; *Thalhofer* l. c. p. 629 sq.; *Hurter*, Opuscula Patrum t. XI p. 99 sq.

(87) Cfr. v. g. in Missali rit. celebr. III 5; in Rituali Roman., Ord. bapt. parvulorum; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 48.

(88) S. R. C. in caus. Adiac. 22 Iul. 1848 ad 3; *Thalhofer* l. c. p. 603 sq.

(89) Decr. S. R. C. apud *Muehlbauer* l. c. v. Inclinatio capitis.

(90) Cap. 10 X. de celebr. III 41; Caeremon. Episc. l. I cap. 18, 23; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 48 sq. 106 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 599 sq.

Quando vero secundum praxim Ecclesiae latinae a *clericis* vel *laicis caput detegendum* vel *cooperiendum* sit, ex ipsis rubricis et specialibus decretis S. R. C. est eruendum (91).

IV. *Osculum* ut signum *pacis* et *reverentiae* etiam nunc frequenter in sacra liturgia praescribitur (92), ideo arbitrarie non est praetermittendum vel extendendum. Quare cum nunc obstet expressa prohibitio Ecclesiae, osculum pacis ne per instrumentum quidem *feminae* dari potest nec domino loci vel praepositis fabricae pro *more* cum viris ecclesiasticis usitato est impertiendum (93).

V. *Manuum* gestus multiplices ad cultum divinum Ecclesiae catholicae non solum necessario requiruntur, sed etiam cultus interni sunt *connaturales manifestationes* atque eximiae *significationes symbolicae* (94). Huc spectant manuum *extensio, iunctio* et disiunctio, *elevatio, plicatio, impositio* super altare vel personas, *percussio* pectoris *per manus, lavatio manuum* (95).

VI. *Genuflexio*, quam fideles etiamnunc retinent, imo non raro frequentius usurpant quam antiquitus (96), in functionibus liturgicis vel ipsis ministris publicis diversimode per rubricas est praescri-

(91) I Corinth. XI 4 sq. *Tertullian*, De orat. cap. 22; Caeremon. Episcop. l. I cap. 18 n. 7, 9 cap. 22 n. 3 l. II cap. 33 n. 33; *Muehlbauer* l. c. v. v. Caput, Biretum, Laici, Parrucca, Pileolum, Pileus; Processio 4; *Thalhofer* l. c. p. 620 sq. Cfr. de *usu pileoli* missionariis sinensibus in celebr. Missae, in administratione et aliis sacris functionibus *concesso* et nondum absolute *abrogato*, ubi viget nec *restaurando*, si alicubi iam fuerit sublatus, imo paulatim *tollendo*, si circumstantiae id permittant: Collect. S. C. de Prop. F. n. 799, 812, 820, 823, 1205.

(92) Missale, Ritus servandus in celeb. Miss. X. n. 8 sq.; Caeremon. Episcop. l. I cap. 24 n. 2; S. R. C. in caus. Strigon. 30 Aug. 1892; *Muehlbauer* l. c. v. Osculum; *Gasparri* l. c. n. 920.

(93) S. R. C. in caus. Tullen. 24 Novemb. 1685, in caus. Lucerin. 3 Iun. 1617; *Thalhofer* l. c. p. 647 sq.; S. R. C. in caus. Calagurit. 5 Iun. 1614, in caus. Barchinon. 21 Aug. 1872; *Gasparri* l. c. n. 920.

(94) *Kraus* l. c. v. v. Gestus, Orans; *Thalhofer* l. c. p. 608 sq. 644 sq.

(95) Cfr. Missale, Pontif. Rom.; Rituale Rom. passim in rubricis; Caerem. Episcop. v. g. l. II cap. 8 n. 38 sq. et alibi; *Muehlbauer* l. c. v. v. Manus, Mantile, Lavabo.

(96) Cfr. can. 30 Conc. Nicaen. (a. 325) et cap. 10 X. de celeb. III, 41 cum rubr. gener. Missal. t. XVII n. 2 et Caeremon. Episcop. l. I cap. 30; *Thalhofer* l. c. p. 586. Cfr. quoque Pii V, Const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566 pro Urbe: *Omnes* (qui ecclesiam ingrediuntur) **genibus flexis** *Sanctissimum adorent, ad nomen Iesu cum exhibitione reverentiae* **caput inclinent** ».

pta (97). Imo *prosternatio* quoque totius corporis v. g. in sacris ordinationibus, feria sexta et sabbato hebd. sanctae saltem a liturgia non est aliena (98). At mos antiquissimus *standi*, si certi actus cultus divini peraguntur, saepissime adhibetur atque adeo praesertim ministris publici cultus per modum obligationis imponitur (99); praxis vero ex parte *sedendi* tempore officiorum divinorum, quae olim male audiebat, paulatim non solum tolerata, sed eiiam *permissa* est (100) salvis rubricis, in quibus ministri liturgici etiam *iubentur* sedere pro singulari natura actionis v. g. Episcopi (101).

TITULUS XIV.

DE SACRA SUPELLECTILI, DE SACRIS VASIS, VESTIBUS ALIISQUE UTENSILIBUS (can. 1296-1306)

(In Decretal. cfr. Lib. III, tit. 48, de eccles. aedif., tit. 44, de custod. euchar., chrism. et aliorum sacram.) (1).

414. **Fontes:** Decret. Grat. c. 2, 39, sq. D. I. de consecr. — Decretal. Gregor. IX, cit. tit. — Rubric. gener. Miss. tit. XVIII sq. et reliq. lib. liturg. v. g. Pontif. Rom., Caerem. Ep., Rit. Rom. — Decret. auth. C. S. R. (nov. ed. Rom.) et *Muehlbauer* l. c.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1968 sq. — Collect. Lac. v. v.

(97) Rubr. gener. Missal. l. c. n. 1 sq. iunct. rit. serv. in celebr. Miss. IV, 7; Caeremon. Episcop. l. II cap. 6 n. 14, cap. 12 n. 2 sq. cap. 18 n. 16; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 48 sq. 106 sq.; *Muehlbauer* l. c. v. Genuflexio; *Thalhofer* l. c. p. 592 sq.; *Gasparri* l. c. n. 887 sq.

(98) Missale in rubr. dieb. cit.; *Muehlbauer* l. c. v. Prosternatio; *Thalhofer* l. c. p. 598 sq.

(99) Rubric. gener. Missal. l. c. inscr.; Benedict. XIV in cit. Epist. « *Aestas* » 11 Octobr. 1757; *Thalhofer* l. c. p. 589 sq.; *Gasparri* l. c. n. 848.

(100) Rubr. gener. Missal. l. c. n. 6, 7 (« **possunt** *sedere* »); *Thalhofer* l. c. p. 588 sq. 591 sq.

(101) Rit. Rom., Ordo ministr. sacr. poenit. Pontific. Roman.; *Thalhofer* l. c. p. 590 sq.

(1) In illa rubrica verba « *et aliorum sacramentorum* » intelliguntur *sensu latiore* etiam de oleo infirmorum et aliis rebus ad usum sacramentorum deputatis, quae cap. 2 X. h. t. 44 recensentur velut « *vasa ministerii et vestimenta ministrorum ac pallae altaris necnon ipsa corporalia* » et certe sacramenta proprie dicta non sunt. Cfr. *Gonzalez Tellez* in cap. 1 X. h. t. 44 n. 2 i. f.

Vasa sacra, Vestes etc.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 43 sq. 102 sq. et Synod. prov. Ruthen. (a. 1891), p. 111 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. — *Zech* l. c. sect. 1, tit. 7 de campan., tit. 8 de sacra templi supellect.; *Devoti*, Inst. canon. l. II, tit. 7, sect. 4, de s. vest., vas. ceterisque ad eccles. pertin.; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 408 sq. 332 sq. — *Thalhofer* l. c. t. I. p. 666 sq.; *Van de Burgt*, De ecclesiis p. 117 sq.; *Gasparri*, De ss. euchar. n. 653 sq.; *De Albertis*, De sacris utensilib. — *Duchesne*, Origines du culte chrétien p. 365 sq.; *Braun*, Die liturgishe Gewandung; *Kraus* l. c. v. v. Gefaesse, Kleidung, Altar sq.; Gloken, Lampen, Leuchter. — *Ferreres*, Las campanas, historia etc.

Praenotiones

415. I. **Connexio materia.** Postquam universim *formae verborum* et *actiones corporis* expositae sunt, quibus externus ritus *in se* principaliter absolvitur, unice restat proponere *utensilia*, quae in cultu divino adhibentur. Quodsi, in veteri lege, quae fuit umbra futurorum, ipse Deus per famulum suum Moysen *praeter ritus* sacrificiorum etiam *vasorum* sacrorum numerum, *vestes* pretiosas Summi Pontificis, sacerdotum, levitarum praescripsit, certe in nova lege ab Ecclesia Christi pro potestate sibi commissa in his quoque ea fuerunt ordinanda, quae cultus divini maiestatem commendarent atque reverentiam et devotionem excitarent populi christiani.

II. **Definitio.** *Utensilia sacra* sive sacra suppellex intelliguntur res ut distinctae a loco applicatae ad cultus divini exercitium vel ornatum, praesertim vero ad Missae celebrationem et sacramentorum administrationem v. gr. *vasa, vestes, symbola, ornamenta, instrumenta*, quae ad cultum divinum eiusque ornatum *proxime* inserviunt (2).

III. **Divisio.** Utensilia sacra, ut iam patet ex ipsa definitione, in complures classes dividi possunt. Imprimis sunt *vasa sacra*, quibus non raro iunguntur linteamina accessoria, porro *vestes* et *ornamenta* sacerdotum aliorumque ministrorum liturgicorum; denique *symbola, ornamenta, instrumenta*, quae conducunt ad maiorem

(2) Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 524 sq.; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 898 sq. *Gasparri* l. c. n. 653 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 666 sq., ubi etiam de *symbolis* disseritur.

solemnitatem et splendorem cultus divini atque *altarium* et *ecclesiarum* (3).

Praeterea utensilia ecclesiastica distinguenda sunt in *sacra sensu stricto*, quae *consecratione* vel benedictione sacrata fuerunt v. g. calix, planeta, et *in sacra sensu lato*, quae saepe *carent* quidem benedictione vel consecratione, sed magis *immediate* ad usum cultus divini *destinantur* v. g. candelabra altaris in *dominio ecclesiastico* constituta, ideoque pariter ad usus *profanos* saltem regulariter et cum contemptu adhiberi nequeunt (4).

Generalia canonum praescripta

416. Materia et forma pro unaquaque re pertinente ad sacram supellectilem designatur speciali lege liturgica; itemque necessitas consecrationis vel benedictionis (can. 1296, 1304 princ.). Circa materiam et formam, praeter specialem legem liturgicam, servanda est ecclesiastica traditio et meliori quo fieri possit modo etiam habenda est ratio legum artis sacrae (can. 1296, § 3).

Custodia. Integra sacra suppellex accurate et caute custodiri debet in ecclesiae sacrario aliove tuto et decenti loco. Quae cura custodiae incumbit praesertim rectori ecclesiae itemque aliis quibus commissa sit, et importat etiam obligationem prospiciendi ipsius conservationi et decori, ita, ut cum necessarium sit, reparetur aut nova suppellectili substituatur. In hunc finem universae suppellectilis accuratum inventarium est conficiendum in tabulario seu archivo ecclesiae conservandum, in quo quaelibet immutatio facta adnotetur (can. 1296, 1302). Ex natura rei novus rector, statim debet noscere inventarium.

Nefas est sacram suppellectilem ad usus profanos adhibere, quod saltem intelligendum est de ea sacra suppellectili quae per benedictionem constitutivam fuit consecrata (can. 1296, § 1) (5).

(3) Conc. prov. Prag. (a. 1860) l. c. col. 530 sq.; *Gasparri* l. c. n. 683.

(4) Cfr. c. 7 Conc. Arvernens. (a. 535) = c. 43 D. I. de consecr.; cap. 2 X. de sacr. non iter. I, 16; cap. 4 X. de relig. dom. III, 36; S. R. C. in caus. Giennen. 10 Ian. 1597; *Gasparri* l. c. n. 662 sq. 668, 675, 682; *Muehlbauer* l. c. v. Vasa n. 8; *Hinschius* l. c. t. IV p. 162 sq. 410 sq.

(5) Cfr. *Gennari*, Consultazioni canoniche, vol. II, cons. 33, in qua satis clare in distinctionibus factis, sese refert ad praxim Curiae Romanae probatam.

417. A quo providenda. Nisi aliter sit provisum, qui officio tenentur reparandi ecclesiam, debent quoque ei providere de sacra supellectili ad cultum necessaria, ad eam ipsam normam alio loco explicantam, qua ex canone 1186 est reparanda ecclesia reparationibus indigens.

418. Dispositio de sacra supellectili. I. Defuncti S. R. E. Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat, tametsi Episcopus Suburbicarius aut Abbas *nullius* esset, quaelibet sacra supellex, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint, cedunt pontificio sacrario, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae. Optandum dicitur ut Cardinalis qui huiusmodi facultate disponendi uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit (can. 1298) (6).

II. Defuncti Episcopi residentialis tametsi Cardinalis sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, salva tamen dispositione can. 1288 de reliquiis s. crucis. Excipiuntur etiam omnia utensilia quae legitime probentur ab Episcopo defuncto esse comparata bonis ad ipsam ecclesiam non pertinentibus, si non constet eadem in ecclesiae proprietatem transiisse.

Quod si Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit, aut simul praefuerit duabus aut pluribus dioecesibus unitis aut in administrationem perpetuam concessis cathedralem habentibus propriam et distinctam tunc: *a)* si constet utensilia unius tantum dioecesis reditibus fuisse comparata, ea eiusdem ecclesiae cathedrali cedunt; *b)* si hoc non constet, dividi debent, aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; sin vero reditus divisi sint ac separati, divisio fiat inter singulas

(6) Praecesserat Iulii III motus prop. « *Cum sicut nobis* » 26 Iun. 1550; Urbani VIII const. « *Aequum est* » 19 Iul. 1642; Benedicti XIV const. « *Inter arduas* » 22 Apr. 1749 et Pii IX litt. apost. « *Cum illud* » 1 Iun. 1847, in quo accurate describitur sacra suppellex comprehensa (cfr. A. S. S. III, 279).

ecclesias cathedrales pro ratione fuctuum quos in singulis dioecesibus Episcopus perceperit ac tempore quo eisdem praefuerit (7).

Episcopus tenetur authentica forma conficere inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimat quando acquisita sint, distincteve describat si qua non ex ecclesiae reditibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia reditibus ecclesiae comparata praesumuntur, (can. 1299) iunct. fontes in praecedenti nota allegati.

III. Quae de Episcopis statuta sunt applicari quoque debent clerico, qui in aliqua ecclesia beneficium saeculare aut religiosum obtinuerit (can. 1300).

Quae iuris dispositiones hoc habent fundamentum, quod licet reditus beneficii, idem dicatur de mensa Episcopali, cum percepti sunt transeunt in dominium clerici beneficiati vel Episcopi, transeunt tamen cum onere (v. gr. impendendi superfluos in causas pias, can. 1473); in casu, ut utensilia sacra ipsis comparata maneant in ecclesia, non de iis libere disponatur.

IV. Inde obligatio imposita Cardinalibus, Episcopis, beneficiatis curandi ut, testamento vel alia ratione, praescripta de utensilibus sacris in morte relictis etiam in foro civili effectum habeant. Quapropter tempestive ac forma etiam iure civili valida debent designare personam integrae famae (ad normam can. 380), quae, adveniente ipsorum morte, non solum sacram supellectilem, sed etiam libros, documenta aliaque, quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, occupet et cui debentur remittat (can. 1301).

Haeredes non excusantur ab implendis his, quae sunt praescripta can. 1298-1300, tametsi hi qui canone 1301 tenentur, quod in eo praescriptum est non praestiterint.

419. Minister benedictionis sacrae supellectilis. De iure Codicis benedictionem illius sacrae supellectilis, quae benedictione eget antequam adhibeatur ad usum sibi proprium, impertire possunt:

1° S. R. C. Cardinales et Episcopi omnes;

2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;

(7) Cfr. documenta nota praecedenti allegata.

3⁰ Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis;

4⁰ Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;

5⁰ Superiores religiosi ac sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum. Non solum Superiores regulares, sed etiam alii si sint sacerdotes (can. 1304).

Non videntur posse delegare hi, quibus hoc non conceditur canone citato. Prae oculis etiam habendus est can. 1147, § 3. Porro dicendum videtur benedici debere ea omnia, de quibus nunc agitur, pro quo specialis benedictionis ritus assignatur in Pontificali vel Rituali, nisi potius requiratur *consecratio;* et Episcopus quidem debet uti formula in Pontificali contenta, presbyter contenta in Rituali (cfr. tamen decr. auth. 3392, 3533). Cetera S. R. C. decreta in quantum canoni 1304 non opponantur, manent.

Amissio consecrationis aut benedictionis his modis fit:

1⁰ Si tales mutationes aut laesiones res subierit ut pristinam formam amiserit et iam ad suos usus non habeatur idonea;

2⁰ Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit. Non ipsa venditio, sed *expositio publicae* venditioni hunc effectum habet.

3⁰ Calix et patena (salvis n. 1⁰ et 2⁰ dictis) non amittit consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi (can. 1305). Cfr. quaestionem ante agitatam apud *Many,* De Missa n. 115; *Gasparri,* l. c. II, 752.

420. Contrectatio et lotio. Curandum est ne calix et patena et ante lotionem, purificatoria, palla et corporalia quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent. Nihil prohibet quominus custodia de qua agitur habeatur a sacrista laico vel a Sorore (can. 1306, § 1).

Purificatoria, pallae et corporalia, in Missa adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto: aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem (can. 1306, § 2).

Haud raro licentia lotionis clericis, ut dictum est, reservatae, sororibus religiosis a S. Sede conceditur, cuius concedendae facultate caret Ordinarius loci (Decr. auth. n. 3059).

421. Subministratio sacrae supellectilis. I. Ecclesia cathedralis sacram supellectilem aliaque quae ad Missae sacrificium vel alias pontificales functiones necessaria sint debet *gratis* subministrare Episcopo etiam privatim celebranti non solum in ecclesia cathedrali, sed etiam in aliis quoque civitatis vel suburbii ecclesiis (can. 1303, § 1). Praecesserat iurisprudentia id decidens in pluribus causis.

Quoad alias ecclesias praeter cathedralem, de se intelligitur quod Episcopo in illis celebranti debent subministrare sacram supellectilem, sed non tenentur ad eam ministrandam pro celebratione in aliis ecclesiis.

II. Clericis beneficiatis in aliqua ecclesia celebrantibus titulo beneficii aut capellaniae, subministranda est a rectore ecclesiae sacra supellex, qui non videtur posse exigere taxam pro tali subministratione. Ad hoc sunt destinata bona fabricae. Quod facile admitti posset illud est, quod dum novum beneficium vel capellania in aliqua ecclesia erigitur, aliquid possit exigi vel ab ipso fundatore addendum in dotatione vel detrahendum ab ipso beneficiato pro expensis necessariis ad celebrationem. Quare in hac re facile conventiones aequae intercedere possunt; quodsi non intervenerint, idem dicendum videtur quod de ceteris ecclesiis et de aliis sacerdotibus. Cfr. *Gasparri* l. c. II, 672.

III. Quoad ceteras ecclesias et sacerdotes non habentes beneficium in ipsis, generatim dicendum est sacram suppellectilem esse gratis ministrandam; ad hoc enim ecclesia suam dotem habeat oportet, et collectae quae fiunt pro cultu certe debent imprimis inservire ut Missae celebrentur, qui est praecipuus actus cultus.

Si tamen ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius permittere, ut a sacerdotibus qui in proprium commodum ibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur, quam definire pertinet ad Episcopum, excluso Vicario Generali vel Capitulari, eamque definitam nulla ecclesia, etiam religionis exemptae potest excedere. Praestat definitionem fieri in Synodo dioecesana aut saltem audito Capitulo (can. 1303 § 2-4).

Hos sacerdotes habitualiter ad celebrationem Missae admittere nulla determinata ecclesia tenetur, nec ipsi habent strictum ius ut in determinata ecclesia admittantur, quamvis omnes ecclesiae teneantur admittere accidentaliter accedentes. Ex hac ratione potest facilius dari ratio taxae exigendae, si Episcopus consentiat: quae tamen ita moderata esse debet, ut non convertatur in lucrum ecclesiae etiam pauperis, sed ut inde talis ecclesia pauper non habeat detrimentum ex admissione praesertim habituali, ad quam non tenetur.

§ 1. - DE SACRIS VASIS IN PARTICULARI

422. Cum Ecclesia catholica augustissimum habeat sacrificium Missae (8), quod conficitur consecratione panis et vini, inde ab antiquissimo tempore *calix* et *patena* sunt principalia vasa sacra in liturgia Ecclesiae catholicae (9). Ipse Christus Dominus in institutione sacrae eucharistiae *calice* usus est, ut patet ex sacra scriptura (Luc. XXII, 20). De patena expressa mentio ibidem non fit; at eius usus ex natura rei iam commendatus indubitanter antiquis documentis comprobatur. Praeter calicem (minorem) sacerdotis celebrantis primis saeculis etiam reperiuntur calices (maiores) sive *ministeriales*, e quibus populus pro disciplina eo tempore vigente communionis sub utraque specie per *fistulam* vel cannulam in Ecclesia occidentali (non orientali) sacrum sanguinem sugebat. Similiter receptae erant patenae parvae et ministeriales sive communicales pro panibus consecratis. *Materia,* ex qua primis saeculis calices et patenae conficiebantur, uniformi praxi vel lege nondum erat definita. Profecto saeculo secundo et tertio calices *vitrei* (eo tempore non vilis materia) frequenter adhibiti fuerunt in sacra liturgia. Nec dubitari potest, quin christiani primorum saeculorum aere, argilla, cornu, imo ligno in conficiendis calicibus usi sint, at etiam argento et auro, ubi vel ipsis saevientibus persecutionibus facultates ecclesiarum id permiserunt. Inde ex saeculo quarto (10)

(8) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. de sacrif. M. cap. 1 sq. can. 1 sq.
(9) *Kraus* l. c. v. v. Kelch, Patena, Fistula; *Thalhofer* l. c. p. 840 sq.; *Gasparri* l. c. n. 738 sq.
(10) Cfr. c. 73 Apost.; *Thalhofer* l. c. p. 841; *Hefele* l. c. t. II p. 483, 764 sq. 822 not. 4. Saeculo quarto prima quoque occurrunt vestigia *consecrationis*

et multo magis ex saeculo octavo viliores istae materiae fuerunt derelictae atque prohibitae (11), eorumque in locum aurum et argentum sunt surrogata (12).

423. Ex *disciplina* iam diu *vigente* calix sacrificii Missae debet esse vel *aureus* **vel** *argenteus* **aut** saltem habere *cuppam argenteam* intus *inauratam* (13); permittitur autem saltem in casu paupertatis vel necessitatis cuppa *stannea* (non aerea vel vitrea) pari modo *deaurata* (14). Porro cuppae calicum ex cupro vel aurichalco confectae etiamsi fuerint inauratae, omnino prohibentur, et earundem usus est tollendus. Id quod multo magis valet de aliis materiis v. g. de plumbo etc. iam pridem prohibitis (15).

Patena itidem sit *inaurata* atque ex eadem materia confecta, quae pro calice est saltem permissa (16).

calicum, quae in sacramentario Gelasiano et Gregoriano iam expresse traditur Cfr. *Thalhofer* l. c. p. 843. Tactus sacrorum vasorum, qui ex c. 21. Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 26 D. 23 clericis infra diaconos non fuerat concessus, iam iure antiquo subdiaconis (cfr. c. 10 Conc. Bracar. a. 563 = c. 31 D. 23), imo paulatim acolythis aliisque clericis inferioribus atque adeo vel ipsis fratribus laicis et monialibus aliisque viris laicis *officio sacristani* fungentibus est permissus. Cfr. c. 30, 32, D. 23; c. 41 D. I. de consecr. *Muehlbauer* l. c. v. Vasa n. 9, 10, ubi refert decis. S. R. C.; *Thalhofer* l. c. p. 780, 844; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II n. 237. At S. R. C. in caus. Molin. 1857 ad 26 *non* permisit, ut moniales aliaeque piae feminae vitam communem degentes cum licentia Ordinarii (prima vice) **lavarent** corporalia, pallas, purificatoria. *Gasparri* l. c. n. 757, 758.
(11) Cfr. capit. 7 Conc. Chalcut. (a. 787) in Angl.; c. 44 (c. 18 Conc. Tribur. a. 895) 45 (cap. incert.) D. I. de consecr.; c. 3 Synod. Coyac. (a. 1050) in Hisp.; cap. 14 X. de celebr. III 41.
(12) Cfr. c. 3 Synod. Compostell. (a. 1056); c. 17 Synod. Londin. (a. 1175); Innoc. IV Const. « *Sub catholicae* » 6 Mart. 1254 n. 13.
(13) Missal. Rom., Rit. servand. in celebr. M. I. n. 1; Conc. prov. Pragens. (a. 1860) l. c. col. 537. Cfr. de vasis sacris in Ecclesia orientali: Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 104 sq.
(14) Missale Rom., De defect. in celebr. M. X. n. 1 iunct. c. 45 D. I. de consecr.; Innoc. IV l. c.; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 19 et Const. « *Imposito* » 29 Mart. 1751 § 3; *Gasparri* l. c. n. 743 sq.
(15) S. R. C. in caus. Rom. 18 Mart. 1876, in caus. Albingan. 28 Maii 1877. Cfr. de specialibus indultis apostolicis recedendi a iure communi: S. C. de Prop. F. 16 Ian. 1797, 6 Iun. 1847, 24 Dec. 1849; de calicibus aluminio *vel* aere aluminii confectis: S. R. C. 1 Sept. et 6 Dec. 1866 in Act. S. Sed. vol. II p. 232 sq. et vol. VI p. 589 sq., ubi tandem permisit calices et patenas *ex aere aluminii*, sed sub forma et conditionibus in adnexa instructione praescriptis; *Gasparri* l. c. n. 746 sq.
(16) Missal. Rom. l. c.; *Gasparri* l. c. n. 748.

Calix et patena, quibus danda est *forma* in Ecclesia consueta et ritui artique christianae conformis (17), ab Episcopo rite *consecrari* debent aut a sacerdote apostolico indulto vel privilegio munito (18).

Exsecrantur calices vel patenae per fractionem notabilem et immutationem, ut sacrificio Missae non amplius servire possint; sed iure Codicis (can. 1305) non amplius execratur per amissionem deaurationis partis interioris calicis sive cuppae, et per novam deaurationem (19). Singularis quidam *ritus* res consecratas v. g. calices exsecrandi omnino non existit (20). Neque calices et patenae aliaque sacra utensilia certo *polluuntur* (21) per eosdem actus, quibus polluuntur ecclesiae, ita ut vera *reconciliatione* vel nova consecratione opus sit, nisi specialis possit probari exceptio.

Ad illa principalia vasa accedunt *urceoli* sive *ampullae,* quae per se *vitreae* (22) sint; at S. R. C. in caus. S. Iacob. de Chile 28 Apr. 1866 respondit: « *Tolerandam esse consuetudinem* » i. e. utendi in Missa ampullis aureis vel argenteis.

Denique *pelvicula* cum *manutergio* et parva *campanula* (23), *thuribulum* cum navicula et cochleari, *instrumentum pacis* inter vasa sacra sunt recensenda (24).

(17) *Gasparri* l. c. n. 750, 656; *Thalhofer* l. c. p. 845 sq.; *Iakob* l. c. p. 199 sq. Cui formae legitimae non obstat, quominus in calice vel aliis sacris utensilibus nomen et stemma donatoris vel proprietarii apto in loco apponatur. Cfr. S. R. C. in caus. Reatin. 7 Dec. 1844.

(18) Cap. unic. § 8 X. de sacr. unct. I 15; Missale Rom. l. c.; Pontif. Rom. P. II de consecr. pat. et cal.; indulta pont. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 842, 845, 850, 851; S. R. C. 1 Dec. 1882; *Gasparri* l. c. n. 750 sq.

(19) Aliter iure praecedenti cfr. S. R. C. in caus. Leod. 14 Iun. 1845; *Gasparri* l. c. n. 752; *Scherer* l. c. t. II p. 596; *Hinschius* l. c. p. 170.

(20) S. R. C. Dub. 20 Apr. 1822; Arch. f. k. K. t. 40 p. 3 sq.

(21) Cap. 2 X. de sacram. I, 15; *Gasparri* l. c. n. 681, 682, 752.

(22) Missale Rom., Rubr. gener. t. XX; Caeremon. Ep. l. I cap. 11 n. 10, 12, cui pro Episcopis standum est; decret. Alex. VII 27 Sept. 1657 n. 21 de Praelatis inferioribus; *Thalhofer* l. c. p. 847; *Iakob* l. c. p. 227 sq.; *Gasparri* l. c. n. 761. Praeter ampullas adhibere parvum cochlear, ut fit in compluribus regionibus, per rubricas non est prohibitum, ut declaravit S. R. C. in caus. Baltimor. 6 Febr. 1858.

(23) Missale Rom. l. c.; de usu campanulae in Missa cfr. S. R. C. in caus. Ord. Minor. 14 Maii 1856, in caus. Marianopol. 18 Iul. 1883, in caus. Mechlin. 31 Aug. 1867 ad 10; *Gasparri* l. c. n. 765; *Ferreres*, Las campanas etc. n. 163 sq.

(24) Caerem. Episc. l. I. cap. 23 n. 3; *Kraus* l. c. v. v. Weihrauch, Weihrauchgefaess; *Gasparri* l. c. n. 763 sq.; *Iakob* l. c. p. 223 sq.

424. Christus Dominus sacram eucharistiam non solum ut sacrificium, sed etiam ut sacramentum permanens instituit, quo omni tempore Ecclesiam sua reali praesentia consecraret atque fidelibus etiam aegrotis et moribundis sese praeberet in cibum animae sacrumque viaticum (25).

Hinc ortus est in Ecclesia mos antiquissimus asservandi in *pyxide* sive *in* ciborio (arca, columba, capsa, turri) sacram eucharistiam (26). Cum primis saeculis esset permissum, ut Christifideles domi in arca eucharistiam asservarent, multo magis id in oratoriis sive ecclesiis videtur esse factum; at expressis documentis id comprobari nequit. Inde vero ex saeculo quarto dubitari non potest, quin certa vasa sacra fuerint adhibita, quibus *aliquo* in loco *intra* ecclesiam sacra eucharistia fuerit asservata (27).

425. Pyxis (ciborium) iuxta disciplinam vigentem (cfr. Rit. Rom.) debet esse ex *solida decentique* materia in forma Ecclesiae consueta rite facta (can. 1270). Quo statuto certe includuntur omnes materiae, quae pro calice et praesertim pro *patena* sunt permissae. Quare non solum admittuntur pyxides aureae vel argenteae et intus deauratae (cfr. Caer. Ep. l. II, cap. 30, n. 3), sed etiam ex stanno vel cupro deaurato (28). Ciborium ante usum ab Episcopo vel a sacerdote per eum delegato est tantum *benedicendum*, non consecrandum (29). Praeter ciborium maius praesertim iure particulari saepe expresse requiritur etiam *ciborium parvum*, in quo eucharistia ad infirmos deferatur (30). *Lampas* saltem una legitime

(25) Lib. III tit. 44 X. de custod. euchar.; Conc. Trid. Sess. XIII decr. de ss. euch. sacr. cap. 6 can. 7; Rit. Rom. tit. 4 cap. 1 n. 1; *Schmalzgr.* l. III t. 44 n. 1 sq.; *Gasparri* l. c. n. 970 sq.

(26) *Thalhofer* l. c. p. 759 sq. 848 sq.; *Kraus* l. c. v. Ciborium, Taube; *Gasparri* l. c. n. 1004 sq.; *Iakob* l. c. p. 206 sq.

(27) Cfr. c. 13 Conc. Nicaen. (a. 325) iunct. *Hefele* l. c. t. I. p. 417 sq.; cap. 1 X. de custod. III, 44; *Kraus* l. c. v. Taube (euch.); *Thalhofer* l. c. p. 759; *Iakob* l. c. p. 166 sq.

(28) S. R. C. in caus. S. Hyppol. 31 Aug. 1867; *Gasparri* l. c. n. 1004 sq. *Thalhofer* l. c. p. 848 sq.

(29) Rit. Rom. tit. 8 cap. 23; Pontif. Rom. P. II de bened. tabern. seu vasc.; Missale Rom., Ritus celebr. t. II n. 2 iunct. resp. S. R. C. in caus. Ian. 16 Novem. 1649 et in caus. Imol. 2 Dec. 1881; *Thalhofer* l. c. p. 850; *Gasparri* l. c. n. 1008.

(30) Rituale Rom. tit. 4 n. 12 et n. 13 ac 29, ubi etiam loquitur de vase quod feratur collo appensum et bursa coopertum; Conc. prov. Prag. (a. 1860) l. c. col. 537.

collocata ante sanctissimum sacramentum diu noctuque perpetuo colluceat necesse est (31).

426. Sacra vasa, in quibus *sacra olea* scl. oleum catechumenorum et sacrum chrisma et oleum infirmorum inter se *distincta*, diligenter locoque decenti sunt custodienda, sint argentea, si fieri potest, vel stannea (can. 946) (32).

427. Quoniam divinus Salvator in sacra eucharistia perenniter praesens est, ut fideles suos pane illo caelesti recreet, aequum sane ac iustissimum est, ut Christo Domino sub speciebus panis abscondito servitium adorationis non solum diligenter et devote, sed etam publice et solemniter exhibeatur. Cfr. Conc. Trid. Sess. XIII, decr. de ss. euch. cap. 5, can. 6.

Quae praxis *publice* demonstrandi sive visibiliter exponendi sacram hostiam devotioni fidelium in antiqua Ecclesia non reperitur; ideoque « *tabernacula* » vel « *monstrantiae* » vel « *ostensoria* » nonnisi paulatim ex saeculo decimo quarto universaliter in Ecclesia *occidentali* sunt introducta (33). Ex illo enim saeculo festum corporis Christi cum processione iam ab Urbano IV (a. 1264) *institutum* et postea a Clemente V et Ioanne XXII *restauratum* magis magisque in Ecclesia latina fuit receptum atque nunc etiam ab omnibus fere Ecclesiis orientalibus non amplius est alienum (34).

Ostensorium, si attendatur Caeremoniale Episcoporum l. II, cap. 34, n. 14, convenientissime fit ex argento et auro; id quod potissimum valet de *lunula.* At cum lex ecclesiastica hac de re desit v. g. in Rit. Rom., et S. R. C. in caus. S. Hyppol. 31 Aug. 1867, permiserit, ut ciborium, monstrantia et lunula essent ex *cupro deaurato,* certe etiam de materia *lunulae* et *custodiae,* in qua lunula cum sacra hostia asservatur in tabernaculo, nihil severius

(31) Rit. Rom., De ss. euch. sacr.; *Iakob* l. c. p. 187; *Gasparri* l. c. n. 1010; *Thalhofer* l. c. p. 669 sq. 676 sq.

(32) Cap. 1 X. de cust. III 44 et rubr. h. t. et not. 1 h. t.; Ritual. Rom. (De sacr. bapt. et extr. unct.); S. R. C. in caus. Gandav. 16 Dec. 1826; *Iakob* l. c. p. 235 sq.

(33) *Thalhofer* l. c. p. 852 sq.

(34) Cap. unic. de venerat. III 16 in Clem. iunct. *Laurin.*, Introductio in corp. iur. can. p. 187 not. 2; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 51; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 49 sq.; *Bened. XIV*, De festis l. I cap. 13; *Nilles*, Kalend. manuale utr. Eccles. t. II p. 464 sq.

est statuendum quam de materia *ciborii. Reliquae* ostensorii partes iuxta complura Synodorum decreta etiam aurichalco vel cupro deaurato constare possunt (35). In summitate ostensorii *parva crux* existat necesse est, et a statuis Sanctorum inepte collocandis abstineri debet. *Benedictio lunulae* videtur esse rubricis saltem conformior, neque quidquam certe obstat, quominus *totum ostensorium* benedici possit benedictione tabernaculi sive vasculi aut ab Episcopo aut a sacerdote per ipsum rite delegato (36).

§ 2. - DE SACRIS VESTIBUS

428. I. Ecclesia cum habeat liturgiam vere eximiam et sacerdotium singulare et a populo distinctum, optimo sane consilio ad functiones liturgicas suis ministris speciales atque adeo *pretiosas vestes* praescripsit.

II. Quae fuerit primis temporibus hac in re praxis Ecclesiae, inde a medio aevo inter viros doctos (37), qui in duas vel tres sententias abierunt, multum fuit controversum. Certe Ecclesia in vestibus sacrae liturgiae novi testamenti non *serviliter* imitata est *synagogam* neque adoptavit vestes profanas *et* plane *communes* Graecorum vel Romanorum. Quare etiam illi docti, qui *recte negant* exstitisse statim ab initio in Ecclesia *speciales* vestes liturgicas a profanis omnino distinctas, ultro concedunt *meliores* sive *festivas* vestes Graecorum et Romanorum in sacra liturgia fuisse adhibitas. Quae ultima sententia sane est praeferenda (38).

Nam saltem *multiplicitas* quaedam *specialium* vestium sacrarum quae quoad *formam, colorem* etc. a vestibus profanis Graecorum et Romanorum essent distinctae, pro antiquissimis Ecclesiae temporibus non potest probari. Cui sententiae non obstat, quominus

(35) *Thalhofer* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 1031.

(36) S. R. C. in caus. Ianuen. 16 Nov. 1649; Pontif. Rom. P. II (de bened. tabern. sive vasc.); Rituale Rom. t. 8 cap. 23; *Gasparri* l. c. n. 1031, 1008; *Thalhofer* l. c.

(37) *Thomassin.* l. c. P. I l. 2 cap. 45; *Kraus* l. c. v. Kleidung, Vestes sacrae; *Mariott*, Vestiarium christian.; *Thalhofer* l. c. p. 856 sq.; *Duchesne* l. c. p. 365 sq.

(38) Ita Garrucci, Hefele, Krieg, Gasparri, Martigny, Mariott, Wilpert, Duchesne aliique.

forte *aliquod* signum singulare festivis illis vestibus profanis in functionibus liturgicis mox accesserit (39).

At ex saeculo *quarto* cum paulatim vel ipse habitus *communis* clericorum magis magisque distingueretur ab habitu *laicorum*, id a fortiori in sacra liturgia factum est. Saltem ex saeculo octavo iam occurit etiam *benedictio* vestimentorum, quae v. g. c. 4, Conc. Pictav. (a. 1100) dicitur *Episcopo* reservata (40). Praeterea cum Ecclesia ab initio in vestibus sacris potissimum adhibuisset colorem *album*, inde ex saeculo nono in Ecclesia *occidentali* accessit maior varietas *colorum* in vestibus sacris, quae tandem ex saeculo decimo tertio, quo etiam color violaceus est admissus (41), ad quinque colores ecclesiasticos i. e. album, rubrum, viridem, violaceum, nigrum de iure communi fuit limitata (42).

Saeculis subsequentibus in vestibus sacris sive quoad *formam* sive quoad *materiam* uniformitas non est servata (43), et haud raro traditio ecclesiastica et artis christianae genuina principia non leviter fuerunt laesa (44). Quare multiplicibus abusibus decretis ecclesiasticis fuit occurrendum, quibus eliminandis laudabile quoque studium virorum in arte christiana peritorum utiliter accessit.

429. Ex *disciplina nunc vigente* generatim circa *numerum, formam, colorem, materiam, benedictionem* sacrarum vestium servanda sunt imprimis *decreta* in libris liturgicis atque a S. R. C. data, neque negligendae sunt traditiones ecclesiasticae, laudabiles consuetudines iustaeque animadversiones criticae virorum peritorum.

(39) Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 5; *Thalhofer* l. c. v. 857 sq.

(40) *S. Hieronym.* in cap. 44 Ezech.; c. 9 11 Conc. Bracar. (a. 563); c. 13 Conc. Antissiodor. (a. 585); c. 28. 40 Conc. Telet. IV (a. 633); c. 3 Conc. Coyac. (a. 1050); *Gasparri* l. c. n. 684; *Thalhofer* l. c. p. 860 sq.

(41) Const. Apost. l. VIII cap. 12; *S. Hieronym.*, Advers. Pelag. l. I cap. 46; *Innoc. III*, De ss. Miss. sacrif. l. I cap. 8; *Thalhofer* l. c. p. 911 sq.; *Kraus* l. c. v. Farbe.

(42) Missale Rom., Rubr. gener. tit. XVIII de colorib. parament.

(43) Cap. 2 X. de custod. III 44 = cap. 19 Conc. Later. IV (a. 1215), ubi severe inculcatur, ut *vasa* et *corporalia* et *vestimenta* sacra sint munda et nitida; *Thalhofer* l. c. p. 858 sq. 913 sq.

(44) De historia *singulorum* sacrorum vestimentorum consulendi sunt scriptores archaelogiae christianae et sacrae liturgiae v. g. *Kraus* l. c.; *Thalhofer* l. c. p. 864 sq.; *Duchesne* l. c.; *Braun*, D. priest. Gewaend.

Inter vestimenta sacra Ecclesiae latinae (45) potissimum numeranda sunt: Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, pluviale, dalmatica et tunicella, velum humerale, birretum, superpelliceum, quibus in Episcopis accedunt pallium, mitra, cappa, baculus pastoralis, annulus, crux pectoralis, chirothecae, gremiale, caligae cum sandaliis, in Romano Pontifice falda, fano sive orale, subcingulum sive succinctorium, tiara (46).

Forma sacrorum vestimentorum cum expressis et minutis legibus generalibus non sit determinata, in Ecclesia latina retinenda est secundum illam disciplinam nunc vigentem, quae usui Romanae Ecclesiae est conformis et absque venia Sedis Apostolicae innovari nequit (47). Qua norma statuta differentiae secundariae, quae antiquis et legitimis consuetudinibus atque expressis decretis Conciliorum provincialium comprobantur, minime sunt sublatae (48).

430. Praeter quinque *colores* supra recensitos etiam in Ecclesia latina color aureus vel flavus vel caeruleus inter colores liturgicos non admittuntur, nisi forte ad usum coloris caerulei in Missis imm. conc. B. V. M. indultum apostolicum fuerit obtentum (49). Paramenta sacra ex serico confecta et aliis coloribus et floribus ita contexta, ut vix color primarius et praedominans dignoscatur, pro albo, vel rubro, vel viridi indiscriminatim adhiberi non possunt; quare ita sunt conficienda, ut *unus* color sit et facile dignoscatur ut primarius et praedominans (50). Vestes sacrae ex *auro contextae* pro albis, rubris, (viridibus) tolerantur (51).

(45) Missale Rom. l. c. tit. XVIII sq.; Caerem. Episc. v. g. l. I, cap. 10 et passim; *Thalhofer* l. c. p. 864 sq. 892 sq.; *Gasparri* l. c. n. 684 sq.

(46) Cfr. de vestibus sacris in Ecclesia *orientali:* Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 102 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 111 sq.; Collect. Lac. t. II, v. Vestes sacrae.

(47) Epist. S. R. C. 21 Aug. 1863 ad Episc. Angl., Gall., German., Belg. in Collect. S. C. de Pr. F. n. 862; Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V col. 850; *Thalhofer* l. c. p. 858 sq.; *Gasparri* l. c. n. 700; praesertim *Iakob* l. c. p. 348 sq. Cfr. speciatim de planeta: Caerem. Episc. l. II cap. 8 n. 19; *Gavant.*, Thesaur. s. rit. P. II, tit. 1 de mensur.; *Iakob* l. c. p. 350 sq.

(48) Conc. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 538 (de mensur.); *Thalhofer* l. c.; *Iakob* l. c. *Gasparri* l. c.

(49) S. R. C. in caus. Fesul. 26 Mart. 1859, in caus. Syren. 5 Decemb. 1868, in caus. congr. Obl. 23 Febr. 1839, in caus. Palent. 12 Febr. 1884; *Gasparri* l. c. n. 693 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 911 sq.; *Iakob* l. c. p. 340.

(50) S. R. C. in caus. Mutin. 23 Sept. 1837 ad 5.

(51) S. R. C. in cit. caus. Syren. ad. 4, in caus. Papien. 20 Novemb. 1885

431. *Materia,* ex qua *albae,* amictus, superpellicea, rochetta, mappae ad dispensandam sacram communionem, tobaleae altarium, corporalia, pallae, purificatoria conficiuntur, debet esse alba tela *linea* vel *cannabina* (52).

Amictui signum crucis in medio, loco ad deosculandum apto, est insuendum (53).

Cingula sint *funiculi* sive linei sive cannabini albi coloris; at possunt esse serici vel lanei et coloris paramentorum; prohibentur vero zonae vel fasciae ex panno ornatae, et si alicubi huiusmodi cingula existant, solummodo tolerantur, donec consumentur (54).

Planetae, dalmaticae, tunicellae, stolae, manipuli, pluvialia, vela calicis, ex pannis *sericis* vel argenteis vel aureis conficiantur, non ex tela linea vel gossypio vel lana etsi legitimis *coloribus* liturgicis non careant (55), nisi propter paupertatem ecclesiarum confugiendum sit ad panni genus a S. R. C. in caus. Gnesn. 23 Mart. 1882 toleratum.

432. *Benedictio* saltem omnibus illis vestibus sacris in Ecclesia latina dari potest et debet, pro quibus in Pontificali vel Rituali vel Missali Romano *specialis* benedictionis ritus reperitur velut pro planeta, dalmatica, tunicella, stola, manipulo, cingulo, alba, amictu, caligis, sandaliis (56).

Potestas benedicendi vestes sacras iure Codicis est desumenda ex canone 1304 supra explicato (57).

Ecclesia graeca quamvis diu pro more antiquo potissimum colorem *album* retinuerit (cfr. *Gasparri* n. 695), tamen fere ubique paulatim *magis* adoptavit usum Ecclesiae latinae. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 103 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 111 sq.

(52) Decret. gener. S. R. C. 15 Maii 1819 et ead. S. C. 23 Iun. 1892 ad 1 et 13 Aug. 1895; *Gasparri* l. c. 686 sq.; *Iakob* p. 355 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 864 sq.

(53) Missale Rom., Rit. serv. I, n. 3; Caerem. Ep. l. I, cap. 9.

(54) S. R. C. in caus. Bracar. 8 Iun. 1709 ad 3, in caus. congr. 22 Iun. 1701, in caus. Carthus. 23 Dec. 1862, 24 Nov. 1899.

(55) S. R. C. in caus Pap. 20 Nov. 1885; *Gasparri* l. c. n. 692.

(56) Cfr. c. 42 D. I. De consecr. Missale Rom., Rit. serv. I 3; *Bened. XIV,* Inst. eccl. 21 n. 1 sq. 12 sq.; *Gasparri* l. c. n. 709 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 860 sq. Qui ritus praevie benedicendi vestes sacras saltem in quibusdam Ecclesiis orientalibus viget. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 104; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collec. Lac. t. II col. 188 sq. Quare doctrina a *Gasparri* l. c. 712 de Graecis allata saltem nimis generalis est.

(57) De iure praecedenti cfr. S. R. C. in caus. Tirason. 16 Maii 1744 ad 4, 5, in caus. Blesen. 16 Mart. 1877, in caus. Briocen. 4 Sept. 1880, in caus. Imol. 2 Dec. 1881; *Bened. XIV* l. c. n. 11, 14 sq.; *Gasparri* l. c. n. 714, 718 sq. S. R. C. in caus. Mechl. 31 August. 1867 ad 11, in caus. Calaguritan. 17 Maii 1760.

Vestimenta sacra et benedicta variis modis amittunt benedictionem, si v. g. usu ita trita sunt, ut restaurari non possint (Cfr. can. 1305). Quodsi factum sit, eadem in usus sordidos et profanos non sunt convertenda, sed si ad *alios* usus ecclesiasticos adhiberi nequeant, potius comburantur et cineres proiiciantur in sacrarium (58). At indumenta sacerdotalia, in quibus sacerdotes degradati vel schismatici vel haeretici Missam celebrarunt, suam benedictionem *non* amittunt ideoque nec possunt nec debent denuo benedici. Cfr. cap. 2, X. de sacram. non iter. I, 16.

433. Vestimenta sacra imprimis *munda* et *nitida* sunt *conservanda* loco decenti et apto modo. Praesertim vero albae, amictus similiaque utensilia sacra, quae lotione indigent, suo tempore et rite laventur atque renoventur (59).

§ 3. - DE RELIQUIS UTENSILIBUS SACRIS

434. *Altare* praeter legitimam *structuram,* de qua supra iam actum est, etiam debitis *ornamentis* instructum sit necesse est.

Imprimis « *altare operiatur tribus mappis sive tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente protestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque* ad terram *pertingat, duabus aliis brevioribus vel una duplicata* » (60).

Pallio quoque sive antipendio altare ornetur coloris, *quoad fieri potest,* diei festo vel officio convenientis (61).

Crux cum imagine SS.mi Crucifixi in medio super altare collo-

---

(58) Cfr. c. 39 D. I. de consecr. (can. spur.); Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 104; Coll. Lacens. t. II col. 33, 215; *Thalhofer* l. c. p. 861; *Gasparri* l. c. n. 720 sq.; *Lehmkuhl,* Theol. mor. vol. II n. 234 sq.

(59) Cap. 2 X. de custod. III 44 Pontif. Rom., De ord. subdiac.; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 541 sq.; *Iakob.* l. c. p. 355 sq. 368 sq.; *Lehmkuhl* l. c. v. II n. 237.

(60) Cfr. c. 27 D. II de consecr. et c. 46 D. I. de consecr. (can. spur.); Missale Rom. Rubr. gener. tit. XX; S. R. C. 15 maii 1819 in decr. gener.; S. R. C. in caus. Urgell. 30 Dec. 1881; *Iakob* l. c. p. 142 sq. 359 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 772 sq. 777 sq.; *Gasparri* l. c. n. 766 sq.

(61) Missale Rom. l. c.; Caerem. Episc. l. I cap. 12 n. 11; Collect. Lac. t. V col. 531; *Thalhofer* l. c. p. 758, 774 sq.; *Iakob* l. c. p. 362; *Gasparri* l. c. n. 768.

cetur, quae sit legitimae altitudinis nec ita tenuis et exigua, ut ipsius sacerdotis et populi oculos pene effugiat (62).

Candelabra quoque saltem duo cum candelis hinc inde *in* utroque latere *altaris* ponantur (63).

Ad crucis pedem ponatur *tabella secretarum* appellata, cui ex consuetudine accessit altera in latere evangelii et denique tertia in latere epistolae. Quae tabellae tantum in altari servari solent tempore Missae; at in expositione ss. sacramenti *debent* ab altari removeri excepto Missae tempore (64).

Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium vel ipsius altaris *ornatum* non pertineat (65). Quibus ornamentis altaris, quae apponi possunt, certe comprehenduntur *flores* et thecae cum *reliquiis,* item *imagines* et *statuae* Sanctorum (66).

435. Singulare autem ornamentum altaris, in quo asservatur ss. eucharistia, est *tabernaculum* (67), quod constructum esse debet, non in dextera vel laeva parte altaris in *pariete,* sed in *medio altari* (68) regulariter *maiori* tanquam digniori exceptis ecclesiis cathedralibus propter functiones pontificales (69).

(62) Missale Roman. l. c.; Caeremon. Ep. l. I cap. 12 n. 11; Benedict. XIV Const. « *Accepimus* » 16 Iul. 1746; S. R. C. in caus. Urb. 12 Iul. 1704, dub. 17 Sept. 1822 ad 7; *Thalhofer* l. c. p. 781 sq.; *Iakob* l. c. p. 188 sq.; *Gasparri* l. c. n. 769 sq.

(63) Missale Rom. l. c.; Caeremon. Episc. l. c.; S. R. C. in caus. Camer. 16 Sept. 1865 ad 1, 2, 4, in caus. Briocen. 21 Iul. 1855 ad 7; *Thalhofer* l. c.; *Iakob* l. c. p. 185 sq.; *Gasparri* l. c. n. 776 sq.

(64) Missale Rom. l. c.; S. R. C. in caus. tert. ord. 20 Dec. 1864; *Gasparri* l. c. n. 784; *Iakob* l. c. p. 143, 230 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 785 sq.

(65) Missale Rom. l. c.; S. R. C. in caus. Cuneen. 2 Iun. 1883.

(66) Missale Rom., Rit. serv. IV n. 5, Caerem. Episc. l. I, cap. 12, n. 12; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 32, qua doctrina: « *Ne super altaria sacrar. reliquiarum thecae floresque ponantur* », proscribitur tanquam temeraria, pio et probato Ecclesiae mori iniuriosa; S. R. C. in caus. congr. miss. 27 Aug. 1836, in caus. S. Ang. 6 Septemb. 1845, in caus. Soc. I, 11 Maii 1878 ad. 16; *Gasparri* l. c. n. 786 sq.; *Iakob* l. c. p. 142 sq. 151 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 790 sq.

(67) Rit. Rom., De ss. euch. sacr.; Caerem. Ep. l. I, cap. 12 n. 8; *Gasparri* l. c. n. 992 sq.; *Iakob* l. c. p. 161 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 794 sq.

(68) S. R. C. 21 Aug. 1863 (suo loco in nova collectione authentica non amplius reperitur, at in Collect. S. C. de Pr. F. n. 755). Cfr. *Iakob* l. c. p. 161, 166 sq. Certe a disciplina nunc communiter vigente in medio altari collocandi tabernaculum non est recedendum, etsi v. g. in Conc. prov. Colon. (a. 1860) « *turris sacramentalis* » extra altare pro more antiquo commendatur.

(69) Rituale Rom. l. c. et Caerem. Ep. l. c. iunct. resp. S. C. Ep. 10 Febr. 1579, 29 Nov. 1594 apud *Muehlbauer* l. c. v. Tabernaculum 2.

Quamquam ex responso S. C. Ep. 26 Oct. 1575 « *tabernaculum regulariter debet esse ligneum* », tamen Rituale Rom. aliique libri liturgici hanc conditionem non commemorant. Quare etiam tabernacula *marmorea,* nisi humiditas obstet, sunt permissa, item metallica, quae etiam ab Ordinariis *praescribi* possunt, ubi *secura* custodia sacrae eucharistiae id exigit (70).

Tabernaculum *intus* aut deauratum aut panno serico albi coloris circumvestitum, in quo corporale candidum sternatur, ad *sola* vasa eucharistica recipienda servire potest (71); in parte vero *externa* ornatum esse debet *conopeo* coloris officio congruentis *aut albi* (72) et claustro clavique munitum sit oportet; praeterea *benedicendum* est, priusquam sacra eucharistia in illo recondatur (73).

Super tabernaculum reliquiae... etiam s. crucis, imagines, flores vel similes res collocari nequeunt, nisi excipias imaginem crucifixi (74).

Scholion. Praeter enumerata altaris ornamenta potissimum recenseri debent *ciborium* et *baldachinus,* quibus totum altare tegitur. Cfr. Caeremon. Episc. l. I, cap. 12, n. 13, 14; S. R. C. in caus. Senen. 23 Maii 1846; *Iakob* p. 141 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 120 sq. Ad latus epistolae altaris sit *parva mensa* atque pro Missa solemni *credentia* linteo cooperta. Cfr. Missale Rom., Rubr. gen. tit. XX, Rit. serv. II, n. 5; Caeremon. Ep. l. I, cap. 12, n. 19. Prope altare maius ex praxi antiqua reperitur *sacristia* cum sacra supellectile atque armariis apte dispositis itemque *sacrarium* ad recipiendas ablutiones. Cfr. *Iakob* l. c. p. 240 sq.

436. *Ecclesia* quoque rite aedificata suis *ornamentis* et *utensilibus* non careat. Quibus potissimum adnumeranda sunt:

(70) *Gasparri* l. c. n. 994; *Iakob* l. c. p. 162; *Van de Burgt* l. c. 122 sq.

(71) S. R. C. 16 Maii 1871, 20 Iun. 1899; S. C. Ep. et Reg. 3 Maii 1693; *Gasparri* l. c. n. 996; *Thalhofer* l. c. p. 796.

(72) Rituale Rom.; S. R. C. in caus. Briocen. 21 Iul. 1855 ad 12, in caus. S. I. 11 Maii 1878 ad 12, in caus. Auxit. 7 Aug. 1880; *Gasparri* l. c. n. 995; *Thalhofer* l. c. p. 797 sq.; *Iakob* l. c. p. 162 sq.

(73) Cap. 1 X. de custod. I 44; Rit. Rom. l. c.; S. R. C. 20 Iun. 1899; *Gasparri* l. c. n. 997 sq.

(74) S. R. C. in decret. gener. 31 Mart. 1821 a Pio VII confirm. 3 Apr. eiusd. a., in caus. Trident. 12 Mart. 1836 ad 5; *Gasparri* l. c. n. 1003; *Thalhofer* l. c. p. 796.

Cathedra Episcopi, si ecclesia sit cathedralis, ad latus evangelii in presbyterio erecta (75); in aliis ecclesiis ad latus epistolae *scamnum* pro sacerdote celebrante et ministris, quibus praesertim in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus accedunt alia scamna sive sedilia sive stalla pro *clero* (76). Pro *laicis* vero *extra* presbyterium genuflexoria et sedilia parentur secundum legitimam praxim diversarum regionum (77).

Ambo sive suggestus ad *praedicandum,* qui olim pariter *intra* presbyterium ad cancellos fuerat collocatus, certe iam inde a saeculo decimo quinto in quamplurimis ecclesiis constituitur in *navi.* Quantum fieri potest, ad latus *evangelii* apto loco sit positus, et convenienter pannis coloris officii ornatur, nisi diebus a iure prohibitis v. g. feria quinta hebdomadae sanctae (78).

Organum quoque pro more antiquo et attento principali illius scopo iuvandi *cantores,* qui in presbyterio propriam habuerunt sedem, pariter prope presbyterium collocatum erat, donec potissimum ex saeculo decimo quinto ob magnitudinem in dies crescentem frequenter poneretur supra ingressum in ecclesiam in loco plane se-

(75) Caerem. Episc. l. I, cap. 13 n. 1 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 805 sq.; *Iakob* l. c. p. 245 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 132 sq.; *Kraus* l. c. v. Kathedra.

(76) Missale Rom., Rubr. gener. tit. XVII n. 6; Caeremon. Episc. l. I, cap. 12 n. 22; S. R. C. dub. 17 Sept. 1822 ad 2 sq.; *Iakob* l. c. p. 246 sq.

(77) Cfr. c. 33 Conc. Roman. (a. 826) = c. 30 D. II de consecr.; cap. 1 X. de vit. III 1; Caerem. Episc. l. I, cap. 13 n. 13; Collect. Lac. v. Sedilia; *Iakob* l. c. p. 13 sq. 250 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 138 sq.; *Ferraris* l. c. v. Ecclesia art. 5 n. 7 sq. Nemo ex laicis huiusmodi sedilia vel scamna ut propria in Ecclesia ponere potest absque facultate rectoris ecclesiae et invito Episcopo. Quodsi laici ex tolerantia vel licentia Episcopi sive rectoris ecclesiae ius acquirant retinendi sedilia vel scamna in ecclesia, id non est ius dominii sive *proprietatis,* sed solummodo ius precarium sive quoad *usum* revocabile ad libitum rectoris vel Episcopi. Quo iure laicorum Episcopus non impeditur, quominus *ex causa licite* super his sedilibus disponere possit, ut expresse declaravit S. R. C. in caus. Marian. 22 Nov. 1642. Quare si laicus ex locatione vel venditione vel praescriptione vel alio titulo perfectius quoddam ius praetendat ad tramites iuris acquisitum, illud concludentibus argumentis probare debet. Cfr. S. C. Ep. et Reg. 28 Iun. 1583 apud *Ferraris* l. c. n. 8 et *Van de Burgt* p. 142; Conc. prov. Tuam. (a. 1858) in Collect. Lac. t. III col. 881 iunct. col. 755. Cfr. quoque *Hinschius* l. c. t. IV p. 341 sq.; *Friedberg-Ruffini,* Trattato del diritto eccles. p. 755 sq., ubi etiam afferuntur leges civiles in Gallia et Germania et Italia incompetenter latae, sed in praxi attendendae.

(78) Caerem. Episc. l. I cap. 12 n. 18; S. R. C. in caus. Gadic. 14 Iun. 1845; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 536; *Iakob* l. c. p. 255 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 810 sq.; *Kraus* l. c. v. Ἄμβων.

parato et remoto ab altari (79). Cui praxi nulla lex ecclesiastica obstat.

Cancelli, nostra aetate non solum separant presbyterium a navi laicorum, sed etiam in quamplurimis ecclesiis simul inserviunt ut scamnum, ad quod fideles recipiunt *sacram communionem* (80). Quare ita sint constructi et ornati, ut ad tantum sacramentum digne et convenienter recipiendum sint omnino idonei.

437. *Fons baptismalis* (baptisterium), ubi administratur sacramentum, quo quis ingreditur in Ecclesiam, debet esse in ecclesia loco decenti, et quantum fieri potest, prope maiorem portam ad latus evangelii vel certe in baptisterio prope ecclesiam sito. Porro sit pariter decenti forma materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum atque obseratum, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago Sancti Ioannis Christum baptizantis (81).

Sedes confessionalis sit patenti, conspicuo et apto *ecclesiae loco* posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa; nam in ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones sunt audiendae, nisi ex causa rationabili. *Forma* sedium confessionalium nunc usitata ex saeculo demum decimo sexto universaliter est recepta, a qua saltem quoad substantiam non est recedendum (82).

438. *Campanae,* (can. 1169) quae ex tintinnabulis ortae sunt (83), nonnisi paulatim perfectiorem obtinuerunt formam. Certe iam ex

(79) *Iakob* l. c. p. 268; *Thalhofer* l. c. p. 821 sq.

(80) Cap. 1 X. de vit. III 1, iunct. Rit. Rom., Ordo ministr. euchar., unde constat, quod communio *clericis* ad gradus altaris genuflexis praebenda sit, vel si commode fieri potest, intra sepimentum altaris, sint *a laicis* distincti; *Iakob* l. c. p. 249 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 802.

(81) Rit. Rom., De temp. et loco adm. bapt.; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 348; Conc. prov. Prag. (a. 1860) l. c. t. V col. 535; *Thalhofer* l. c. p. 814 sq.; *Iakob* l. c. p. 259 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 127 sq.; *Kraus* l. c. v. Taufkirche.

(82) Can. 909; Rit. Rom., Ordo ministr. sacr. poenit.; *Thalhofer* l. c. p. 818 sq.; *Iakob* l. c. p. 252 sq. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 118, unde constat etiam in Ecclesia orientali non amplius passim vigere antiquissimum morem, secundum quem peccator in genua provolutus sacerdoti in simplice sella assidenti peccata confitebatur.

(83) *Kraus* l. c. v. v. Glocken, Glockensurrogate; Kirchenlex. v. Glocken;

saeculo sexto etiam ad usus ecclesiasticos adhibebantur. Praeterea cum inde ex saeculo octavo *benedicerentur*, Ecclesia de *benedictione usuque* campanarum ecclesiasticarum multiplices condidit *leges* (84). Cuius rei exempla occurrunt in ipso corpore iuris canonici, ubi, salvo iure aliarum ecclesiarum ad complures campanas, *unica* tantum campana in ecclesiis ordinum mendicantium permittitur, imo in oratoriis *privatis* campanas haberi et publice pulsari penitus prohibetur (85).

De iure vigenti cuilibet ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religiosos actus invitentur. Debent autem esse consecratae vel benedictae ab his, quos canones 1155, 1156 deputant ministros consecrationis vel benedictionis loci sacri. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 78 sq.

Metallum, ex quo campanae ecclesiasticae sunt fundendae, non est accurate praescriptum; at licet *nihil obstet*, quominus ex chalybe fundantur (cfr. S. R. C. in caus. Limburg. 6 Februarii 1858), tamen a solita mixtione ex cupro et stanno recedere non expedit. Benedictio est conditio praevia ad hoc ut campanae ad publicum cultum divinum pulsentur (86). Post benedictionem campanae ad

---

Boeckeler, Beitrage zur Glockenkunde; *Otte*, Glockenkunde; *Ferreres*, Las campanas, historia etc. ubi n. 55 sq. ex « *Libro Ordinum* » deducit antiquitatem in ecclesiis visigothicis et mozarabicis.

(84) Cfr. c. 8 Synod. Aquisgran. (a. 801-802); *Van de Burgt*, De eccles. p. 142 sq.; *Iakob* l. c. p. 274 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 830 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 413 sq.; *Ferreres* l. c. n. 64 sq., ubi etiam ex cit. *Libro Ordinum* refert formulam benedictionis, quae videtur esse omnium antiquissima l. c. n. 74.

(85) Cap. unic. de off. custod. I 5 in extravg. com. iunct. decret. Innoc. XI 12 Febr. 1685 pro ordine Fr. Praed. et *Van Gameren*, De orator. p. 77, 111 not. 3. Cfr. quoque cap. 16 X. de excess. Praelat. V 31 iunct. cap. 10 X. de privil. V 33; S. R. C. 27 Iun. 1744 (in nova collect. auth. omiss.) iunct. *Van Gameren* l. c.; *Fagnan.* in cit. cap. 10 X. de priv. n. 7; *Schmalzgr.* l. III t. 40 n. 56; *Van de Burgt* l. c. p. 144 sq., unde patet disciplinam de *unica* campana in *ecclesiis mendicantium* vel in oratoriis *publicis* iam pridem factam esse mitiorem. Cfr. S. R. C. in caus. Guastall. 9 Iul. 1718 ad 1, 10 de permissis *compluribus* campanis in *oratorio publico* alicuius confraternitatis. Quare antiqua prohibitio cit. cap. 10 X. de priv. publice habendi et pulsandi benedictas campanas solummodo sustineri potest quoad oratoria *privata*. Cfr. quoque *Ferreres* l. c. n. 321 sq.

(86) Pontif. Rom., De bened. signi vel camp.; S. R. C. 5 Iul. (Iun. ?) 1614 (in nov. Collect. auth. omiss.) apud *Ferraris* l. c. v. Campana n. 6, 7. At campanae, quae *solum* deserviunt profanis usibus, solemni ritu *Pontificalis Rom.* benedici *non* possunt. Cfr. S. R. C. in caus. Perusin. 16 Iul. 1594; *Muehlbauer*

usus profanos praesertim sanguinis pulsari nequeunt (87), nisi ob causas necessitatis v. g. incendii aliasque iustas rationes v. g. ob victoriam reportatam, et consensus Episcopi sive legitima consuetudine sive statuto generali sive speciali licentia datus accedat (88). De facto ex dispositione iuris (can. 1169, 3) campanarum ecclesiae usus unice subest auctoritati ecclesiasticae (89).

Quoad *usum ecclesiasticum* standum est specialibus decretis Ecclesiae non exiguo numero datis. V. gr. campanae pulsandae sunt, quando Episcopus ad solemniter celebrandum venit in ecclesiam, vel in certis solemnitatibus mandatum dat generale etiam ecclesiis exemptis vel solemnes processiones transeant ante ecclesiam; at pulsari nequeunt in adventu Baronis loci; sileant quoque necesse est tempore tridui hebdomadae sanctae servata legitima prioritate in campanis denuo pulsandis sabbato sancto (90).

Quodsi communitates vel pii donatores campanas ecclesiasticas suis expensis construxerunt, attendendum est, quale ius sibi forte

---

l. c. v. Campana 1; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 47 § 4; *Ferreres* l. c. n. 78 sq. — De benedictione, ius quod praecessit can. 156, 153 cfr. apud S. R. C. in caus. Maioric. 19 Apr. 1687, in caus. Strigon. 9 Maii 1857 iunct. S. R. C. in caus. Eistett. 23 Iun. 1853 ad 1 sq.; *Ferraris* l. c. n. 8 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 147 sq. 151 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 55.

(87) Gloss. ad cap. unic. de off. cust. I 5 in Extravg. com.; S. C. Ep. et Reg. 31 Ian. 1581 aliaque decr. apud *Ferraris* l. c. n. 2, 26; *Hinschius* l. c. p. 420 sq.; Arch. f. k. K. t. VIII p. 35 sq.

(88) S. R. C. 8 Iun. 1592, 31 Ian. 1589 apud *Muehlbauer* l. c. v. Campana 10; *Ferraris* l. c. n. 27 sq. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 155 sq.

(89) De peculiaribus casibus usus ecclesiastici campanarum cfr. *Ferreres* l. c. n. 159 sq. hac de re late et erudite disserentem.

(90) Caerem. Episc. l. I cap. 15 n. 4; S. R. C. in caus. Hispal. 23 Mart. 1592 ad 1; in decr. gen. 3 Apr. 1823 ad 3, in caus. Urb. 10 Mart. 1787, in caus. Ariamen. 19 Febr. 1639; Conc. prov. Tuam. (a. 1858) in Collect. Lac. t. III col. 381; *Muehlbauer* l. c. v. Campana; *Ferraris* l. c. n. 35 sq.; *Bened. XIV*, Inst. eccl. 20 n. 8 sq.; *Ferreres* l. c. n. 219 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 833 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 145 sq.; *Hinschius* l. c. p. 416 sq., ubi falso contendit Ecclesiam subiectam esse « *der allgemeinen Polizeihoheit des Staates* » ideoque quoad *competentiam* Status in ordinando usu ecclesiastico campanarum pervenit ad falsas conclusiones. Cfr. Rit. Rom., *Preces* ad repell. temp.: *Pulsantur campanae, et qui adesse possunt, in ecclesiam convocatis, dicuntur litaniae ordinariae, in quibus bis dicitur: A fulg. et tempestate;* Pontif. Rom., De bened. signi. Qua in re complura gubernia putarunt sibi singulari modo protegendos esse subditos contra abusum campanarum. Cfr. *Hinschius* l. c. p. 420; art. organ. 48 in Gallia, qui libertatem Ecclesiae graviter laedit. — *Ferreres* l. c. n. 274 sq. late disserit de fabula quod Calixtus III iusserit pulsare campanas ad fugandum cometam

in limine fundationis sive quoad *proprietatem* sive quoad *usum legitime* sibi reservarint (cit. can. § 4) (91).

439. *Lumina*, quae primis temporibus (92) in ecclesiis christianorum fuerant necessaria ad *depellendas tenebras*, sane ex antiquissimo usu sive *prope* altare sive circiter ex saeculo undecimo *in ipso* altari sive aliis modis etiam inservierunt, ut *cultus* divinus maiore solemnitate celebraretur (93). Ad quem finem Ecclesia potissimum duplici materia usa est scl. cera apum et oleo olivarum. A qua praxi usque ad nostram aetatem ob mysticas et symbolicas significationes aliasque rationes regulariter non recessit ideoque in *suo cultu ordinarie* tantum admittit candelas ex pura et alba cera *apum* confectas (94) et lampades *oleo olivarum* nutritas (95). Quodsi solummodo spectetur apta *illuminatio* ecclesiarum, qua in commodum fidelium et propter decentiam et maiorem solemnitatem *tenebrae depellantur*, Ecclesia in aedibus sacris etiam alios modos convenientes illuminationis admittit v. g. per candelas ex alia materia v. g. stearina, cera veneta confectas vel per lucem electricam vel in casu necessitatis iuxta prudens arbitrium Episcopi etiam per petroleum

---

Halley. Pariter n. 369 sq. scite agit de usu pulsandi campanas ad procellas seu tempestates repellendas. Notum porro est de campana ecclesiae antiquum proverbium: « Sabbata pangit, funera plangit, fulgura frangit; dissipat ventos, pacat cruentos ».

(91) Cap. unic. de off. cust. I 5, in Extravg. com.; S. C. Ep. et Reg. 31 Ian. 1589, apud *Muehlbauer* l. c. 10; *Thalhofer* l. c. p. 839; Arch. f. k. K. t. 8 p. 33 sq.; t. 33 p. 445 sq.; *Scherer* l. c. p. 635 not. 41 sq.; *Hinschius* l. c. p. 415 sq.; *Van de Burgt* l. c. p. 154 sq. de *mercede* pro pulsanda campana. Cfr. *Ferreres* l. c. n. 330 sq. ubi agit de proprietate campanarum et campanilium.

(92) *Kraus* l. c. v. v. Leuchter, Lichter; *Thalhofer* l. c. p. 666 sq.; *Iakob* l. c. p. 187 sq.

(93) Cfr. c. 34 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 169 sq., qui usui cereorum non obstat; *S. Hieronym.*, Adv. Vigilant. cap. 7; Conc. Trid. Sess. XXII doctr. cap. 5; *Iakob* l. c. p. 189 sq. Cfr. de candelabris in Missa *nunc super altare*, non ad parietem collocandis: S. R. C. in caus. Mechlin. 16 Sept. 1865 ad 1.

(94) Missale Rom., De defect. X. n. 1; S. R. C. in caus. Massilien. 16 Sept. 1843 et in aliis resp.; *Muehlbauer* l. c. v. Lumina; *Gasparri* l. c. n. 783 et *Muehlbauer* l. c. v. Candel. 9, Stearina; Collect. Lac. t. V col. 531, 849; *Iakob* l. c. p. 188. At ex Caeremon. Episc. l. II cap. 10, 22, 25 in Missis defunctorum, in matutinis tenebrarum, die Parasceves adhibendae sunt candelae *ex cera communi* vel flava.

(95) S. R. C. in c. plur. dioec. 9 Iul. 1864; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1968 sq.; *Gasparri* l. c. n. 783.

vel similia olea (96). Ex responso dato in Angelopolitana 17 Ian. 1908 vetitum est adhibere lucem electricam *ad cultum* i. e. luce electrica candelas supplere, quae coram Sanctissimo, vel s. Reliquiis aut imaginibus sunt praescripta; in altari etiam una cum veris candelis illuminationem apponere ex « gas » vel luce electrica; demum theatrali specie illuminare ecclesiam.

Benedictio candelarum praesertim super altare positarum est summopere conveniens, at ex iuris sanctione non est necessaria (97).

De *numero* candelarum in Missa pontificali vel solemni vel privata aliisque functionibus liturgicis v. g. in expositione ss. sacramenti praescripto rubricae sunt consulendae (98).

440. Quodsi Ecclesia in signum *laetitiae* utitur *lumine*, pari ratione adhibet *thymiamata*, ut augeatur splendor et maiestas cultus divini, domus Dei impleatur *odore suavitatis*, sacroque symbolo illustretur, quomodo sacrificium eucharisticum et oratio fidelium ascendant ad Patrem luminum (99).

Quae consuetudo thurificationis in ipso cultu divino ex primis saeculis non adeo certo constat, sed saeculo quarto iam fuit recepta in sacra liturgia et postea constanter retenta. Cum saeculo decimo quarto divulgaretur festum corporis Christi, incensatio sanctissimi sacramenti publice expositi magis magisque fuit introducta (100).

Materia in thurificatione adhibenda, debet esse vel solum et purum thus suavis odoris, vel si aliqua addantur, quantitas thuris longe superet necesse est additamenta (101).

Benedicitur thus immediate ante usum, qui est multiplex in cultu divino atque rubricis et decretis de thurificatione vel incensatione haud exiguo numero datis sit conformis (102).

---

(96) S. R. C. in decr. 4 Iun. 1895, in caus. Leavenworthien. 16 Sept. 1881; *Gasparri* l. c. n. 783, 974, 1010 sq.

(97) Rit. Rom., Bened. candel. extra diem purif. B. M. V.; *Thalhofer* l. c. p. 682 sq.

(98) Missale Rom., Rubr. gener. tit. XX, Rit. serv. VIII n. 8; *Muehlbauer* l. c. v. Candela; *Gasparri* l. c. n. 776 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 677 sq.

(99) Apocal. VIII 3; Conc. Trident. Sess. XXII doctr. cap. 5; *Thalhofer* l. c. p. 683 sq.

(100) Cfr. c. 25 D. 23. (Pseudoisid.); *Kraus* l. c. v. Weihrauch; *Thalhofer* l. c. p. 688 sq.

(101) Caeremon. Episc. l. I cap. 23 n. 3.

(102) *Muehlbauer* l. c. v. Thurificatio, Thus, incensatio; *Thalhofer* l. c. p. 690 sq. 700 sq.

TITULUS XV

DE OBIECTO CULTUS DIVINI

441. Fontes: Decr. Grat. c. 26 D. I. de consecr. Cpl. III, l. III, tit. 33; cpl. V, l. III, tit. 24; Decret. Gregor. IX, l. I, t. 1; l. III, 41, 45; Bonifacii VIII, l. III, tit. 22. Clem. V const. l. III, tit. 16; Extravg. com. l. III, tit. 22. Conc. Trid. sess. XIII decr. de ss. euch. sacr.; sess. XXV de invoc. vener. et reliq. Sanct. et sacr. imag. Decret. Clem. Pap. VIII ed. *Sentis* p. 112 sq.; 126 sq. Collect. S. C. P. F. n. 1906 sq.; 2198, 2203; Decr. Auth. S. R. C.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. *Zech*, De iure rer. eccl. sect. I, tit. 5 de sacr. reliq.; tit. 6, de sacr. imag.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. II, l. I, cap. 1 sq.; *Thalhofer* Handb. d. K. Liturg. t. I, p. 276 sq.; *Ferraris*, Biblioth. v. Reliquiae, Veneratio Sanctor.; *Benedictus XIV*, De sacros. Missae sacrif., De Festis D. N. etc., Doctrina de serv. Dei beatif. etc. — *Kraus*, Real-Encyklop. v. Eucharistie, Feste etc.; *Nilles*, Kalendar. manuale utriusque Eccl. — Cfr. quoque *Fontes* et *Scriptores* supra, ubi de sacr. euch. n. 100.

Praenotiones

442. Si in iure canonico disputandum sit de *obiecto* cultus divini, omnino *supponuntur*, quae theologi de *veritatibus dogmaticis* sive de Deo uno et trino, de Verbo incarnato, de eucharistia sive de veneratione B. V. Mariae, sanctorum, reliquiarum etc. fusius demonstrarunt, atque disputatio *canonica* de obiecto cultus divini magis refertur ad solvendas quaestiones *practicas* et *disciplinares*. Nihil autem mirum si sub nomine cultus *divini*, etiam cultus Sanctis praestitus comprehendatur; nam hic ad cultum divinum refertur cum veneratio ipsis tribuatur propter intimam coniunctionem cum Deo, cui inseparabiliter uniti et de eius gloria participes existant, et supernaturalem excellentiam habeant.

CAPUT I

DE ADORATIONE DEI

443. Adoratio sensu stricto sive cultus latreuticus imprimis debetur *Deo uni et trino* sive *SS. Trinitati* (1). Quare Ecclesia in

(1) *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. II, l. 1 cap. 1.

omni fere functione liturgica honorat SS. Trinitatem (2); speciali autem modo illius honori dedicavit festum SS. Trinitatis tandem a Ioanne XXII (a. 1316-1334) (3) universali Ecclesiae praescriptum, utque singulos dies dominicos, quibus, si peculiare festum non obstet, ex mandato Clementis XIII, 3 Ian. 1759 praefatio de SS. Trinitate (4) in Missae sacrificio iuxta rubricas generales XII, 5 est recitanda (can. 1255, § 1) (5).

Singulae quoque *personae SS. Trinitatis*, non expresse commemoratis reliquis, adorari possunt. Qua in re praxis Ecclesiae multum attendatur necesse est. Nam v. g. *directe* pleraeque orationes liturgicae ad *Patrem*, paucae ad *Filium*, solummodo una alterave ad *Spiritum Santum* dicuntur. Porro cum sub Innocentio XII postularetur proprium festum « *Patris Aeterni* » cum Missa et officio, S. R. C. huiusmodi postulatum ob graves rationes non admittendum esse censuit (6).

444. *Christus Dominus* quoque divino honore et cultu prosequendus est, atque propter unionem hypostaticam singulis humanitatis Christi partibus debetur cultus latreuticus (7). Propterea Ecclesia v. g. cultum SS. Cordis Iesu, pretiosissimi sanguinis, quinque vulnerum Christi Domini approbat et promovet (8). At cum hac in re non leve sit errandi periculum, nec omnia expediant, a

(2) Cap. 2 X. de fer. II 9, cuius auctor est Alex. II, a. 1061-1073, non Alexander III (a. 1159-1181), ut recte arguit *Nilles* l. c. t. II, p. 460 cum Martène, Thomassino, Bened. XIV; *Kraus* l. c. v. Doxologie; *Zaccaria*, Biblioth. rit. t. III p. 54 sq.

(3) *Bened. XIV*, De festis l. I cap. 12, Doctrina de serv. Dei beatif. l. IV part. 2 cap. 31 n. 1, 2.

(4) Quae praefatio tamen antiquior est mandato Clementis XIII, imo vel ipso festo a Ioanne XXII praescripto; nam ut constat ex *Gratiano* c. 71 D. I. de consecr. (incerti auct., non Pelagii Papae) atque adeo iam teste *Micrologo*, De ecclesiast. observat. cap. 60, inter illas praefationes recensetur, quae ex longa retro vetustate servantur in Ecclesia Romana. Cfr. *Thalhofer* l. c. t. II p. 178; *Nilles* l. c. p. 462.

(5) *Bened. XIV*, Doctr. de serv. Dei beatif. l. IV part. 2 cap. 31 n. 3; *Thalhofer* l. c. t. I p. 278 sq.

(6) *Bened. XIV* l. c. l. IV part. 2 cap. 31 n. 3, 4.

(7) *Billot*, De Verbo incarn. p. 314 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. tom. IV n. 189 sq.

(8) *Bened. XIV*, Doctrina de serv. Dei beatif. l. c. cap. 31 n. 19 sq.; *Nilles*, De ration. festor. sacrat. cord. Iesu et pur. cord. Mar.

novis devotionibus arbitrarie proponendis et propagandis praesertim simplicibus fidelibus et hominibus privatis est abstinendum (9). Mirum igitur non est, quod Ecclesia etiam nostra aetate novas quasdam devotiones v. g. *de facie* Christi non approbarit atque adeo expresse prohibuerit (10).

445. Latriae cultus, qui vero Deo debetur, etiam sanctissimo *eucharistiae sacramento* est exhibendus (11). Cui sanctissimae eucharistiae, in qua reperitur centrum cultus divini legis gratiae, Ecclesia catholica in singularem cultum dedicavit feriam quintam atque *festum corporis* Christi (12). Et ultimo tempore promovit et fovit Congressus Eucharisticos, sive mundiales, sive nationales aut regionales, in quibus, praeter alia pertinentia ad cognitionem amorem et venerationem tanti sacramenti, solemnissima quadam et publica ratione cultum tribuit Christo in Eucharistia praesenti. De hoc cultu eucharistico primo loco est agendum, antequam agatur de cultu B. M. Virginis, Angelorum et Sanctorum, qui etiam sunt obiectum divini cultus.

CAPUT II

DE CULTU EUCHARISTICO (13)

§ I. - DE CUSTODIA EUCHARISTIAE

446. Quemadmodum iam in ipso sacrificio Missae Christus Dominus realiter praesens per sacerdotem et ministros et fideles sive ex propria *devotione* sive ex *obedientia* assistentes colitur et *adoratur*, ita etiam Eucharistiae, quae sub speciebus panis *post*

(9) S. C. Inq. 13 Ian. 1875, 15 Iul. 1893, 3 Apr. 1895, 26 Aug. 1891.

(10) Cfr. de cultu *vultus* vel *imaginis* vult. Christi: S. C. Inq. 4 Maii 1892 iunct. resp. eiusd. S. C. 8 Mart. 1893; *Bened. XIV* l. c. n. 14.

(11) Conc. Trid. Sess. XIII l. c. cap. 5 can. 6.

(12) Cap. unic. de reliq. III 16 in Clem. = Constit. Urbani IV a. 1264 et Clem V a. 1311; cap. 1 de reliq. III 12, in Extravg. com. (Sixt. IV a. 1476); Concil. Trid. l. c.; *Bened. XIV*, De festis l. I, cap. 13; *Nilles*, Kalendar. manuale utriusque Eccles. t. II p. 464 sq., ubi refert etiam praxim Ecclesiae *orientalis*.

(13) In iure Decretal. praeter tit. 41 libri III *de celebr. Missar. et sacr. eucharist.*, habebatur titulus 44, *de custod. eucharist.*

celebrationes Missarum (14) secundum antiquam (15) Ecclesiae praxim *asservari* solet, specialis debetur reverentia et *adoratio*. Quae reverentia primo loco sese manifestet necesse est eximia illa cura, qua eucharistia ad *fines* ab Ecclesia approbatos secundum leges canonicos *in ecclesiis custoditur* (16).

Conditio quaedam praevia ut Eucharistia in aliqua ecclesia, oratorio vel cappella asservari possit illa est: 1°) ut adsit qui eius curam seu custodiam habeat; 2°) ut sacerdos regulariter semel saltem in hebdomada Missam celebret in loco ubi asservatur (can. 1265, § 1) (17).

447. I. **Ubi custodiri debet.** Ex iure communi hodierno Eucharistia servari *potest* et *debet* in omnibus ecclesiis, quibus incumbit cura animarum cum provisione infirmorum. Quare imprimis in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali (18). Deinde in

(14) Videlicet Christus sacram eucharistiam non solum ut sacrificium, sed etiam ut sacramentum permanens instituit, quo omni tempore Ecclesiam sua reali praesentia consecraret et mirabili modo adimpleret promissionem ipsi in persona Apostolorum factam (vobiscum sum usque ad consummationem saeculi), atque fidelibus etiam aegrotis et moribundis sese praeberet in cibum animae sacrumque viaticum. Conc. Trid. sess. XXIII, de ss. euch. sacr. cap. 6 can. 7.

(15) *Bendel* in Act. theolog. Tubing. t. 34, p. 267 sq.; *Kraus* l. c. v. Pyxis; *Thalhofer* l. c. tom. I, p. 761 sq.

(16) *Gasparri*, de SS. Euch. n. 970 sq.; *Schmalzgr.* l. III, tit. 44, n. 2 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 84 sq.; *Bendel* l. c. p. 244 sq.; *Hoffmann*, D. Verehr. n. Aub. d. allerheil. Sakram. gesch. dargest.

(17) Ea custodia licet personis clericorum imprimis incumbat, non excluditur custos laicus, modo clericus respondeat praesertim de clavi qua claudendus locus ubi eucharistia asservatur; multo magis custodia committi potuit communitati religiosae. *Vermeersch*, Epist. II, 587; *Periodica* IV, pag. 315; S. R. C. Decr. Auth. n. 3527. Cfr. de maiore rigore contento in nonnullis responsis *Gasparri* l. c. n. 990, 991. — Ordinarii est curare ut conditiones requisitae (v. gr. de Missa celebranda) verificari possint in ecclesiis in quibus custodia Eucharistiae est praecepta. Iure praecedenti rigidius insistebatur in hoc quod prope ecclesiam resideret presbyter et per se vel per alium quotidie celebraret (*Gasparri* l. c. n. 990 sq.) et *per gratiam* indulgebatur ut residentia presbyteri in loco non requireretur et Missa saltem semel in hebdomada celebraretur. Cfr. A. S. S. vol. XV, p. 528 sq.

(18) Ecclesiis quasi paroecialibus videntur aequiparandae ecclesiae subsidiariae seu ut alibi dicitur filiales, si vere in ipsis exerceatur animarum cura. Commissio Codicis admisit posse id permitti ab Episcopo, 20 Maii 1933 (A. A. S. XVI, 115). — Cfr. c. 93 D. II de consecr. = Capit. II, c. 16 (a. 809) iunct. *Hefele* l. c. t. III, p. 752 sq.; cap. 1, X. de custod. euch.; cap. 10, X. de cel. Missar. (III, 41); *Schmalzgr.* l. c. n. 16; *Gasparri* l. c. n. 974.

qualibet ecclesia cathedrali, quae est ad modum paroeciae totius dioecesis et ecclesia Episcopi, cui superior cura animarum competit in omnes dioecesanos; cui in hac parte aequiparatur ecclesia princeps Abbatiae vel Praelaturae *nullius* et Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae. Tandem in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum (can. 1265) (19).

II. **Ubi custodiri possit.** De licentia Ordinarii loci custodiri *potest* in ecclesia collegiata, tametsi non sit paroecialis, et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur (can. 1265, § 1, 2°) (20).

III. **Ubi custodiri non possit.** Asservatio eucharistiae in *aliis* ecclesiis vel oratoriis sive publicis sive semipublicis sive privatis (21) vel in domibus privatis (22) vel in itinere a particularibus personis R. Pontifice inferioribus (23) non est *permissa*, nisi indul-

(19) Cap. 3 X. de off. archipr. I 24, ubi agitur de archipresbytero *civitatensi* atque ecclesia *cathedrali*, non de archipresbytero simplicis parochiae; Conc. Trid. Sess. XXV cap. 10 de regular., ex quo moniales non intra chorum vel septa monasterii, sed in *publica* ecclesia eucharistiam conservare debent; *Schmalzgr*. l. c. n. 17, 18; Cfr. quoque Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 98, ubi *praecipitur* eucharistiam non solum in ecclesiis parochialibus, sed etiam in ecclesiis *monasteriorum* conservare; S. R. C. in caus. Marianen. 16 Apr. 1644.

(20) Inter *domos pias* seu ad pietatis opera exercenda destinatas profecto adnumeranda sunt hospitalia, orphanotrophia, tametsi ab Ecclesia non sint erecta, modo in ipsis aliquis sacerdos curam spiritualem habeat. Item collegia catholicae puerorum vel adolescentium educationi destinata, si sacerdos curam spiritualem in ipso habeat seu quoad spiritualia regat. *Domus religiosae* sunt domus alicui operi religionis destinatae velut omnes domus religiosorum et religiosarum, domus exercitiis spiritualibus perficiendis destinatae et similes — *Collegium ecclesiasticum* dicitur illud, in quo adolescentes ad clericalem vel religiosam vitam instituuntur, velut Seminarium.

(21) Bened. XIV Const. « *Quamvis iusto* » 30 Apr. 1749 § 24; S. R. C. in decr. gener. 10 Dec. 1703 ad 26; *Gasparri* l. c. n. 978 sq.

(22) Cfr. de casu necessitatis et facultatibus missionariis concessis: S. C. de Prop. F. 22 Sept. 1850, 23 Aug. 1852 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 749, 751; *Schmalzgr*. l. c. n. 4; *Gasparri* l. c. n. 971 atque de disciplina Ecclesiae orientalis: Collect. Lac. t. II col. 198, 199, 200, 204, 208; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 98 de permissa asservatione eucharistiae in decenti *oratorio domus* episcopalis.

(23) Cfr. de praxi antiqua sacerdotum itinerantium gestandi e collo eucharistiam: S. Bonif. statuta synodalia c. a. 747 cap. 4 iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 583 not. 3. Quae praxis iam pridem prohibita est, ut patet ex resp. S. C. de

tum apostolicum obtineatur vel allegari possit *immemorabilis consuetudo*, quae indulti apostolici praesumptionem inducit (24). Quare Episcopus ex potestate sua *ordinaria* nequit concedere licentiam asservandi eucharistiam iis ecclesiis, quibus ex iure communi illa praerogativa non competit, nisi specialibus facultatibus Sedis Apostolicae sit munitus, vel solummodo *temporaneam* quandam licentiam concedat propter *transitoriam necessitatem* (can. 1265, § 2) (25).

Ecclesiae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant (can. 1266).

IV. In pia vel religiosa domo SS. Euch. custodiri nequit nisi vel in Ecclesia vel in principali oratorio, revocato quolibet contrario privilegio. Apud moniales custodiri non potest intra chorum vel septa monasterii. Can. 1267 hic esse videtur sensus: 1°) Si domus religiosa adnexam habet ecclesiam publicam et in ea peraguntur ordinaria quotidiana pietatis exercitia, in ea sola custodiri potest SS. Eucharistia, non autem praeterea in interno oratorio; 2° In hoc interno principali oratorio poterit etiam, praeter ecclesiam, eucharistia custodiri, si in hoc illa exercitia peragantur non in publica ecclesia, exclusis aliis oratoriis secundariis; 3°) si in eodem materiali aedificio habeantur communitates distinctae et separatae, ita ut formaliter, licet non materialiter, sint quasi totidem distinctae domus religiosae vel piae, tunc poterit custodiri in tot oratoriis distinctis, quot sint familiae seu communitates distinctae Comm. Codic. 2-3 Iunii 1919 (A. A. S. X, 344 sq.).

448. In *ecclesiis* eucharistia ex disciplina nunc vigente (26) tantum in *uno altari*, non *continuo* et habitualiter in duobus vel

Prop. F. 25 Febr. 1859 l. c. n. 731 et ex Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742 § 6 n. 7; *Schmalzgr*. l. c. n. 9, 10. — Accedit expressa prohibitio in Codice iterata can. 1265, § 3.

(24) Bened. XIV Const. « *Quamvis iusto* » l. c.; *Schmalzgr*. l. c. n. 23; *Gasparri* l. c. n. 981 sq. — Indultum pro saecularibus conceditur a. S. C. de Sacr.; pro religiosis a S. C. de Relig.; a S. C. de P. F. pro institutis quae plene ab illa S. C. dependent.

(25) Responsum S. R. C. in caus. Nivernen. 8 Mart. 1879 denuo confirmatum in decreto generali eiusdem S. C. 23 Ian. 1899; *Gasparri* l. c. n. 980, 982, 983; *Santi*, Praelect. iur. can. l. III t. 44 n. 2.

(26) Cfr. de antiqua praxi: supra ubi de vasis sacris n. 424; *Gasparri* l. c. n. 984 sq.

compluribus altaribus est custodienda (27), nisi agatur de circumstantiis plane singularibus aut de casu illo evidenter excepto vel potius non comprehenso, quo in altari maiori eucharistia est *exposita* et in alio altari ad usum fidelium asservari potest et debet (28).

Quod altare, cum *commoditati* et *decentiae* cultus eucharistici sit consulendum, neque aliis functionibus sacris ullum creandum impedimentum, *regulariter* in ecclesiis *debet esse* altare *maius* (29), nisi excipias ecclesiam cathedralem, ubi eucharistia propter functiones pontificales in altari maiori asservari nequit (can. 1268) (30). Quae exceptio valet etiam pro ecclesiis collegiatis et conventualibus, in quibus chorales functiones persolvendae sunt.

Denique altare custodiae augustissimi huius sacramenti destinatum sit ornatum suumque habeat *tabernaculum* cum conopeo rite constructum, *in quo* unice eucharistiam asservare licet in *ciborio* ex canonum praescriptis facto (can. 1269) (31).

Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probanda, non est vetitum SS. Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiori et decenti asservari, salvo praescripto de lampade coram ipsa accensa (Cfr. S. C. P. F. 7 Mart. 1805; S. R. C. *Vicariat. Apost.* de Dania 10 Febr. 1871).

Presbyter ecclesiae custos habet gravissimum onus tenendi tabernaculum *bene clausum* atque diligenter custodiendi illius *clavem* iuxta formam saepe iure particulari accuratius definitam (can. 1269, § 4) (32). Quod si neglexerit, iure praecedenti gravibus poenis erat plectendus, sc. tribus mensibus ab officio erat *suspendendus*, et si per eius incuriam aliquid nefandum v. g. furtum sacrilegum vel sortilegium inde contigerit, etiam graviori debebat subiacere ultioni

(27) Cap. 10 X. de celebr. III 41; S. R. C. in caus. August. Praetor. 21 Iul. 1696 ad 3, in caus. S. Iacob. 14 Mart. 1861 ad 13, in caus. Cuneen. 2 Iun. 1883 ad 6.

(28) S. R. C. in caus. Urgell. 5 Dec. 1868 ad 2, in caus. Gandav. 18 Maii 1878 ad 2.

(29) Rit. Rom. De ss. euch. sacram. pr.; S. R. C. in caus. Gandav. 18 Maii 1878 iunct.

(30) Caerem. Episc. l. I cap. 12 n. 8; S. R. C. in caus. Sebenic. 6 Febr. 1875.

(31) *Gasparri* l. c. n. 992 sq.

(32) Cap. 1 X. de cust. euch. III 44; Ritual. Rom. l. c.; S. R. C. in caus. S. l. 11 Maii 1878 ad 8; Cardin. Vicar. ad paroch. et rect. eccl. in Urbe 5 Nov. 1896 in Anal. eccles. t. IV p. 461; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 98; *Schmalzgr.* l. c. n. 11 sq.; *Gasparri* l. c. n. 997 sq.

ex prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici determinandae (33). Iure Codicis graviter oneratur conscientia sacerdotis, qui ecclesiae vel oratorii curam habet (can. 1269, § 4).

Ne sacrae species tempore corrumpantur, tum hostia maior pro solemnibus expositionibus eucharisticis tum hostiae minores ad communionem fidelium in tabernaculo retentae recentes esse debent cum consecrantur et frequenter sunt renovandae (34), veteribus rite consumptis.

Tandem ante altare, in quo eucharistia asservatur, *ponenda est* lampas, quae alatur oleo olivarum vel cera apum et diu noctuque ardeat, ut ingressuri in ecclesiam illico sciant, quonam in loco

(33) Cit. cap. 1 X. de cust. euch.; *Schmalzgr* l. c. n. 12; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IX cap. 15 n. 4; *Hollweck* l. c. p. 324, 179; *Gasparri* l. c. n. 1000 sq. 1002.

(34) Quae duplex sanctio in Ritualis Romani nova editione (tit. IV, cap. 1 n. 7) repetitur. Alterum praescriptum de *frequenti* renovatione iam ex iure antiquo accipit interpretationem de *octavo quoque die* in Ecclesia occidentali. Cfr. cap. 57 X. de sent. excom. V 39; *Schmalzgr.* l. c. n. 11; *Hefele* l. c. t. IV p. 643, 691, 892 t. V p. 760, 986. At claris expressisque verbis saltem *semel in hebdomada* illa renovatio praescribitur in Caerem. Episcop. l. I. cap. 6 n. 2 atque iteratis respons. S. R. C. v. g. in caus. Sanctor. 12 Sept. 1884. Quae ordinatio Caerem. Episc. eo fidelius est observanda, quo plures ex viginti diebus permissis a *recenti confectione* hostiarum iam elapsi sint. Illud spatium 20 dierum a sua confectione pro hostiarum consecratione admittitur cum S. Carolo a Concilio Plen. Amer. Lat. n. 347. — Cfr. Decreta auth. S. R. C. n. 2650, 3621, ubi S. C. scite reprobavit consuetudinem adhibendi hostias ante tres vel sex menses contectas et noluit approbare consuetudinem renovationis solum semel vel bis in mense factae, remittendo ad Ceremoniale Episcopor. l. c. ubi praecipitur renovatio saltem semel in hebdomada. Cfr. decis. S. C. de Sacram. 7 Dec. 1918 (A. A. S. XI, 8) ubi in renovatione hebdomadaria non insistitur. Etiam Instr. S. C. de Sacr. 26 Martii 1929 (A. A. S. XXI, 631) tempus renovationis non determinat.

In Ecclesia *orientali* abusus hostiam maiorem feria quinta maioris hebdomadae consecratam *per totum annum* asservandi pro infirmis iam pridem reprobatus est. Cfr. Innoc. IV. Const. « *Sub catholicae* » 6 Martii 1254 n. 9; Synod. prov. Ruthen. (a. 1720); Instr. Clem. VIII, 31 Augusti 1595 n. 3, 4; Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § 6 n. 4, 5 in Collect. Lac. t. II, col. 441, 447, 31, 449, 512. Generatim vero ibidem viget lex, ut ss. eucharistiae sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo vel saltem quindecim diebus renovetur (cfr. Collect. Lac. l. c. col. 191, 209), nisi forte in ritu particulari ob maius periculum corruptionis panis *fermentati* aliasque rationes frequentior quaedam renovatio v. g. *tertio quoque die* (cfr. Conc. patr. Graeco-Melchit. a. 1835 in Collect. Lac. l. c. col. 584) vel *singulis diebus* (cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 98) sit praescripta. Hostiae vero latino more confectae per integram hebdomadam commode servari possunt.

sanctissimum sacramentum sit adorandum, atque tanto mysterio continua quaedam exhibeatur veneratio. Ubi oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur, ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus (can. 1271) (35).

Quodsi in omnibus ecclesiis *ornamenta* sacra magna cum diligentia sunt curanda, id potissimum obtinet de ecclesiis ipsa asservatione eucharistiae privilegiatis (36).

§ 2. - DE EXPOSITIONIBUS, PROCESSIONIBUS, BENEDICTIONIBUS EUCHARISTICIS

449. Expositio Eucharistiae iuxta formam nunc receptam est recentioris originis atque in antiqua Ecclesia fuit penitus ignota (37). Nihilominus iam ante saeculum undecimum verus exstitit cultus *adorationis* eucharistiae sive tempore liturgiae in altari praesentis sive post liturgiam in sacrario custoditae (38). Vestigia publicae cuiusdam expositionis ss. sacramenti occurrunt saeculo undecimo, cum ad detestandam haeresim Berengarii ex Gallia magis magisque divulgaretur pius ille ritus post consecrationem *elevandi hostiam*, ut fideles ad adorationem et devotionem excitarentur. Qui ritus elevationis hostiae consecratae subsequentibus saeculis paulatim peracta consecratione etiam ad *calicem* fuit extensus (39). At praxis illa *extra* liturgiam hostiam consecratam *publice oculis* fidelium exponendi nonnisi ex saeculo decimo quarto ducit originem (40); nam exinde festum corporis Christi cum octava etiam per expositionem ss. sacramenti in *ostensoriis* sive *monstrantiis* celebrari *coeptum* est;

(35) Rituale Rom. tit. IV, cap. 1, n. 6; Caerem. Episc. l. I cap. 12 n. 17; S. R. C. in caus. ord. Capuc. 22 Aug. 1699, in caus. Camerac. 16 Sept. 1865 ad 2, in caus. Cuneen. 2 Iun. 1883 ad 4 et 5; Cf. tit. praec. n. 425 not. 30; n. 439, not. 95, 96; *Thalhofer* l. c.

(36) Cap. 2 X. de custod. III 44; *Schmalzgr*. l. c. n. 13.

(37) *Thalhofer* l. c. tom. I p. 852 sq.

(38) *Bendel* in Act. Theol. Tubing. t. 34, p. 250 sq.

(39) Cap. 10 X. de celebr. III 41 (Honor. III a. 1219); capit. I Synod. Lambeth. (a. 1281); capit. 10 Synod. Salisburg. (a. 1418); *Thalhofer* l. c. t. II p. 225 sq.; *Bendel* l. c. p. 259 sq.

(40) *Bened. XIV*, De festis l. I cap. 13 n. 1 sq. 10 sq.; *Thalhofer* l. c. t. I p. 852 sq.; *Bendel* l. c. p. 274 sq.

sed vel ipsis saeculis 14 et 15 exempla non pauca reperiuntur, quibus in solemni processione theophorica hostia *in calice* cooperto circumferebatur (41). Nihilominus publica expositio ss. sacramenti « *visibiliter in monstrantiis* » tam frequenter saeculo decimo quinto fiebat, ut compluribus Synodis videretur esse limitanda, ne nimia frequentia minueret reverentiam divinissimo eucharistiae sacramento debitam, atque « *populi fidelis* (tepesceret) *devotio ex frequenti eius visione* (42). Postea Concilium Tridentinum Sess. XIII doctr. cap. 5 et can. 6, reiectis erroribus omnino approbavit laudabilem consuetudinem *publice* populo *proponendi* eucharistiam, ut *adoraretur* (43). Inde a Concilio Tridentino devotio in eucharistiam publice expositam non solum universaliter est recepta, sed novis formis legitime introductis et quamplurimis ordinationibus canonicis maiorem obtinuit perfectionem v. g. per adorationem *quadraginta horarum* Mediolani saeculo decimo sexto (a. 1536-1537) per P. Iosephum Plantanida Ordinis Minor. Capuc. receptam et per *perpetuam*, quam Clemens VIII in ecclesiis Urbis instituerat (44), ortis etiam ultimo tempore variis institutis religiosis virorum et mulierum cum valde praecipuo fine perpetuae adorationis SS. Eucharistiae.

Ecclesia quoque orientalis praxim *publicae expositionis* eucharistiae adoptavit (45).

450. Ex *disciplina nunc vigente* duplex distinguitur expositio eucharistiae scl. *solemnis* sive *publica* et non solemnis sive *privata* (46). Illa est *visibilis* (non velata) exhibitio maioris hostiae consecratae palam in ostensorio ad adorationem per *populum* fidelem ex causa praesertim publica sive in forma solemnissima sive minus

(41) *Thalhofer* l. c. t. I p. 798 sq. 853, not. 1 cum *Thiers* et *Martène*, ubi scite observat vel ipso saeculo 16 et 17 non paucas parochias *caruisse* monstrantiis. Quare *Maringola* Inst. liturgicae, vol. II p. 140 sq. *nimis generaliter* negat corpus Christi in calice absconditum fuisse deportatum.

(42) *Bendel* l. c. p. 276 sq.

(43) *Benedict. XIV* l. c. n. 8 sq.

(44) Clem. VIII Const. « *Graves* » 25 Nov. 1592; Instr. Clem. XI. 20 Ianuar. 1705; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 500 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1032. Cfr. Stimmen aus Maria Laach t. 50 (1896) p. 470.

(45) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 210; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 85.

(46) *Bened. XIV*, Inst. eccl. 30 n. 1 sq. 16; *Gasparri* l. c. n. 1022, 1033: *Piat* l. c. t. II q. 33 sq.

solemni facta. Haec est aperitio ostii tabernaculi, qua eucharistia in pyxide velata nec ullatenus e tabernaculo *extracta* fidelium adorationi *etiam* ex causa mere privata exhibetur (47). Utraque expositio sane maiori minorive solemnitate et concursu fidelium celebrari potest; at illud praesertim constituit differentiam, quod solemnis expositio *tantum* possit fieri ob *causam publicam* et gravem, minus solemnis *etiam* propter causas *privatas* v. g. pro infirmo (48). Praeterea ad *privatam* expositionem pyxidis in aperto ostiolo tabernaculi *non* requiritur *licentia Episcopi* (49); at etiam in *publicis regularium ecclesiis solemnis* expositio ss. Sacramenti praeter casus in iure communi v. g. infra hebdomadam festi corporis Christi inter Missarum solemnia et ad vesperas vel ex speciali privilegio apostolico vel lege aut consuetudine dioecesana generaliter iam permissos omnino prohibetur, nisi pro *iusta* et *gravi causa* praesertim *publica* et cum speciali et expressa approbatione et licentia *Ordinarii* loci (50) revera data, non mere petita vel praesumpta (can. 1274).

Ritus in privata vel solemni expositione speciatim *permissi* vel *praescripti* sedulo attendendi sunt v. gr. de ministro, tempore, loco, Missa, paramentis, caeremoniis, cantu expositionis (51).

(47) S. C. Ep. et Reg. 9 Dec. 1602; Bened. XIV. Const. « *Cum ut recte* » 27 Iul. 1755 § 13. Cui *privatae* expositioni ex declar. S. R. C. 30 Nov. 1895 non obstat, si sacra pyxis solummodo *in fine* expositionis e tabernaculo extrahatur, ut benedictio cum ss. sacramento dari possit; at continuata expositio sacrae pyxidis *in throno*, qua finita populus cum eadem benedicitur, privatae expositioni adnumerari nequit et ipsa sua forma a communi iure liturgico est aliena. Cfr. S. R. C. in caus. Capuc. 23 Maii 1835 ad 4; *Gasparri* l. c. n. 1024; paulo mitius *Thalhofer* l. c. t. I p. 800.

(48) *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 30 n. 16; *Gasparri* l. c. n. 1026, 1034.

(49) S. R. C. in caus. Savon. 31 Maii 1642; *Benedict. XIV* l. c. n. 10 sq.

(50) S. C. C. 17 Aug. 1630. S. R. C. in caus. S. Miniat. 7 Iunii 1681, S. Iac. 14 Mart. 1861 ad 14 iunct. Bened. XIV l. c.; *Piat* l. c. q. 33 sq.; *Gasparri* l. c. n. 1033, 1022. Qui duo scriptores l. c. etiam impugnant *Cavalieri* et *Bouix*, qui censent viros regulares exemptos non indigere licentia Ordinarii, si cum permissione proprii Praelati regularis in *suis* ecclesiis eucharistiam *in ostensorio* non palam pro omnibus fidelibus, sed *ianuis clausis* (semipublica) pro sola communitate religiosa exponant. Quae impugnatio ex textu Concilii Tridentini vel ex allegatis decretis SS. CC. clare non probatur; ergo sententia *Bouix* sua probabilitate non caret, donec nova et contraria declaratio authentica non superveniat.

(51) Instr. cit. Clem. XI directe pro sola Urbe vim legis habet; at *quaedam* continet, quae cum generalia sint et ad essentiam cultus eucharistici pertineant, ubique observanda sunt, cetera extra Urbem tantum habent vim quandam di-

Minister expositionis et repositionis SS. Sacramento est sacerdos vel diaconus; minister vero benedictionis Eucharisticae est solus sacerdos, nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu quo ad normam can. 845, § 2 Viaticum ad infirmum detulerit sc. de Ordinarii vel parochi licentia ex gravi causa concessa aut in casu necessitatis legitime praesumpta.

Ut *privata* videtur habenda illa expositio et benedictio quae cum ostensorio fiat a regularibus in suis ecclesiis vel oratoriis, sed ianuis clausis, cfr. not. 50. Causa vero publica pro publica expositione requisita videtur esse habenda, ex disciplina et praxi hodierna, etiam causa fovendae populi devotionis praesertim in festis et etiam in novendialibus praeparatoriis ad festa solemnia vel ipsa festa subsequentibus. Certe Romae inter praxes praescriptas pro illis novendialibus in omnibus ecclesiis Urbis peragendis, numquam deesse solet benedictio Eucharistica quantum fieri possit solemnis. Ipse populi concursus, qui praesertim accedit ad illam benedictionem recipiendam illam publicam causam devotionis cohonestat. Porro nulla requiritur licentia Ordinarii pro expositione publica facienda ex iussione Leonis XIII in omnibus ecclesiis paroecialibus mense Octobri, in perficienda devotione SS. Rosarii. Quae acta Pontificia et praxis Romana optimum criterium praebent Episcopis pro facili concessione licentiae, ubi ceterae conditiones requisitae non desint.

451. Supplicatio Quadraginta Horarum. Est etiam peculiaris modus solemnis cultus tribuendi SS. Eucharistiae, quamvis ut ipsum verbum supplicatio indicat et in intentione Rom. Pontificis instituentis etiam illum peculiarem habeat scopum obtinendi precibus ad Christum in Eucharistia praesentem directis remedium pro publicis calamitatibus. Illum peculiarem adorationis et supplicationis modum Codex can. 1275 ita firmavit: « Supplicatio Quadraginta Horarum in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque, in quibus SS. Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest solemnitate quotannis habeatur. Si autem alicubi ob peculiaria rerum adiuncta nequeat

rectivam. Cfr. S. R. C. in caus. Patav. 12 Iulii 1749 iunct. *Gardellini* in suo commentar. ad cit. Instr. Clem. XI n. 9; *Gasparri* l. c. n. 1023 sq.; *Schneider*, Manuale sacerdot. P. II p. 504 sq.

sine gravi incommodo et cum reverentia tanto Sacramento debita fieri, curet loci Ordinarius ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus SS. Sacramentum solemniori ritu exponatur » (52).

Canon sonat obligationem, ubi grave incommodum non verificatur, quamvis ad Ordinarium loci pertineat determinatio dierum; item obligationem sonat cura imposita Ordinariis ut alio modo suppleant in Codice assignato in casu impossibilitatis. Clemens VIII illam Romae perpetuo instituit const. « *Graves* » 25 Nov. 1592, incipiendo a prima dominica Adventus in sacello palatii apostolici et deinde in aliis Urbis ecclesiis per ordinem. Quam confirmavit Paulus V (const. « *Cum felicis* » 10 Maii 1606); Benedictus vero XIII et XIV eam ad universam Ecclesiis extensam esse voluerunt. Clemens vero XI *Instructionem* edidit quam *Clementinam* vocant, ad cuius normam illa solemnis supplicatio sit peragenda.

Ad normam praedictae Instructionis expositio SS. Sacramenti protrahitur per quadraginta successivas horas sine interruptione non exclusis horis nocturnis. Quodsi expositio nocturnis horis interrumpatur, quo fere fieri debebit ubi non adsint nocturnis horis adoratores, ut habeantur omnia privilegia et gratiae illi devotioni concessa necessarium est indultum apostolicum.

452. Visitatio Eucharistiae. Ex ipsa ardenti caritate, qua Christus Dominus voluit in Eucharistia inter fideles permanenter commorari, consequitur ut fideles inter praecipuas devotiones hanc debeant fovere, ut divinum hospitem frequenter *visitent* eique tributum adorationis persolvant atque cum eo familiariter conversentur. Quare: « qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant ut pietatem erga SS. Eucharistiam in eorum animis excitent, eosque praesertim hortentur ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus infra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et SS. Sacramentum visitent » (can. 1273).

(52) Hic specialis devotionis et supplicationis modus ortum ducere videtur ab urbe Mediolanensi, eam promovente P. Iosepho Plantanida Ord. Capuccin. a. 1534. In quam rem etiam influxum habuit supplicatio instituta a PP. Societatis Iesu in urbe Macerata a. 1556 dominica Quinquagesimae et duobus sequentibus diebus cum magno animarum fructu. Cfr. *Ferreres*, Tesoro del sacerdote vol. II, n. 744 sq. ubi proponit varios modos illam devotionem peragendi ubi continua expositio, etiam nocturno tempore, non sit possibilis.

453. Processiones *eucharisticae* sunt profecto modus quidem valde solemnis cultus publici et quoad ipsam formam externam vere socialis tribuendi Christo Redemptori in Eucharistia praesenti. Hae fuerunt omnino alienae ab antiqua Ecclesiae disciplina; illae enim translationes ss. sacramenti per diaconos ad infirmos vel incarceratos processiones dici nequeunt (53). Potius praeformatae sunt provisione infirmorum, ad quos certe iam saeculo duodecimo maiore quadam solemnitate viaticum est delatum (54). At propria origo processionum theophoricarum repetenda est ex festo corporis Christi eiusque divulgatione inde ex saeculo decimo quarto facta. Quamvis enim in Constitutionibus Urbani IV atque Clementis V vel Ioannis XXII, quibus festum corporis Christi instituitur, *processio* theophorica *expresse* non praescribatur, tamen indoli huius festi mentique Ecclesiae fuit adeo conformis, ut quasi sponte cum ipso festo nata sit (55). Imo saeculo decimo quarto iam generaliter fuit recepta, atque adeo sequenti saeculo non desunt Synodi, quae nimiam quandam extensionem processionum theophoricarum ad *alia festa* sibi prohibendam esse censeant (56). Concilium Tridentinum Sess. XIII doct. cap. 5 et can. 6 solemniter approbavit morem in Dei Ecclesiam introductum, « *ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque* **in processionibus** *reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur* », atque contrariam doctrinam proscripsit.

Quae processio theophorica festi corporis Christi *post* Conc. Trid. in authenticis libris liturgicis Ecclesiae *occidentalis* i. e. in Caerem. Episc. l. II cap. 33 et in Rit. Rom. tit. IX, cap. 5. De process. in fest. ss. corp. Christi accuratius ordinata est; imo *aliae* quoque processiones theophoricae sive intra ecclesiam sive extra illam partim generaliter permissae partim saltem iure particulari praescriptae sunt, reiectis aliis, quae potius abusibus fuerunt adnume-

(53) *Bendel* l. c. p. 265 sq. 278 sq.

(54) Cfr. cap. 10 X. de celebr. III 41; cap. 8 Synod. Trevir. (a. 1227); c. 8 Synod. Wratislav. (a. 1248), quae a *Iacobo Pantaleone* (Archidiacono Leodiensi et Legato Innoc. IV et postea nomine Urbani IV ad Sedem Apostolicam assumpto) est celebrata; *Bendel* l. c. p. 266 sq.

(55) Cap. unic. de reliq. III 16 in Clem. iunct. *Bened. XIV,* De fest. l. c. n. 10 sq.; *Bendel* l. c. p. 269 sq. 278 sq.

(56) *Bendel* l. c. p. 279 sq.

randae (57). Una cum festo corporis Christi in compluribus ritibus Ecclesiae orientalis etiam *processio* theophorica nunc est recepta (58).

454. *Unica* et solemnissima processio eucharistica *ex iure communi nunc vigente praescripta* est in festo corporis Christi (59). Cfr. Caerem. Episc. l. c. et Ritual. Rom. l. c. Praeterea in Caerem. Ep. l. c. approbatur altera processio eucharistica minus solemnis *pro octava* eiusdem festi. Denique Sedes Apostolica etiam ratam habuit atque indulgentiis donavit piam praxim in unaquaque parochia singulis mensibus in aliqua die dominica celebrandi processionem eucharisticam. Quibusnam diebus vel festis aliae illae processiones theophoricae celebrari possint vel debeant, ab Ordinariis locorum cum prudenti moderatione est statuendum; parochi vero vel rectores ecclesiarum dies determinatos arbitrarie et absque licentia Ordinarii nec augere vel minuere nec transferre valent (60).

Quo *ritu* celebranda sit processio in festo corporis Christi accurate definitur in Caeremoniali Episcoporum et Rituali Romano, atque non pauci *abusus* in processionibus eucharisticis per decreta

(57) *Bendel* l. c. p. 279 sq. 287 sq. Cfr. S. R. C. in caus. Lerien. 11 Febr. 1702 ad 1 et in caus. Andrien. 16 Dec. 1828, ubi solemnis quaedam processio eucharistica feria sexta hebdomadae maioris tanquam abusus reprobatur.

(58) Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II col. 210; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 51.

(59) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV cap. 13 de regular. et S. R. C. in caus. Mantuan. 2 Sept. 1683 de *obligatione* tam clericorum saecularium quam regularium etiam exemptorum interveniendi in processione huius festi, nisi speciale habeant privilegium *post* Concilium Tridentinum obtentum vel alias legitime eximantur v. g. ob strictiorem clausuram perpetuo servandam vel ob distantiam monasterii ultra medium milliare a loco processionis. Cfr. *Piat* Prael. iuris regul. t. II q. 58, 65 sq. At in eodem *loco*, qui forte complures continet parochias, *una* tantum processio *in festo* corporis Christi celebrari potest per ecclesiam digniorem v. g. cathedralem vel matricem. Cfr. S. R. C. in caus. Syracus. 2 Maii 1626 et in caus. Cremonen. (de *generali* regula *duas* processiones *eodem die* in eodem *loco* non habendi) 24 Ian. 1643; *Muehlbauer* l. c. v. Processio n. 16 h. i. At in *die dominica* infra octavam singulae parochiae etiam eiusdem civitatis suam solent celebrare processionem eucharisticam. Cfr. S. R. C. in caus. Bracharen. 10 Sept. 1796 ad 4. Similiter *regulares* tam die *dominica* infra octavam festi Corporis Christi quam aliis totius octavae praedictae diebus possunt celebrare processionem theophoricam etiam extra claustrum per viam conventui contiguam. Cfr. Gregor. XIII Const. « *Cum interdum* » 11 Mart. 1573; S. C. C. 20 Apr. 1645 in ed. *Richt*. C. Trid. p. 416 n. 11.

(60) *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 5 n. 7 sq.; Collect. Lac. v. g. t. V, v. Eucharistia n. 28.

S. R. C. fuerunt reprobati (61) v. g. de instrumentis passionis Christi, imaginibus et reliquiis Sanctorum *non* portandis, de ss. sacramento propriis manibus sacerdotis celebrantis deferendo, non in aliqua machina super humeros sacerdotum, de vitandis actibus scenicis et indecoris, de duobus tantum thuriferariis, non quatuor adhibendis, de benedictionibus arbitrarie non multiplicandis etc. Quandoque tamen consuetudines quaedam antiquae et rationabiles etiam a communi iure liturgico alienae v. g. praxis in Germania erigendi quatuor altaria et cantandi quatuor evangelia in festo corporis Christi tacite saltem tolerantur (62).

455. Benedictio *eucharistica* est recentior quaedam praxis Ecclesiae latinae, cuius vestigia in antiqua disciplina non inveniuntur (63). Id quod multo magis valet de Ecclesia orientali, in quam ritus ille benedictionis simul cum aliis consuetudinibus Ecclesiae Romanae postea introductus est (64). In ipsa Ecclesia latina vix ante saeculum decimum quintum occurrunt prima indicia benedictionis eucharisticae, quae pariter ex festo corporis Christi et processione theophorica et provisione infirmorum suam videtur repetere originem. Certe saeculo decimo sexto S. Carolus iam praescribit, ut finita viatici admnistratione fideles post reditum in ecclesiam cum benedictione dimittantur; ex saeculo vero decimo septimo ineunte benedictio eucharistica *post* expositionem danda in authenticis libris et decretis liturgicis saepius expresse praescribitur vel saltem permittitur, sed non raro in praxi ultra terminos a rubricis constitutos fuit extensa (65).

Minister benedictionis eucharisticae, ut supra dictum est, sive cum pyxide sive ostensorio datae est *sacerdos*, non diaconus (66). Quae benedictio cum *pyxide*, dari *debet* super infirmum, si particula supersit, postquam aegroto communio administrata est atque *post* reditum in ecclesiam super populum, ut patet ex Rituali Romano; praeterea

(61) *Muehlbauer* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 1050 sq.; *Schneider* l. c. p. 498 sq.

(62) S. R. C. in caus. Salisburg. 6 Octob. 1696; *Gasparri* l. c. n. 1054.

(63) *Benedict. XIV*. Const. « *Cum ut recte* » §§ 13 sq.; *Bendel* l. c. p. 282 sq.

(64) Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 99.

(65) Cfr. *Gasparri* l. c. n. 1058 sq.

(66) S. R. C. in caus. Messanen. 28 Nov. 1739, in caus. Angelopolit. 11 Sept. 1847 ad 9; *Schneider* l. c. p. 502 sq.

fieri *potest* in fine *praecedentis* expositionis mere *privatae* (67). Benedictio vero cum *ostensorio debet* dari saltem *in fine* processionis eucharisticae vel expositionis *publicae* (68).

Quibus in benedictionibus eucharisticis servandi sunt *ritus* expresse *praescripti* v. g. incensatio ad verba: *Genitori*, si detur cum ostensorio, vel saltem *permissi* v. g. incensatio in benedictione post expositionem mere privatam pyxidis, multoque magis vitentur necesse est usus expresse prohibiti vel non tolerati v. g. dandi benedictionem eucharisticam sine ullo velo humerali *albi* coloris vel ab *initio* expositionis (salva legitima consuetudine) etc. (69).

TITULUS XVI

DE CULTU B. V. MARIAE ET SANCTORUM ANGELORUM ET DE VENERATIONE SANCTORUM EORUMQUE BEATIFICATIONE ET CANONIZATIONE

Fontes et Scriptores ut in titulo praecedenti.

CAPUT I

DE CULTU B. V. MARIAE

456. Cultus B. V. Mariae, qui, cum cultum aliorum Sanctorum ob specialem praerogativam *Matris Dei* longe superet, a theologis *hyperdulia* (1) vocatur, etiam in cultu liturgico Ecclesiae catholicae inde a primis temporibus (2) principalem quendam occupat locum (can. 1255, § 1). Singulis enim diebus Ecclesia pluries Dei genitri-

(67) S. R. C. in caus. Palent. 16 Ian. 1886 et in caus. congr. ss. sacr. 30 Nol. 1895; *Gasparri* v. c. n. 1057 sq.

(68) S. R. C. in caus. Ultraiect. 11 Iul. 1857.

(69) *Gasparri* l. c. n. 1059 sq.; *Schneider* l. c.

(1) *S. Thom.* IIa IIae q. 103. art. 4; Haine De hyperdulia; *Pesch,* Praelect. dogm. t. IV n. 628 sq. 639 t. IX n. 302 sq. Cfr. quoque cap. 1, 2, de reliq. III 12 in Extravg. com. de festo immac. concept. B. V. M. et prohibitione illam in praedicationibus negandi, unde denuo patet in Clem. et Extravg. com. *nigrum* h. t. latius patere quam *rubrum*.

(2) De historia cultus Mariani primorum saeculorum consuli possunt: *Lehner,* D. Marienverehrg. in d. ersten christl. Iahrh.; *Kraus* l. c. v. v. Marienbilder, Feste.

cis opem implorat, sacerdotem illius nomen pronuntiantem profundius iubet caput inclinare, cum alias nominibus summopere honorificis eam appellat, tum potissimum in litaniis Lauretanis, quae in libros liturgicos sunt receptae et sublimem hymnum constituunt humilibus precibus coniunctum. Dies sabbati in officio liturgico speciali honori gloriosae Virginis sunt dedicati totoque anno singulis fere mensibus alia atque alia festa Mariana sunt celebranda (3). « *Prae ceteris* (Sanctis) *filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur* » Can. 1276.

Ne *abusus* oriantur, atque adeo puritas fidei periculo exponatur in *obiecto* et *forma* cultus Mariani sedulo insistendum est traditioni ecclesiasticae et sacris canonibus. Hinc plures devotiones erga B. Virginem, utpote ineptae et periculosae, ab Ecclesia prohibitae sunt (4). Similes devotiones inconsultae erga S. Iosephum, sponsum B. V. Mariae, pariter ab Ecclesia notantur (5).

CAPUT II

DE CULTU SANCTORUM ANGELORUM

457. Cultus Angelorum, qui ex vetere testamento etiam in novam legem transiit, ex praxi Ecclesiae hac fere ratione exercetur (6).

Ecclesia confitetur quidem *novem* esse ordines Angelorum, at *tres* tantum Angelos scl. Gabrielem, Raphaelem, Michaelem nominibus propriis invocat, reliqua vero nomina propria quorundam Angelorum v. g. Uriel, Sealtiel, Iehudiel, Barachiel non admittit et in cultu suo publico eliminanda esse statuit. Quare cum in ecclesia S. Mariae Angelorum de Urbe pictura quaedam cum insolitis Angelorum nominibus apposita fuisset, teste Cardinali Albitio mandatum est, ut ea nomina delerentur (7).

(3) *Bened. XIV*, De festis l. II, cap. 1 sq. 18; *Kraus* l. c. v. Feste.

(4) *Bened. XIV*, Doctrina de serv. Dei beatif. l. c. n. 26 sq.; S. C. Inq. 3 Apr. 1895.

(5) S. C. Inq. 4 Maii 1892 contra cultum S. Iosephi sub titulo: « *Amici S. Cordis* ». Cfr. *Bened. XIV* l. c. cap. 20 n. 5 sq. de cultu S. Iosephi.

(6) *Bened. XIV*, Doctrina de serv. D. beat. l. c. cap. 30 n. 1; *Pesch,* Praelect. dogm. t. III n. 389 sq. t. IV n. 628 sq.

(7) Conc. Roman. (a. 745) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 538 sq.; *Bened. XIV* l. c. n. 2, 3.

Coluntur Angeli imaginibus ea forma pictis, qua homminibus iustis apparuerunt, invocatione in Missis et in litaniis, festis propriis, denique dedicatione templorum (8).

Qui actus venerationis exhibentur modo *omnibus* omnino *Angelis*, modo solis Angelis *custodibus omnium hominum*, modo uni ex tribus Archangelis. Imo ex Sixti V concessione recitatur in Lusitania officium *Angeli custodis illius regni*. Idem concessum est in Hispania. Verum ex approbata praxi ecclesiastica singulis « *ordinibus* » Angelorum ecclesiae non dedicantur. Denique Ecclesia cultu liturgico etiam celebrat insigniores *apparitiones* Angelorum v. g. *S. Michaelis* (9).

CAPUT III

DE VENERATIONE SANCTORUM EORUMQUE BEATIFICATIONE ET CANONIZATIONE.

I. - Praenotiones generales.

458. Sancti, qui cum Christo gloriose regnant in coelis, certe *veneratione digni* sunt. Quae veneratio ut accuratius distinguatur ab adoratione *latriae*, quae *soli* Deo debetur, a theologis vocatur *cultus duliae*. Praeterea *invocatio* quoque Sanctorum, qua illos vere colimus et veneramur, etiam bona et utilis est ipsis *supplicantibus* (10). « *Bonum atque utile est* (can. 1276). *Dei servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias et imagines venerari* ». Sane sicut iniuriam facit martyri, qui orat *pro* martyre, ita idem de aliis Sanctis sentiendum est; sed nos illorum orationibus indigemus (11).

(8) *Bened. XIV* l. c. n. 4 sq.; *Kraus* l. c. v. Engelbilder.

(9) *Bened. XIV* l. c. n. 8 sq.; *Nilles*, Kalend. t. I p. 126, 210, 391, 271, 289, 319 t. II p. 502 sq.

(10) Cfr. c. 20 Synod. Gangrens. (c. a. 343-381) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 788 sq.; Conc. Trid. Sess. XXV de invoc., vener... Sanct.; professio fidei Trid. a Pio IV per Const. « *Iniunctum* » 18 Nov. 1564 praescripta. Inter duo illa documenta non est aliqua oppositio, ut videtur insinuare *Hinschius* l. c. t. IV p. 241 n. 1. Cfr. *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 1 sq. 12; *Pesch* l. c. t. IV n. 629; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. I, n. 345 sq.; *Thalhofer* l. c. t. I, p. 292 sq.

(11) Cap. 6 § 2 de celebr. missar. III 41, ubi datur responsum ad quaesitum cur « *in modernis sacramentariis habeatur : Annue nobis quaesumus Domine, ut intercessione B. Leonis haec* **nobis** *prosit oblatio* », cum *secundum antiquiores codices* » legatur : « *Annue nobis Domine, ut* **animae famuli tui Leonis** *haec prosit oblatio* »

Cultu *privato* omnem servum Dei etiam *palam* colere licet, qui obiit cum *fama sanctitatis* vel martyrii, dummodo fiat iis actibus, qui ex consuetudine Sedis Apostolicae ab actibus cultus *publici* sunt distincti nec speciatim *etiam* in cultu *privato* prohibiti (12). At cultus *publicus* i. e. *nomine* Ecclesiae et ex eius institutione et iis actibus externis exhibitus, qui *ex iure canonico* cultum publicum constituunt, nonnisi cum approbatione competentis auctoritatis ecclesiasticae i. e. nunc Sedis Apostolicae servis Dei praestari potest (can. 1277) (13).

459. Approbatio cultus *publici* servi Dei cum fama sanctitatis vel martyrii defuncti fit *duplici* modo scl. *beatificatione* et *canonizatione* (14).

Beatificatio regulariter est *permissio* cultus servi Dei, *aliquando* autem est *praeceptum* illius cultus, sed *restrictum* ad particulares locos vel personas; quodsi venerationem alicuius venerabilis servi Dei *interdum* extendit ad Ecclesiam *universalem*, habet solummodo vim *permissionis*, non praescriptionis eiusmodi cultus, et essentialiter manet actus quidam *praevius* et directus ad *futuram* sententiam *definitivam* in canonizatione ferendam. *Canonizatio* vero est *ultima* et *definitiva* sententia R. Pontificis vel Concilii oecumenici, qua servus Dei in *Ecclesiam triumphantem* receptus esse **declaratur** eiusque cultus in *universa Ecclesia militante* **praecipitur** (can. 1277, § 2).

Hinc propria *differentia* inter canonizationem et beatificationem sita est in ultima illa et *definitiva sententia* de sanctitate et gloria coelesti servi Dei, qua in canonizatione simul eius cultus in *universa* Ecclesia *praecipitur*; sed vicissim in beatificatione definitiva et absolute irreformabilis sententia nondum habetur, neque unquam

(12) Arg. per sens. contrar. ex cap. 1 (pars dec.) 2 X. de reliq. III 45; *Bened. XIV* l. c. l. II cap. 7, 9, 10 n. 1; *Schmalzgr.* l. III t. 45 n. 6, 7; *Reiffenstuel* l. III, t. 45 n. 16 sq. 18 sq. 21 sq; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 469 sq.

(13) Cap. 1 X. de reliq. et vener. III, 45 (ex epist. Alex. III inter. a. 1171-1180 ad Canut., reg. Suec. scripta); *Urbani VIII*. Const. « *Coelestis* » 5 Iul. 1634, Decreta 13 Mart. 2 Oct. 1625; S. R. C. 14 Augusti 1894, ubi rigidiora responsa antea data v. g. 24 Mart. 1860 emollivit; *Bened. XIV* l. c. cap. 11 sq.; *Vermeersch*, De prohib. et censura libror. p. 31 not. 2 p. 72 not. 4.

(14) Decret. Urbani VIII 13 Mart. 1625 § 1.

cultus servi Dei tantum beatificati *universae* Ecclesiae *praescribitur* (15).

Practicum discrimen etiam quoad modum venerationis inter Sanctos et Beatos etiam illud assignat can. 1278, quod, laudabiliter Sancti eliguntur et cum S. Sedis approbatione constituuntur patroni nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum et aliorum locorum et personarum moralium; quod non fit cum Beatis sine *peculiari* indulto Sedis Apostolicae.

460. Beatificatio et canonizatio *distinguitur* in *formalem* et *aequipollentem*. Illa consistit in expressa sententia, quae *praemissis consuetis processibus* beatificationis vel canonizationis fertur; altera est decretum, quo omissis illis formalibus sententiis, processibus iudicialibus consuetisque caeremoniis propter antiquam cultus possessionem atque constantem assertionem gravium scriptorum historicorum de virtutibus, miraculis, martyrio et accedentem continuam miraculorum famam alicui servo Dei praerogativae Sancti v. g. S. Wenceslao vel Beati v. g. Nicolao Fluensi adiudicantur, quibus nostris diebus accessit canonizatio cum titulo Doctoris S. Alberti Magni (16).

461. *Potestas canonizandi* ex natura rei soli Romano Pontifici vel Concilio oecumenico propria est (17) nec cum aliis Praelatis ecclesiasticis v. g. cum Episcopis vel Conciliis particularibus communicari potest; nam canonizatio est *causa maior*, quae Ecclesiam universalem respicit et *infallibilem* requirit potestatem (18). Quod infallibile magisterium inferioribus Praelatis ecclesiasticis delegari non potest (19) ideoque etiam potestas canonizandi iisdem concedi nequit.

Potestas vero *beatificandi* quamvis ex vigente Ecclesiae disciplina reservata sit R. Pontifici (20), tamen per se Episcopis vel Conciliis particularibus pro suis territoriis competere potuit.

Id enim constat ex *praxi* primorum saeculorum (21), cum etiam a particularibus Episcopis beatificatio decerneretur, atque ex *natura* rei; nam beatificatio est publicum quidem iudicium et moraliter certum, sed non irreformabile vel infallibile (22); non ergo supponit potestatem infallibilem, quam requirit iudicium irreformabile, Episcopis per delegationem Romani Pontificis communicabilem. Illa reservatio iamdiu in praxi existens et ipsa praxi indubitabili firmata solemniter asseritur in can. 1999.

(15) *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 39 sq. 42, ubi praeclare exponit notiones beatificationis et canonizationis earumque differentias, quae ab aliis scriptoribus interdum minus accurate indicantur. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 1.

(16) *Benedict. XIV* l. c. cap. 41, 42 n. 8 sq. Cfr. Const. Pii XI « *In thesauris* ». 10 Dec. 1931.

(17) Cap. 1, 2 X. de reliq. III 45; *Benedict. XIV* l. c. lib. I cap. 7 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 2 sq. Si *Hinschius* l. c. p. 250 not. 5 putat tempore Conciliorum reformationis saeculo decimo quinto Concilium oecumenicum *sine Papa* praeditum fuisse potestate canonizandi, huiusmodi assertio solido fundamento caret; etenim falsae theoriae de Conciliis illo saeculo divulgatae non potuerunt tribuere iura. Cfr. *Bened. XIV* l. c. cap. 11 n. 1 sq. 11 sq.

(18) *Benedict.* l. c. cap. 43, 44; *Wilmers* l. c.; Acta theol. Oenip. t. XIV p. 599 sq.; *Pesch* l. c. t. I n. 547 sq. consuli possunt de quaestione dogmatica, utrum ecclesiasticum *iudicium*, quod in canonizatione Sanctorum interponitur, *infallibile* sit, necne. Quod iudicium Ecclesiae sive a Romano Pontifice sive a Concilio oecumenico profertur, sane infallibile est dicendum, nec hac de re *theologice certa* ulla inter theologos catholicos potest existere *controversia*. Cfr. *Schmalzgr.* l. III, tit. 45, n. 1; *Reiffenstuel*, eod. n. 8; *Barbosa*, Ius eccl. univ. l. I, cap. 2, n. 42 sq.; *Gonzalez*, Comm. perpet. l. III, tit. 45, cap. 1, n. 6; *Fagnanus*, Comm. in 5 Decret. libr. l. II, tit. 20, cap. 52, n. 10 sq.; *Suarez*, De fide tract. I, d. V, sect. 8, n. 8; Defensio fidei cath. t. II, cap. 8. At in Conc. Vaticano Sess. IV, cap. 4, *expresse* et *determinate* nondum *definitum* est, inter *obiecta infallibilis* magisterii Ecclesiae et Romani Pontificis etiam contineri canonizationem Sanctorum, multoque minus aliae controversiae huc spectantes ab eodem Concilio diremptae sunt. Cfr. *Bened. XIV* l. c. cap. 45 iunct. *Granderath*, Constit. dogm. C. Vatic. p. 190 sq. 193, 200; paulo aliter *Scherer* l. c. t. II § 141 not. 45, 52.

(19) Bened. XIV l. c. cap. 11 n. 1 sq. cap. 44, n. 7 sq. 16, ubi docet Romanos Pontifices *nunquam* de facto canonizationem delegasse. Sane *Hinschius* l. c. t. IV p. 251 iunct. p. 244 not. 4 p. 245 not. 5, putat tantum ex disciplina vigente et propter admissam infallibilitatem R. Pontificis in canonizatione Sanctorum non amplius huiusmodi delegationem posse admitti, sed antiquitus aliam viguisse disciplinam *Romanosque Pontifices de facto aliis delegasse canonizationem*. Qua in re ille auctor non satis distinguit strictam canonizationem a mera beatificatione (nondum antiquo tempore in usu fuit rigida illa terminologia, qua canonizatio a beatificatione, Sanctus a Beato accurate distinguebantur) et *executionem* canonizationis a Rom. Pontifice iam *decretae* a delegatione ad *veram* canonizationem definitiva sententia pronuntiandam vel fortasse tantum *praeparandam*, approbatione autem R. Pontificis *complendam*.

(20) Cap. 1 X. de reliq. III 45, ubi Alexander III prima vice *expressa* lege, sed per *praxim* iam antea paulatim inducta etiam beatificationem Sedi Apostolicae reservavit; Urban. VIII, l. c.; *Bened. XIV* l. c. cap. 10 n. 3 sq.; *Schmalzgr.* l. c.

(21) Cfr. c. 9, 34, 51. Synod. Laodic. (a. 343-381); c. 17. Conc. Carthag. VI (a. 401); *Bened. XIV* l. c. cap. 2 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 2, 5.

(22) *Bened. XIV* l. c. cap. 42.

Subiecta passiva beatificationis et canonizationis (23) sunt tum *martyres*, qui *miraculis* (24) post obitum fulgent, tum ii, qui *virtutibus* heroicis in vita **et** *post* mortem *miraculis* coruscant (25). Quare pueri *post* baptismum fluminis et *ante* usum rationis decedentes, utpote virtutibus heroicis destituti, non sunt subiecta canonizationis. At huiusmodi pueri si in odium fidei occisi baptismum sanguinis acceperunt, profecto martyribus possunt adnumerari, ut v. g. innocentes pueri ab Herode interfecti, qui inde ab antiquo tempore tanquam martyres in Ecclesia coluntur. Ecclesia vero non solet similes pueros *canonizare*, nisi tempore martyrii *usu rationis* iam praediti fuerint (26), multo minus falsos haereticorum vel schismaticorum martyres inter veros martyres recensuit (27).

462. *Probatio* plenissima requiritur de *virtutibus* heroicis vel *martyrio* et de *miraculis* in *forma legitima* facta. Nam Beatis et Sanctis rationabilis cultus exhiberi nequit, nisi nobis *sufficienter constet* de eorum excellentia, et Ecclesia publicum quoddam *iudicium* solummodo prudenter proferre valet, si solida praecessit causae discussio atque probatio. Cuius probationis necessarium *obiectum* in confessoribus sunt imprimis *virtutes heroicae* tum theologales tum cardinales cum adnexis, in martyribus vero ipsum *martyrium* et *materiale* et *formale* sive mors servi Dei perpessa ex odio fidei vel alterius virtutis, quatenus haec ordinem habet ad Deum supernaturalium auctorem; ideoque, ut dici solet, constare debet de martyrio *ex parte tyranni* et *ex parte passi*. Alterum obiectum probationis sunt vera *miracula* vel signa eo numero iisque qualitatibus praedita, prout ex disciplina nunc vigente requiritur. Qui sit *ordo iudiciarius* nunc in processibus beatificationis servandus, infra in disputatione de disciplina vigente accuratius explicabitur (28).

(23) *Bened. XIV* l. c. cap. 14.

(24) Utrum ad beatificationem et canonizationem martyrum *etiam* requirantur *miracula*, necne, theoretice sive in abstracto a Sede Apostolica nondum est definitum; at in praxi inde ab illo tempore, quo causae beatificationis et canonizationis ad Sedem Apostolicam sunt delatae et potissimum per S. R. C. examinatae, Sedes Apostolica opinioni miracula *requirenti* tanquam *tutiori* adhaesit. Imo tutior illa opinio etiam theoretice et in abstracto videtur *verior* dicenda, quam Benedictus XIV tenet reiectis aliis opinionibus. Et profecto miracula non requiruntur pro Ecclesia *triumphante* de gloriosa martyris passione. Ecclesia quoque *militans* absque miraculis moralem certitudinem habere potest; attamen ut absolute certa sit ad ferendam sententiam praesertim ultimo definitivam sive *irreformabilem* de *ipsa* gloriosa martyris *passione complete sumpta* videntur miracula omnino esse necessaria. Quare nequaquam sufficit provocare *ad martyrium;* miracula enim requiruntur, ut *de ipso martyrio plene* constet, de quo iam ante beatificationem agitur atque forte dubia superesse possunt v. g. de perseverantia *finali* ipsius martyris. Cfr. *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 28, 29, 30; *Schmalzgr.* l. c. n. 18 sq. aliique. Patrocinator causae in Actis S. Sed. vol. II, p. 650 sq. contendit *in causis martyrum non requiri miracula seu signa* **ad beatificationem.** Rem hanc accurate determinat can. 2116, ubi declaratur quando et qua ratione prescindi possit a miraculis in causa beatificationis alicuius martyris.

(25) Cap. 52 X. de testib. II, 20 iunct. cap. 1, 2 X de reliq.; *Benedict. XIV* l. c. l. I, cap. 28 n. 8 sq. l. IV, part. 1, cap. 5; *Schmalzgr.* l. c. n. 9 sq.

(26) Benedict. XIV. Const. « *Beatus* » 22 Febr. 1755; S. R. C. 31 Aug. 1867 in Act. S. Sed. vol. III p. 256 sq.; Bened. XIV l. c. l. I, cap. 14 iunct. l. IV part. 2, cap. 29 alias quoque quaestiones huc spectantes examinat v. g. de canonizatione Sanctorum veteris testamenti eorumque cultu in novo testamento etc.; *Nilles*, Kalendarium cit. t. I, p. 218, 299 t. II, 334, 537, 562, 591.

(27) Cfr. c. 9, 34 Concil. Laodic. (a. 343-381); *Bened. XIV* l. c. l. III cap. 20; *Hefele* l. c. t. I, p. 756, 768.

463. *Effectus canonizationis* enumerantur septem scl.: 1) canonizati adscribuntur catalogo Sanctorum et *iubentur* ab omnibus Sancti *haberi* et *dici* (29); 2) *invocantur* in publicis Ecclesiae precibus, nec *pro eis* orare licet; 3) *templa* et *altaria Deo* in eorum memoriam et honorem erigi possunt; 4) *sacrificium Missae* et *officium divinum* Deo in illorum honorem offeruntur; 5) *dies festi* in ipsorum celebrantur honorem; 6) eorundem imagines cum *radiis* et *diademate* in signum gloriae pinguntur; 7) denique eorum *reliquiae* publice in ecclesiis proponuntur et honorantur.

Effectus beatificationis generatim sunt illi actus cultus, qui nituntur immemoriali consuetudine a Sede Apostolica probata aut speciatim in indulto apostolico continentur. Cavendum vero est, ne iis actibus Beati honorentur, qui licet *Sanctis* sint concessi, tamen *Beatis* ex iure *communi* non competunt atque adeo ab Alexandro VII et a S. R. C. expresse negantur, *nisi indultum pontificium* fuerit obtentum. Quare beatificati v. g. titulo *Beati*, *non Sancti* honorari possunt,

(28) *Bened. XIV* l. c. l. III, cap. 11 sq. 21 sq. l. IV, part. 1, cap. 1 sq. l. I, cap. 15, n. 1 sq. cap. 16 sq. l. II, cap. 1 sq. l. III, cap. 1 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 11 sq.

(29) *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 38, n. 1 sq. 14 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 39; *Thalhofer* l. c. t. I, p. 295 sq. 308 sq. 327; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. I, n. 345.

item eorum capita in imaginibus tantum *radiolis*, non diademate ornari debent etc. (30).

464. *Finis* beatificationis et canonizationis est praecipue triplex scl. honor sanctae et individuae Trinitatis, exaltatio fidei catholicae, christianae religionis augmentum. Quae motiva ordinarie in Constitutionibus Apostolicis enumerantur, sub quibus alia facile subsumi possunt.

II. - Notae historicae.

465. Cultu publico in Ecclesia omnium primi saltem ex saeculo secundo honorabantur veri *martyres* (31). Qui non raro in tres classes distinguebantur scl. in *professores* i. e. ii, qui sponte sese martyrio obtulerunt; in *confessores*, qui tormentis quidem affecti, inde tamen non sunt mortui, sed sine ullo miraculo superstites manserunt; in *martyres*, qui pro fide in tormentis *mortui* sunt aut post atrocissima tormenta, quae ex sua natura mortem attulissent, per miraculum conservati tandem in pace obierunt.

Alio modo distinguebantur *martyres designati*, quibus mortis sententia tantum fuerat *intimata*; *martyres coronati* vel *consummati*, qui vi tormentorum obierant; martyres *vindicati*, quibus *iudicio Ecclesiae* cultus fuerat delatus (32).

Nequaquam enim primis saeculis publicus martyrum cultus pendebat a lubitu fidelium, sed Episcopi acta martyrum summa sollicitudine collecta accurato subiiciebant examini (33), ut veri martyres secernerentur a *falsis* pro inani gloria aut alio vitio interfectis (34). Quo examine peracto per iudicium ecclesiasticum cultus martyribus

(30) *Benedict. XIV* l. c. cap. 37; S. R. C. 5 Oct. 1652, 27 Sept. 1659, 17 Apr. 1660. Cfr. quoque de electione Sanctorum (non Beatorum) in patronos: Decret. Urbani VIII 23 Mart. 1630; *Benedict. XIV* l. c. l. IV, part. 2, cap. 14, 15; *Ferraris* l. c. v. Patroni Sancti n. 1 sq.

(31) Martyrium S. Polycarpi cap. 17 sq. et *Euseb.*, Histor. eccles. l. IV, cap. 15; *Tertullian.*, De corona cap. 3; *S. Cypr.* in epist. 39; c. 9, 51. Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 17 Conc. Carthag. VI (a. 401); *Kraus* l. c. v. v. Martyrarii (Martyria), Martyrer, Martyrerfeste, Confessor.

(32) *Bened. XIV* l. c. l. I cap. 2; *Kraus* l. c. v. Martyrer.

(33) *Bened. XIV* l. c. cap. 3 n. 1 sq.

(34) Cfr. c. 60 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 183; *Euseb.* l. c. l. V, cap. 16 i. f.

decernebatur. Quod iudicium spectabat ad unumquemque Episcopum in sua dioecesi, in Ecclesia vero Africae septentrionalis ad solum Primatem Carthaginiensem (?) pertinuisse dicitur (35).

Cum in antiqua Ecclesia mos esset, ut acta et nomina martyrum ab una dioecesi in alias dioeceses atque etiam ad Sedem Romanam transmitterentur, facile cultus praesertim martyrum insigniorum approbantibus passim Episcopis et ipsis Romanis Pontificibus ad Ecclesiam universalem extensus est (36).

466. Finitis persecutionibus, saltem ex saeculo quarto *confessores* quoque, i. e. qui post heroicarum virtutum exercitium in pace obierunt, publico cultu honorari coepti sunt v. g. S. Antonius, S. Hilarion, S. Ephrem in Ecclesia orientali, S. Martinus Turonensis et S. Hilarius Pictaviensis in Ecclesia occidentali (37).

Quemadmodum autem martyribus, ita etiam confessoribus absque Ecclesiae iudicio et approbatione cultus publicus non est tributus. Quem cultum publicum Episcopi in suis dioecesibus poterunt decernere confessoribus. Huiusmodi cultus approbatio ab Episcopis pro suo iure facta quoad rem ex terminologia nunc recepta fuit *beatificatio* minusque apte dicitur canonizatio particularis; etenim *verae canonizationis* vim tantum obtinuit ex accedente tacito vel expresso consensu reliquorum Episcoporum cum Romano Pontifice vel etiam solius Romani Pontificis (38).

467. Quae potestas martyres vel confessores *beatificandi* ab Episcopis certe usque ad tempora Alexandri III (a. 1159-1181) fuit exercitata. Quamvis enim Sedes Apostolica iam ante Alexandrum III saepe suam interposuerit auctoritatem in concedendo cultu publico servorum Dei sive per beatificationem sive per canonizationem (39),

(35) *Bened. XIV* l. c. cap. 3, n. 7, 8.

(36) *Bened. XIV* l. c. cap. 4; *Euseb.* l. c. l. IV cap. 15.

(37) *Bened. XIV* l. c. cap. 5; *Kraus* l. c. v. Confessor; *Nilles*, Kalendar. cit. t. I, p. 72 sq. 304, 84.

(38) Synod. Aquisgran. (a. 789) cap. 42; Synod. Francof. (a. 794) cap. 42; *Benedict. XIV* l. c. cap. 6.

(39) Cfr. Gelas. epist. ad Episc. Lucan. cap. 25 (a. 494) apud *Thiel*, Epist. Rom. Pontif. p. 375 sq. Primum exemplum formalis et solemnis canonizationis per Romanum Pontificem est canonizatio S. Udalrici Episcopi Augustani, a Ioanne XV a. 993 promulgata. Alias refert *Benedict. XIV* l. c. cap. 7 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 242 sq. 245 not. 5.

tamen per Decretalem Alexandri III sibi prima vice *expressa* lege etiam reservavit ius *beatificandi* (40), de reservatione enim verae canonizationis nullum potuit incidere dubium, quoniam illa, ut supra expositum est, Episcopis nunquam fuit concessa neque potuit concedi (41).

Quae reservatio beatificationis ab Alexandro III facta non illico ab omnibus Episcopis in praxim est deducta. Constitutio quoque Alexandri III non sustulit omnem dubitationem, num quaelibet cultus *publici* concessio in favorem alicuius fidelis defuncti cum fama sanctitatis vel martyrii Episcopis esset interdicta. Quare tandem Urbanus VIII post consultationes iam tempore Clementis VIII et Pauli V habitas universam litem diremit dubitationesque solvit et *omnia* negotia, quae ad *aliquem* cultum *publicum* defunctis servis Dei concedendum spectarent, Sedi Apostolicae *reservavit* (42). Quo iure ab Urbano VIII constituto etiam nunc disciplina vigens permansit non mutata.

468. Postquam causae beatificationis et canonizationis ad Sedem Apostolicam delatae sunt, etiam ordo iudiciarius in hisce processibus servandus in formam magis accuratam stabilemque redactus est. Etenim Romani Pontifices inde a primo illo exemplo formalis et solemnis canonizationis S. Udalrici in gravissimo hoc negotio expediendo ut plurimum usi sunt opera *Conciliorum* sive provincialium vel plenariorum sive etiam oecumenicorum (43). Neque examen *testium* de virtutibus et miraculis fuit neglectum (44). At

(40) Cap. 1 X. de reliq. III 45; supra h. tit. not. 25, 32; *Bened. XIV* l. c l. II, cap. 7.

(41) *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 39 n. 7 sq. 16; aliter *Hinschius* l. c. p. 245, not. 5, qui, ut probet canonizationem veram, non strictam beatificationem ab Urbano II fuisse delegatam, confugit in fine ad illam rationem inefficacem, quod Urbanus II expresse plenam libertatem concesserit ex proprio suo iudicio agendi; at huiusmodi potestas etiam ad meram beatificationem delegari potest. Cfr. Bened. XIV l. c. l. I, cap. 20 n. 16 sq. et praxim primorum saeculorum.

(42) Cfr, h. cap. n. 458 et not. 13 de decretis Urbani VIII; *Bened. XIV* l. c. l. II, cap. 7 sq. 10 sq.

(43) *Hefele* l. c. t. IV p. 642, t. V p. 382, 444; *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 15 n. 11, 12.

(44) Cap. 52 X. de testib. II, 20. (Honor. III a. 1225); *Goffr. de Trano*, Summa l. III, t. 45, n. 2, 3; *Bened. XIV* l. c. l. I, cap. 15, 20, 21; *Hinschius* l. c. p. 242 sq.

inde ab Alexandro III, ut in *aliis* causis arduis, ita etiam ad beatificationes et canonizationes Romani Pontifices loco Conciliorum potius usi sunt consilio Collegii *Cardinalium* (45). Denique a Sixto V Const. « *Immensa* » a. 1587 curae *S. R. C.* commissae sunt causae canonizationis, antequam per sententiaem R. Pontificis definiretur (46). Postea Urbanus VIII cit. decr. a. 1625-1634 gravissimam induxit reformationem de modo procedendi in causis servorum Dei (47), cui accessit Alexander VII, qui processum *beatificationis speciali solemnitate* in Basilica Vaticana absolvere coepit, atque inde effectum est, ut ex tempore Urbani VIII et Alexandri VII beatificatio et canonizatio *re et nomine* evidentissime distinguerentur: illa autem solemni forma S. Franciscus Salesius primus ab Alexandro VII declaratus est beatus (48). Innocentius XI quoque Const. « *Sanctissimus* » 15 Oct. 1678 et Bened. XIV Const. « *Sollicitudini* » 1 Oct. 1745 maiori perfectioni huius ordinis iudiciarii consuluerunt, et nostro quoque saeculo, quo tot pendent causae beatificationis et canonizationis, Sedes Apostolica novis responsis et decretis et instructionibus efficere studuit, ut processus hac in re rite conficerentur (49). Denique plena quaedam revisio universi processus facta est occasione novi Codicis iuris canonici, in quo principia huius processus promulgata sunt, relicta approbatione regularum executionis ipsi S. R. C.

De *beatificatione* et *canonizatione* Sanctorum consulendi sunt: Imprimis Benedicti XIV (opus classicum) De S. D. beatif. et beatorum canonizat. De antiquitatibus, *Mabillon*, Acta SS. ord. S. Benedicti in saeculorum classes distributa praefatione; *Shmalzgr.* l. III, tit. 45; *Reiffenstuel* eod.; *Ferraris*, Biblioth. v. Veneratio Sanctorum; *Bellarminus*, De beatif. et canonizat. Sanct. in Controversis; *Scacchi*, De cultu et venerat. Sanct. in ordine ad beatific. et canonizat.; *Baugen*. D. Roem. Curie n. 214 sq.; *Ferreres*, La Curia Ro-

(45) *Benedict. XIV* l. c.; *Saegmueller*, D. Cardinaele p. 49 sq.

(46) *Benedict. XIV* l. c. cap. 16 sq. 22 sq.; *Bangen*, D. Roem. Curie p. 214 sq.

(47) *Benedict. XIV* l. c. l. II, cap. 10, 11 sq.; *Ferraris* l. c. v. Cultus Sanctorum n. 45 sq.

(48) S. R. C. 12 Iun. 1660 i. f. in Decr. auth. C. S. R. n. 1162, i. f.; *Benedict. XIV* l. c. l. I, cap. 24.

(49) Instr. S. R. C. (a. 1878) in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1916; decret. S. R. C. 30 Ian. 1878 in Act. S. Sed. vol. III, p. 366 sq. iunct. Leon. XIII, Const. « *Offic. ac muner.* » 2 Ian. 1897, n. 32.

mana n. 668 seq.; Instituciones II, n. 870 sq.; *Péries*, Les Juges diocésains dans le procès informatif des causes de beatification; *Vacant*, Diction. d. Theolog. cath. v. Beatification, Canonization, ubi etiam agit de canonizationibus in ecclesia Russica; *Lauri-Fornari*, Codex pro Postulatoribus caus beat. et canonizat. (editio 3ª, anni 1923) ubi traditur accurate methodus practica et etiam formularia; *Noval*, De processibus Pars II et III ubi accurata et diligens fit exegesis canonum Codicis p. 1 sq.

III. - **De processu beatificationis et canonizationis** (can. 2037-2141).

469. Praenotiones. I. Duplex est via in huiusmodi processibus: alia dicitur *via ordinaria* sive *non cultus;* alia *extraordinaria* seu via *casus* excepti (can. 2000). Prima ordinatur ad obtinendam beatificationem *formalem*, ante quam hodie non licet servis Dei cultum exhiberi, et ideo ante omnia probari debet servo vel servae Dei cultum religiosum non fuisse praestitum; quo in tuto posito, demonstrandum est servum Dei coruscasse virtutibus heroicis et miraculis post mortem ad eius intercessionem patratis, inde devenitur ad memoratam *formalem* beatificationem. Altera eo spectat, ut ostendatur servo Dei cultum religiosum praestari legitimum i. e. decretis Urbani VIII non contrarium, eo quod cultus adhibitus fuerit ex indulto Summorum Pontificum, vel permissione S. Congregationis, vel per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia atque tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii: inde autem devenitur, si casus ferat, vel ad confirmationem cultus in eo statu in quo est, vel ad eius extensionem ad alios actus, quae dici possunt beatificatio *aequipollens*. Ergo obiectum processus est vel probatio virtutum in gradu heroico cum miraculis post mortem patratis; vel probatio legitimi cultus.

II. Processus vel sunt *ordinarii* vel sunt *Apostolici*, prout fiant iure et auctoritate Ordinarii, vel iure et auctoritate Sedis Apostolicae.

Propria auctoritate Ordinarii conficiunt: 1° *processiculum*, qui dicitur, *diligentiarum*, institutum ad perquirenda et ad S. Congregationem transmittenda scripta Servi aut Servae Dei; 2° Processum *informativum* super fama sanctitatis, virtutum in genere, vel martyrii eiusque causae, et miracolorum; 3° Processum super *non cultu*; 4° processum informativum super continuatione famae sanctitatis vel martyrii, cum antiquus extat processus ante annos triginta confectus, sed causa fuit intermissa ante eius introductionem (can. 2003, 2038, 2039); 5°) si processus super non cultu nondum confectus fuerit, cum signata fuit Commissio Introductionis causae, Ordinarius iam non potest propria auctoritate illum instruere, sed solum ex delegatione S. Sedis iuxta normas, quae eidem praescribantur in Litteris Remissorialibus. Signata Commissione Introductionis causae, ad quemlibet alium de causa processum delegatione Apostolica indigent Ordinarii.

Processus Apostolici. Auctoritate *ordinaria* Apostolica conficiuntur: *a) revisio scriptorum* Servi vel Servae Dei; *b)* discussio processus informativi ab Ordinario confecti; *c) commissio introductionis causae* post iudium S. Congregationis a R. Pontifice *signanda; d) discussio processus Ordinarii super non cultu.* Qui ultimus processus, si ab Ordinario non fuit factus, conficitur auctoritate ab Apostolica Sede delegata.

Sequuntur duo processus, ad quos Sedes Apostolica delegat, ideoque etiam sunt Apostolici: 1. *Super fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii.* 2. *Super virtutibus et miraculis in specie, vel super martyrio eiusque causa.*

Tandem sequutur tres processus *Ordinarii* pariter *Apostolici. a) super processus Apostolici validitate; b) super heroicitate virtutum in specie;* vel super *martyrio eiusque causa*; *c) super miraculis in specie,* quando in tuto posita est heroicitas virtutum. Qui duo ultimi processus conficiuntur seu instruuntur ter, seu coram triplici tribunali, in Congregationibus, quae dicuntur *antipraeparatoria, praeparatoria* et *generalis* (50).

III. Ex dictis iam patet, alios esse processus pro *confessorum*, alios pro *martyrum* beatificatione.

Quoad causas martyrum, illud principium fixum manet, quod sive procedatur per viam ordinariam non cultus, sive per viam ex-

(50) S. O. 13 Mart. - 2 Iul. 1625; Urbani VIII, const. « *Coelestis Hierusalem* » 2 Iul. 1634; S. R. C. 12 Mart. 1642; Benedicti XIV Epist. « *Iam pridem* » 28 Febr. 1747; De servor. Dei beatif. l. II, cap. 6, n. 1 sq. cap. 17, n. 1; cap. 19, n. 5 sq.; cap. 20, n. 6 sq.; cap. 21, n. 3 sq.

traordinariam, non sunt *cumulandae*; sed unaquaeque singillatim tractanda est, nisi agatur de martyribus, qui in eadem persecutione eodemque loco passi sunt. Quod non solum intelligendum est de singulis personis, quae martyrium passae sunt, sed etiam de singulis distinctis processibus et discussionibus quae in huiusmodi causis fieri praescribuntur inde a causae introductione usque ad finem (can. 2001). Opus est ut et martyrium passum et causa martyrii demonstretur, quod satis frequenter de pluribus fieri potest simul, si in eadem persecutione et eodem loco passi sunt. Nihil attinet dicere memoratum principium a fortiori obtinere in causis confessorum. In iam beatificatis non repugnat quod miracula fuerint patrata ad plurium invocationem, qui aliquo peculiari vinculo sint coniuncti; quo casu non repugnat ut praedicta miracula exhibeantur pro illis pluribus canonizandis.

A. - De personis quae in huiusmodi processibus partem habent

470. Ante omnia, ubi in iure sermo est de Ordinario, in hac materia non intelligitur Vicarius Generalis, nisi habeat speciale mandatum (can. 2002).

Actor et postulator. In his processibus, ad modum *actoris* in causis iudicilibus, intervenit is, qui beatificationem vel canonizationem postulat, et *postulator* qui causam promovet, sine quibus causae propositio locum non haberet; huiusmodi namque causae ad modum iudicii expediuntur. « Quivis fidelis vel legitimus Christifidelium coetus ius habet petendi ut causa alicuius servi Dei apud tribunal competens instruatur ». Quae petitio, si admissa a legitima et competente Ecclesiae auctoritate fuerit « petenti ius est causam legitime promovendi et ad exitum perducendi » (Can. 2003, § 1, 2). En *actorem*. Qui actor potest agere per se vel per procuratorem ad hoc legitime constitutum; quem omnino constituere debent mulieres, in huiusmodi enim causis ad agendum per seipsas mulieres non admittuntur (can. 2004 § 1). Generatim in his causis semper agitur per procuratorem, qui in tali causa dicitur *Postulator*, et ideo in praxi idem est *actor* ac *postulator*, qui utique sive proprio sive alieno nomine agit. De iure autem debet esse sacerdos saecularis vel religiosus in Urbe fixam habens sedem (can. 2004, § 2, 3). Huius

ergo munus est: *a*) agere causam apud iudices competentes; *b*) necessarios sumptus facere; *c*) nomina testium et documenta tribunali exhibere; *d*) conficere et Promotori Fidei exhibere articulos, super quibus testes in processibus debeant interrogari (can. 2007) (51).

Singuli pro singulis causis postulatores admittuntur, i. e. unicus pro unaquaque causa, non plures; ipse quoque ius habet sibi substituendi per legitimum mandatum Vice-Postulatorem. Antequam ad agendum admittantur tum Postulatur tum Vice-Postulatur, mandatum debent tribunali exhibere; nec censetur legitimum nisi Postulatoris mandatum fuerit a S. Congregatione admissum et in eiusdem actis inscriptum; Vice-Postulatoris vero mandatum debet recognosci et admitti ab illo tribunali in quo munus suum explet (can. 2005, 2006) (52).

Necessitas Postulatoris, non impedit quominus Ordinarius causam beatificationis intra limites suae competentiae possit instruere ex officio, quin praecedat instantia Postulatoris; quo casu alium, qui instet seu Postulatoris officium gerat nominavit, ne ipse et actoris et iudicis munus simul expleat.

Relator seu **Ponens** est unus ex Patribus Cardinalibus S. R. C. adscriptis a Rom. Pontifice designatus in causis quae apud S. Congregationem agitantur; cuius est peculiare studium causae sibi demandatae impendere, et in plenaria seu ordinaria congregatione referre ea omnia quae sive in favorem causae sive contra eam facere videantur (can. 2009).

Promotor fidei *iuris partes agit*, et in quolibet processu partem habere debet ad normam can. 1587. Apud S. R. C. vocatur *Promotor generalis fidei*, et qui ei adsistit, S. R. C. adsessor, dicitur

(51) De modo conficiendi *Articulos* cfr. *Lauri-Fornari* l. c. p. 15 sq. Porro ibidem p. 6 sq. discet Postulator quas notitias sibi procurare debet, ut comperiat num causa ea sit, quae tractari in S. Congregatione utiliter possit.

(52) Ordines et Societates religiosae solent habere aliquem religiosum eiusdem Ordinis vel Societatis deputatum ad omnes causas ad Ordinem seu Societatem pertinentes, qui dicitur Postulator Generalis (*Lauri-Fornari* l. c. p. 4, 5, ubi exhibetur formula deputationis Postulatoris sive Generalis sive specialis). Cum agitur de beatificanda Moniali, mandatum datur Postulatori ab ipso Monasterio i. e. vel ab Antistita, vel a monialibus capitulariter, vel a Praeside ecclesiastico prout ferant monasterii usus vel constitutionis; in Congregatione religiosa mulierum dabitur a Superiorissa Generali cum suo Consilio.

Sub-promotor generalis fidei; ambo a Rom. Pontifice nominantur. Apud Ordinariorum tribunal nominatur ab Ordinario idque ante edictum de deferendis ad tribunal scriptis servi Dei, nisi agatur de processu apostolico ex facultate delegata instruendo, quo casu nominatur a Promotore generali et appellationem recipit sub-promotoris (2011).

Promotoris munus est: *a)* concinnare interrogatoria *etiam* super articulis a postulatore propositis eaque iudicibus sub secreti obligatione exhibere; *b)* instare ut testes ex officio citentur, quos tamen iudex, etiam non instante aut contradicente promotore, hoc tamen praemonito, ex officio arcessere valet; *c)* opportunas promovere exceptiones: omnia in finem eruendae veritatis (2012).

Notarius seu *actuarius* in omnibus processibus adsistere debet ad acta authentice conscribenda. Apud S. Congregationem debet esse de munere Protonotariorum participantium; extra Urbem *potest* illo munere fungi ipse Curiae notarius; in Urbe potest esse notarius Vicariatus Urbis vel Protonotarius S. Congr.; religiosi in causis propriae religionis sunt absolute exclusi, in aliis nonnisi ex necessitate admitti possunt (can. 2013, 2014). Potest ei dari adiutor sive adiunctus, praesertim pro conferendis transumptis cum actis originalibus et exemplaribus cum documentis quae ex authographis transcribuntur — *Adiunctus* debet esse sacerdos integrae famae et omni exceptione maior.

Cancellarius S. Congr. praeter qualitates adiutoris notarii debet esse laurea in iure canonico donatus.

Advocati et **Procuratores** ut in his causis apud S. Congregationem suo munere fungantur, debent esse laureati in iure canonico, saltem licentiati in s. theologia, fecerint oportet tirocinium penes aliquem ex advocatis S. Congr., et quoad advocatos requiritur etiam legitimus titulus advocati rotalis (can. 2018).

Prae oculis habeatur can. 2037 de iuramento ab omnibus hisce personis et a iudicibus praestando.

B. - De Probationibus

471. Probationes in causis beatificationis et canonizationis deduci debent *ex testibus* et *ex documentis* et debent esse omnino plenae (can. 2019, iunct. S. R. C. 28 Mart. 1733).

Numerus testium ad probationem faciendam requisitus ita statuitur canone 2020.

1º) Ad probandum cultum non fuisse praestitum servo Dei saltem *quatuor* testes sunt necessarii (praeter duos ex officio) (53).

2º) Ad probandam famam virtutum vel martyrii aut miraculorum, saltem octo testes sunt necessarii. Qui testes etiam possunt esse *singulares*, singularitate tamen, ut aiunt, *adminiculativa*. Singulares autem testes dicuntur hi, qui non deponunt de eadem re, sed de distinctis factis, quae tamen unum factum totale quasi per partes adstruunt v. gr. alii testantur de uno facto quod indicat sanctitatis famam, alii de alio quidem facto quod tamen pariter indicat sanctitatis famam. Et singularitas in exemplo proposito dicitur *adminiculativa* seu cumulativa, quia testificatio fit de factis, quae, etsi distincta, sese mutuo complent ad probandam rem de qua agitur *(Wernz-Vidal*, De processibus, n. 458). — Praeterea duo saltem testes ex officio vocandi sunt.

3º) Ad probandas virtutes vel martyrium requiruntur testes de visu et contestes. De *visu* dicuntur qui deponunt de re quam viderunt seu cui interfuerunt; *contestes* dicuntur qui concorditer deponunt de eodem facto. Historica monumenta i. e. quae a scriptoribus scripto consignata sunt adminiculum tantum praestare possunt. De numero hoc loco nihil dicitur in Codice: generatim in causis beatificationis et canonizationis magnus requiritur testium numerus; at valet tamen principium quod de facto particulari vel de miraculo faciant plenam fidem duo vel tres testes de visu et contestes (54). Salvum manet, qund dicitur n. 6 huius canonis.

4º) Si habeantur testes ex auditu a videntibus in processu Apostolico et in processu informativo testes de visu, possunt hi omnes

(53) Per se patet ad probandum non cultum *de praesenti* testes debere esse *de visu*; ad non cultum *de praeterito* ex natura rei admittendi sunt testes *de auditu ab aliis*. Quae probatio de *non cultu* licet videri possit impossibilis (cfr. cap. 23 X. de elect. I, 6) nihilominus in responsionibus ad interrogatoria negationes de visis aequivalenter continent assertiones positivae de visis, ideoque vera probatio positivi defectus observati per attestationes fieri possunt. (*Wernz-Vidal*, De processibus, n. 436).

(54) De hac re omnino consulendus *Benedictus XIV*, De S. D. beat. et canonizat. l. III, cap. 5, praesertim n. 11, 12; cap. 3, c. 2; cap. 4.

coniungi in linea probationis (55) i. e. cumulantur probationes utriusque processus ad efficiendam illam probationem *omnino plenam*, quam ius requisit in his causis (56).

5⁰) Si in *informativo* processu habeantur testes de visu et in apostolico tantum *ex audito auditus*, hi solum habent vim adminiculi, magis vel minus gravis puo prudenti iudicum aestimatione (57) Ergo in hoc casu non habetur summa probationum ex utroque processu, quod certe magis confert ad probationem *omnino* plenam. Quare tunc tantum in probandis virtutibus et martyrio ad ulteriora seu ad miraculorum disceptationem procedi potest, si ex omnium testium (etiam adminiculum praebentium) coniunctione talis resultat probatio, quae viro prudenti de re gravi iudicaturo fidem factura sit et auctoritatem.

6⁰) Nihilominus *in causis antiquis* per viam non cultus procedentibus, in quibus deficiunt oculati testes vel ex auditu a videntibus, et in causis procedentibus per viam casus excepti, virtutes et martyrium probari poterunt per testes *ex auditu* atque ex publica fama, quae annulatam, ut aiunt, traditionem ex auditu constituat, et

(55) Benedictus XIV decr. « *Cum ex relatione* » 17 Iul. 1744, § 1, 2 iunct. De S. D. beat. et canonizat. l. II, cap. 4, n. 5; cap. 43, n. 5.

(56) Qua de re probe notanda est specialis relatio inter processus Ordinariorum et processus apostolicos; haec autem est relatio in his causis de iure existens, quod ad retinenda uti probata, illa pleniori probatione quae in his causis exigitur, ea quae magis essentialia et graviora sunt *virtutes, martyrium, miracula*, coniunguntur in unum processus ordinarii et processus apostolici et probationes in ipsis obtentae vel *in linea probationis* (*coaequalis probationis ratione*, ut antea dicebatur) vel tamquam *adminiculo* pro casus diversitate, modo ad *miracula* probanda semper adducantur *testes de visu*. Cuius cumulationis duplicis processus *ordinarii* et *apostolici* illa est iuridica ratio, quod cum sit reservata S. Sedi causa beatificationis, etiam illae sententiae quae in beatificationem proxime influant de se ad S. Sedis competentiam pertinent. Si tamen a iure datur Ordinariis certus competentiae gradus, non ita conceditur illa competentia ut S. Sedes non sibi reservet novum examen, novum iudicium novamque sententiam, cui vult ut praemittantur propriae speciales probationes. Quare ob rationem traditam in hac materia derogatur generali principio, quod plene probata coram uno iudice plenam fidem faciam coram alio iudice in eadem causa et inter easdem personas. Meretur hac de re consuli *Bened. XIV*, De S. D. beatif. L. II, cap. 4, 5, 6, l. II, cap. 3 et Decr. Generale S. R. C. 23 April. 1741.

(57) Adminiculum, ut dicit ipsum nomen, est iuvamen praestitum probationi seu probationibus. Porro de pluribus adminiculis simul iunctis ad faciendam probationem dici solet: « *Quae non probant singula, cuncta seu collecta iuvant* ».

per documenta coaeva vel monumenta ut authentica recognita. Praecise ob difficultatem, quae reperitur in tractatione causarum, quae dicuntur *historicae*, in quibus de *vita, virtutibus, martyrio, antiquo cultu* nec attestationes coaevae factis, nec documenta certa habentur de illis attestationibus opportuno tempore collectis, Pius XI, Motu proprio 6 Febr. 1930, instituit apud S. R. C. sectionem historicam cui loco processus apostolici de illis quatuor capitibus commissa fuit historica investigatio, supra quam suum votum promere debent Consultores praedictae S. C. (Cfr. A. A. S. XXII, 87).

7⁰) Miracula semper probanda sunt per testes de visu et contestes.

472. *Cultus immemorabilis.* Cultus immemorabilis probatur per authentica monumenta, quae Constitutioni Urbanianae a. 1634 promulgatae centum annorum spatio antecedant vel illo saeculo perdurante sint edita, dummodo facta referant quae saltem centum ante annos contigerint una cum populi traditione numquam interrupta (can. 2021). S. R. C. decr. 23 April 1741. — Huic quoque causae cultus immemorabilis sunt applicanda praescripta Motus proprii Pii XI 6 Febr. 1930.

C. - De testibus et peritis

473. Peculiaria praescripta de testibus et peritis in his causis adhibendis, ad haec reducuntur.

1⁰) *Contra virtutes aut miracula vel martyrium* Servi Dei, omnes Christifideles, excepto confessario, si quid ipsis facere videantur tenentur ad Ecclesiae notitiam deferre, licet non vocati (can. 2023).

2⁰) *Tamquam testes* imprimis vocandi sunt a promotore fidei, tametsi a postulatore non inducti, qui cum Servo Dei familiaritatem vel consuetudinem habuerint (can. 2024).

3⁰) Ut haec duo praescripta executioni mandentur, memoratae duae testium classes, nisi iam sciant sese inductos esse tamquam testes, debent dare litteras ad proprium Ordinarium, quibus vel consuetudinem cum Servo Dei habitam declarent, vel aliquod factum peculiare aperiendum se cognoscere dicant (facto breviter exposito): quae litterae ab Ordinario promotori fidei sunt transmittendae. —

Porro religiosi vel religiosae tales litteras, sigillo clausas, vel immediate et directe mittere debent ad Ordinarium aut ad fidei promotorem, vel ad talem missionem uti possunt opera confessarii. Illiterati vero rem parocho exponant, qui ad Ordinarium vel promotorem fidei eam referant — Tandem Superiores religiosi gravi obligatione tenentur curandi, ut omnes subditi, qui debent, accedant ad deponendum; quos tamen nec directe nec indirecte impellere possunt ad testandum in unum potius quam in alium sensum (can. 2025, 2026).

474. *Quinam admitti possint aut nequeant in testes: a*) Admittuntur ut testes consanguinei, affines, familiares, haeretici quoque et infideles (58).

b) Admitti nequeunt: 1º) confessarius, quod attinet ad ea omnia quae ipsi ex confessione sacramentali innotuerint, etsi a sigilli vinculo solutus sit; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt: 2º) qui munere iudicis aliquando in causa functi sunt: 3º) postulator, advocatus aut procurator in causa durante munere; si vero munus penitus dimiserint, admitti possunt, sed adminiculum tantum probationis suppeditare possunt (can. 2027).

Si agitur de fama sanctitatis aut martyrii Servi Dei, qui ad aliquam religionem pertinuerit, dimidia saltem pars testium debent esse extranei (can. 2030). Porro testes debent reddere propriae scientiae causam, secus eorum testimonium nihili faciendum est (can. 2029).

(58) Per se patet, principia generalia de vi probandi attestationum ex peculiari testium conditione, etiam in his causis suum retinere valorem; et si hic admittuntur testes alias reiiciendi, tum a iudicibus tum praesertim a promotore fidei illa principia sunt attendenda; imo etiam in testibus generatim in quavis causa habilibus et recipiendis, si quid a promotore animadversum fuerit in eorum examine, quod fidei eorum attestationi praestandae adversetur, ab hoc pro suo officio S. Congregatio admonenda est. Cfr. de hac materia *Benedictum XIV*, Opere cit. L. III, cap. 6, n. 1 sq., n. 12; cap. 7, n. 7; testimonium haeretici et infidelis est testimonium petitum ab inimicis iuxta dictum *Lactantii*, De vera sapientia libr. 4, cap. 12.

Iure praecedenti admittebatur confessariorum attestatio etiam circa cognita ex confessione quae non caderent sub sigillo, quia non in gravamen poenitentis, sed in eius honorem et laudem vergerent. Cfr. *Benedict. XIV*, Opere cit. l. III, cap. 7, n. 2, 4.

475. *Quoad peritos.* Ante omnia, cum de miraculis agitur, medici a curatione *tamquam testes* sunt inducendi. Quodsi tribunali se sistere renuerint, iudex curare debet ut saltem scriptam et iuratam relationem de morbo eiusque processu conficiant actis inserendam vel eorum sententia per interpositam personam excipiatur deinde examini subiiciendam (can. 2028).

Opera peritorum in causa necessariorum ita est requirenda: 1º) Periti sint saltem duo, quorum alter alteri sit ignotus; seu unus nesciat alterum ad peritiam adhiberi; 2º) Deputandi sunt a tribunali maioritate sufragiorum, audito prius fidei promotore; si vero penes S. Congregationem operam praestare debent, designantur a Cardinali Ponente, audito fidei generali Promotore; 3º) excludi debent, qui in causa testis munere functi sint; 4º) postulatori notitia de peritis assumptis danda non est; 5º) ipsi periti de munere sibi assignato secretum servent; 6º) periti seorsum singuli ad peritiam deveniant; 7º) ex iusta causa iudex, assentiente promotore fidei, permittere potest ut periti simul peritiam instituant; 8º) singuli relationem peritiae a se confectae scripto tradant; 9º) seorsim singuli iuridice interrogentur, tametsi peritiam simul confecerint (can. 2031).

D. - De documentis processui inserendis

476. Alius modus probationis in his causis admissus est probatio per documenta, de quibus valent generalia principia proposita in lib. IV, Codicis (can. 1812 sq.) et peculiaria praescripta pro his causis; quae peculiaria ad haec reducuntur:

1º) A postulatione documenta, quibus innititur, *integra* sunt tribunali exhibenda; salvo iure tribunalis a postulatore exigendi exhibitionem aliorum documentorum, quae ad veritatem detegendam conferre eidem tribunali videbuntur (can. 2032). Qui documenta exhibent debent declarare eorum originem et authenticitatem (can. 2034).

2º) *Testimonia extraiudicialia* scripto consignata sive ab iis quos postulator in processu interrogari curaverit circa virtutes et martyrium Servi Dei, sive ab aliis quos postulator interrogandos proposuerit, etsi in processibus afferantur, recenseri tamen ne-

queunt inter documenta quae in iudicio de sanctitate vel martyrio vim probativam habeant (can. 2033). — Sane testis sine iuramento non probat, nec sine interrogatoriis examinatus etsi iuratus aliquid asserat. Cfr. *Benedict. XIV* cit. op. l. III, cap. 1°, n. 13. Porro in decr. Innocent. XI, decr. 15 Oct. 1678 prohibuerat huiusmodi informationes extraiudiciales capere, et iam habitas inseri in processibus tam Ordinariis quam apostolica auctoritate faciendis (59).

Elogia quoque *funebria* et *necrologia* illico post mortem S. D. exarata vel typis edita non constituunt legitimam probationem; et multo minus testimonia virorum quamvis illustrium circa virtutes et opera S. D. non sponte, sed amicorum precibus, eo adhuc vivente, scripto tradita (cit. can. § 2, 3).

3°) *Historiae* non habent vim documentorum, nisi in quantum innitantur documentis in processu exhibitis. — Quodsi viri magnae auctoritatis memoratis documentis usi sint eaque probaverint, horum virorum testimonium dumtaxat afferri debet ad confirmandam documentorum authenticitatem et auctoritatem (can. 2035).

4°) *Documenta historica* sive manu scripta, sive typis impressa, quibus postulator S. D. virtutes aut cultus eidem praestiti antiquitatem eiusque non interruptam continuationem probare intendit, inseri debent in processum et cum ipso transmitti ad S. Congregationem, ut a peritis examinentur.

Quae in bibliothecis vel tabulariis asservantur, unde extrahi nequeant, in exemplari scripto vel photographice expresso exhiberi debent cum scripta attestatione notarii tribunalis de eius authenticitate. — Si ne id quidem fieri possit, res deferenda ad S. C., a qua periti designabuntur ut ea recognoscant ubi asservantur (can. 2036).

(59) Cfr. quoque *Benedict. XIV*, Opere cit. l. III, cap. 10, n. 12, quod scripturae exaratae tantum *ad rei memoriam* non valeant ad probandum miraculum tametsi in ipsa habeatur assertio testium iuratorum et de visu miraculum narrantium, quia non ad petitionem nec ad effectum beatificationis seu canonizationis factae sunt illae iuratae assertiones; item tenet de scriptura miraculum antiquum referente et manu Episcopi de visu referentis subscripta.

E. - De processibus ab Ordinario iure proprio instruendis.

477. Quamvis ex praesenti Ecclesiae disciplina Episcopi non amplius sint competentes ad beatificationis sententiam vel qualiscumque cultus publici concessionem, tamen etiam nunc *iudices* in processu ordinario sive informativo, qui processum apostolicum praecedit, sunt *exclusive* Ordinarii locorum, nisi Rom. Pontifex per specialem delegationem aliter disponat (60) Ordinarii autem in his causis sunt Episcopi dioecesani et alii aequiparati, velut Vicarius Capitularis, Vicarii et Praefecti Apostolici, Praelati nullius, qui ex proprio munere et iure exercent iurisdictionem fori externi in loco, ubi Servus Dei beatificandus supremum diem obiit, aut miracula patrata sunt (si de miraculis agatur). Quibus Ordinariis minime adnumerari possunt Nuntii Apostolici, Vicarii Generales, Praelati regulares v. g. Provinciales (61).

478. Quare Ordinarii est in ordinariis processibus tribunal constituere, quod constare debet *Praeside*, qui est ipse Ordinarius per se vel per sacerdotem ad hoc delegatum, et in hoc altero casu duobus aliis iudicibus ab Ordinario eligendis inter iudices synodales. Ordinarius per decretum designat tribunalis Praesidem, sive hoc munus sibi reservet, sive delegatum cum duobus aliis iudicibus nominet; eodemque decreto nominat *fidei promotorem* et *notarium* (can. 2040). Quodsi Ordinarius *Episcopum* in iudicem eligat, opus non est iudicibus adiunctis. Quare si Ordinarius ipse per se iudicem agere velit, alias duos iudices adiunctos nominare non debet, vix autem fiet, ut per se omnia facere possit aliis curis officii pastoralis distentus: quare vel Vicarium Generalem vel alium sacerdotem designavit, qui iudicis munere fungatur (iudex *delegatus*), cui

(60) *Benedictus XIV*, Const. « *Sollicitudini* » 1 Oct. 1745, § 5; *Benedict. XIV*, De S. D. beatif. l. I, cap. 22; l. II, cap. 1 sq. *Schmalzgr.* l. c. n. 23 sq.; *Lauri-Fornari*, Codex pro postulat. caus. p. 22 sq.; *Bangen* l. c. p. 227 sq.

(61) Epist. encycl. et decret. S. R. C. 12 Mart. 1631; *Benedictus XIV*, Op. cit. l. II, cap. 2. — Iure praecedenti erat etiam competens Ordinarius loci, ubi corpus S. D. sepultum est et ubi homines examinandi degunt (v. gr. ubi S. D. fere totam suam vitam explevit): at nunc standum est praescripto can. 2039. Commiss. Codic. 25 Iulii 1931 in A. A. S. XXIII, 388.

duos *adiunctos* iudices adiunget, qui duo cum iudice *delegato* simul procedere debent, non separatim, nisi quando forte sessionibus ipse Episcopus intersit, qui etiam solus procedere potest (can. 2040) (62).

I. Ante omnia removenda sunt obstacula v. g. pravae doctrinae, ideoque prius debet iure constare de puritate doctrinae S. D. in eius scriptis. Huc pertinet *processus ad perquirenda scripta* servi Dei, ad tribunal deferenda, publicatis ad hoc edictis ad normam can. 2043. Scriptorum autem nomine veniunt, non modo opera inedita S. D., sed etiam quae typis fuerint impressa, item sermones, epistolae, diaria, autobiographiae, quidquid denique vel ipse per se vel aliena manu exaraverit. — Hic processus vocatur *processiculus diligentiarum*, et fit ante ipsam constitutionem tribunalis. Cfr. *Lauri-Fornari*, Op. cit. pag. 55-65.

II. Subsequitur *processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum*. Hoc alterum requiritur ante introductionem causae apud S. Sedem; et praeterea, si beatificatio procedit *per viam non cultus*, ut iuridice probetur S. D. non fuisse praestitum cultum publicum, seu de paritione decretorum Urbani VIII (13 Mart., 2 Oct. 1625, 5 Iul. 1634), quibus hominibus cum fama sanctitatis mortuis cultum publicum exhiberi prohibitum fuit. Duplex est distinctus processus; quorum obiectum iam satis patet ex dictis (63).

479. III. *Forma* utriusque processus eadem fere est. Imprimis a rege vel congregatione religiosa vel aliis personis, quae causam promovent beatificationis servi Dei, per *mandatum* constituendus est *procurator* (64) sive *postulator*, qui ad instar actoris roget *Ordinarium*, ut incipiat causam ad eum *finem* transmittendi acta cum sententia pro informatione ad Sedem Apostolicam. Qui Ordinarius, si aliunde nihil obstet ob scripta haeretica asserti servi Dei (65), et ipse non possit praeesse iudicio, ad processum de non cultu vel casu

(62) Cfr. Benedict. XIV cit. Const. « *Sollicitudini* » § 5, 6; *Baugen* l. c. p. 228.

(63) *Bened. XIV* l. c. l. I, I, cap. 22, l. II, cap. 1, 39 sq.; *Lauri-Fornari* l. c. De processu non cultus, pag. 120-134; De processu informativo super fama etc. pag. 65-119.

(64) *Lauri-Fornari* l. c. p. 4 sq. 65 sq.; *Péries*, Les Juges diocésains dans le procès informatif des causes de beatification.

(65) Benedict. XIV cit. Const. « *Sollicitudini* » §§ 5, 6; *Bangen* l. c. p. 228.

excepto deputat suum Vicarium generalem vel alium clericum in dignitate ecclesiastica constitutum cum duobus iudicibus adiunctis (66), accersuntur *notarius* (67) et *promotor fiscalis* (68), proponit procurator *articulos*, promotor fiscalis vero suas obiectiones, sequuntur examina testium et visitatio sepulchri (69). Tandem procurator petit, ut finiatur causa, atque Ordinarius vel iudex deputatus servatis omnibus solemnitatibus termino assignato fert *sententiam* de non cultu vel de casu excepto. Simili fere modo conficiuntur acta de *fama* sanctitatis vitae, virtutum (martyrio), miraculorum in genere; at sententia in hoc processu ab Ordinario non fertur, minime vero excluduntur *vota* Ordinarii, iudicis deputati, promotoris fiscalis de testibus. Uterque processus transmittitur ad Curiam Romanam, ubi a Secretario S. R. C. in forma legitima est tradendus (can. 2061-2064).

480. Introductio causae. Apud S. Congregationem diligenter examinantur scripta (can. 2065-2072); discutitur processus informativus (can. 2073-2084) itemque processus de non cultu (c. 2085-2086).

a) Approbatio scriptorum est conditio praevia ut procedatur ad ulteriora, qui processus ad ulteriora debet statui decreto speciali.

b) Deinde sequitur discussio processus informativi, Promotore generali fidei proponente obiectiones contra causae introductiones, quibus respondere debet advocatus. Iudicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cuiusvis obstaculi perentorii profertur a PP. Cardinalibus in ordinariis S. C. comitiis ad relationem Cardinalis Ponentis per responsum ad dubium: « *An signanda sit Commissio Introductionis causae etc.* Iudicium favorabile proponitur Rom. Pontifici, a quo, si approbatur, signatur commissio.

(66) Epist. encycl. et decret. S. R. C. 12 Mart. 1631; S. R. C. 23 Dec. 1817; 27 Febr. 1887; 10 Dec. 1870.

(67) Decret. S. R. C. 10 Apr. 1894 et Clem. XII 12 Aug. 1731.

(68) Decret. S. R. C. 14 Ian. 1893.

(69) Decreta Bened. XIV 23 Apr. 1741, 17 Iul. 1754, Leonis XIII 8 Apr. 1889 de recta process. beatif. et canoniz. confectione; Arch. f. k. K. t. 47 p. 114 sq., ubi prolixa quaedam refertur instructio ad condendum auctoritate *ordinaria* processum super immemorabili cultu.

c) Ab hoc momento, Ordinarii carent omni potestate nisi a S. Sede delegentur. Nec Servus Dei accipit, ut ante Codicem titulum Venerabilis, qui ei non competit nisi postquam peculiari decreto declaratae sunt eius virtutes in gradu heroico (can. 2084, 2115).

Post discussionem processus informativi et signatam commissionem introductionis causae pariter in comitiis ordinariis S. C. discutitur num sit confirmanda sententia *de non cultu* ab Ordinario lata. Si ex processu resultat cultum publicum praestitum fuisse, eorumdem Cardinalium arbitrio, omnibus circumstantiis attentis, causa suspenditur quousque omnia signa vetiti cultus fuerint remota, et haec obedientia ad certum tempus, ab ipsis Patribus statuendum, praestita fuerit (2085).

Si ante introductionem causae processus de non cultu ab Ordinario confectus non fuerit, a S. C. committitur conficiendus iudicibus designatis, qui delegata potestate illum instituunt (can. 2086, § 1, 2). In causa vero martyris commissio ad colligendas probationes de non cultu datur simul cum delegatione apostolica ad conficiendum processum apostolicum de martyrio eiusque causa (can. 2086, § 3).

F. - De processibus apostolicis.

481. I. Instructio processus Apostolici. Post decretum *de non cultu*, mittuntur litterae remissoriales ad instruendum processum *apostolicum*: 1°) super fama sanctitatis, miraculorum vel martyrii; 2°) super virtutes et miracula in particulari vel super martyrio eiusque causa. Qui duo processus separatim fieri debent; prior tamen dispensari potest, si Cardinalis Praefectus cum Promotore gen. fidei iudicet non esse iterum inquirendum de continuatione famae. (can. 2087).

Remissoriales litterae mittuntur ad iudices delegatos in partibus ubi iustructus fuerat ordinarius processus, a quibus infra duos annos processus sunt absolvendi, facta antequam absolvantur corporis recognitione, et absoluti caute ad S. Congregationem sunt deferendi (can. 2094-2097).

II. **Discussio processus apostolici.** Processus apostolici validitas imprimis discutitur revocato iterum ad examen processu informativo. Animadversiones contra validitatem fiunt a Promotore gen. fidei et responsiones dantur ab advocato. Hoc examen peragitur in Congregatione composita a Cardinali Praefecto, Cardinali Ponente et tribus S. C. Cardinalibus, a Rom. Pontifice confirmatur et editur decretum de processus validitate (can. 2098-2100).

III. **Iudicium de heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa.** Decreta validitate processus, 50 anni sunt expectandi ad hunc novum processum, nisi Rom. Pontifex dispenset, ut non raro accidit (2101).

a) In causis confessorum discutiendum hoc dubium: « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico et ad effectum de quo agitur* ».

b) In causis martyrum: « *An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Huiusmodi dubium discutitur in tribus congregationibus: *antipreparatoria* (coram Cardinali Ponente, Praelatis, officialibus et Consultoribus); *praeparatoria* cum novis animadversionibus Promotoris gen. fidei et responsionibus advocati (in coetu omnium Cardinalium S. C. cum Praelatis, officialibus et Consultoribus); *generali* coram Sanctissimo et his omnibus qui interveniunt in praeparatoria. Votum est consultivum; definitivum pertinet ad Rom. Pontificem, qui suum iudicium in ipsa Congregatione non promit, sed sibi reservat tempus ad cogitandum et orandum. Inde a S. Congregatione, mandante Sanctissimo exaratur decretum suo tempore publicandum. - Prolato decreto *de Virtutibus*, Servo Dei iam datur titulus *Venerabilis* (can. 2101-2115).

IV. **Iudicium de miraculis in specie.** In hoc processu proceditur eodem modo ac in praecedenti (can. 2116-2123).

Miracula requisita. a) Ad beatificationem servorum Dei requiruntur *duo* tantum *miracula*, si in processu tam informativo quam apostolico *testes oculati* virtutum probationem confecerint, vel si testes in apostolico excussi fuerint saltem *ex auditu a videntibus*; *b*) requiruntur *tria*, si testes fuerint *oculati* in informativo, in apostolico vero *de audito auditus*; *c*) requiruntur *quatuor*, si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos *testes traditionis* et *per documenta* (can. 2117).

In causis martyrum praecipuum quod debet probari est *factum martyrii* et *martyrii causa*. In his causis non fit discussio de virtutibus, quamvis valde expediat ut adducantur testimonia de virtutibus et de modo quo S. D. se ad martyrium praeparavit. Quodsi de martyrio et causa martyrii evidenter constet et deficiant miracula, S. Congregationis erit decidere an *signa* in casu sufficiant, et, his deficientibus, an supplicandum sit Sanctissimo pro dispensatione a *signis* (70).

IV. **Congregatio de " Tuto „.** Habetur coram Papa; et ponitur resolvendum dubium: « *An stante virtutum et duorum vel trium vel quatuor miraculorum* (pro diverso casu) *adprobatione, tuto procedi possit ad solemnem V. S. D. beatificationem* ». Dato responso affirmativo et a Papa approbato, editur decretum *de tuto* et iubetur expediri Bulla beatificationis in cuius solemni promulgatione substantialiter consistit beatificatio.

G. - Processus beatificationis per viam cultus seu casus excepti.

482. I. Intelligitur casus exceptus a decretis Urbani VIII, et pertinet ad Servos Dei, qui post pontificatum Alexandri III, a quo causae beatificationis S. Sedi reservatae fuerunt et ante Decr. Urbani VIII (anni 1625) ex tolerantia cultum habuerunt (can. 2125). Qui processus eo tendit ut per eum probetur Servo Dei tributum esse cultum publicum a tempore quod centum saltem annos antecedat tempus quo decr. Urbani VIII fuit confirmatum a. 1634, eumque cultum sine interruptione usque ad tempus quo iudex de cultus existentia profert sententiam fuisse continuatum. - Quibus in causis iudicialis ordo varias subiit immutationes. Post decr. Pii IX (10 Dec. 1868) auctoritate ordinaria conficiebatur processus super cultu

(70) De causis Martyrum Cfr. *Benedict. XIV*, De S. D. beat. l. I, cap. 30, n. 1; cap. 29, n. 1 sq.; cap. 2, n. 1 sq.; l. III, cap. 11, 12. — De causa martyrii l. III, cap. 13, 19. — De distinctione inter *signum* et miraculum l. I, cap. 28. Cfr. quoque *Noval* l. c. p. 322 sq. ubi fuse disputat de signis et de miraculis.

immemorabili, in quo iudex proferebat sententiam, de qua agebatur in ordinariis S. Cong. comitiis; et si casus vere haberetur inter illos ab Urbano VIII exceptos, Rom. Pontifex decretum edebat *confirmationis cultus*, et eo ipso Servus Dei, quin alii requirerentur actus dicebatur aequipollenter canonizatus. Edito vero Decr. « *Cum in agendis* » (11 Nov. 1912 - A. A. S. IV, 705 sq). inducta est nova disciplina urgens rigorem stricte iudiciarium, quam Codex expressit can. 2195-2135.

II. Processus instrui debet ab Ordinario loci, ubi Servo Dei exhibetur cultus vel cultus documenta reperiuntur: quodsi Ordinarii sint plures praeventioni datur locus. Perquiruntur scripta S. D.; instruitur deinde processus super fama sanctitatis, virtutum vel martyrii et miraculorum, quo respondeatur quaestionibus: « *an in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta S. D. in terris conversatione vel de eius martyrio et martyrii causa necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis; an ibidem de praesenti vigeat ipsius S. D. cultus et quibus obsequiis S. D. honoretur* ». — Qui processus eadem fere ratione instruendus, quo dictum est fieri debere processum informativum per viam non cultus.

III. Processus remittitur ad S. C., ubi in congregatione ordinaria discutitur dubium: « *An signanda sit commissio introductionis causae* etc. ». Si responsum est favorabile per litteras remissoriales delegantur iudices, a quibus, receptis probationibus, pronuntianda est sententia de casu excepto seu super cultu immemoriali eiusque non interrupta continuatione.

Processus ad S. C. redit, et examinatur an sit confirmanda sententia iudicis delegati, post animadversiones Promotoris gen. fidei et responsiones advocati. Si S. C. sententia confirmatur a Rom. Pontifice, haec confirmatio solum refertur ad factum immemorabilis cultus: quare expediuntur litterae remissoriales ad conficiendum processum de virtutibus vel de martyrio eiusque causa, in quo servanda praescripta can. 2087-2115.

Demum, omisso processu de miraculis et decreto de « *Tuto* », per decretum editum de facto cultus immemorialis et de heroicitate virtutum vel de martyrio, Servus Dei habetur ut aequipollenter beatificatus, si accedat cultus confirmatio per decretum Rom. Pontificis Cfr. *Lauri-Fornari* l. c. pag. 205-233.

H. - De beatorum canonizatione.

483. I. Pro canonizatione alicuius beati obtinenda, si a beato post eius beatificationem aliquod miraculum fuerit patratum, ante omnia requiritur ut a postulatore petatur *reassumptio* causae; de qua petitione discussio fit in Congregatione ordinaria, in qua dubium resolvitur: « *An sit signanda commissio reassumptionis causae* etc. ». Responso affirmativo accepto, Rom. Pontifex signat commissionem reassumptionis et proceditur ad institutionem processus super miraculis. Duo autem requiruntur miracula ad canonizationem beatificati per viam ordinariam non cultus; *tria* in beatificatis per viam casus excepti.

II. Pro approbatione miraculorum iidem servantur processus modi. Mittuntur litterae remissoriales ad conficiendum processum super miraculis. Processu ad S. Cong. transmisso, is aperitur et disputatur de processus validitate; qua approbata, disceptatur more solito in triplici congregatione antipraeparatoria, praeparatoria et generali. - *Novissima* positio exhibet id, quod dicitur *Factum concordatum* i. e. relationem eorum quae in causa gesta sunt usque ad Congregationem Generalem et dubium proponitur sicut in discussione miraculorum pro beatificatione. Miracula post beatificationem ad invocationem beati patrata habentur ut signa divina, quod sibi complaceat in canonizatione sui Servi, cuius iam permissus erat cultus publicus. Si Rom. Pontifex approbat iudicium S. Congregationis super miraculis iubet solemniter publicari decretum, quo de miraculis constare enuntiatur.

III. Miraculis approbatis, iudicium habendum est super « *Tuto* » i. e. Dubium in Generali Congregatione proponitur: « *An stante (duorum aut trium) miraculorum adprobatione,* **tuto** *deveniri possit ad solemnem canonizationem* », ut dictum est de beatificatione.

IV. Licet Rom. Pontifex solemni decreto pronuntiaverit tuto procedi posse ad canonizationem, antequam tamen ad eam veniat, publicas preces indicit certis in ecclesiis peragendas ad quas antiquitus ipse Summus Pontifex precabundus adire solebat, et plura insuper habet Consistoria. Nova scribenda vita, novae imprimendae et pingendae imagines, sacrae parandae supellectiles aliaque dona, inter quae dona mystica inter Missarum solemnia offerenda i. e. cerei

aurati, panes, cadi vini pleni auro et argento decorati, turtures, columbae, aves (De his symbolicis donis cfr. Analect. Pontif. t. XVIII, 1490). Vexillum quoque affabre pingendum, in solemni pompa, die quo ritus celebratur portandum. Solemnitas canonizationis est una ex splendidioribus, quae Romae celebrantur. Cfr. *Lauri Fornari* l. c. pag. 249-252, ubi in Appendice pag. 255 sq. afferuntur Decreta spectantia causas beatificationis et canonizationis Servorum Dei.

TITULUS XVII

DE CULTU RELATIVO SACRARUM RELIQUIARUM ET SACRARUM IMAGINUM (1)

484. Praenotiones. Ut patet ex generalibus notionibus praemissis, sicut cultus *absolutus* dirigitur ad *personas*, ita cultus *relativus* terminatur ad *res* quae cum persona connexae sunt, ex qua quamdam participant sanctitatem, quae est causa cur nec indigne tractari possunt et cur positivis afficiantur honoribus. Cultu absoluto colitur persona propter excellentiam sibi insitam. Cultu relativo colitur res propter excellentiam sibi externam i. e. ob relationem ad personam in se sanctam seu excellentem. Haec excellentia relativa habetur in reliquiis et imaginibus.

CAPUT I

DE CULTU SACRARUM RELIQUIARUM

485. Principia. I. *Reliquiae* Sanctorum (*λείψανα*) sensu stricto intelliguntur *corpora* (2) vel corporis *partes* etiam minimae Sanctorum martyrum vel aliorum Sanctorum cum Christo viventium; at sensu latiore illae quoque res dicuntur reliquiae, quae *immediatam* quandam vel magis remotam connexionem cum illis servis Dei ha-

(1) *Fontes* et *Scriptores* ut in titulo generali de obiecto cultus divini.
(2) Concil. Trid. Sess. XXV decret. de invoc. iunct. profession. fidei Trid. Cfr. de diversis *nominibus* reliquiarum; *Kraus* l. c. v. Reliquien I.

buerunt v. g. vestes, instrumenta martyrii aut res, quibus corpus **vel** sepulchrum Sancti defuncti solummodo tactum est (3).

II. Aliae reliquiae dicuntur *insignes*, aliae hoc appellativo carent. *Insignes* Sanctorum vel beatorum reliquiae sunt corpus, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis (in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva can. 1281, § 2). Quae distinctio ex dicendis varios habet effectus v. g. quoad alienationem et conservationem.

III. Qui cultus reliquiarum, (ut latius probant theologi dogmatici), non solum in se *honestus* et *licitus* est, sed etiam fidelibus summopere *utilis*, ut denuo Concilium Tridentinum definivit contra pseudoreformatores. Honorantur enim illa corpora, « *quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda*..., (et) *per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur* » (4). *Bonum atque utile est* (servorum Dei) *reliquias venerari* » Can. 1276.

486. Notae historicae. Christiani iam primis saeculis reliquias Sanctorum venerati sunt (5), atque nequaquam huiusmodi cultus tandem saeculo *quarto* in Ecclesiam introductus est (6). Quo in cultu profecto corpora Sanctorum *martyrum* primum locum obtinuerunt, cum super ipsorum sepulchris aedificarentur altaria et sacrificium Missae celebraretur (7).

In Ecclesia orientali atque occidentali sane de cultu reliquiarum paulatim *diversa* vigebat *disciplina*. Nam cum Ecclesia orientalis ex saeculo quarto permitteret, ut corpora martyrum *in particulas distraherentur* (8), Ecclesia occidentalis ab illa praxi usque ad saeculum septimum fuit penitus aliena (9). Id quod potissimum

(3) *S. Gregor. M.* epist. l. IV, n. 30; *Schmalzgr.* l. c. n. 40; *Thalhofer* l. c. p. 315 sq. 318 sq.; *Kraus* l. c.

(4) Conc. *Nicaen.* II (a. 787); Conc. Later. IV (a. 1215) = cap. 2 X. de reliq. III 45; Conc. Constant. et Martin. V (a. 1418) apud *Denzinger*, Enchirid. n. 245, 365, 573; Conc. Trid. l. c.; *Schmalzgr.* l. c. n. 41 sq.; *Thalhofer* l. c.; *Kraus* l. c. I, III; Kirchenlex. v. Reliquien.

(5) *Euseb.*, Histor. eccl. l. IV, cap. 15 de martyrio S. Polycarpi.

(6) Quare *Hinschius* l. c. t. IV, p. 263 aliique errant, si cultum reliquiarum nonnisi ex saeculo *quarto* repetunt. Cfr. *Kraus* l. c. I.

(7) *Kraus* l. c. III et v. Altar n. 9.

(8) *Gregor. Nyss.* in orat. 3 in 40 martyr.; *Kraus* l. c. v. Reliquien II.

(9) *S. Gregor. M.* epist. l. IV, n. 30; *Kraus* l. c.

obtinet de Ecclesia Romana, quae pro antiquo more christianorum etiam legibus civilibus (10) corroborato *corpora martyrum integra conservare et colere* voluit (11) et nonnisi reliquias sensu *latiore* acceptas distrahere permisit. Vicissim Ecclesia orientalis in adoptandis reliquiis, quae tantum remote v. g. per tactum cum Sanctis connecterentur, severior fuit quam Ecclesia occidentalis (12).

Quae diversitas *disciplinae* non obstabat, quominus utraque Ecclesia in defendenda *doctrina catholica* de reliquiis contra antiquos adversarios perfecta concordia esset unita (13). Ecclesia Romana, licet praxim transferendi *etiam integra* corpora Sanctorum ex loco *perpetuae* sepulturae in alium pro singulari sua veneratione in Sanctos atque indole populorum et severioribus legibus Romanis (14) usque ad saeculum septimum non probasset (15), tamen paulatim etiam in *stricta translatione* corporum Sanctorum eam disciplinam adoptavit, quam Ecclesia orientalis (16) iam ex saeculo quarto fuerat secuta. Nec minor fuit concordia Ecclesiae graecae et latinae, cum inde ex saeculo quarto et praesertim ex saeculo sexto *abusus* in cultu reliquiarum fuissent removendi. Qua in re ex L. 7. Cod. Theod. de sepulcr. viol. IX, 17 et L. 3. Cod. Iust. de sacros. eccl. I. 2 *mercimonium* reliquiarum etiam authenticarum fuit interdictum. At multo magis cavendum fuit, ne ex lucri cupiditate vel superstitione falsae vel dubiae reliquiae pro veris colerentur (17), aut

(10) Cod. Theod. de sepulcr. violat. IX 17; L. 14, Cod. Iust. III 44: « *Nemo humanum corpus ad alterum locum sine Augusti affatibus transferat* ».

(11) *Kraus*, D. Blutampullen p. 27 sq.

(12) *S. Gregor. N.* l. c.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Reliquien II i. f.

(13) Cfr. text. cit. in not. 4; *Euseb.* l. c. l. IV, cap. 15 l. VIII, cap. 6, 7; *S. Cyrill. Alex.*, Contra Iulian. l. VI n. 204; c. 20 Conc. Gangr. (a. 343-381); *S. Hieronym.*, Lib. advers. Vigilant. cap. 4 sq. (a. 406); *Kraus* l. c. V; *Hefele* l. c. t. III p. 428, 471 sq.

(14) L. 1, 2, 3, D. de cadav. punit. XLVIII 24; L. 3 § 4 D. de sepulcro violato XLVII 12 et L. 10 C. III 44; L. 8, 40, 44, D. de relig. XI 7 et L. 7 Cod. Theod. IX 17.

(15) *S. Gregor. M.* l. c.; *Benedict. XIV* l. c. l. IV, part. 2, cap. 22 sq.; *Kraus* l. c. v. Translation.

(16) *Benedict. XIV* l. c. cap. 22 n. 6 iunct. *Kraus* l. c.

(17) Cfr. c. 17 Conc. Carthag. VI (a. 401); c. 2 Conc. Caesaraug. (a. 592), ubi verba « *igne probentur* » i. e. reliquiae in locis Arianorum inventae nequaquam cum *Hefele* l. c. t. III, p. 57 vertenda sunt « *comburantur* » a sacerdotibus sed referri debent ad *ignis experimentum*, ut cum *Card. de Aguirre* iam tenuit *Benedict. XIV* l. c. cap. 24, n. 1 sq.

verae illegitime transferrentur per furtum vel rapinam (18). Quare quemadmodum Ecclesia iam primis saeculis solummodo indulsit, ut reliquiis *martyrum vindicatorum* legitimus exhiberetur cultus (19), ita etiam postea sibi reservavit iudicium de authentia reliquiarum (20).

Postquam beatificatio atque cuiuscumque publici cultus concessio Sedi Apostolicae fuit reservata, etiam illa distinctio introducta est, ut penes Episcopos maneret *ordinaria potestas* approbandi sive authenticas declarandi reliquias servorum Dei, qui a R. Pontifice *iam fuerunt* rite beatificati vel canonizati. At nequaquam Episcopi retinuerunt facultatem in ordine ad cultum *publicum* approbandi et authenticas declarandi reliquias servorum Dei *nondum* a Sede Apostolica legitime beatificatorum vel canonizatorum. Hinc inter antiquum ius Decretalium et ius Concilii Tridentini Sess. XXV de invocat. etc. non est ulla contradictio (21).

Denique non solum in singulis dioecesibus excitatus est zelus Episcoporum, sed ad perfectiorem executionem decreti Tridentini in Curia Romana a Clemente IX. Const. « *In ipsis* » 6 Iul. 1669 propria Sacra Congregatio Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum instituta est. Singularis autem cura de reliquiis ex *catacumbis* almae Urbis extractis Cardinali Vicario est commissa (22).

487. Disciplina vigens. *Ad cultum privatum* reliquiarum requiritur et sufficit, ut quis privatim de sanctitate servi Dei et authentia reliquiae moraliter certus sit (23). Porro *integra corpora* Sanctorum aut *insignes* eorundem reliquiae in *domibus privatis* non sunt asservandae, sed tantum in ecclesiis ; principibus autem et Praelatis ec-

(18) Cfr. cap. 51 Synod. Mogunt. (a. 813) = c. 37 D. I. de consecr.; c. 12 Synod. Pictav. (a. 1000); *Benedict. XIV* l. c. cap. 25, n. 37 sq. cap. 26, n. 21 sq.

(19) *Benedict. XIV* l. c. l. I, cap. 2.

(20) Cap. 62 Conc. Lateran. IV (a. 1215) = cap. 2 X. de reliquiis III 45; c. 27 Synod. nation. Hungar. (a. 1279); c. 6 Synod. Ravennat. (a. 1311).

(21) Cap. 1 X. de reliq. III 45 (Alex. III inter a. 1171-1180) iunct. cap. 2 X. eod. et decretis Urbani VIII 13 Mart. 2 Oct. 1625, 5 Iul. 1634; *Bangen* l. c. p. 218, 230; *Benedict. XIV* l. c. l. II, cap. 1, n. 10 sq.; *Reiffenstuel* lib. III t. 45, n. 28; *Hinschius* l. c. t. IV p. 266.

(22) *Litterae encycl.* Card. Vicar. ad Episc. 17 Ian. 1881; *Bangen* D. Roem. curie p. 251; *Ferreres*, La Curia Rom. n. 659.

(23) *Lehmkuhl*, Theolog. mor. vol. I n. 348 sq.; *Schmalzgr.* l. III, t. 45. n. 44; *Ferreres*, Tesoro del sacerdote, vol. II, n. 264 sq. Cfr. quoque Conc. provinc. Pragens. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 474.

clesiasticis illa privata retentio facilius conceditur; et Codex requirit expressam Ordinarii loci licentiam. *Parvae* reliquiae apto loco in domibus privatis servari et e collo gestari possunt, dummodo absit superstitio (can. 1282) (24).

488. *Ad cultum publicum* reliquiis exhibendum omnino requiritur, ut *authentice* constet per legitimam beatificationem vel canonizationem *de sanctitate personae* atque per iudicium competentis auctoritatis ecclesiasticae *de veritate* reliquiarum, *et* insuper si de *publico* cultu reliquiarum *Beati* agatur, standum est specialibus decretis apostolicis (25). Quodsi *novae* reliquiae servorum Dei *iam* beatificatorum vel canonizatorum recipiantur, *antequam publice* colantur, ab *Episcopo* loci ad tramites iuris Tridentini sunt recognoscendae et approbandae (26) vel ab ipso R. Pontifice sive per Litteras Apostolicas sive per rescripta Sacrae Congregationis, praesertim in casibus difficilioribus ab Episcopis praepositis (27). *Corpora* Sanctorum in scrinio super altare collocanda non sunt, sed sub terra aut mensa altaris servari debent nec novis vestibus indui possunt absque licentia S. R. C. (28).

Translatio corporum *perpetuae* sepulturae datorum vel insignium reliquiarum Sanctorum intra *eandem* ecclesiam ex iusta causa et cum licentia *Episcopi* de loco in locum v. g. multo decentiorem fieri potest; at *alienatio* vel translatio perpetua earundem reliquiarum ab una ecclesia in *aliam* vel in alienam *civitatem* vel *dioecesim* sine *Sedis Apostolicae* licentia omnino prohibetur (can. 1281, § 1) (29). Idem

(24) S. R. C. apud *Muehlbauer*, Decreta auth. C. S. R. v. Reliquiae n. 4; *Benedict. XIV* l. c. cap. 26, n. 1 sq.

(25) Cap. 1, 2 X. de reliq. III 45; Conc. Trid. l. c.; decret. S. R. C. 27 Sept. 1659 ab Alex. VII approb. ad 11 iunct. decret. eiusd. S. C. 17 Apr. 1660 ad 4. Quare reliquiae Beatorum in *publicis processionibus* circumferri prohibentur, at in *ecclesiis*, ubi eorum officium et Missa celebratur, *exponi* possunt. Cfr. quoque *Schmalzgr.* l. c. n. 45 sq.; *Benedict. XIV* l. c. l. II, cap. 1, n. 10 sq.

(26) Conc. Trid. l. c.; S. R. C. 11 Aug. 1691; S. C. Indulgen. 16 Dec. 1749 in Collect. S. C. de Prop. n. 1912.

(27) Leo XII Const. « *Deus omnipotens* » 1 Nov. 1884; S. C. Indulg. 29 Febr. 1864; S. R. C. 10 Dec. 1863 et S. C. Indulg. 10 Aprilis 1668; S. R. C. 23 Iun. 1892; Collect. Lac. v. v. Sancti, Reliquiae; *Benedict. XIV* l. c. l. IV, part. 2, cap. 24 sq. Cfr. quoque Act. S. Sed. vol. I, p. 248 sq. vol. II, p. 102 sq. 168 sq. 245 sq.

(28) *Benedict. XIV* l. c. cap. 26.

(29) S. C. Indulg. 17 Nov. 1676 in Collect. S. C. de Prop. Fide n. 1911; *Benedict. XIV* l. c. cap. 22, n. 2 sq. de transl. corpor. servor. Dei et Beator. n. 11 sq. de transl. corpor. Sanct.

dicatur de alienatione, quae, sicut translatio, invalida est, nisi requisita licentia adfuerit (can. cit.).

Multo magis omnis translatio etiam authenticarum reliquiarum per *venditionem* simoniacam (can. 1289) (30) vel *furtum* vel *rapinam* (31) est penitus interdicta. Execrabile vero commercium *falsarum* reliquiarum omnino reprobatur (32). Quae delicta etiam poena mulctantur can. 2326. - Thecam vendi, in qua includuntur reliquiae, nullatenus vetitum est, sicut non est vetita venditio calicis ad privatorum proprietatem pertinentis; sed prius separandae sunt reliquiae, iis servatis quae necessaria sunt ut de eorum authentia constet. Prohibitio alienationis, praesertim per venditionem, ut effectum obtineat, urgetur vigilantia Ordinariorum loci, vicariorum foraneorum, parochorum et aliorum curam animarum habentium; qui sedulo cavere debent ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis occasione maxime haereditatum aut alienationis acervi bonorum, aut veneant aut in acatholicorum manus transeant (can. 1289). Atque hic est unus modus quo sacrae reliquiae profanari possunt. Sed etiam dum sunt in possessione Ecclesiae aliis modis profanari possunt, aut ob incuriam in eis custodiendis perire vel minus decenter custodiri: quorum evitatio pertinet et ad Rectorem ecclesiae et ad alios, quibus custodia commissa sit (can. 1289, § 2).

489. Reliquiarum publica veneratio. Servatis rubricis (33) publice reliquiae *Sanctorum* possunt exponi, populo *in capsula ostendi et osculandae* porrigi, in processionibus circumferri, atque ipsa *benedictio* populi fidelis cum reliquiis est permissa.

(30) L. 3 Cod. de sacros. eccles. I 2; cap. 2 X. de reliq. III, 45; S. C. Indulg. 21 Dec. 1878 et Litter. encycl. Card. Vicar. 17 Iunii 1881, ubi etiam prohibetur emptio sub *quolibet praetextu etiam* redimendi sacras illas reliquias; *Schmalzgr.* l. c. n. 57 sq.; *Benedict. XIV* l. c. cap. 26 n. 21; *Ferraris* l. c. v. Cultus Sancior. n. 68. Cfr. quoque Conc. prov. Venet. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI col. 340.

(31) Cfr. c. 51 Conc. Mogunt. (a. 813) = c. 37. D. I. de consecr.; *Benedict. XIV* l. c. cap. 25, n. 37 sq. cap. 26, n. 21 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 65. Imo « *extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae eiusque territorii eisque auxilium vel favorem praebentes* » etiam ex Pii IX Const. « *Apost. Sedis* » ipso facto incurrebant excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam. Qua de censura cfr. *Bened. XIV* l. c. cap. 28.

(32) Honor. III Const. « *Grave* » 14 Iul. 1223; Litt. encycl. Card. Vicar. 17 Ian. 1881, apud *Ferreres*, Tesoro del Sacerdote II, n. 264.

(33) Cap. 2 X. de reliq. III 45; S. R. C. 11 Aug. 19 Oct. 1691; S. R. C. apud *Muehlbauer*, Decret. auth. C. S. R. v. Reliquiae; *Schmalzgrueber* l. c. n. 55 sq.; *Benedict. XIV* l. c. cap. 26; *Thalhofer* l. c. p. 317 sq. Cfr. de reliquiis Beatorum h. t. not. 25.

Si accidat ut *nova miracula* per reliquiam *Sancti* canonizati vel Beati patrata fuerint, sine approbatione Episcopi loci publicanda non sunt (34). In Beatorum vero invocatione et applicatione reliquiae ipsorum, siquidem auditis etiam peritis, factum aliquod accidit quod verisimiliter vero miraculo tribuendum videatur ad promovendam Beati canonizationem oportet ut statim iuridicae colligantur probationes.

490. Specialis quidam cultus legibus ecclesiasticus accurate determinatus praestari debet *particulis verae Crucis Christi* (35), quae fere eodem modo coluntur atque sacramentum eucharistiae in tabernaculo inclusum. In hunc finem reliquiae sanctissimae Crucis numquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibendae sunt, sed propriam thecam separatam habeant (can. 1287). Idem dicendum de reliquiis authenticis *instrumenti passionis* v. gr. spineae coronae D. N. I. C. (36).

491. *Facultas authenticandi reliquias.* Cum publico cultu eae solae reliquiae honorari possint in ecclesiis, etiam exemptis, quas genuinas esse constet, ex natura rei requiritur authenticum documentum auctoritatis ecclesiasticae, ut de illa conditione constet. Huiusmodi facultatem habent S. R. E. Cardinales, Ordinarii locorum excepto Vicario Generali mandatum speciale non habente, et illi Viri ecclesiastici cui illa facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa (can. 1283). Postulatori causae inest a iure facultas documentum authentiae subscribere et sigillo postulationis munire.

(34) Conc. Trident. l. c. i. f.; Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) et Conc. prov. Neogranat. (a. 1868) in Collect. Lac. t. VI col. 27 sq. 532; *Benedict. XIV* l. c. l. II, cap. 1, n. 13.

(35) S. R. C. apud *Muehlbauer* v. v. Baldachin. n. 13, Crux n. 23, Reliquien n. 11; *Benedict. XIV*, De festis l. I, cap. 14, 16; *Thalhofer* l. c. p. 283 sq.; *Kraus* l. c. v. Kreuz.

(36) Decret. generale S. R. C. a Leone XII, 27 Maii 1826 confirmatum; *Thalhofer* l. c. p. 285 sq. Cfr. de guttis *sanguinis* Christi, quae in nonnullis civitatibus conservantur: S. R. C. 22 Sept. 1827; *Iox*, D. Reliquien d. Kostb. Blutes uns. goettl. Heil. iunct. *Thalhofer* l. c. p. 284 et *Pesch*, Prael. dogm. t. IV, n. 132 sq.

Ex eodem principio Ordinarii loci est, reliquiam, quam certo norit non esse authenticam, a fidelium cultu amovere, prudenter tamen, ne sequatur scandalum (can. 1284) (37).

492. Quoniam authenticitatis documentum amitti potest, sacrae reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob aliam quamlibet causam interierunt, publicae venerationi exponi non debent, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci, nec sufficit iudicium Vicarii Generalis speciali mandato destituti.

Reliquiae vero antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel supposititias esse (can. 1285) (38).

Locorum Ordinarii ne sinant quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus (can. 1286). Qua in re valere debet illud principium, quod Pius X in cit. Constitut. *Pascendi* et *Sacrorum antistitum* apparitionibus perinde ac reliquiis applicandum esse decrevit, sc. religio (seu cultus) reliquiarum, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti; prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur.

493. *Conservatio reliquiarum Sanctissimae Crucis.* Ut conserventur et paulatim non pereant, statutum est, quoad eas particulas quas in cruce pectorali Episcopi forte ferant, Episcopo defuncto, ipso facto cedere ecclesiae cathedrali Episcopo successori transmittendas; et, si defunctus pluribus praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali dioecesis, in cuius territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit (can. 1288 iunct. Vicariatus Urbis litt. encycl. 25 Mart. 1889).

(37) Pius X, litt. encycl. « *Pascendi* » 8 Sept 1907; motu propr. « *Sacrorum antistitum* » 1 Sept. 1910, n. VI.

(38) Citatae constitutiones Pii X.

CAPUT II

DE CULTU SACRARUM IMAGINUM

494. Principia. Sacrae imagines imprimis sunt legitimum *obiectum cultus vere honesti atque pii.* Nequaquam enim colendae sunt more gentilium, sed honor, « *qui eis exhibetur,* (ut verbis Concilii Tridentini utamur), *refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur* ». Praeterea imago quaedam, cui iam propter repraesentationem sacri archetypi veneratio debetur, forte etiam ex compluribus *aliis titulis* sacra est habenda, v. g. si Deus per illam *miracula* operatur, vel peculiari ritu ecclesiastico fuerit *benedicta*, vel simul sit *reliquia* sacra. Neque illud omittendum est, quod sacrae imagines sint aptissimum medium erudiendi et confirmandi populum in articulis fidei atque excitandi ad exercitium virtutum (39).

495. Notae historicae. Sacrae imagines praesertim Christi crucifixi iam primis saeculis occurrunt, quae saltem *memoriae* et *ornatus* causa adhibentur (40). Quodsi *Hinschius* l. c. t. IV p. 275 aliique opinantur nonnisi saeculo *quinto* primum in *Oriente* propagatam esse *venerationem imaginum* Christi et Sanctorum, quam *eodem* saeculo Ecclesia occidentalis *condemnandam* esse declaravit, id solidis argumentis non demonstrant (41) neque satis distinguunt

(39) Conc. Nicaen. II (a. 787) Sess. VII, VIII; c. 3 Conc. Constantinop. IV (a. 869): Conc. Trid. Sess. XXV de invocat.; Pii VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 69 sq.; *Benedict. XIV*, Doctr. de serv. Dei beatif. l. IV, part. 2, cap. 21; *Ferraris* l. c. v. Imagines; *Zech*, De iure rer. eccles. sect. 1, tit. 6 de sacris imaginibus; *Thalhofer* l. c. n. 286 sq. 323 sq.; Kirchenlex. v. v. Bilder sq. Cfr. quoque theologos *dogmaticos* v. g. *Petav.*, De incarn. l. XV, cap. 6 sq.; *Pesch* l. c. t. IV n. 657 sq.

(40) *Kraus* l. c. v. v. Bilderverehr., Heiligenbilder, Iesus Chr., Marienbilder; *Luedtke*, D. Bilderverehr. u. bildl. Darst. in d. ersten christl. Iahrh.

(41) Certe ex can. 36 Conc. Illiberit. (a. 300-306) solidum argumentum peti nequit; est enim canon Concilii mere *particularis*, quod etiam in aliis rebus ad severiores inclinat sanctiones. Praeterea secundum sensum obvium primae

dogma Ecclesiae a *disciplina* ecclesiastica, quae in *usu* atque etiam in veneratione sacrarum imaginum varia pro variis locis et temporibus existere potuit (42). Postquam in Ecclesia *occidentali* Serenus, Episcopus Massiliensis, versus finem *saeculi sexti* pro suo indiscreto zelo a Gregorio M. reprobato (cfr. c. 27, D. III de consecr.) imagines Sanctorum confregit et ex ecclesiis removit, ut vitaret adorationis periculum, tandem Imperatores Byzantini saeculo octavo perversis imbuti principiis de usu et veneratione sacrarum imaginum diu impugnare coeperunt genuinam *doctrinam* et *praxim* catholicam de sacris imaginibus atque adeo ad violentam persecutionem patronorum doctrinae catholicae et cultorum *sacrarum* imaginum progressi sunt (43).

Quae nova haeresis a Concilio Nicaeno II (a. 787) (cfr. c. 28, D. III de consecr.) allisque Conciliis v. g. Conc. Lateran. (a. 769) et praesertim etiam a Rom. Pontificibus v. g. a Gregorio II (c. a. 728) et a Gregorio III (a. 731-741) fuit proscripta et legitima praxis venerationis sacrarum imaginum vindicata.

Quodsi Synodus Francoford. (a. 794) cap. 2 videatur reiicere doctrinam et praxim a Concilio Nicaeno II (a. 787) approbatam, universa illa oppositio orta est ex falsa interpretatione textus graeci definitionis Nicaenae atque mox cessavit. Nam quoad ipsam doctrinam inter Ecclesiam orientalem et occidentalem non fuit dissensio (44). Quare facile intelligitur, cur Romani Pontifices *non tentarint* inde ex saeculo nono *doctrinam Romanam* de veneratione imaginum *introducere* in regnum Francorum, ut *Hinschius* l. c. p. 276 philosophatur. Quae concordia utriusque Ecclesiae non fuit sublata, cum Imperator Leo V (a. 813-820) denuo doctrinam et disciplinam ecclesiasticam de sacris imaginibus oppugnaret, et complures Episcopi Galliae in conventu Parisiensi (a. 825) de cultu sacrarum imaginum sinistre et confuse scriberent (45).

Cum praeeuntibus compluribus haereticis medii aevi (46) pseudoreformatores atque imprimis Calvinistae saeculo decimo sexto cultum sacrarum imaginum theoretice et practice impugnarent, Concilium Tridentinum Sess. XXV de invoc. doctrinam et praxim catholicam denuo approbare et explicare non omisit.

Ad quam definitionem Tridentinam postea aliae declarationes Ecclesiae contra falsas doctrinas accesserunt. Praesertim vero Romani Pontifices, S. R. C., Praelati ecclesiastici curarunt, ut per sapientes leges disciplinares in usu et veneratione sacrarum imaginum tollerent abusus atque promoverent cultum divinum artemque christianam (47).

496. Disciplina vigens. *Generatim* sacrae imagines v. g. Dei vel SS. Trinitatis (48) vel Christi D. vel B. V. Mariae, Angelorum, Sanctorum etc. (49) ut recte colantur, nihil repraesentent oportet,

---

partis canonis *indiscriminatim* prohibentur *picturae* in ecclesia, (unde complures interpretes huius canonis, ut recte docet *Funk* l. citand. arbitrarie recedunt a verbis); porro *motivum* prohibitionis, quod in altera parte exprimitur, (« *ne quod colitur et adoratur, in parietibus pingatur* »), in se pariter est satis clarum. At *cur*, quod colitur, non sit pingendum in parietibus scl. ob *errorem dogmaticum* de licito usu imaginum *aut* ob *pericula* extrinseca abusuum et *disciplinae*, *neutrum* ab Episcopis in canone enuntiatur, sed aliunde est colligendum. Cfr. *Funk* in Act. theolog. Tubing. t. 65, p. 271 sq., qui tamen *aliunde* inefficaciter probat illo canone in ecclesiis usum imaginum prohiberi ut in se *illicitum*; *Hefele* l. c. t. I, p. 170.

Multo minus Gregor. M. ex saeculo sexto inter adversarios venerationis imaginum recenseri potest, si quis attente legat eiusdem Pontificis epist. ad Seren., Episc. Massiliens. (a. 599) et ad Secundin. (a. 599).

(42) *Zech* l. c. §§ 69, 70, 72, 73; *Hefele* l. c. t. III p. 366 sq.

(43) *Hefele* l. c. p. 369 sq.; *Zech* l. c. §§ 59 sq.

(44) *Hefele* l. c. p. 689, 694 sq. 705, 435, unde constat praeter Episcopos Italiae etiam duodecim Episcopos Franciae intervenisse Concilio Lateranensi (a. 769).

(45) *Hefele* l. c. t. IV p. 1 sq. 8, 41 sq. 104 sq.; *Zech* l. c. §§ 65 sq.; Kirchenlex. v. Bilderstreit II Cfr. quoque Synod. Constantinop. (a. 842); cap. 6 Conc. Lateran. (a. 863); c. 3 Conc. Constantinop. IV (869); *Nilles*, Kalendar. manuale utriusque Eccles. t. II p. 100 sq. de festo orthodoxiae.

(46) *Zech* l. c. § 67 *Hefele* l. c. t. V p. 347 sq. Cfr. quoque cap. 1 de off. Ordinar. I 16 in Sext. = c. 17 Concil. Lugdun. II (a. 1274) contra detestabilem abusum in tractandis sacris imaginibus.

(47) Cfr. v. g. Urban. VIII Const. « *Sacrosancta* » 15 Mart. 1642; decreta S. R. C. apud *Muehlbauer* l. c. v. Imago; Collect. Lac. v. v. imagines, Sancti.

(48) Cfr. de imaginibus *Dei* anathematism. Conc. Nicaen. (a. 787) apud *Denzinger-Bannvvart*, Enchir. n. 302, 306; Conc. Trid. l. c.; decret. Alex. VIII 7 Decembr. 1691; Benedict. XIV Const. « *Sollicitudini* » 1 Octobris 1745 §§ 11 sq.; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 69; *Benedict. XIV*, Doctrina de serv. D. beat. l. IV, part. 2, cap. 21 n. 1, 2, 3; *Zech* l. c. §§ 75 sq.; *Ferraris* l. c. n. 2 sq.; *Iakob*, D. Kunst im Dienste d. Kirche p. 109 sq. 113 sq.; *Kraus* l. c. v. Dreifaltigkeit.

(49) Cfr. c. 82 Conc. Trullan. (a. 692) et c. 29 D. III de consecr. iunct. *Zech*. l. c. §§ 76, 77; *Benedict. XIV*, l. c. n. 4; *Ferraris* l. c. n. 9 not. 71; *Hefele* l. c. t. III p. 340 not. 3; Kirchenlex v. v. Abgar, Christusbilder etc.; *Kraus* l. c. v. v. Iesus Christus, Marienbilder, Engelbilder, Heiligenbilder.

quod sit contra *fidem* et *bonos mores* (50). *Verae* sint i. e. *conformes* saltem quoad substantiam factis in sacra scriptura, traditione, historia ecclesiastica relatis; *non insolitae*, secus in ecclesiis publicis, etiam exemptis, sine approbatione Ordinarii exponi non possunt; *non alienae* in forma vestium, in coloribus etc. a praxi Ecclesiae probata et praescripta (can. 1279) (51). Solemnis benedictio imaginum publicae venerationi expositarum Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere (cit. can. § 4); ubi benedictio non praecipitur. Cum agatur de Ordinario, non de Ordinario loci, benedictio imaginis in ecclesia regularium exemptorum exponenda pertinet etiam ad Ordinarium religiosum.

497. Ex *specialibus* legibus ecclesiasticis (52) imagines sacrae in *parietibus* et *altaribus* ecclesiarum pingi possunt, at *solo* sive pavimento non sunt insculpendae. In *eodem* altari *eiusdem* mysterii vel Sancti *una* tantum sit imago. *Thurificatio* et *benedictio* imaginum, appositio *luminum* aliaque ornatus genera ab Ecclesia sunt permissa (53). Imagines Beatorum pingi possunt cum radiis, sanctorum etiam cum diademate. Porro in *processionibus* publicis

(50) Urbani VIII Const. « *Sacrosancta* »; Conc. Trid. l. c.; *Zech* l. c. § 75, 77.

(51) Conc. Trid. l. c.; Urban. VIII Const. « *Sacrosancta* »; Leon. XIII Const. « *Offic. ac muner.* » n. 15; S. R. C. 27 Aug. 1836, 12 Maii 1877, 23 Febr. 1894; *Benedict. XIV* l. c. n. 4 sq.; *Zech* l. c. §§ 77 sq.; *Thalhofer* l. c. p. 326 sq.; *Iakob* l. c. p. 110. — Spiritus Sanctus non potest repraesentari ut iuvenis, imo reprobata est quaelibet Spiritus Sti. repraesentatio sub forma humana (S. O. 14 Mart. 1928 — A. A. S. XX, 103); nec SSma. Trinitas in uno homine cum tribus faciebus, vel in uno homine cum duobus capitibus posita in medio columba. Porro non est permissa imago cordis S. Ioseph nec. B. Virginis indutae vestibus sacerdotalibus (S. O. 29 Mart. 1916 - A. A. S. VIII, 146). Idem S. O. 30 Mart. 1921 declaravit: Imagines sacras cuiusdam novae scholae pictoricae, quarum specimen exhibetur in opusculo, cui titulus « *La passion de Notre Seigneur Iésus-Christ* » par Cyril Verschaeve (ornée de compositions d'Albert Servaes), ad praescriptum can. 1399, n. 12, prohiberi ipso iure, ideoque statim removendas esse ab Ecclesiis, Oratoriis etc. in quibus forte expositae inveniantur (A. A. S. XIII, 197). Cfr. alia apud *Ferreres*, Tesoro del sacerdote II, n. 178 sq. — Cfr. quoque decr. S. O. 3 Apr. 1895 de prohibito quodam modo pingendi B. Virginem cum Puero Iesu in A. S. S. t. 28, p. 61.

(52) S. R. C. apud *Muehlbauer* l. c. v. Imago; Collect. Lac. v. Sancti; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 73; *Zech.* l. c. § 83; *Thalhofer* l. c. p. 326.

(53) De imaginibus servorum Dei nondum beatificatorum atque Beatorum servanda sunt decreta Urbani VIII 13 Mart., 2 Oct. 1625, 5 Iulii 1634 et S. R. C. 28 Sept. 1658, 27 Sept. 1659, nisi ex speciali indulto apostolico amplior concessa sit facultas.

imagines sacrae circumferri possunt exceptis processionibus *theophoricis*, in quibus *per se* adhiberi non possunt. Tandem in expositione theophorica 40 horarum, a sabbato ante dominicam passionis usque ad « *Gloria in excelsis Deo* » in sabbato sancto omnes imagines et statuae in ecclesiis sunt tegendae velis (54).

Imagines *pretiosae*, quae sunt tales quia vetustate, arte aut cultu praestantes sunt et in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae habentur, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine dato in scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat (can. 1280).

498. *Singularis* omnino cultus exhibendus est:

I. *Imagini crucifixi* (55). Haec enim censetur vera *imago Christi* atque ut talis colitur; id quod in aliis instrumentis passionis non obtinet, licet ipsa quoque sint obiecta specialis venerationis. Imago crucifixi praecipue colenda est a denudatione crucis in parasceve Domini usque ad nonam sabbati sancti; omnes enim, etiamsi sint Episcopi vel sacerdotes officia divina celebrantes, ante illam *genuflectere* debent; at aliis anni temporibus sacerdos celebrans si sit paratus, profundam tantum facit inclinationem ante crucem altaris maioris, reliqui vero genuflectunt, si transeant.

II. *Imaginibus miraculosis* (56). Quae imagines aliaeque similes, quae apud populum in magna veneratione esse solent, sine speciali indulto Sedis Apostolicae ab una ecclesia in aliam transferri vel alienari nequeunt (57).

(54) S. R. C. 27 Sept. 1828, 12 Nov. 1848 ad 39.

(55) *Benedict. XIV* Const. « *Accepimus* » 16 Iul. 1746; S. R. C. apud *Muehlbauer* l. c. v. v. Crux, Imago n. 5; *Thalhofer* l. c. p. 282 sq.; *Iakob* l. c. p. 116 sq. et v. Kreuz.

(56) Concil. Trid. l. c. de *iure* Episcopi caute approbandi *nova* miracula; Leon. XIII Const. « *Officiorum* » n. 13; Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) in Collect. Lacens. t. VI col. 27 sq.; *Zech* l. c. § 72; *Thalhofer* l. c. p. 324 sq.; *De Angelis*, Praelectiones iur. can. l. III t. 45 n. 3 i. f.; Kirchenlex. v. Christusbilder III 4; *Kraus* l. c.; *Nilles* l. c. t. I p. 414, 250 sq. t. II p. 157, 627.

(57) S. C. C. in caus. Ferentill. 31 Iul. 1706; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868) in Collect. Lac. t. VI col. 532; *Ferraris* l. c. v. Imago n. 37, 80; *Bouix*, De iure regular. t. II p. 292.

DE TEMPORIBUS CULTUS DIVINI

TITULUS XVIII

DE CELEBRATIONE FESTORUM

499. Fontes: Decret. Grat. C. XV, q. 4; Dist. III de consecr. — Cpl. I et II, l. II, t. 7 de fer. (1). — Decretal. Gregor. IX, l. II, tit. 9 de feriis; l. III tit. 45, de rel. et venerat. Sanct. Decret. Bonif. VIII, l. III, t. de reliq.; Const. Clem. V et Extravag. com. l. III, eod. tit. — Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12 de regul., Sess. XXV cont. de... dieb. festis. — Decret. Clem. Pap. VIII ed. *Sentis* p. 49 sq.; Pii V Const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566; Gregor. XIII Const. « *Inter gravissimas* » 24 Febr. 1582; Urban. VIII, Const. « *Universa* » 13 Septembris 1642; Benedict. XIV, Const. « *Nihil* » 12 Aug. 1742, Const. « *Ab eo* » 5 Nov. 1745, Const. « *Non multo* » 14 Nov. 1748; Pii VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 73, 74. – S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 470 sq., Collect. S. C. de Prop. F. n. 2028 sq.; Decret. auth. C. S. R. ed. *Muehlbauer* et nov. ed. Rom.; Collect. Lac. v. v. Dominicae, Festum.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech,* De iure rer. eccl. sect. 2, tit. 22 de dominicis et festis.; *Devoti,* Inst. canonic. l, II, t. 5, de festor. celebr.; *Scherer,* Handb. d. K. t. II, p. 681 sq.; *Hinschius* Syst. d. k. K. t. IV, p. 279 sq. — *Suarez,* De virt. et stat. relig. tract. II, l. 2; *Gretser,* De festis christian.; *Thomassin.,* Traité des fêtes de l'église; *Benedic. XIV,* Comment. de... festis; *Ferraris,* Biblioth. can. v. Festa; *Fessler,* Vermischte Schrift. p. 225 sq.; *Nilles,* De rationib. festor., Kalendar. Manuale utriusque Eccl.; *Kraus,* Real-Encykl. v. Feste; Kirchenlex. v. Feste; *Thalhofer,* Hdb. d. k. Liturg. t. II, p. 537 sq.

Praenotiones

500. Connexio materiae. Postquam in genere de *fontibus, ministris, obiecto* cultus divini disputatum est, iam accuratius videntur explicandae duae *principales circumstantiae* cultus divini scl. *tempus* et *locus,* quae *legibus ecclesiasticis* sunt determinatae (2). Qua in re

(1) Cfr. quoque Cod. III 12 de fer.
(2) *Suarez,* De virt. et stat. relig. tract. II l. 2 pr.; *Gasparri,* De ss. eucharist. n. 66 sq.

antiqui commentatores iuris Decretalium de *temporibus sacris* agere solent l. II. tit. 9 de feriis, ubi occasione feriarum *iudicialium* etiam de *festis ecclesiasticis* disserunt (3). At quamvis inter ferias iudiciales et festa ecclesiastica aliqua sit connexio, tamen *propria sedes* materiae de festis Ecclesiae certe non est in disquisitionibus *de iudiciis,* sed in iure *liturgico* sive cultu divino. Quare in Sexto, Clement., Extravg. com. lib. III. tit. de reliq. et vener. Sanct., nigrum latius patet quam rubrum; ibidem enim reperiuntur capita de *festis ecclesiasticis* (4). Codex autem *festis ecclesiasticis* in iure propriam sedem assignavit inter titulos de cultu divino (can. 1243-1249). *Tempora sacra* restringuit ad *dies festos* (exclusis diebus *feriatis* v. gr. pro iudiciis exercendis, de quibus agitur can. 1638, 1639): quibus declarat accenseri dies abstinentiae vel ieiunio consecratis (can. 1243). - De connexione ieiunii et abstinentiae cum cultu divino et diebus festis cfr. tit. sequent. Quaestio de loco in Codice anteponitur.

II. **Definitiones.** Quamvis universus *annus ecclesiasticus* (5) sit tempus sacrum cultui divino ab Ecclesia ex *ordine* stabilito sive *kalendario* (6) dedicatum, tamen *certae anni ecclesiastici partes* singulari plane modo dicuntur *sacra tempora* v. g. tempus adventus vel quadragesimae, atque idem obtinet de *diebus quibusdam,* quae appellantur *festa ecclesiastica.*

Festum (ἑορτή) ecclesiasticum in genere, quod nunc *feriae* sive *diei communi* opponitur, est dies sanctae laetitiae, qui speciali modo *ab Ecclesia* cultui divino est dedicatus; at sensu stricto festa Ecclesiae dicuntur illi dies sanctae laetitiae et specialis cultus divini quibus ex *praecepto ecclesiastico* universus populus fidelis iubetur *vacare* a laboribus servilibus et assistere saltem sacrificio *Missae* (7).

(3) *Schmalzgr.* l. II t. 9 n. 1 sq. 9 sq.
(4) Cap. unic. de reliq. III 22 in Sext.; cap. unic. eod. III 16 in Clem.; cap. 1, 2 eod. III 12 in Extravg. com.; *Zech* l. c. et *Devoti* l. c. in font.; *Nilles* in Act. theol. Oenip. t. I p. 293.
(5) *Thalhofer* l. c. t. II p. 537 sq.
(6) Gregor. XIII Const. cit. « *Inter gravissimas* »; *Zech* l. c. tit. 19 de kalendario eccles.; *Baeumer,* Gesch. des Breviers p. 18 sq. 22, 67, 186 sq. 147; *Nilles,* De computo eccles., De studio rei kalendar. clericis praescripto, Kalendar. manuale utriusque Eccles.; *Nirschl,* Propaed. d. Kircheng. p. 276 sq.
(7) Cfr. c. 16, 29, 49 Conc. Laodic. (a. 343-381) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 762, 722; Innoc. I in epist. ad Decent. Eugub. n. 7; cap. 11 X. de celebr. III 41, ubi *festum* distinguitur a *feria;* cap. 1, 2, 3, 5 X. de fer. II 9; *Schmalzgr.* l. II t. 9 n. 2; *Hefele* l. c. t. I. p. 326 sq. de feria sexta hebdom. sanct. non celebranda per modum *festi.*

III. **Divisiones.** (8). Festa dividuntur:

I. In *festa fori* sive de praecepto et in *festa chori* sive de devotione; illa etiam a populo cum solemnitate sunt celebranda per abstinentiam a laboribus servilibus et assistentiam in sacrificio Missae, haec solummodo *a clero* celebrantur in ecclesiis per officium divinum et solemniorem liturgiam.

II. In festa *communia*, quae in universa Ecclesia celebrantur, et in *particularia*, quae tantum in particulari *territorio* vel a certis *personis* servantur.

III. In festa *immobilia* et *mobilia*; illa celebrantur singulis annis *die fixo*, haec diem fixum celebrationis non habent, sed dependentem a festo paschatis (9), cuius dies etiam ex disciplina vigente fixus non est.

IV. Ad usum potissimum liturgicum in *duplicia*, *semiduplicia*, *simplicia*; porro in *solemnia* et *non solemnia*. Festis solemnibus nunc tantum adnumerantur festa *duplicia*, quae denuo subdividuntur in duplicia *minora* et *maiora*, in duplicia *primae* et *secundae* classis.

V. In festa *ordinaria*, quae ex sacrorum canonum dispositione singulis *annis* statis diebus sunt celebranda, et in *extraordinaria* sive repentina, quae extra consuetum ordinem anni ecclesiastici sive a iure sive a competente Superiore ecclesiastico sunt praescripta. Quae divisio raro habet practicam utilitatem.

§ 1. - PRINCIPIA FUNDAMENTALIA

501. Quemadmodum *Deus naturale* praeceptum, quo *aliquod tempus* externo Dei cultui tribuendum esse statuitur, in tertio decalogi praecepto per legem *positivam et caeremonialem veteris testamenti* accuratius determinavit (10), ita etiam *Ecclesia* post abroga-

(8) *Schmalzgr*. l. c. n. 3 sq.; *Kellner*, Heortologie p. 8 sq.; *Nilles* Kalendarium t. I p. 32.

(9) Cfr. de varia disciplina celebrandi diem paschatis in antiqua Ecclesia et controversiis inde exortis: *Euseb*., Histor. eccles. l. V. cap. 24 sq.; *Hefele* l. c. t. I p. 86 sq. 320 sq. Nostra aetate viri docti denuo disputant de immutando die festi paschalis, ita ut incidat in dominicam mediam inter 4 - 11 Apr.

(10) *Suarez* l. c. tract. II lib. 2 cap. 1 n. i sq.

tas leges caeremoniales populi Israel de sabbato et festis (11) convenienter tulit leges de observatione festorum, quae cultui divino specialiter essent destinata. Certe *Christus Dominus* speciale quoddam festum in novo testamento non instituit; nam praeter leges fidei et sacrificii atque sacramentorum non condidit alia praecepta positiva. At homines corporis laboribus facile nimis distrahuntur; ergo omnino compellendi sunt, ut interdum cessent a laboribus et cultui divino sese dedicent. Porro nisi ab auctoritate publica *certum tempus* cultui divino determinetur, vix unquam tota *societas* ut societas ad cultum Dei publicum et communem congregabitur. Quare Ecclesia cum in novo testamento amplissima potestate instructa fuerit ad ordinandas res religiosas, pro suo iure sapientique consilio condidit praecepta de observantia festorum (12).

502. Qua potestate Ecclesia imprimis usa est ad instituendam *diem dominicam*. Nequit enim in dubium vocari, quin festivitas diei dominicae in lege gratiae *iure ecclesiastico*, non *iure divino* fuerit introducta, tum si attendatur ipsa *diei solis* electio, tum *septimi* cuiusque diei ad cultum divinum dedicatio. Id invicte demonstratur ex illo principio, quod Christus Dominus sublato sabbato non dederit in novo testamento speciales leges divinas de hisce *accidentalibus* observantiis, quae non spectant ad leges fidei et substantialia sacrificii eucharistici atque sacramentorum, sed Ecclesiae pastoribus relinquit ordinanda. Quare festivitas diei dominicae quamvis in hac sententia de *absoluta* potestate Ecclesiae mutari posset, tamen habet practicam et *moralem* immutabilitatem; nam etiamsi in particulari dispensari possit, nihilominus *moraliter* nequit occurrere *causa rationabilis* totalis abrogationis (13).

(11) Cfr. c. 12 D. III de consecr. (S. Gregor. M. a. 602); c. 16, 29, 49 Conc.
Laod cen. (a. 343-381) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 762, 772; *Suarez* l. c. n. 11 sq.

(12) Cfr. c. 20 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 13 D. III de consecr.; c. 2 Conc.
Caesaraug. (a. 380); c. 5 Conc. Carthag. V (a. 401); c. 47 Conc. Agath. (a. 506);
c. 28 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 1. Conc. Tolet. X (a. 656); c. 1 D. III de
consecr.; c. 1, 2, 5 X. de fer. II 9; *Suarez* l. c. cap. 2, 3; *Cavagnis*, Instit. iur.
publ. eccl. P. II p. 275 sq.

(13) Collect. Lac. t. VI col. 321, 534; *Suarez* l. c. cap. 4 n. 1 sq. 7 sq.
Quare si *Kraus* l. c. v. Sonntag asserit *absque omni dubio electionem huius diei*
(dominicae) *niti ordinatione Christi Domini*, id sensu obvio non habet solidum
fundamentum. Similiter *Schmid* in Act. theol. Linc. (a. 1900) p. 12 sq. pro tertia
quadam sententia *nova* et *communiter* inter theologos et canonistas *non* recepta
nec probabiles affert rationes nec. argumenta Suarezii solide refutat.

503. Denique potestas indicendi et praecipiendi dies festos *cultui divino* dedicatos in nova lege ita *soli* Ecclesiae est propria, ut nullo modo *principibus saecularibus* etiam *supremis* competat. Nam festorum observatio ad publicum Dei cultum ordinata procul dubio inter causas sacras et spirituales continetur; at in illis causis sola Ecclesia, non societas civilis pro fidelibus propria et nativa iurisdictione pollet (14). Quare Ecclesia specialibus declarationibus non solum reprobavit prohibitionem festorum *ecclesiasticorum* a principibus saecularibus attentatam (15), sed etiam *nova* festa religiosa zelo quodam indiscreto a magistratibus civilibus invalide instituta penitus condemnavit (16). Quodsi quaedam festa ecclesiastica ob iustas rationes videantur *immutanda* vel *abroganda* vel denuo *inducenda*, principes saeculares non prohibentur, quominus sua *postulata* Ecclesiae proponant, penes quam in hac materia est ultimum et definitivum *iudicium* atque auctoritas *statuendi* (17). Neque quidquam obstat, imo summopere desiderandum est, ut potestas civilis diebus festis illos abusus pro suo iure prohibeat, qui sane cum *cultu divino* nihil habent commune v. g. inhonesta spectacula, occasiones ebrietatis etc., atque *brachio suo saeculari* requiem festivam vel ipsi *saluti publicae* adeo convenientem et cultum divinum *tueatur* (18).

§ 2. - NOTAE HISTORICAE

504. Abrogata vetere lege caeremoniali etiam praeceptum de sabbato servando fuit *mortuum*, imo observatio sabbati facta est

(14) Cap. 10 X. de const. I 2; Leon. XIII Encycl. « *Immortale* » 1 Nov. 1885; *Suarez* l. c. cap. 12; *Benedict. XIV*, Doctrin. de serv. D. beatif. l. IV part. 2 cap. 15 n. 9 sq.; *Bouix*, De iure liturg. p. 319 sq.

(15) *Suarez* l. c. cap. 12 n. 2; *Cavagnis* l. c. p. 280 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 295.

(16) Innoc. X. Const. « *Dum nuper* » 6 Oct. 1653 apud *Ferraris* l. c. v. Festa n. 8.

(17) *Hinschius* l. c. p. 285 sq. in hac materia recte reiicit *excessivum* quendam regalismum, at pro suis falsis principiis de relatione inter Ecclesiam et Statum nihilominus *competentiam* potestatis politicae nimium extendit; confundit enim causas in se *mere* temporales cum causis spiritualibus, quae cum causis temporalibus connectuntur, den que ex incommodis, quae in observantia festorum oriri possunt, falso deducit aliquam Status *competentiam*, cui tantum manet ius *recurrendi* ad *legitimam* auctoritatem *Ecclesiae*. Cfr. *Ferraris* v. Festa n. 21 sq.

(18) Pii V Const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566 § 7; Collect. Lac. t. 1 col. 853 t. V col. 180, 715; Leon. XIII Encycl. « *Rerum novarum* »; *Cavagnis* l. c.; *Hinschius* l. c. p. 300 sq.

mortifera si fieret *in vim* legis Mosaicae etiam nunc vigentis atque in signum Messiae *venturi* (19). Nihilominus primi christiani praesertim ex Iudaismo conversi atque in Ecclesia orientali adhuc saeculo quarto aliquam sabbati celebrationem ut *festi creationis*, sed exclusa superstitione iudaica retinuerunt (20), cum in Ecclesia occidentali *generatim* die sabbati potius praevaleret observatio *ieiunii*(21).

505. At utrique Ecclesiae inde a temporibus Apostolorum communis fuit celebratio *diei dominicae* sive diei solis (22). Cui festo principali singulis hebdomadis celebrando paulatim alia accesserunt unoquoque *anno* statis diebus sive mobilibus sive immobilibus peragenda, inter quae praesertim eminent festum nativitatis D. N., epiphania, pascha, pentecostes (23). Quorum festorum catalogi saltem inde a saeculo septimo ab Episcopis vel Conciliis particularibus concinnari coepti sunt (24). Nam primis illis temporibus *Rom. Pontifices* nondum sua potestate *usi sunt* ad instituenda et praescribenda festa in *universa* Ecclesia. Multo minus institutio alicuius festi etiam particularis fuit causa quaedam maior soli Romano Pontifici *reservata*. Hinc potestas *Episcoporum* vel *Conciliorum* particularium ad festa instituenda vel approbanda forte ex pia *consuetudine* in ipsorum territoriis de facto iam inducta sine ulla dubitatione fuit admissa (25).

(19) Galat. IV 8; *S. Ignat*. M. in ep. ad Magnes. cap. 7; *Suarez* l. c. cap. 4 n. 11 sq. Cfr. quoque in *vacant* Dict. Theol. cath. v. Dimanche.

(20) Cfr. c. 66 Apostol. (de prohibito ieiunio in dominica vel sabbato); Const. Apost. l. II, cap. 9, l. V, cp. 15, l. VIII, cp. 32, 33; c. 16, 49. Conc. Gangr. (a. 343-381) (de liturgia in sabbato); c. 52, 55, Concil. Trull. (a. 692); *Kraus* l. c. v. v. Sabbat, Sonnabendfeier, Feste.

(21) *Tertullian.*, De ieiun. cap. 14; *Victorin.* Petov. in fragm. De fabr. mundi; c. 26 Conc. Illiber. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 66; Innoc. I in epist. ad Decent. Eugub. cap. 4. Cfr. quoque text. cit. in not. 20.

(22) Apocal. I, 10; Act. Apost. XX. 7 sq.; *S. Ignat. M.* in ep. ad Magnes. c. 9; c. 20 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 13 D. III de consecr. iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 430 sq.; *Suarez* l. c. cap. 4, n. 1 sq.; *Kraus* l. c. v. Sonntag.; *Kellner* l. c. p. 4 sq.

(23) *Kraus* l. c. v. Feste, ubi de origine historica singulorum festorum disseritur; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 538 sq.; *Benedict. XIV*, *Thomassin.*, *Fessler* l. c. in font.; *Duchesne* l. c. p. 218 sq.; *Kellner* l. c. p. 11 sq. 236 sq.

(24) Cfr. c. 1 Conc. Tolet. X. (a. 656); statuta synod. S. Bonif. cap. 36; Synod. Aquisgran. (a. 809) capitular. II, capit. 19; c. 1, D. III de consecr.

(25) Cfr. *Gregor. Turon.*, Hist. Franc. l. X. cp. 31 de festis institutis a Perpetuo, Episcopo Turon. (a. 460-490); c. 27 Conc. Aurel. I (a. 511) et c. 2, 3,

506. Quodsi de *modo* quaeratur, quo primi christiani sua festa celebrarint, dubium existere non potest, quin illa *imprimis* consecrare studuerint per *sacram liturgiam*, ad quam summo cum fervore accesserunt (26). Refrigescente pristino zelo etiam expressis legibus poenalibus fuerunt compellendi, qui in civitate per tres dominicas *ad ecclesiam* non accederent (27). At cum postea *clerici* interdum cogerentur, ut *singulis diebus* interessent officiis divinis (28), *laici* iussi sunt saltem diebus dominicis et festis *integram audire Missam* (29). Quam legem de audienda Missa deinceps Ecclesia constanti et universali sua praxi et consuetudine semper ratam habuit (30).

507. *Vacatio* a servilibus laboribus, quae constituit alterum elementum in observantia festorum ecclesiasticorum, profecto *numquam* ab Ecclesia secundum rigorem legis Mosaicae fuit praescripta (31).

Imo iam Patres Concilii Aurel. III (a. 538) c. 28 contra doctores quosdam iudaicam superstitionem in observanda die dominica reprobarunt. At quamvis ex *primis* Ecclesiae *temporibus* iam occurrant vestigia, quod christiani diebus dominicis abstinuerint a laboribus servilibus (32), tamen expressa et uniformis lex per *integrum* diem pro diversa computatione constanter vacandi ab *omnibus* operibus servilibus nondum reperitur (33).

Conc. Gerund. (a. 517) de rogationibus; cit. text. in not. 24 h. t.; cap. 2, 5 X. de fer. II 9; c. 3 Conc. Tarracon. (a. 1239). At illa potestas Episcoporum certe non extendebatur ad *immutanda* vel *abroganda* festa a *superiore* auctoritate Concilii particularis vel oecumenici iam constituta v. g. ad decretum Nicaenum de paschate. Cfr. quoque c. 1 cit. Conc. Tolet. X.; c. 1 Conc. Aurel. IV (a. 541); *Kellner* l. c. p. 13 sq. 19 sq.

(26) *S. Ignat. M.* in ep. ad Magnes. cap. 9; *S. Iustin.*, Apolog. I, cap. 67; *Kraus* l. c. v. v. Sonntag, Feste.

(27) Cfr. c. 21 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 11 Conc. Sardic. (a. 343); c. 80 Conc. Trull. (a. 692).

(28) Cfr. c. 5 Concil. Tolet. (a. 400).

(29) Cfr. c. 47 Conc. Agath. (a. 506) = c. 64 D. I. de consecr.; c. 26, 27, Conc. Aurel. I (a. 511).

(30) Cfr. c. 6 Conc. Coyac. (a. 1050); c. 25 Conc. Tolos. (a. 1229); c. 30. Con. Alb. (a. 1254); *Suarez* l. c. cap. 15, n. 5 sq.

(31) *Suarez* l. c. cap. 1 n. 10, cap. 17 n. 4 sq.

(32) *Tertullian.*, De orat. cap. 23.

(33) Cfr. c. 29 Conc. Laodic. (a. 343-381), ubi christianis sane iniungitur, ut diebus dominicis non laborent, sed cum clausula, *si possibile sit*; *Suarez* l. c. cap. 17 n. 1, 2, ubi tamen ex spuriis « *libris Clementis* », quibus nimiam tribuit antiquitatem, repetit argumenta parum solida.

At inde ex saeculo *quarto* Constantinus M. iam a. 321 L. 2, Cod. de fer. III, 12, praescripsit, ut « *omnes iudices urbanaeque plebes et cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum curae libere libenterque inserviant* ». Quae prohibitiones postea legibus Romanis (34) sacrisque canonibus extensae sunt ad alia obiecta v. g. ad spectacula, opera rustica etc. (35). Rigor ille iuris potissimum ex saeculo decimo hac ratione notabiliter auctus est, quod prohibitioni operum servilium saecularium et graviores adderentur *poenae*, atque interdicta negotia forensia v. g. processus vel sententiae *nullitatis* vitio afficerentur (36); at salvae semper manserunt legitimae exceptiones v. g. propter necessitatem alimentorum (37).

508. Cum versus finem medii aevi numerus festorum sive ex iure communi (38) sive ex statutis particularibus (39) celebrandorum multum auctus esset, praesertim ex saeculo decimo sexto graves motae sunt querelae contra nimium numerum festorum atque abusus in illorum celebratione ortos. Quare Concilium Tridentinum denuo inculcavit, quomodo festa *more* vere *christiano* essent celebranda; at numerum festorum nec pro suprema sua auctoritate denuo definivit nec imminuit neque Episcopis antiquam potestatem instituendi nova festa subduxit, imo potius expresse approbavit (40).

(34) L. 10 Cod. de fer. III 12; L. 20, 23 Cod. Theod. de fer. II 8.

(35) Cfr. c. 5 Conc. Carthag. (a. 401) contra spectacula; c. 28, Conc. Aurel. III (a. 538) contra labores rusticos; c. 4 Conc. Tarrac. (a. 516) contra negotia forensia; c. 1, 2, Conc. Matiscon. (a. 585); c. 4, Conc. Narbon. (a. 589); c. 3 Conc. Tolet. XVI (a. 693); c. 10 Conc. Berghamsted. (a. 697) de vitandis laboribus a *vespera* sabb. usque ad *vesperam* dominicae; cap. 80 Synod. Aquisgran. (a. 789); c. 30 Conc. Roman. (a. 826); c. 2 Conc. Erford. (a. 932) = c. 2 C. XV q. 4. Cfr. quoque *Schmitz*, D. Bussbuecher, in ind. v. Sonntag.

(36) Cap. 1, 5 X. de fer. II, 9; c. 32 Conc. Bituric. (a. 1286); c. 2 Conc. Rothomag. (a. 1299); c. 4 Conc. Vallisolet. (a. 1322); Conc. prov. Florent. (a. 1517-1518) rubr. 6, c. 1.

(37) Cap. 3 X. de fer. II 9 (Alex. III, a. 1159-1181 de halecum captura ad Archiep. Nidros. (?) sive Drontheim); cit. Conc. prov. Florent.

(38) Rom. quoque Pontifices medio aevo usi sunt iure suo instituendi *nova* festa v. g. Urbanus IV a. 1264 festum corporis Christi. Cfr. cap. unic. de reliq. III 16 in Clem.

(39) Cfr. supra h. t. not. 25; c. 3 Conc. Tarracon. (a. 1239) de festis S. Theclae, S. Francisci, S. Dominici, S. Antonii; Conc. Magfeld. prov. Cantuar. (a. 1362).

(40) Cfr. inter centum gravamina nat. germ. c. 37 (a. 1522); Conc. Trident. Sess. XXV de regul. cap. 12 et decret. de invoc. Sanct. et Sess. XXV cont. decret. de... dieb. festis; *Kellner* l. c.

509. Tandem Urbanus VIII, Const. « *Universa* » 13 Septembris 1642 catalogum reformatum festorum promulgavit, in quo enumerantur festa, quae *de praecepto* ex iuris *communis* sanctionibus *unice* essent servanda (41). Qui catalogus postea nonnisi leviter a Rom. Pontificibus immutatus (42) continebat ius commune non mutatum circa festa de praecepto; sed illi iuri communi praesertim a tempore Benedicti XIV (43) tot indultis particularibus derogatum erat, ut ille catalogus Urbani VIII nonnisi in paucis quaestionibus canonicis (v. g. quoad obligationem parochorum applicandi Missam, quoad ordinationes sacras et banna matrimonialia) erat practici momenti (44). — Tandem Pius X, morem gerens exigentiis nostri temporis, et consulens quantum fieri poterat, unitati disciplinae, numerum festorum pro universa ecclesia moderavit Const. « *Supremi disciplinae* » 2 Iulii 1911 (A. A. S. III, 305), praeter dies dominicas octo tantum retinens dies festos, quibus in Codice accesserunt duo ex suppressis illa Constitutione.

§ 3 - DISCIPLINA VIGENS.

510. *Potestas* instituendi vel innovandi vel transferendi vel abrogandi festa *universalia* in Ecclesia catholica soli R. Pontifici vel Concilio oecumenico est reservata (45). Antiquum vero ius *Episcoporum in suis dioecesibus* nova festa de praecepto *instituendi* iam ex tempore Urbani VIII. Const. « *Universa* » 13 Septembris 1642 non amplius *practice exerceri* potuit. Nam Urbanus VIII l. c. statuit:

(41) S. R. C. 18 Apr. 1643; *Fessler* l. c. in font.; *Benedict. XIV*, Doctr. de serv. D. beatif. l. IV, part. 2, cap. 16; *Bouix* l. c. p. 308 sq. 312 sq., ubi cum *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 18 n. 11, 12, et Pii VI Const. « *Auct. fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 74 facile refutat perversam illam theoriam et praxim, qua Episcopis etiam post novam Const. Urbani VIII vindicatum est ius *abrogandi* festa in catalogo Urbani VIII praescripta.

(42) Clement. XI Const. « *Commissi* » 6 Dec. 1708 de restaurato festo immaculatae conceptionis B. V. M. in universa Ecclesia.

(43) *Bened. XIV*, Doctrina cit. l. IV part. 2, cap. 16.

(44) Analect. iur. pont. (a. 1863) col. 1365 sq. 1388 sq.; *Fessler* l. c.; Collect. Lac. in ind. v. Festa.

(45) Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 pro. 74; *Suarez* l. c. cap. 11 n. 4; *Schmalzgr.* l. II, t. 9, n. 13.

« *Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate aut popolorum importunitate deinceps multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino* **monemus**, *ut ad ecclesiasticam ubique servandam* **aequalitatem** *de caetero* **perpetuis** *futuris temporibus ab indictione* **sub praecepto novorum festorum** *studeant abstinere* ». Quae verba R. Pontificis licet non continerent expressum mandatum, sed *monitum*, tamen adeo *gravia* erant et *finem* legislatoris de servanda *aequalitate* disciplinae tam clare manifestabant, ut Episcopus, qui Sedi Apostolicae vere esset addictus, vix iam in praxi ab illa *mente* supremi pastoris inhaerendo cortici verborum discedere potuit. At dubium si forte manebat, certe per supervenientem declarationem S. R. C. fuit sublatum. Etenim eadem S. C. ad quaesitum: *An Episcopus in sua dioecesi festa praedicta* (i. e. voto alicuius communitatis confirmata) *possit confirmare, adeo ut sint obligatoria* **et** *alia festa instituere de praecepto* **praeter** *illa, quae in dicta Bulla* (i. e. Urbani VIII) *sunt expressa?* respondit 23 Iunii 1703: *Negative* (46). Quare in praxi ad instituendum novum festum particulare de praecepto sive in dioecesi sive in provincia ecclesiastica sive in regno catholico Sedes Apostolica est adeunda (47). Speciatim si patronus v. g. civitatis vel regni eligatur, qui a S. R. C. approbandus, praesertim in institutione huiusmodi festi *de praecepto* omnino servari debet decretum Urbani VIII 23 Mart. 1630 (48). Atque idem dicatur de translatione aut abolitione (can. 1244). Ordinarii locorum peculiarem diem festum suis dioecesibus seu locis solum *per modum actus* indicere possunt (can. cit. § 2); quod evidenter excludit veram institutionem etiam unius novi festi quotannis occurrentis et solum ob peculiarem causam una vice illum diem festum indicere possunt. Si forte illa specialis causa recurrat iterum sua potestate uti poterunt.

(46) *Bouix* l. c. p. 316 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV p. 286 sq.; *Scherer* l. c. t. II p. 684 not. 9 putat illud ius Episcoporum sine ratione plene negari, sed non affert probabilem explicationem allegatae decisionis S. R. C., imo etiam praxis sibi contrariae. Quodsi antiquiores quoque scriptores v. g. *Schmalzgr.* l. II, t. 9 n. 13, 14, aliique favent eidem iuri Ordinariorum, utplurimum *ignorant* declarationem S. R. C. 23 Iunii 1703 in nova collectione authentica *retentam* atque praeterea interdum aliquibus argumentis parum efficacibus utuntur.

(47) S. C. C. 22 Apr. 1719; Collect. Lac. t. VI col. 725.

(48) *Benedict. XIV* l. c. cap. 14; *Ferraris* l. c. Patroni Sancti; Analect. iur. pontif. t. 26 col. 250 sq.

511. Praeceptum servandi festa auctoritate ecclesiastica in ordine ad cultum divinum instituta sub *gravi peccato* obligat (49) omnes Christi fideles expleto septennio rationis usu praeditos (50) a media nocte usque ad mediam noctem (can. 1246) (51).

Quae obligatio ex lege ecclesiastica statuta iuxta disciplinam vigentem specialibus *poenis* latae vel ferendae sententiae in iure antiquo expressis non amplius urgeri *solet*, sed nihil obstat, quominus etiam nunc in foro *externo Ecclesiae* fideles negligentes *poenis arbitrariis* plectantur praeter *poenitentiam* in foro *interno* subeundam (52).

512. Quod praeceptum Ecclesiae quatenus *affirmativum* est, imprimis omnes fideles modo recensitos graviter obligat (53), ut singulis diebus (54) dominicis et festis de praecepto Missae (55) *integrae moraliter* praesentes in *ecclesia* parochiali vel alia ecclesia *publica* vel oratorio publico vel *semipublico* (56), non tantum mate-

(49) Propositio 52 ab Innocentio XI proscripta ita sonat: « *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus* »; *Zech* l. c. § 486.

(50) *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. I n. 555; *Zech* l. c.

(51) Cfr. de *more Romano* computandi diem a media nocte usque ad mediam noctem: L. 8 D. de fer. II 12; cap. 24 X. de off. et potest. iud. deleg. I 29. Qui mos Romanus in computandis festis antiquitus in foro ecclesiastico non fuit communiter receptus, sed potius modus computandi a vespera ad vesperam. Cfr. capit. 15 Synod. Aquisgr. (a. 789); capit. 21 Conc. Francoford. (a. 794); c. 13 Conc. Foroiul. (a. 796); stat. dioec. Basileens. (a. 1434). At postquam iam Alexander III cap. 2 X. de fer. II 9, statuit in illa computatione diversarum regionum *consuetudinem* esse servandam, saltem ex saeculo decimo sexto mos Romanus computandi dies festos universaliter fuit receptus. Cfr. Conc. Trid. ed. *Richt*. p. 471; *Kellner* l. c. p. 8. Cfr. nunc can. 32 sq.

(52) *Ferraris* l. c. v. Festa n. 18, 28, 30; Collect. Lac. t. I, col. 37, 853, t. VI col. 62, 78 sq. 748 t. V col. 470.

(53) Cfr. c. 62, 64, 65, D. I. de consecr. iunct. cap. 2 X. de paroch. III, 29 et cap. 2 de treuga I 9 in Extravg. com. et consuetudini universali Ecclesiae et cit. prop. 52 ab Innoc. XI damnatae et Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 74, ubi « *inductum Missae audiendae praeceptum* » contra arbitrariam abrogationem sustinetur; *Suarez* l. c. cap. 15 n. 1 sq.; *Gasparri*, De ss. eucharist. n. 946 sq. 950.

(54) *Suarez* l. c. n. 7 sq.; supra h. t. not. 51 de computatione nunc recepta.

(55) Quare *obligatio* audiendi *concionem* non amplius cadit sub *hoc* praecepto ecclesiastico; multo minus Ordinarius poenis pecuniariis vel censuris cogere potest fideles, ut festis de praecepto concionem audiant praesertim in ecclesia *parochiali*. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 16, n. 5 sq.; *Zech* l. c. § 496; *Bened. XIV*, De Syn. dioec. l. XI cap. 14, n. 12 sq.

(56) In oratorio *privato* praeceptum audiendi Missam impleri nequit, nisi

rialiter, sed *formaliter* assistant scl. ea intentione et attentione, quae ad cultum Dei requiritur (57). Ipsi quoque praecepto fit satis si Missae quis intersit legitime sub dio et quocumque catholico ritu celebretur, item si celebretur in privatis coemeteriorum aediculis (cfr. can. 1190), non vero in ceteris oratoriis privatis (can. 1249).

Quae obligatio audiendae Missae solummodo cessat, si quis ob causas *necessitatis, caritatis* vel *pietatis* i. e. impotentiae physicae vel moralis *excusatur* aut per legitimam *dispensationem* liberatur (58).

Cum ista obligatione *fidelium* audiendi Missam intime connexa est obligatio sacerdotum praesertim curatorum ad tramites sacrorum canonum *celebrandi* Missam, ut populus christianus praecepto Ecclesiae satisfacere possit (59).

513. Denique eodem praecepto ecclesiastico ut *negativo* (60) omnes fideles supra enumerati iisdem diebus dominicis et festis de praecepto non solum generatim abstineant necesse est ab operibus *illicitis* et *scandalosis*, quibus dies illi Dei honori dedicati contaminantur, sed speciatim a media nocte usque ad mediam noctem (61)

a personis speciali *privilegio* praeditis atque festis de praecepto iuxta tenorem privilegii *non exceptis*. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Magno* » 2 Iun. 1751; S. R. C. 10 Apr. 1896; Collect. Lac. t. III col. 711. At iam pridem abrogata est *obligatio* fidelium in ecclesia tantum *parochiali* satisfaciendi praecepto Missae audiendae. Cfr. cap. 2 X. de paroch. III, 29 et cap. 2 de treug. I 9 in Extravg. com. iunct. Leon. X Const. « *Intelleximus* » 13 Nov. 1517; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 14, n. 7 sq.; S. R. C. 23 Ian. 1899 de oratoriis etiam semipublicis; Collect. Lac. t. IV col. 111, t. III col. 711. Plane singulare est privilegium Cardinalium nunc a Leone XIII per S. R. C. 8 Iun. 1896 ad Episcopos etiam titulares extensum, quod fideles impleant praeceptum Ecclesiae, si audiant alterutram Missam, quam illi Praelati in suo oratorio privato aut super altari portatili *ipsi* celebrare *aliamque* in sui commodum permittere valent. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 136, 953. Cfr. quoque can. 239, 1189.

(57) *Zech* l. c.; *Gasparri* l. c. n. 952 sq.

(58) Collect. Lac. t. III col. 938; *Zech* l. c. § 495; *Gasparri* l. c. n. 966 sq.

(59) Cf. c. 6 Conc. Dovin. (a. 527-536) in Armen.; cap. 9, 11 X. de celebr. III 41; Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 14 de ref.; *Bened. XIV*, Const. « *Declarasti* » 16 Mart. 1746; Collect. Lac. v. v. Dominica, Festum v. g. t. VI, n. 11, 17; S. C. C. 7 Apr. 1864 in Act. S. Sed. vol. IV, p. 250 sq.; *Gasparri* l. c. n. 412 sq.

(60) Cap. 1, 2, 3, 5 X. de fer. II 6; Collect. Lac. v. v. Dominica, Festum; *Suarez* l. c. cap. 17 sq.; *Zech* l. c. §§ 487 sq. *Schmalzgr*. l. II, t. 9, n. 22, 23.

(61) Cap. 2 X. de fer. II 9, iunct. not. 51 h. t. Quo ex capite 2 X. de fer. etiam illud patet, quantopere sit menti Ecclesiae conforme, si pro *magnitudine dierum* quoad principium et finem illud servetur, ut festivitas saltem quoad

graviter *prohibentur* ab operibus *servilibus* (62), negotiis *forensibus* (63), et, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, etiam a *mercatibus* et *nundinis* (64) aliisque publicis emptionibus et venditionibus (can. 1248).

Quoad alia negotia diebus festis *prohibita* aut saltem partialiter *permissa* omnino consulendae sunt etiam leges vel consuetudines particulares (65).

Diebus festis ab operibus servilibus aliisque negotiis prohibitis non est abstinendum, si adsint *causae excusantes necessitatis*

---

vacationem ab operibus servilibus *prius incipiat* et *tardius terminetur*. Cui statuto antiqui iuris Decretalium plane consonat postulatum recentiorum sociologorum extendendi ordinariam requiem festivam ad 36 horas. Cfr. quoque Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 469; *Suarez* l. c. cap. 31, n. 3; ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 471.

(62) Cfr. c. 28 Conc. Aurel. III (a. 538); cap. 1, 3 X. de fer. II 9. Unde facile deducitur *christianis vi praecepti ecclesiastici* multo minore rigore praescriptam esse vacationem a laboribus servilibus quam *Iudaeis ex lege Moysis*. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 17, n. 4 sq. cap. 18 sq.

(63) Cap. 1, 5 X. de fer. II, 9; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V, col. 29; *Schmalzgr.* l. II, t. 9, n. 24 sq.; *Suarez* l. c. cap. 38. Quare actus iurisdictionis *voluntariae* festis de praecepto non sunt prohibiti. Arg. cap. 5 X. de fer. II 9; *Suarez* l. c. n. 10; *Reiffenstuel* l. II, t. 9, n. 29. Prohibitio vero praestandi *iuramentum* (cap. 1 X. de fer.) quamvis certe non sit limitanda ad iuramentum *iudiciale*, tamen non est extendenda ad *omnia* iuramenta *extraiudicialia*. Nam aliqua restrictio prohibitionis iuramenti extraiudicialis iam continetur illis verbis cap. 1 X. de fer.: « *Nisi pro pace vel alia necessitate* ». Praeterea nisi quis ad absonas conclusiones pervenire velit, merito admittitur altera restrictio, quod iuramentum extraiudiciale eatenus praestari nequeat, quatenus *accedat* ad contractum vel negotium diebus festis iam aliunde *prohibitum*. Cfr. *Schmalzg.* l. c. n. 24; *Suarez* l. c. n. 16, 17. At sicut *contractus* in die festo tempore prohibitarum nundinarum non est invalidus, ita etiam iuramentum *extraiudiciale* valore non destituitur. Cfr. cap. 5 X. de fer.; *Suarez* l. c. n. 2. De *nullitate* actuum iudicialium interim cfr. cap. 5 X. de fer.; *Schmalzgr.* l. c. n. 25 sq.; *Suarez* l. c. n. 1 sq. Nostra vero aetate in foro *civili* certe nullitas illa actuum iudicialium in festis ecclesiasticis non recognitis urgeri nequit, atque ipsa *necessitas* suppeditat solutionem aliarum difficultatum.

(64) Cap. 1 X. de fer.; *Schmalzgr.* l. c. n. 23, qui recte iam monet per consuetudinem hac in re rigorem iuris antiqui esse non raro emollitum. Cfr. quoque Bened. XIV Const. « *Ab eo tempore* » 5 Nov. 1745; S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 469 n. 3 sq.; Collect. Lac. t. VI, col. 78 sq.

(65) Bened. XIV Const. « *Nihil profecto* » 12 Aug. 1746 de interdictis certis exercitiis gymnasticis; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) l. c. de choreis; S. C. C. 2 Maii 1868 in Act. S. Sed. vol. IV p. 36 sq. de ludis quibuscumque permissis; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 469; Conc. prov. Ital. in Coll. Lac. t. VI v. Dominici et festi dies n. 19, 20; *Suarez* l. c. cap. 33 n. 12 (de consuetudine legem limitante).

propriae vel *alienae* aut *pietatis* erga Deum (66), aut a competente Superiore ecclesiastico concedatur *dispensatio* (67). Quae dispensatio sive totalis sive partialis amplissimo modo concedi potest a Romano Pontifice (68). De iure Codicis (can. 1425) *in casibus particularibus*, non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, iusta de causa ab ista lege communi de observantia festorum dispensare possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos (can. 1245, § 1). Dispensant ergo subditos tametsi hi versentur extra Ordinarii vel parochi territorium; in proprio territorio subditos et peregrinos. Idem dicendum de abstinentia et ieiunio (69).

514. Dies festi vigentes: Quae dicta sunt de diebus dominicis pertinent etiam ad alios dies festos, quae in disciplina Codicis conservati sunt, videlicet festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi (festa Domini); item Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae (in honorem B. V.); praeterea S.ti Ioseph sponsi B. V., Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum (in honorem Sanctorum) (can. 1247). Commissio Codicis, 17 Febr. 1918, declaravit festa quae non enumerantur in canone, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali S. Sedis

---

(66) Cfr. limitationes appositas cap. 1, 3, 5 X. de fer. II 9; *Suarez* l. c. cap. 32.

(67) Cap. 3 X. de fer. (de captura halecum); S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 470 sq.; *Suarez* l. c. cap. 33.

(68) Cfr. text. cit. in not. 67 h. t.; Bened. XIV Const. « *Non multa* » 14 Nov. 1748, iunct. *Zech* l. c. § 500; indulta pontificia de reductione festorum v. g. pro Austria 1 Sept. 1751 et 22 Iun. 1771, pro Bavaria 16 Maii 1772, pro Gallia 9 Apr. 1802, pro republ. Neogranat. 31 Ianuar. 1834; *Suarez* l. c. cap. 33, n. 2; *Bened. XIV*, De Synod. l. XIII, cap. 18, n. 10 sq.

(69) De iure praecedenti, cfr. Urban. VIII Const. « *Cum sicut* » 30 Iun. 1631; Con. provinc. Roman. (a. 1725) in Collect. Lac. t. I, col. 361; Lauretan. edict. (a. 1850) l. c. t. VI, col. 78; *Suarez* l. c. n. 2; *Ferraris* l. c. v. Festa n. 20 sq. Cfr. quoque decret. S. C. de Prop. F. 6 Oct. 1863 in Collect. Lac. t. II, col. 561, sq. 564, ubi per dispensationem Ordinarii facultas dicitur posse obtineri, ut in familia *diversi ritus* festa et ieiunia observentur iuxta *unum ritum*. — Conc. prov. Neapolit. in Collect. Lac. t. I col. 177; Conc. Westmonast. I l. c. t. III, col. 938; Conc. prov. Vienn. (a. 1858) Conc. prov. Prag. (a. 1860) l. c. t. V, col. 155, 469; Conc. prov. Ital. l. c. t. VI v. Dominici et festi dies n. 18; *Suarez* l. c. n. 2.

concessione, ipso facto ipsaque lege Codicis non amplius esse de praecepto quoad obligationem audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus (A. A. S. X, 170). Cfr. *Ferreres* Inst. II, n. 174, not. 1.

TITULUS XIX

DE OBSERVATIONE IEIUNII ET ABSTINENTIAE

515. Fontes: Decret. Grat. c. 3 sq. D. 4 et D. 41, 75; c. 6 sq. D. III et c. 16 sq. D. V. de consecr. — Cpl. III, l. III, t. 35 de observant. ieiun.; cpl. V, l. III, 25 de observat. ieiun. — Decretal. Gregor. IX, l. III, tit. 46; in reliq. collect. auth. hic tit. deest. — Conc. Trident. Sess. XXV contin. decr. de delectu cibor., ieiun. — Decretal. Clement. Papae VIII, ed. *Sentis* p. 29 sq., ubi sub tit. de off. Ordinar. aliae Const. Rom. Pontif. recensentur; Pii VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 74. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 2045 sq.; declar. S. C. C. in ed. *Richt.* C. Trid. p. 471. — Codex can. 1243-1254.

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech,* De iure rer. sect. 2, tit. 21 de ieiuniis et vigil.; *Devoti,* Inst. can. l. II, t. 6 de ieiuniis; *Scherer,* Handb. d. K. t. II, p. 691 sq.; *De Luca,* De reb. eccl. p. 231 sq. — *Bellarmin.,* Controv. III, l. 2 de ieiun.; *Cozza,* De ieiun. eccles. — *Ferraris,* Biblioth. v. v. Abstinentia, Ieiunium; *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 15, 16; *Lehmkuhl,* Theol. mor. vol. I, n. 1207 sq. aliique doctores theol. mor. de praecept. eccles.; Kirchenlex v. v. Fasten sq.; *Thomassin,* Traité des jeûnes de l'église; *Kraus,* Real-Encykl. v. Fasten; *Linsenmayr,* Entwicklg.; *Funk* in Act. theol. Tubing. t. 75, p. 179 sq. (De ieiun. pasch.); Anal. iur. pont. t. XI, coll. 515 sq. (L'abstinence du samedi); *Nilles,* Kalendar. manuale utriusque Eccles. v. v. Ieiunium, Quadragesima, Quatuor tempora, Vigiliae; *Duchesne,* Origines du culte chrétien p. 218 sq. — *Capellmann,* Medicina pastoralis p. 91 sq.

Praenotiones.

516. I. Connexio materiae. Ecclesia quemadmodum *dies festos* specialiter *cultui divino* dedicavit a populo christiano *in sancta laetitia* (1) transigendos, ita alios dies singulari modo deputavit ad *orationem cum poenitentia unitam,* sive ut dici solet in formulis ecclesiasticis, *ieiunio consecravit* (2), quo fideles ad *cultum* diebus festis *Deo* exhibendum melius disponerentur. Quare non solum ex *ordine legali* (cfr. in Decretal. nigr. tit. 45 et tit. 46 lib. III; in Codice tit. 13 et 14 hoc loco), sed etiam secundum ordinem vere *logicum* in disputatione de *temporibus sacris* cum titulo de diebus festis apte coniungitur quaestio ieiunii et abstinentiae (3).

(1) Deuter. XVI 15; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V col. 469.

517. Praenotiones. I. Ieiunium *proprie dictum* (4) secundum *generalem* significationem est abstinentia a *cibis* sive quoad qualitatem sive *etiam* quoad quantitatem. Quod ieiunium dicitur *naturale,* si sit abstinentia *ab omni cibo* **et** *potu* in stomachum transmisso, ut fit ante sacram communionem excepto viatico; *ecclesiasticum* vero audit, quod instituitur secundum *formam* ab Ecclesia *praescriptam,* cui opponitur *liberum* secundum rectam rationem ex motivo alicuius virtutis *sine praecepti obligatione* susceptum (5).

Ecclesiasticum ieiunium *sensu stricto* acceptum, quod etiam appellatur ieiunium *plenum* sive ex disciplina vigente simpliciter « *ieiunium* », consistebat *essentialiter* in unica comestione *plena* per diem, quae tamen collatiunculam *vespertinam* et frustulum *matutinum* non excluderet et citra dispensationem per se coniungebatur cum *abstinentia a carnibus,* imo saltem in quibusdam ieiuniis etiam ab ovis et lacticiniis. Cfr. cap. 2 X. de observ. ieiun.

A quo ieiunio pleno distinguebatur ieiunium *semiplenum* (sive *delectus ciborum*) (6), quod erat *mera* abstinentia *a carnibus* vel quandoque *etiam* ab ovis et lacticiniis, sed sine onere unicae tantum comestionis plenae atque ex usu loquendi vocabatur simpliciter « *abstinentia* ». Cfr. de xerophagia et monophagia Graecorum: *Nilles,* Kalend. t. II, p. 83, sq.

(2) Matth. XVII 20; Nationalis Synod. Albana (a. 1703) in Collect. Lac. t. I col. 294; Conc. prov. Coloc. (a. 1863) in Collect. Lac. t. V. col. 717.

(3) Nation. Synod. Albana (a. 1703) l. c. col. 293 sq.; Conc. prov. Coloc. l. c. col. 715 sq. de dier. festor. sanctif., de ieiun. et abstin.; *Zech* l. c.; *Devoti* l. c.

(4) De ieiunio improprie dicto sive de abstinentia ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus cfr. c. 25 D. V. de consecr. (S. August.).

(5) Ieiunium *morale,* quod veteres canonistae commemorant, non est stricta *paenitentia,* sed tantum moderatio cibi et potus secundum leges virtutis *temperantiae* ordinata. Quae *temperantia* utique quotidie est exercenda. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. 46 n. 2.

(6) Conc. Trid. Sess. XXV cont. decr. *de delectu* cibor., ieiuniis; cap. 2, 3, X. de observ. ieiun.

II. Porro ieiunium plenum dividebatur *a*) ratione *delectus ciborum* in ieiunium *strictum* (stretto magro) et in ieiunium *commune*; illud coniunctam habebat abstinentiam a carnibus **et** praeterea etiam ab ovis et lacticiniis, hoc *solummodo* a carnibus (7);

b) ratione *temporis* in ieiunium *adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum* etc. (8).

c) ratione *stabilitatis* in *ordinarium*, quod statis *diebus* unoquoque *anno* est observandum, et in *extraordinarium*, quod sive ex iuris dispositione sive speciali competentis Superioris ecclesiastici ordinatione ob *singularem* quandam causam praescriberetur v. g. ieiunium ante consecrationem ecclesiae (9) vel regis coronationem (10), vel ad lucrandas determinatas indulgentias etc. Huiusmodi notiones ex novo iure haud parum sunt immutandae, cfr. seq. n. 521, 527 sq.

§ 1. - PRINCIPIA FUNDAMENTALIA

518. Ecclesia, quae in materia omnium virtutum *leges* condere potest (11), sua potestate etiam usa est in materia virtutis *temperantiae* per leges latas de ieiuniis et abstinentia (12). Quare *obligatio* servandi ieiunium ecclesiasticum nititur *lege Ecclesiae* sensuque *lato* iuridica sive legitima dici potest; at nequaquam sensu *stricto* est obligatio *iuris* sive *iustitiae*. Etenim lex ecclesiastica de ieiunio et abstinentia, quamvis imponat obligationem *obediendi*, tamen est ma-

(7) Cfr. c. 4, 6 D. 4; cap. 2 X. de observ. ieiun.; *Lehmkuhl* l. c. vol. I n. 1210; *Nilles* l. c. t. I p. 61 sq. t. II p. 83 sq.

(8) Cap. 1, 2 X. de observ. ieiun.; c. 1-7 D. 76; *Nilles* l. c. t. II p. 82 sq. 121 t. l. p. 55 sq. Praeterea ex iure *antiquo* vel *particulari* alia quoque recensentur ieiunia v. g. ieiunia *stationum* vel feriae *sextae*, ieiunia feriae *quartae* et *sabbati* (c. 68 (69) Apostol.; c. 25 Conc. Illiberit. (a. 300-306); c. 13, 16 D. III de consecr.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1720) in Collect. Lac. t. II col. 63), ieiunia *rogationum* (c. 27 Conc. Aurel. I a. 511), *ordinationum* (c. 3 Conc. Barcinon. a. 599); *Nilles* l. c. t. II p. 82 sq. t. I p. 61 sq. p. 176 sq.

(9) Pontif. Rom. tit. de eccles. dedic.; S. R. C. 29 Iul. 1780 ad 1; S. C. Inq. 14 Dec. 1898 in Anal. eccl. t. VII p. 99.

(10) Pontif. Rom. tit. de bened. et coron. reg.

(11) *Suarez*, De leg. l. IV cap. 11.

(12) Cap. 1, 2, 3 X. de observ. ieiun; *S. Thom.*, Summa theol. IIa IIae q. 147 a. 1, 2, 3; *Suarez* l. c. n. 1 de praeceptis eccles. circa *ieiunia; Bellarm.* l. c. cap. 7 i. f.

neque lex in materia *temperantiae, non iustitiae*. Quae natura huius legis non mutatur, etiamsi *poenis* ecclesiasticis eius observantia urgeatur; nam Ecclesia fideles suos subditos non solum ad actus iustitiae, sed etiam temperantiae aliarumque virtutum per leges *poenis* (13) *munitas* obligare et compellere valet. Neque obligatio illa cessat esse *legitima*, si legi ecclesiasticae **expressa** sanctio poenalis sive latae sive ferendae sententiae (14) *non* addatur; poena enim *arbitraria* saltem in casibus can. 2222, § 1 infligi non prohibetur, nec accedente iusta causa Praelati ecclesiastici destituuntur potestate legem quamlibet sanctione poenali muniendi ad normam can. 2220.

519. Cum homo teneatur *naturali* obligatione carnem subiicere spiritui atque pro peccatis suis satisfacere, per legem ecclesiasticam de ieiunio et abstinentia accipit normam magis determinatam; quam si secutus fuerit, ad duplicem illum finem facilius pertinget (15). Praeterea parsimonia illa in cibis *mentem* magis *elevat* et *ad orandum* disponit. Hinc optimo consilio Ecclesia temporibus specialiter *orationi* et *cultui divino* dedicatis aut *iungit* ieiunium v. g. quadra-

(13) Edict. convent. Lauretan. (a. 1850) in Collect. Lac. t. VI col. 81 art. 42, 43 iunct. art. 21 sq. Cfr. quoque c. 69 (68) Apostol.

(14) Modus igitur loquendi quorumdam scriptorum « *de obligationibus iuris* » in hac vel simili materia est non raro anceps. Cfr. *Hinschius* l. c. t. IV p. 289 iunct. *Cathrein*, Philosoph. moral. n. 225 sq; *Wernz*, Ius Decretal. t. I n. 45 sq. 89 sq. 95 sq.

(15) *Bellarmin.* l. c. cap. 6, 7 sq. — Intentio Ecclesiae in ieiunio praesertim quadragesimali, intime connexo cum sacra liturgia praeparationis ad festa paschalia, est fovere spiritum poenitentiae, adiuncta abstinentia a peccatis, oratione, eleemosyna aliarumque virtutum exercitiis ad obtinendos eos fines, quos insinuant Orationes Ecclesiae per tempus quadragesimale in officio divino recitari solitae. — Praesta familiae tuae, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. — Ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quae se causis maceratione castigat. — Ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. — Ut familia tua, quae se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando iustitiam a culpa ieiunet. — Quos ab escis carnalibus praecipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. — Ut castigatio carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. — Ut sicut ab escis carnalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. — Ut quos ieiunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta laetificet; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius caelestia capiamus. — Ut dignitas conditionis humanae per immoderantiam sanciata, medicinalis parsimoniae studio reformetur. — Ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur aeternis.

gesimae, aut ut salutarem *praemittit* praeparationem v. g. in vigiliis festorum (16). Denique sicut gravis et constans violatio legum ieiunii et abstinentiae christianum reddit suspetum de haeresi, contra quem S. C. Inq. potest procedere, ita nostra aetate sedula observantia illarum legum potest esse intrepida *professio fidei catholicae.* Cfr. S. C. Inq. 14 Dec. 1842; Conc. prov. Vienn. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V col. 187.

§ 2. - NOTAE HISTORICAE

520. I. Leges *positivae* veteris testamenti de ieunio delectuque ciborum profecto in novo testamento sunt abrogatae (17). At exemplo Christi et Apostolorum factum est, ut etiam in nova lege certa tempora ieiunio ex iuris praecepto deputarentur (18); imo ad unionem inter fideles conversos ex iudaeis vel paganis facilius conci-

(16) *Bellarmin.* l. c. cap. 11 sq. Ieiuniis quibusdam, praesertim institutis ad aliquod festum celebrandum, adiunctae erant ex antiqua traditione nocturnae *Vigiliae*, ubi solebant fideles noctem in Ecclesia in oratione et divinis laudibus traducere, supplicationes inst tuere, cantare psalmos, audire lectionem librorum sacrorum et ita se parabant ad festi celebrationem: inde appellatio ieiunium et *vigiliae* seu *vigilia*. Quarum vigiliarum varia fuerunt genera: interdum vigiliae fiebant in extraordinariis supplicationibus, magna Ecclesiam premente necessitate fieri solitis, tum a toto populo, tum ab Episcopis cum clero coram sanctuario per totam noctem prostratis; aliae praemittebantur solemnioribus per annum festis; aliae celebrabantur cum ieiunio quatuor temporum (Cfr. plures sermones S. Leonis de ieiunio quatuor temporum); porro apud graecos in usu fuerunt diebus sabbati et Dominicis, in quibus consuetum officium antelucanum, diutius protendebatur a media nocte usque ad lucem. Paulatim desierunt, maxime ex populorum negligentia. Remanserunt Vigiliae per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini. Ceteris vigiliis abolitis, remansit illius vocis usus ad significandum ieiunium, quod sive generali consuetudine sive iure servari debuit pridie festorum solemniorum. Cfr. *Zech* l. c. § 468.

(17) Levit. XVI 29 sq. XXIII 27 sq. Zach. VII 3, VIII 19; *Schegg.* Bibl. Archaeol. p. 477, 586. Hinc Ecclesia ut christianis *iudaizantibus* restitit (cfr. c. 70 (69) Apost. iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 822, not. 1), ita etiam errores falsorum ascetarum de ieiunio reprobavit. Cfr. c. 18, 19. Conc. Gangr. (a. 343-381) = c. 7, 8, D. 30 iunct. *Hefele* l. c. p. 779, 787 sq.; *Bellarm.* l. c. cap. 3, 4; c. 53 (52) Apost.; c. 14 Conc. Ancyr. (a. 314) iunct. *Hefele* l. c. p. 233.

(18) Matth. IX 14 sq.; Luc. IV 1 sq. V 33 sq.; c. 69 (68) Apost. iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 821; c. 23, 26, Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 5, Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 3 D. 18.

liandam iam ipsi Apostoli legem quandam tulerunt de *delectu ciborum* (19).

Qua in disciplina ieiunii cum quamplurima potius *consuetudine* quam *expressa lege* essent statuta, atque multa penderent a particularibus conditionibus temporum et locorum, potissimum inter Ecclesiam *occidentalem* et *orientalem* atque inter particulares quoque regiones *eiusdem ritus* non levis introducta est *diversitas*, unde iam saeculo *secundo* graves controversiae ortae sunt v. g. de ieiunio ante festum paschale (20) vel die sabbati praesertim tempore quadragesimae (21).

II. *Ieiunium antepaschale* antiquitate et dignitate principem occupat locum. Nam vix in dubium vocari potest, quin illius *institutio* quoad substantiam vi notissimi canonis S. Augustini repetenda sit ex temporibus *Apostolorum* (22). Eius enim vestigia iam saeculo secundo et tertio reperiuntur atque a Concilio Nicaeno (a. 325) c. 5. = c. 3. D. 18 vel ipsa « *quadragesima* » expresse commemoratur tanquam praxis in Ecclesia statuto tempore *recepta* (23). Quae uniformitas in substantiali observatione antepaschalis ieiunii inde ab antiquissimo tempore usque ad nostram aetatem tum quoad *initium* et *finem*, tum quoad *formam* et *continuationem* ieiunii magnam adiunctam habuit varietatem disciplinae (24).

(19) Act. Apost. XV. Quae lex Apostolorum evidenter ad tempus data in Ecclesia occidentali iam saeculo quarto passim in desuetudinem abierat, cum in Ecclesia orientali diutius conservaretur. Cfr. c. 63 (62) Apostol.; c. 2 Conc. Gangr. (a. 343-381) = c. 13, D. 30, iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 781; c. 67 Conc. Trull. (a. 692) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 781; c. 67 Conc. Trull. (a. 692) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 339; *Boec-Kenoff*, D. apost. Speisegesetz.

(20) *Euseb.*, Histor. eccles. l. V, cap. 24; *Hefele* l. c. p. 93 sq. Cfr. quoque c. 24 Conc. Aurel. I (a. 511) = c. 6, D. III de consecr.; c. 2 Concil. Aurel. IV (a. 541); *Kellner*, Heortologie p. 60 sq. 123 sq.

(21) Cfr. c. 66 (65) Apostol.; c. 26 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. p. 166, 820, not. 3; c. 12 Conc. Agath. (a. 506) = c. 9 D. III de consecr.; c. 2 Con. Aurel. IV (a. 541).

(22) *Euseb.*, Histor. eccles. l. V, cap. 23, 24, iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 94, not. 1, p. 99, 821; *Linsenmayr* l. c. p. 25 sq. 19 sq.; *Nilles*, Kalendar. manuale t. II, p. 75 sq.; *Duchesne* l. c. p. 230 sq.

(23) *Tertull.*, De orat. cap. 18, De ieiun. cap. 2, 13, 14; *Origines* in homil. X. in Levit.; *Hieronym.* in epist. 41 ad Marcellam. iunct. *Duchesne* l. c. p. 231.

(24) Cfr. c. 50 Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 69 (68) Apostol.; text. cit. in not. 20, 21, h. t.; c. 11 Synod. Salisburg. (a. 799); c. 4 Conc. Benevent. (a. 1091); c. 5, 6, D. 4; c. 16, D. V de consecr.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XI,

Praeter ieiunium quadragesimale ante festum paschale Graeci observant tres alias quadragesimas; Latini quoque antiquitus ex iuris praescripto ieiunarunt per unam quadragesimam ante festum nativ. Dom. N. et per alteram ante festum S. Ioann. Bapt. (25).

III. Antiquissimum quoque in Ecclesia Romana est *ieiunium quatuor temporum*, cuius mentionem iam faciunt S. Hieronymus et S. Leo. Cfr. c. 7. 6. D. 76. Postquam Gelasius Papa in epist. ad universos Episc. per Lucan. etc. cap. 11 (a. 494) cum ieiunio quatuor temporum expresse coniunxit sacras *ordinationes* aucta dignitate et utilitate etiam ipsius usus magis magisque in Ecclesia latina est divulgatus (26).

IV. Ieiunia in *vigiliis*, ut ipsum nomen insinuat, pridie principalium festorum celebrabantur. Quibus ex ieiuniis complura certe iam antiquissimis temporibus fuerunt recepta velut ieiunium ante pascha ante festum pentecostes et nativitatem D. N. I. Chr. (27). Postea alia ieiunia in vigiliis accesserunt (28), quae nunc non raro sublata aut in nova quaedam ieiunia tempore *adventus* commutata sunt (29).

---

cap. 1, n. 3 sq. cap. 5, n. 1 sq.; *Nilles* l. c. p. 76 sq. 90 sq.; *Duchesne* l. c. p. 232 sq.; Analect. Pontif. XX, 215, 439. Cfr. quoque *Ferreres* in « *Razón y Fe* » t. 44, p. 518 sq., t. 46, p. 240 sq.

(25) Cap. 2 X. de observ. ieiun.; c. 9 Conc. Matiscon. (a. 581); c. 1 Conc. Seligenstad. (a. 1022); *Nilles* l. c. t. I, p. 176 sq. 187 sq. 230 sq. t. II, p. 82 sq.

(26) Stat. synod. S. Bonif. c. 30 (ante. a. 747); capit. 18. Synod. Clovishov. (a. 747); capit. 10, 11, quae Synod. Ratisbon. saec. oct. adscribuntur; capit. 34 Synod. Mogunt. (a. 813) et *Hefele* l. c. t. III, p. 735 sq. 736; capit. 2 Conc. Seligenst. (a. 1022); capit. 16 Conc. Aenham. (a. 1009); *Duchesne* l. c. p. 222 sq.; *Kellner* l. c. p. 123 sq. 172, 237; *Morin* in Revue Bénédictine 1897, p. 336 sq. L'origine des quatre temps; *Ferreres* in *Razon y Fe* t. 46, p. 242 sq., ubi primitus haec ieiunia ex S. Leone Magno infert esse instituta in gratiarum actionem pro frugibus et fructibus terrae et ad impetrandum a Deo idem beneficium in quatuor anni stationibus.

(27) *Euseb.*, Histor. eccles. l. V, cap. 23, 24; supra h. t. not. 22, 23; c. 89 Conc. Trull. (a. (a. 692); c. 11 Synod. Antissiod. (a. 585) iunct. c. 3, 5, eiusd. Synod. et *Hefele* l. c. t. III p. 43 sq.; Stat. synod. S. Bonif. capit. 35; *Kraus* l. c. v. Vigilien; *Kellner* l. c. p. 106.

(28) Capit. 1 Synod. Erford. (a. 932); capit. 1 Conc. Seligenst. (a. 1022); cap. 1, 2, X. de observ. ieiun. III 46; cap. 14 § 1 X. de verb. signif. V 40.

(29) S. C. Inq. 5 Febr. 1890 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2082; S. C. Inq. 15 Dec. 1897 in Anal. eccl. t. VI, p. 143.

V. Diebus *veri ieiunii* antiquitus adnumeratae fuerunt *feria quarta et sexta uniuscuiusque* hebdomadae (30). Quam praxim usque ad nostram aetatem sequitur *Ecclesia orientalis* (31).

In *Ecclesia occidentali* pro diversitate regionum ieiunium quoque ob sepulturam dominicam praescriptum fuit *die sabbati* (32), a quo ieiunio observando *Graeci* generatim vel in ipsa quadragesima excepto sabbato sancto semper *alieni* fuerunt (33).

Paulatim vero in Ecclesia latina ea introducta est disciplina, ut *feria sexta* nonnisi *abstinentia a carnibus* fuerit servanda (34), quoad eandem abstinentiam in sabbatis per annum *consuetudo uniuscuiusque* regionis debuit observari (35). Quae *abstinentia* sabbatina inde ex medio aevo non iam in solam memoriam *dominicae sepulturae*, sed potissimum a clericis *propter reverentiam B. V. M.* (36) fuit recepta. Inde orta est illa differentia inter « *ieiunium* » et « *abstinentiam* », quae nunc iam diu in Ecclesia occidentali et orientali ex communi modo loquendi retinetur et legibus quoque fuit sancita (37).

---

(30) Cfr. c. 69 (68) Apost.; c. 11, 16 D. III de consecr.; *Nilles* l. c. t. I, p. 55 sq.; *Kellner* l. c. p. 60.

(31) Collect. Lac. t. II, col. 63, 450, 518; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888) p. 58, 60, 61, et Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 162 sq. cum moderatione antiqui rigoris.

(32) *Tertull.*, De ieiun. cap. 14; c. 26 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I, p. 166; Innoc. I in epist. ad Decent. Eugub. (a. 416) = c. 13, D. III de consecr.; *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 5, n. 1, 2, 3 sq.

(33) Cfr. c. 66 (65) Apost.; c. 49, 50, 51. Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 55 Conc. Trull. (a. 692); *Bened. XIV* l. c. n. 1, 2.

(34) Nicol. M. in resp. ad consult. Bulgar. c. 4, 5, (a. 866); cap. 3 X. de observ. III, 46. Cfr. quoque c. 5 Synod. Frising. (c. a. 799), ubi *clericis* pro feria IV et VI expresse tantum praescribitur *abstinentia* a carne et vino; *Bened. XIV* l. c. n. 4, 5.

(35) Gregor. VII c. 7, Conc. Rom. (a. 1078) = c. 31 D. V. de consecr. iunct. cap. 2 X. de observ. ieiun. Privilegium cap. 3 X. de observ. ieiun. concessum vescendi carnibus, si festum D. N. I. Chr. incidat in feriam sextam, a Nicolao M. l. c. c. 5 (quoad. fer. sext.) et a Gregor. VII l. c. (quoad sabbat.) pro multo maiore numero festorum fuit indultum. Cfr. *Ferreres* in « Razon y Fe » t. 46, p. 515 sq. speciatim de Hispania.

(36) Cfr. capit. 90 Conc. Vaurens. (a. 1368) in Gallia; *Kraus* l. c. v. Sabbat.

(37) Synod. Sciarf. (1888) p. 57 sq.; S. C. Inqu. 28 Febr. 1760.

§ 3. - DISCIPLINA VIGENS

I. - De ieiunio.

521. I. *Potestas instituendi* per *universam* Ecclesiam certos dies ieiunio vel abstinentiae consecratos est indubitanter penes *R. Pontificem* vel *Concilium oecumenicum* (38). Neque *consuetudini* (39) vim *introducendi* obligationem ad observationem ieiunii vel abstinentiae agnitam fuisse potest negari.

II. Ordinarii locorum etiam pro suo territorio non possunt *instituere* aliquem diem abstinentiae aut ieiunii: possunt tamen aliquem peculiarem diem abstinentia aut ieiunii in sua dioecesi per modum actus *indicere* (can. 1224) ob peculiarem causam — De iure praecedenti *Episcopis* atque *Conciliis particularibus* ex nullo expresso iure communi et universali ablata erat potestas in suis territoriis praecipiendi ieiunia (et abstinentias) (40); tamen illa uti iamdiu *non solebant*, atque solummodo urgebant observationem ieiuniorum, quae iure *communi* per *indulta apostolica* plurimum *relaxato* erant praescripta; imo in Synodo Sciarfensi Syror. (a. 1888) p. 61 statuebatur *non licere Episcopis* ieiunium publicum *aut* abstinentiam in suis *dioecesibus* decernere *praeter* abstinentias et ieiunia in Ecclesia Antiochena Syrorum vigentia et in eadem Synodo expressa. Quod ultimum factum nunc est ius commune.

522. Subiecta passiva, quae ad observationem ieiuniorum ecclesiasticorum *obligantur*, sunt omnes fideles post annum vicesi-

(38) Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 74.

(39) Cap. 2, 3, X. de observ. ieiun. III 46, ubi expressa lege *scripta probatur*, quod *consuetudine generali* vel particulari Ecclesiae *antea* fuerat legitime introductum; *Schmalzgr*. l. III, t. 46, n. 47. — De consuetudine tamen universali, res hodie est parum practici momenti, salvis principiis generalibus de consuetudine: ex quibus certe effici potest ut novum ius particulare sive praeter sive contra ius commune de ieiunio inducatur (can. 27, 28), cum ius commune de ieiunio non habeat clausulam aut reprobantem aut prohibentem consuetudines contrarias. Imo in hac lege, praesertim quoad modum et formam ieiunii servandi maxime valet principium « consuetudo est optima legum interpres » (can. 29), cum ipsum ius provocet ad probatam consuetudinem.

(40) Cfr. capit. 15 Conc. Seligenst. (a. 1022); *Bened. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII cap. 4, n. 6, 7, cap. 5, n. 8.

mum primum completum usque ad incoeptum sexagesimum (can. 1254) (41), nisi legitimam habeant *excusationis* causam, corporis infirmitatem, necessitatem (42), laborem corporalem cum ieiunio incompatibilem, pietatem (43), consuetudinem saltem toleratam (44) vel *dispensationem* a competente Superiore ecclesiastico obtineant (45).

523. Forma legitima iuiunii ecclesiastici de iure novo Codicis haec est: I. distinguuntur dies abstinentiae et dies ieiunii.

II. Quare adsunt dies solius abstinentiae, solius ieiunii et ieiunii simul et abstinentiae.

III. *Abstinentiae lex* vetat carne iureque ex carne vesci: manent permissa ova et lacticinia et quaelibet condimenta etiam ex adipe animalium (can. 1250). Ieiunii lex praescribit unicam per diem comestionem: permittit tamen aliquid cibi mane et vespere sumere *(refectiunculam* seu coenulam *vespertinam* et *frustulum matutinum)*, in quibus quoad *quantitatem* et *qualitatem* servanda est probata locorum consuetudo (can. 1251, § 1).

IV. Vetitum non est carnes et pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare (can. 1251, § 2). — De rationibus quibus innititur et explicari potest moderatio in Codice adhibita circa legem ieiunii Cfr. *Ferreres* in « Razon y Fe » t. 47, p. 105 sq.

524. Scholion historicum. Licet peculiaribus consuetudinibus et indultis apostolicis in iure praecedenti leges de ieiunio erant, praesertim quoad formam et modum, adeo temperatae (non auctae), ut vix dici posset in tanta varietate quaenam esset lex communis

(41) Collect. S. C. de Prop. F. n. 2045 sq.; S. C. Inq. 23 Ian. 1875, l. c. n. 2076; Conc. prov. Strigon. (a. 1858) in Collect. Lac. t. V, col. 84; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 59; S. Thom., Summa theol. IIa IIae q. 147 art. 4 ad 2, ubi expresse obligationem differt « *ad finem tertii septennii* ».

(42) Cf. c. 9 Conc. Tolet. VIII (a. 653); c. 16 D. V. de consecr.; cap. 2 X. de observ. ieiun.; *Schmalzgr*. l. c. n. 42, 43, 44.

(43) Alex. VII 18 Mart. 1666 prop. damn. 30, 31; *Schmalzgr*. l. c. n. 45, 46.

(44) Cap. 2 X. de observ. ieiun.; *Schmalzgr*. l. c. n. 47. Quae consuetudo praesertim attendenda est, ubi agitur de mera *mitigatione* legis ieiunii, nec *tolerata* haberi potest, si non amplius *sit rationabilis*, v. g. si quoad *substantiam* excusaret ab *omnibus* ieiuniis etiam maxime solemnibus.

(45) *Schmalzgr*. l. c. n. 47, 48; *Zech* l. c. § 466.

de ieiunio; tamen adhuc dici poterat *formam* ieiunii ecclesiastici ante Codicem tria complecti: *a) unicam comestionem plenam*; *b)* abstinentiam a carnibus et quandoque (in quadragesima) etiam ab ovis et lacticiniis; *c)* tempus pro unica comestione plena praescriptum (46).

Ex his tribus conditionibus *unica* comestio (47) ieiunio ita *essentialis* habebatur, ut illa sublata v. g. per alteram plenam vel circiter dimidiam comestionem eadem die sumptam non amplius haberetur ieiunium ecclesiasticum. At unica comestio plena ex disciplina iamdiu inducta salva manebat, etiamsi quis praeterea mane sumat *frustulum* et vespere *coenulam* iuxta doctrinam probatorum moralistarum. — Hoc Codex retinuit.

(46) *Schmalzgr.* l. c. n. 2, 11; *Zech* l. c. § 464. Ex antiquis canonibus praesertim in ieiunio *bannito* alia quoque fuerunt prohibita. Cfr. Capit. 15 Conc. Seligenst. (a. 1022) et *Hefele* l. c. t. IV p. 673. Certe etiam nostra aetate diebus ieiunii potissimum quadragesimalis ex mente Ecclesiae praeter parsimoniam in cibo et potu etiam actus *aliarum* virtutum sunt exercendi et negotia quaedam, utpote a sanctitate dierum ieiunio consecratorum aliena, omnino sunt vitanda v. g. choreae, tripudia; *solemnes* vero *nuptiae* tempore quadragesimae et adventus etiam expressis verbis vetantur tum iure praecedenti (Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 10 de ref. matr.) tum iure Codicis (can. 1108 § 2, 3) quamvis moderatiori quodam modo.

(47) *Lex « ieiunii* seu *unicae comestionis »*. Quae verba in documentis authenticis confunduntur, unde facile eruitur unum sine altero consistere non posse. Cfr. Alexandr. VII 8 Mart. 1666 prop. damn. 29; Bened. XIV Const. « *Non ambigimus* » 30 Maii 1741 § 4, Const. « *In suprema* » 22 Aug. 1741 § 2, Const. « *Si Fraternitas Tua* » 8 Iul. 1744 ad 1, Const. « *Libentissime* » 10 Iun. 1745 §§ 9, 14, 21, 22; *S. Thom.* l. c. art. 6; *Schmalzg.* l. c. n. 11 sq. 24 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 1210 sq.; *Nilles* l. c. t. II p. 84 sq. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 59 sq. de prohibito apud Syros « *frustulo* » matutino.

Primis saeculis erat praxis valde generalis in ieiunio abstinere a carne et vino (cfr. Reg. S. Benedicti cap. 40, edit. *Butler* p. 74); in nonnullis ecclesiis etiam a piscibus et quolibet condimento etiam olei. Porro perfecta abstinentia a cibo usque ad occasum solis vel transactam horam *nonam* (tertiam vespertinam) erat praxis generalis quae in Occidenti duravit usque ad saec. IX. Unica comestio, sine alio cibo per diem, adhuc erat in usu saec. XIII (cfr. S. Thom. 2, 2, q. 147, a. 7); saeculo demum undecimo videtur, saltum modo quodam generali coepisse usum unicae comestionis *circa meridiem* sed post recitatas vesperas. *Ferreres* in « *Razón y Fe* » t. 44, p. 375. — Praesens coenula vespertina videtur ducere originem ex monachis aliisque deinde regularibus apud quos dicebatur *collatio*, quia fiebat inter lectionem spiritualem paulisper interumptam in refectorio, et saltem per longum tempus fuit permissio *potus* non cibi. *Ferreres* l. c. p. 376 sq. ubi variarum regularum in hanc rem capita adducit. Cfr. quoque *S. Alphonsum* (edit. *Gaudé*) vol. 2 p. 406 i. e. l. 3. n. 1025.

Porro *abstinentia a carnibus* ex iuris *communis* rigore ad *quodcunque* ieiunium ecclesiasticum requirebatur (48), imo saltem tempore quadragesimae apud Latinos abstinentia ab ipsis ovis et lacticiniis (49) et apud Graecos praeter « *monophagiam* » etiam « *xerophagia* » (50) (aridus cibus) praescribebatur. Nihilominus, si abstinentia illa legitime v. g. per dispensationem remisa fuisset, perstabat *substantia* ieiunii, dummodo servaretur unica comestio plena per diem, et vitaretur prohibita carnium et piscium permixtio, et esus carnium forte concessus non extenderetur ultra terminos indulti apostolici vel consuetudinis a Sede Apostolica saltem toleratae (51). — Codex non retinuit de lege cum *omni* ieiunio esse connexam abstinentiam. Tertium denique requisitum de unica comestione plena non *notabili tempore ante meridiem* sumenda, erat *circumstantia accidentalis*, quae sane *temere* non esset negligenda, sed si servata non fuisset, *essentia* ieiunii non violaretur, nec in Ecclesia latina *grave* peccatum admitteretur. Imo tempus prandii et refectiunculae vespertinae more gallico *ex rationabili causa licite* inverti potuit (52). — Haec quoad substantiam retinuit Codex, expresse permissa illa permutatione horarum.

525. Quoad tempus: ***a)* Dies ieiunii et abstinentiae** nunc sunt: feria IV Cinerum; feriae VI[ae] et sabbata Quadragesimae, feriae Quatuor Temporum; pervigilia Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

(48) Cap. 2 X de observ. ieiun.; Bened. XIV Const. « *In suprema* » § 2, Const. « *Si Fraternitati* »; *S. Thomas* l. c. art. 8; *Schmalzgr.* l. c. n. 3, 4 sq. 10.

(49) Cap. 2 X. de observ. ieiun.; Alexandr. VII 18 Mart. 1666 prop. dam. 32; Bened. XIV cit. Const., « *Non ambigimus* », Const. « *Libentissime* »; *Schmalzgr.* l. c. n. 3; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI cap. 5 n. 9 sq.

(50) Cfr. c. 50 Conc. Laodic. (a. 343-381); S. C. de Prop. F. 7 Dec. 1805; Collect. Lac. vol. II v. Ieiunium; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 59; Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 163 sq.; *Nilles* l. c. p. 83 sq.

(51) Bened. XIV Const. « *Si Fraternitas* »; Clem. XIII Const. « *Appetente* » 20 Dec. 1759 § 2; Collect. S. C. de Prop. F. n. 2063, 2066, 2068, 2074 iunct. resp. S. poenit. 16 Mart. 1882, 9 Ian. 1899 in Anal. eccles. t. VII p. 500 sq.; *Bened. XIV*, Inst. 15 n. 19 sq.

(52) Bened. XIV Const. « *Si Fraternitas* » ad 3 iunct. benignioribus responsis S. Off. 29 Iulii 1857 et 17 Sept. 1862 et S. Poenit. 10 Ianuar. 1834; *S. Thom.* l. c. art. 7; *Schmalzgr.* l. c. n. 19 sq. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 60 de sola *aqua* permissa *ante* meridiem.

b) **Dies solius ieiunii.** Servandum est reliquis omnibus diebus Quadragesimae.

c) **Dies solius abstinentiae** sunt singulae feriae sextae totius anni.

d) **Cessat lex** (sub *a, b. c.*) in diebus dominicis et in festis de praecepto, excepto festo tempore Quadragesimae (sc. in festo S. Ioseph 19 Martii), Commiss. Codicis in A. A. S. XII, 573. — Item cessat Sabbato Sancto post meridiem. — Praeterea pervigilia non anticipantur: quare si unum ex quatuor festis cadat in diem lunae, ieiunium et abstinentia pervigilii non transfertur in diem sabbati praecedentis, sed simpliciter ieiunium et abstinentia supprimuntur (can. 1252) (53) Cfr. quoque decis. Commiss. Codic. 24 Nov. 1920 (A. A. S. XII, 573).

Quibus non derogatur per Codicem. Nihil per Codicem immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de Constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis (54).

526. Dispensatio. *a)* Ante omnia ponendum est ieiunia et abstinentias, quae nituntur iure communi a Rom. Pontifice *abrogari* vel *transferri* vel multiplici ratione relaxari (55) possunt. At Epis-

(53) Cap. 2 X. de observ. ieiun.; Benedict. XIV Const. « *Non ambigimus* » 30 Maii 1741; *Schmalzgr.* l. c. n. 31; *Nilles* l. c. t. II p. 75 sq.

Graeca Ecclesia in quadragesima praeter dies dominicas etiam *sabbata* (dempto sabbato sancto) et festum annuntiationis B. M. V. a lege *ieiunii* eximit. Cfr. de abstinentia vel xerophagia hisce exceptis diebus servanda supra h. t. n. 520 sq.

Quoad Quatuor Tempora, cfr. c. 1 sq. D. 76; *Nilles* l. c. t. II p. 121; *Schmalzgr.* l. c. n. 32.

Quoad *vigilias* cfr. cap. 1, 2 X. de observ. ieiun.; Bened. XIV Const. « *Prodiit* » 30 Ian. 1751 §§ 5, 6. Quaenam essent *singulae* illae vigiliae, iam elapsis saeculis, non ex scripto iure communi, sed magis ex generali ecclesiae *consuetudine* fuit eruendum. Multo magis ultimo tempore ob magnam disciplinae et indultorum varietatem ad praxim probatam singularum regionum erat recurrendum. Etenim non pauca ieiunia vigiliarum abrogata fuerant aut per indultum Pii VI, in certa ieiunia tempore adventus commutata. Cfr. S. C. Inq. 5 Feb. 1890, 15 Dec. 1897; *Schmalzgr.* l. c. n. 34; *Lehmkuhl* l. c. n. 1221.

(54) Cfr. *Ferreres*, Instituciones II, n. 186, 187 cum notis.

(55) Cfr. Urban. VIII Const. « *Cum evenire* » 15 Oct. 1638 et S. R. C. 24 Maii 1659 in Decr. auth. C. S. R. n. 657, 1116; Bened. XIV cit. Const. « *Liben-*

copi, eadem ieiunia in suis dioecesibus abrogare vel transferre vel relaxaren equeunt (56). Possunt tamen Episcopi et parochi dispensare in ieiunio et abstinentia sicut in diebus festis (cfr. supra n. 513). Quibus in religione clericali exempta aequiparatur Superior quoad omnes religiosos, novitiis non exceptis et quoad illos qui ad normam can. 514 ipsi subiiciuntur quoad sacramenta (can. 1245). Insuper Ordinarii, non solum singulos fideles vel familias, sed etiam totam dioecesim vel eius partem seu locum, possunt a ieiunio et abstinentia, vel etiam ab utraque simul lege dispensare, quando id prudenter exigat peculiaris causa aut magni populi concursus aut publicae valetudinis (57).

II. - De abstinentia.

527. I. Lege abstinentiae obligantur *omnes fideles*, postquam ad annos discretionis (expleto septennio) pervenerunt, nisi propter legitimam causam *excusentur* vel a competente Superiore ecclesiastico rite *dispensentur* (can. 1254) (58).

II. *Obiectum* ordinarium huius abstinentiae sunt carnes animalium, quae in terra respirare debent vel calidum sanguinem habent, non in aquis vivunt et frigidum habent sanguinem (59), salva facultate adhibendi quaelibet condimenta etiam ex adipe animalium.

---

tissime » et Const. « *Prodiit* »; *Schmalzgr.* l. c. n. 47, 48, 49; *Bened. XIV*, Inst. 15, 16; Cfr. recentiora exempla amplissimorum indultorum v. g. pro America latina 6 Iul. 1899 in Analect. eccles. t. VII, p. 368.

(56) Bened. XIV Const. « *Prodiit* » §§ 7 sq.; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. 74; S. C. Inq. 12 Iul. 1770 iunct. aliis resp. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2058 sq.

(57) Bened. XIV Const. « *Libentissime* » §§ 10 sq.; S. C. Inq. 17 Mart. 1883; *Lehmkuhl* l. c. n. 1219. Satis ampla indulta Episcopis concessa sunt *anticipandi* vel etiam *dispensandi* super lege *ieiunii* et *abstinentiae* decreto S. C. Inq. 5 Dec. 1891, iunct. declarationibus eiusdem S. C. 18 Mart. 1896 et 15 Dec. 1897.

(58) Cap. 2, 3 X. de observ.; supra h. tit. n. 521 et text. cit. in not. 41; S. C. Inq. 27 Maii 1671, 13 Mart. 1737 (de Graecis Romae degentibus); facultates quinquennales etc. Episcoporum n. 19 et decreta S. C. Inq. citata in not. 61 h. t. de potestate Episcoporum dispensandi super abstinentia; S. C. C. 15 Dec. 1725 de negata Praelatis regularibus potestate dispensandi integram communitatem religiosam a lege abstinentiae; *Schmalzgr.* l. c. n. 34; *Lehmkuhl* l. c. n. 1207 sq.

(59) *Schmalzgr.* l. c. n. 3, 10; *Lehmkuhl* l. c. n. 1209. *Capellmann*, Medicina pastoralis p. 95 sq.

Numquam ova et lacticinia excluduntur, nequidem in Quadragesima; unde exclusum mansit antiquus rigor, quo etiam diebus dominicis quadragesimae et erat prohibita permixtio carnium et piscium et ova et lacticinia excludebantur. In ecclesia vero orientali etiam in sabbatis solummodo permittitur xerophagia sive « *aridus cibus* » (60).

III. *Tempus*, quo *simplex* abstinentia a carnibus est servanda, sunt omnes *feriae sextae* per annum etiam ieiunio non consecratae et praeterea diebus quibus simul cum ieiunio praescribitur abstinentia. Supra n. 525.

IV. Austerior illa abstinentia vel xerophagia diebus *dominicis* (et sabbatis et festo annunt. B. V. M. in Ecclesia orientali) *quadragesimae* praescripta et expressa lege universali nondum sublata, per indulta apostolica non solum permissis ovis et lacticiniis reducta est ad ordinariam abstinentiam a *carnibus*, sed etiam ipse esus carnium iisdem diebus nunc passim indulgetur (61).

TITULUS XX.

DE PARTICULARIBUS ACTIBUS CULTUS DIVINI DE OFFICIO DIVINO ALIISQUE DEVOTIONES PUBLICIS.

528. Fontes: Decret. Grat. D. 92; c. 3. D. III de consecr.; c. 23 C. XXIV q. 3 iunct. cap. 2 X. de vot. III 34 - Cpl. IV l. III t. 15 de celebr. divini off. — Decret. Gregor. IX l. III t. 41 de celebr. Miss. et sacr. Euchar. et divinis officiis; Const. Clem. V. l. III t. 14 de celebr. Missar. et aliis div. off.; Extravg. com. l. III t. 11 de celebr. Missar. - Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 12 de ref., Sess. XXV contin. decr. de Breviar. - Decret. Clem. Pap. VIII ed. *Sentis* p. 112 sq. - Collect. S. C. de Prop. F. n. 1922 sq. 1961 sq. 1984 sq.; Decret. auth. S. C. R. ed. *Muehlbauer* v. v. Officium, Preces, Processio; Collect. Lac. v. v. Breviarium, Cultus, Procession., Peregrinat.

(60) Benedict. XIV Const. « *In suprema* » 22 Aug. 1741 § 2; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 59; *Nilles* l. c. t. II. p. 83 sq.

(61) Cfr. Synod. provinc. Ruthen. (a. 1891) p. 163 sq., ubi relaxationem abstinentiae tempore quadragesimae extendit paucis exceptionibus factis ad carnes vel saltem ad ova et lacticinia, cum Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 59 antiquae xerophagiae *addat* solummodo *pisces* et *vinum* similesque potiones *parce* sumptas. Cfr. quoque *Papp-Szilagyi*, Enchir. iuris Eccl. Orient. 8 146 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. - *Zech*, de iure rer. eccles. sect. 2 tit. 20 de offic. divino; *Devoti*, Inst. can. l. II tit. 4 de div. officio; *Scherer* l. c. t. II p. 674 sq. 693 sq.; *Hinschius* l. c. t. IV - *Thalhofer* l. c. t. I p. 576 sq. t. II p. 345 sq. Cfr. de aliis scriptoribus antiquis et recentioribus: *Wernz-Vidal* t. II n. 116 not. 3 sq.

Praenotiones

529. I. **Connexio materiae**. Post *sacrificium* Missae de quo actum est sub speciali Rubrica « *De cultu eucharistico* », inter praestantissimos actus *religionis* sive cultus divini recensenda est *oratio* (1). Relicta theologis dogmaticis et moralistis discussione quaestionum de oratione, quae spectant ad revelationem ipsumque ius divinum (2), unice hoc loco inquirendum est de *legibus disciplinaribus ab Ecclesia de oratione latis*. Qua in re, quae certe est provincia *canonistis* propria (3), quamvis Ecclesia vigilantem suam curam etiam impenderit *privatae* orationi fidelium, tamen potissimum pro suo iure *exclusivo* (cfr. Bened. XIV. Const. « *Quemadmodum preces* » 23. Mart. 1743.) sapientibus legibus ordinavit orationes sive preces *publicas*, inter quas eminet « *officium divinum* ».

II. **Definitio.** Oratio dicitur ascensio mentis ad Deum vel petitio decentium a Deo (4).

(1) *Suarez* De virt. et statu relig. tract. II, l. 1, cap. 3, n. 9 sq.; tract. IV, V, VI. l. 4, cap. 1 n. 1! *Kraus* l. c. v. v. Gebet sq. Particulares actus quibus cultus catholicus exercetur ad quatuor revocari possunt: *sacrificium* Missae, *oratio*, *iuramentum* et *votum*. Ex mente ecclesiae *ieiunium* cum *oratione* coniungitur eique dat specialem efficaciam, et per hanc orationis cum ieiunio coniunctionem inducitur optima praeparatio ad dies festos, in quibus peculiari ratione cultus Deo exhibetur.

(2) *S. Thom.*, Summa theolog. IIa IIae q. 83, 84; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. IV prooem. l. 1 sq. v. g. l. 1 cap. 1 n. 6 sq. de definitione orationis, c. 29, 30, de praecepto *divino* orationis; l. 2 c. 4 et l. 3 cap. 6, num oratio mentalis vel vocalis (privata) nitatur praecepto divino vel saltem ecclesiastico; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. I, n. 338 sq.; *Cathrein*, Philoseph. mor. n. 2[illegible]9 sq.

(3) *Schmalzgr.* l. II, t. 41 n. 51 sq.; at v. g. *Pirhing* universam fere disquisitionem de officiis divinis l. III t. 41 omittit, quod « *pleraque satis clara sunt* », ideoque tantum proponit « *singulorum capitulorum summam* ».

(4) *Suarez* l. c. l. 1, c. 1, n. 1 sq. cap. 2 sq., qui de universa illa materia optime disputat inhaerens vestigiis S. Thomae.

III. **Divisio.** Generatim oratio dividitur:

a) In *mentalem* vel internam, quae sola mente consummatur atque signum externum non requirit (5), et in externam vel *vocalem* quae voce quidam consummatur, sed necessario *postulat* actum interiorem tanquam formam sive vitam suam (6), « *cum cultus exterior sit pietatis internae splendor* ». Conc. Lugdun. (a. 1850) in Collect. Lac. t. IV, col. 478.

b) Quae oratio *vocalis* denuo *subdividitur* in *privatam* et *publicam* sive liturgicam. Non raro huiusmodi divisio accipitur sensu lato, quo oratio publica secundum mere extrinsecam et accidentariam denominationem significat omnem orationem extraliturgicam, quae fit in *loco publico* (non occulto vel mere privato) v. g. in ecclesia praesertim a multis ad instar *unius* coetus (7), ita ut ab omnibus aliis percipi possit; vicissim recitatio officii divini facta a sacerdote, quae in se est oratio stricte *publica*, dicitur *privata*, si fiat a *solo* sacerdote *extra chorum* publicum vel communitatem.

At praeter orationem ex *Christi* ordinatione, persona, nomine factam sensu stricto oratio *publica* est illa, quae fit a persona, quam *Ecclesia suo nomine* et iuxta *formam* verborum a se praescripta ad orandum deputavit; *privata* vero audit, quam unusquisque fidelis sua auctoritate sive *suo* privato nomine Deo offert (8).

c) Oratio autem vocalis fit *aut* iuxta *certam verborum formam* antea definitam, *aut verbis prolatis pro arbitrio et affectu orantis* sive *alta* sive *submissa* voce.

Quae ultima species semper adnumeranda est orationi *privatae*, quoniam Ecclesia *de facto* non permittit, ut oratio suo nomine ad Deum fundatur, nisi in forma a se definita et praescripta. Altera quoque species manet oratio *privata* non solum, si forma illa forte ex privata industria fuerit determinata, sed etiam si ab *auctoritate ecclesiastica approbetur* (9), verumtamen ex mera devotione *privata*, non ex *deputatione* Ecclesiae adhibeatur, qua accedente utique fit oratio publica.

d) Denique etiam orationi vocali sive privatae sive *publicae* vel liturgicae quoad rem contentam applicari potest divisio in *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum* actiones (10).

IV. **Notae historicae.** Oratio cum in ipsa natura humana sit fundata, secundum formam suam *genuinam* inde ab initio invenitur apud omnes cultores veri Dei (11). Quare mirum non est, quod Ecclesia Christi a suis primordiis fuerit societas religiosa *orationi* dedita (12). Quodsi ipse Christus Dominus fideles docuit propriam orationem, Ecclesia mox primis temporibus iussit populum christianum singulis diebus *ter* (13) recitare orationem illam dominicam.

(5) *Suarez* l. c. l. 2, cap. 1 sq. cap. 4, ubi fuse demonstrat orationem *mentalem* nulla lege *ecclesiastica* fidelibus praecipi neque ulla lege divina sive naturali sive positiva, sed tantum esse *de consilio*. At cum oratio mentalis supponat solidam instructionem religiosam et idoneam praxim, ideo *libri* de doctrina et praxi orationis mentalis et lectionis praeviae speciali modo sunt censurae ecclesiasticae subiecti. Cfr. Leon. XIII Const. « *Officior. ac muner.* » in nov. decret. general. Ind. n. 20, 41; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 716 sq. de libris precum. Can. 1385, § 1, n. 2.

(6) *Suarez* l. c. tract. IV prooem. Quibus ex notionibus facile deducitur orationem mentalem *tantum* privatam esse posse, quia ab aliis hominibus non percipitur; at oratio vocalis cum sit externa et sensibilis, *potest* esse privata *et* publica.

(7) Quemadmodum mori ecclesiastico refragatur, ut *populus sine sacerdote* ad orandum in *ecclesiam* conveniat, ita etiam in *domos privatas* ad precandum non conveniant fideles, *si* id promovendae devotioni non congruat. Cfr. Synod. Gangr. (a. 343-381) in c. 11, 16 D. 30 et c. 5 D. 41; c. 2 Concil. Caesaraug. (a. 380) = c. 15 D. III de consecr.; S. C. de Prop. F. 3 Aug. 1818 in Collect. eiusd. S. C. n. 1986; Collect. Lac. t. V, col. 164, 499, 721. At pariter Ecclesia reprobat studium quoddam indiscretum *limitandi* devotiones in *domibus privatis* (cfr. S. C. de Prop. F. 27 Sept. 1843 in cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1988) et in publicis orationibus sensu illo latiori intellectis permittit legitimum usum resecatis formis minus convenientibus. Cfr. S. C. de Prop. F. 21 Maii 1856 l. c. n. 1990; *Thalhofer* l. c. t. I, p. 576 de notione devotionis *popularis*.

(8) *Suarez* l. c. l. 3, cap. 2, n. 1 sq. cap. 6, 7, l. 4, c. 1, n. 1 sq. 10 sq.; *Bened. XIV*, Doctr. de serv. Dei beat. l. II, cap. 7, n. 5 sq.

(9) Ecclesia antiquo et novo tempore non paucas huiusmodi *formulas* precandi specialiter approbavit. Cfr. *Suarez* l. c. l. 3, cap. 9, l. 4, cap. 1 n. 12; *Thalhofer* l. c. t. I, p. 470 sq. Qua in approbatione praesertim *litaniarum* sedulo attendendum est, utrum formulae precandi tantum ad usum *privatum*, an etiam ad devotiones *publicas*, etsi extraliturgicas, imo ad ipsas functiones *liturgicas* a competente auctoritate ecclesiastica fuerint recognitae et approbatae. Cfr. Leon. XIII Const. « *Officior. ac muner.* » l. c. n. 19, 20; S. R. C. 16 Iun. 1880 et 29 Octob. 1882 iunct. 11 Febr. 1898 et 2 Apr. 1899; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 498 sq.; *Kraus* l. c. v. v. Gebetsformul., Litanei.

(10) *Suarez* l. c. l. 3, cap. 2, n. 8 sq.; *Kraus* l. c. v. Gebet, Liturg. n. 2.

(11) *Doellinger*, Iudenthum u. Heid. p. 526; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 325, 469 sq. 634 sq.; *Kraus* l. c. v. v. Gebet pr., Liturg. Gebet n. 1.

(12) *Kraus* l. c. cit. v. v.

(13) Doctr. duod. Apost. cap. 8 in ed. *Funk* p. 24 sq. iunct. not. 3; *Suarez* l. c. cap. 6, n. 5 sq. 17.

Quinimo oratio fidelium non solum quoad *tempus*, sed etiam quoad *modum* (standi vel genuflectendi), *gestus* (expansis manibus), *situm* (versus orientem), *formam, locum* ab Ecclesia paulatim fuit accuratius determinata, etsi non semper rigoroso praecepto imposita (14).

Multo magis autem fuit necessarium, ut orationes liturgicae cultus publici in certam stabilemque formam etiam scriptam redigerentur (15). Quae ex natura rei iam suadentur, id ex saeculo tertio et quarto magis magisque etiam expressis documentis comprobantur, atque adeo ad coercendam nimiam libertatem singulorum Episcoporum in condendis novis precibus *liturgicis* ex saeculo quarto non pauci occurrunt canones Conciliorum provincialium (16).

Quo maior in dies facta est *uniformitas* in orationibus stricte *liturgicis*, eo minor evasit potestas Episcoporum quidquam novi in illis statuendi vel immutandi (17), donec tandem aliquando restringeretur ad approbandas preces *privatas* vel *extraliturgicas* salva exceptione quoad ipsas *litanias*, quas tantum ad usum *privatum*, non *publicum* in ecclesiis vel oratoriis *publicis* approbare valent (18).

Atque hoc est principium can. 1259 sancitum: « *Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in casibus dubiis rem totam Sedi Apostolicae subiiciat — Nequit autem loci Ordinarius novas litanias approbare publice recitandas* ».

§ 1. - DE OFFICIO DIVINO.

530. Officium divinum, quod inde a primis saeculis multiplex *nomen* consecutum est, velut operis Dei, horarum canonicarum, psalmodiae divinae, breviarii, cursus ecclesiastici, sacrae synaxis, collectae, nunc vi ipsius vocabuli intelligitur oratio vocalis et publica,

(14) Cfr. c. 20 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 10 D. III de consecr.; c. 90 Conc. Trull. (a. 692); *Kraus* l. c.; supra h. t. III n. 410 sq. 499 sq.; *Suarez* l. c. cap. 7, n. 3 sq. cap. 8, 9.

(15) *Kraus* l. c. v. v. Gebet, Liturg. u. Gebetsformul.; *Suarez* l. c. 1, 4, cap. 1, n. 1.

(16) Cfr. Conc. cit. supra h. tom. ubi de legislatoribus liturgicis n. 324.

(17) Cfr. supra h. tom. III n. 324 sq.

(18) S. R. C. 11 Febr. 1898; h. tit. not. 9; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 451 sq. 459 sq.; Arch. f. k. K. t. XIII p. 28 sq.

quae nomine Ecclesiae quotidie definitis horis publice in choro vel privatim a clericis et religiosis iuxta formam sacris canonibus praescriptam Deo offertur (19).

531. Distinguitur (20) officium divinum I. *ratione materiae*, qua componitur, in *psalmos, lectiones, orationes*, quibus aliae partes v. g. cantica, hymni, benedictiones, absolutiones accedunt; II. *ratione distributionis* singularum *partium* in certas horas, unde officium divinum horae *canonicae* appellantur, in *septem horas* scl. in *matutinum* et *laudes*, in *primam, tertiam, sextam, nonam*, in *vesperas* et *completorium;* III. *ratione temporis*, quo in rigore iuris recitandum est, in *nocturnum* et *diurnum*. Illud complectitur matutinum cum laudibus ita divisum, ut matutinum sive tria nocturna, quae tribus prioribus vigiliis correspondent, ordinarie post mediam noctem recitentur, laudes vero in quarta vigilia prope auroram. Alterum comprehendit reliquas officii divini partes ab aurora (prima) certis horis more Romano computatis (tertia etc.) per diem usque ad occasum solis (vesperae) et crepusculum (completorium) dicendas (21).

532. Principia theologica de oratione *publica* Ecclesiae cum iam alibi fuerint de *clericis* generaliter exposita, hoc loco solummodo breviter in memoriam sunt revocanda. Quare solummodo pauca addenda sunt *de regularibus*, (quibus) ex missione Ecclesiae convenit, « *ut velut alter Moyses* (verba sunt Leonis XIII) *in monte sancto puras levent manus sanctis supplicationibus praeclaras de novis Amalecitis victorias impetrent* ». Quodsi regulares in Ecclesia Dei constituti sunt ad instar *status poenitentiae et orationis*, sane huic insigni missioni optime inserviunt per divini officii recitationem sive

(19) *S. Thom.* l. c. q. 83 art. 12; *Suarez* l. c. l. 4 pr. cap. 9, 10, n. 1 sq. 9 sq.; *Schmalzgr.* l. III, t. 41, n. 51; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 345 sq. 350 sq.; *Baeumer*, Geschichte d. Brev. p. 1 sq. 6 sq.

(20) *Suarez* l. c. cap. 2, 3, 4, 5, 6; *Schmalzgr.* l. c. n. 52 iunct. *Thalhofer* l. c. t. II, p. 353 sq.; *Baeumer* l. c. p. 2 sq.; *Thomassin.* l. c. P. I, l. 2, cap. 72 sq. — Facile est in orationibus ut introducantur sive errores dogmatici sive actus superstitiosi, quorum eliminatio ad ordinariam curam pastoralem pertinet, et in casibus difficilioribus aut dubiis ex natura rei res deferenda est ad iudicium Sedis Apostolicae. Cfr. can. 336 de fine visitationis dioecesis Episcopo impositae.

(21) *Baeumer* l. c. p. 14 sq.; *Suarez* l. c. cap. 3, 4, 5.

privatim sive in choro factam, licet neque *vi professionis religiosae* neque ex natura rei sive iure naturali neque ex positivo iure divino neque ex *universali* lege ecclesiastica *omnes* et *singuli* religiosi vel ordines religiosi ad recitandas horas canonicas obligentur (22).

533. Similiter **historia** officii divini, quatenus in *iure canonico*, requiritur, suo loco fuit proposita non omissis disquisitionibus historicis de *obligatione clericorum* recitandi officium divinum *legibus* ecclesiasticis statuta, quae speciali ratione spectat ad scientiam canonicam. *Wernz-Vidal* tom. II, n. 114 sq.

Cum ex saeculo quarto vita monastica magnum caperet incrementum, recitatio divini officii factum est unum ex praecipuis muneribus monachorum. Quod « *opus Dei* » iam saeculo quarto Hierosolymis non solum a monachis, sed etiam a virginibus Deo sacris aliisque piis fidelibus singulari zelo exercitatum (cfr. S. Silviae Aquitanae peregrinatio ad loca sancta p. 45) inde a S. Basilio et S. Benedicto in regulis monasticis fuit inculcatum. Cuius antiquissimae praxis etiam nunc in Pontificali Romano vestigia reperiuntur, ubi virginibus consecratis hisce verbis *Breviarium* traditur: « *Accipite librum, ut incipiatis horas canonicas et legatis officium in Ecclesia Dei. In nom. P. et F. et Sp. S.* ». Nihilominus antiquissimis quoque temporibus *universalis* quaedam et *scripta* lex de recitatione officii divini per omnes regulares vi professionis faciendae non existit, ut patet ex ipsis ordinibus militaribus et institutis laicis et non paucis ordinibus atque congregationibus religiosis inde a reformatione introductis (23).

534. Disciplina vigens, vi cuius *clerici* ratione maiorum *ordinum* vel ratione *beneficii* ecclesiastici atque *Capitula* et *canonici* ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ad recitationem divini officii secundum *modum* ab Ecclesia praescriptum *obligantur*, in propria sede materiae sufficientem sortita est explicationem (24).

(22) *Wernz-Vidal* tom. II, n. 115, 116; tom. III, n. 383 sq.; *Suarez* l. c. cap. 1, 17; *Baeumer* l. c. p. 6 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 345 sq.

(23) *Wernz-Vidal* t. II, n. 116; *Thomassin.* l. c. P. I, l. 2, cap. 71, 72 sq.; *Kraus* l. c. v. Officium divin.; *Baeumer* l. c. p. 13 sq.; *Duchesne* l. c. p. 474 sq.

(24) Cap. 1, 9 X. de div. officiis III 41 iunct. *Wernz-Vidal* n. 117, 685 sq.; n. 1; *Schmalzgr.* l. c. n. 54, 56 sq.; *Suarez* l. c. l. 4, cap. 9 sq. 16, 18 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 380 sq. 30. Quamvis praeter *ecclesias* cathedrales et

Regulares sive viri sive moniales ratione *professionis religiosae* solummodo ad officium divinum recitandum obligantur, *si* pro suo instituto ad chorum deputati sunt (25). Quae obligatio non afficit *novitios* vel fratres *laicos* etiam in ordinibus ad chorum deputatis nec ordines *militares* vel alios v. g. Societatem Iesu ad chorum specialiter non deputatos.

Porro cum obligatio illa ut localis *proxime* attingat communitatem, imprimis graviter tenet *Superiores regulares*, ut horas canonicas in choro persolvendas *curent*. Mediate vero etiam singuli religiosi saltem vi regulae *personaliter* obligantur ad recitationem divini officii *in choro*. Cui obligationi si non satisfecerint, nihilominus ex *consuetudine* probata omnino manent obligati ad recitationem *privatam*.

Quoad *formam ritumque* locum et tempus recitationis regulares generatim iisdem tenentur normis, quae pro clericis et canonicis saecularibus valent de choro vel privata recitatione, salvis tamen legitimis statutis vel consuetudinibus specialibus.

§ 2. - DE DEVOTIONIBUS PUBLICIS IN GENERE

535. Praeter *horas canonicas*, quae sensu stricto orationi *publicae* sunt adnumerandae, aliae quoque **preces publicae** (26) in Ecclesia reperiuntur. Quibus sane potissimum illae preces *vocales* ad-

collegiatas et regulares (cfr. cap. 1 de celebr. III, 14, in Clem.) ex iure antiquo (cfr. cap. 1 X. III 41 = c. 2, D. 91 = cap. Hincmar. Rem., non Conc. Agath.; cap. 1 de celebr. in Clem.) diu retento etiam in *ecclesiis parochialibus* a parocho aliisque clericis officium divinum publice fuerit recitandum, tamen huiusmodi obligatio iam diu non amplius existit atque secundum consuetudinem et disciplinam nunc vigentem ad modestos terminos v. g. devotionum vespertinarum est reducta. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 10, n. 3 sq.; *Thalhofer* l. c. t. II, p. 380, not. 1.

(25) Cit. cap. 1 de celebr. in Clem.; *Thomassin.* l. c. cap. 71 sq. 78; *Schmalzgr.* l. c. n. 55, 77 sq.; *Suarez* l. c. cap. 10, n. 7 sq. 15 sq. cap. 17; *Thalhofer* l. c. p. 346 sq. 383 sq.; *Piat* Prael. iur. regul. t. I, q. 346 sq.; *Wernz-Vidal* tom. III, n. 383 sq.

(26) Cfr. de cultu *domestico* et approbatis vel non approbatis pietatis *privatae* exercitiis: Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 451 sq. 459 sq.; Synod. prov. Ruthen. (a. 1890) p. 76 sq.; Collect. Lac. t. IV, col. 328, 567, 712; *Beringer*, D. Ablaesse p. 118 sq., ubi longa serie recensentur pietatis exercitia ab Ecclesia approbata et etiam *indulgentiis* donata.

censeri possunt, quae non fiunt a fidelibus ex communi scopo in *ecclesia* tantum ad recitationem *privatam* sive *singularem* confluentibus, sed a communitate quadam fidelium ut membrorum unius personae in loco publico et secundum formulam ab Ecclesia ad usum quoque *publicum*, sed extraliturgicum approbatam et duce aliquo *sacerdote* Deo offeruntur (27). Huiusmodi devotiones, quae non raro vocantur *populares* atque in authenticis libris *liturgicis* propriam quandam formam non habent, sunt v. g. exercitium *viae crucis*, recitatio *rosarii* aliaque exercitia pietatis pro diversitate regionum ex laudabili consuetudine *publice in ecclesiis* recepta et ab *Ordinariis* approbata, non *insolita* proprio ingenio *parochorum* vel sacerdotum inventa (28) vel a potestate *civili* arbitrarie praescripta (29).

§ 3. - DE SACRIS PROCESSIONIBUS (can. 1290-1295).

536. I. **Notio**. **Processio** sacra sive ecclesiastica, de qua unice hoc loco agitur, multiplici ratione appellatur (rogationes, litaniae) et definitur. Generatim vero dici potest: Supplicatio publica Deo facta a communi coetu fidelium clero duce cum certo ritu et ordine ab Ecclesia definito, de loco sacro in sacrum ad excitandam populi christiani pietatem vel ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas vel ad divinum auxilium implorandum vel ad trans-

(27) *Suarez* l. c. l. 4, cap. 1, n. 2 sq.; *Thalhofer* l. c. t. I, p. 576.

(28) Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 452, 456, 458; *Nussi*, Cenvent. p. 109.

(29) Bened. XIV Const. « *Quemadmodum preces* » 23 Mart. 1743, ubi omnino *reprobat* assertum *ius* principum saecularium *directe* indicendi *preces publicas* atque renuentibus infligendi *poenas*.

Non defuerunt etiam nostro saeculo gubernia civilia, quae secundum principia byzantina et protestantica sibi vindicarent ius *praescribendi publicas preces* etiam in ecclesiis *catholicis*. Cfr. v. g. in Gallia art. organ. (a. 1802) art. 49, 51, in Bavaria edictum religionis (a. 1818) § 55; *Hinschius* l. c. t. IV p. 219 sq., ubi alia exorbitantia exempla affert v. g. ex Saxonia. Quae statuta civilia cum suis sanctionibus poenalibus, utpote a plane incompetenti potestate lata, sane valore iuridico carent. At Romani Pontifices, quemadmodum ipsi in concordatis vel indultis apostolicis ad *instantiam* principum saecularium publicas ordinarunt preces (cfr. *Nussi*, Conventiones p. 109 sq. et recentiora concordata. Arch. f. k. K. t. VI p. 378, 465; *Gasparri*, De ss. euchar. n. 913), ita Episcopis iniunxerunt (cfr. Bened. XIV l. c.) aequo libentique animo accipiendi *petitiones* potestatum saecularium, ut publicae pro ipsis fierent preces.

lationem sacrarum reliquiarum insignium (can. 1290) (30). De processionibus *theophoricis* in particulari iam supra actum est sub rubrica de « *De cultu eucharistico* », cuius sunt pars: illae enim magis quam ritus supplicationis, sunt solemnis quidam modus publici et socialis cultus Christo in Eucharistia praesenti tributi.

II. **Divisio**. *Dividuntur* processiones: *a)* in *ordinarias*, quae sive ex iure communi sive iure particulari fiunt *certis diebus* per annum, et in *extraordinarias*, quae ex variis publicisque de causis incidentibus in dies quosdam indicuntur (can. 1290, § 2) (31); *b)* in *generales* sive *publicas* et *particulares* vel *privatas*; illae fiunt ab *universo* clero et populo *omnium* ecclesiarum alicuius loci vel *civitatis*, hae tantum celebrantur intra conventum vel a clero et fidelibus vel confraternitatibus uni ecclesiae *particulari* adscriptis; *c)* in *solemnes* quae expresse hoc nomine in iure appellantur velut processiones theophoricae, in festo S. Marci, pro rogationibus, in die purificationis B. M. V., in dominica palmarum, et *non solemnes* vel minus solemnes, quibus omnes reliquae processiones minore solemnitate celebratae adnumerantur (32).

III. **Historia** nobis exhibet *processiones* sacras iam antiquis temporibus praeformatas esse (33). Id quod potissimum accidit per

(30) Ritual. Rom., De processiou. tit. IX, cap. 1 sq.; *Gretserus*, De cath.
Ecclesiae sacris process. et supplic.; *Ferraris* l. c. v. Processiones; Kirchenlex.
v. Process.; *Kraus* l. c. v. Processionen.
(31) Caeremon. Episc. l. II cap. 16, 21, 32, 33 n. 8 sq.; Rit. Rom. (tit. IX,
cap. 1, n. 8, *ordinarias* vocat, quae fiunt *certis diebus per annum* et enumerat
eas quae fiunt in festo Purificationis B. M. V., in Dominica Palmarum, in Litaniis *maioribus* in festo S. Marci Evang., et in *minoribus* triduo Rogationum
ante Ascensionem D., in festo SS.mi Corpori, Christi, et addit vel aliis diebus
pro consuetudine Ecclesiarum. Quare si *particulari* consuetudine vel *particulari*
iure aliqua ex processionibus *admissis* fiat certo die vel tempore anni haec
in illa dioecesi vel regione inter *ordinarias* recensenda est. — *Admissae* dicendae sunt, quarum causa iam est in libris liturgicis probata. Rit. Rom. l. c. fines
seu causas hoc modo enumerat: *a*) ad petendam pluviam; *b*) ad postulandam
serenitatem; *c*) ad repellendam tempestatem; *d*) pro tempore penuriae et famis; *e*) pro tempore mortalitatis et pestis; *f*) pro tempore belli; *g*) in quacumque tribulatione; *h*) pro gratiarum actione; *i*) in translatione Sacr. Reliquiarum: pro quibus singulis proprium ritum assignat.
(32) *Ferraris* l. c. in append. ed. Cassin. n. 1 sq. Cum clerici saeculares et
regulares ex Concil. Trid. Sess. XXV cap. 13 « *ad* **publicas** *processiones vocati*
accedere » teneantur, frequenter declaratum est *publicas* « *intelligi solitas et consuetas necnon eas, quae indictae fuerunt pro bono* **publico** *publicove honore* » Cfr.
Muehlbauer l. c. v. Processio n. 29, 63.

(33) *Schegg* Bibl. Archeol. p. 470 sq.; *Kraus* l. c. Processionen.

processiones funereas, quae vel ipso persecutionum tempore primis christianis in honorem martyrum v. g. S. Cypriani, Bonifacii aliorumque non fuerunt interdictae (34). Post finitas persecutiones pacemque Ecclesiae restitutam iam inde ex saeculo quarto solemnes celebrantur processiones in translatione sacrarum reliquiarum v. g. S. Babylae, SS. Gervasii et Protasii, S. Meletii vel ad visitanda martyrum sepulchra (35). Quibus processionibus mox accesserunt aliae supplicationes ad avertenda mala v. g. pestem et impetranda bona v. g. pluviam (36). Quae processiones etiam ex certo *ritu* et *ordine* factae sunt. Huc spectat Novell. 123 cap. 32, ubi Imperator Iustinianus pro suo more statuit: « *Omnes vero laicos absque sanctissimis* **Episcopis** *et religiosissimis* **clericis...** *litanias celebrare prohibemus... sed et venerandae* **cruces,** *cum quibus in litaniis incedunt, non alibi, nisi in sacris locis reponantur* » (37).

Inter processiones paulatim introductae celeberrimae sunt, quae dicuntur *litaniae maiores* vel *septiformes* in festo S. Marci atque *litaniae minores* in tribus diebus *rogationum* ante ascensionem Domini. Litania maior c. a. 590-598 a S. Gregorio Romae non instituta, sed potius novo modo *ordinata* est (38); litaniae vero minores a Mamerto, Episcopo Viennensi, c. a. 470-475 ducunt originem, unde in totam Galliam atque adeo in universam Ecclesiam divulgatae sunt (39). Quibus processionibus postea accessit « *solemnissima* » processio theophorica in festo corporis Christi, de qua iam supra actum est.

Toto medio aevo processiones sacrae fuerunt stabili praxi receptae, donec pseudoreformatores etiam hanc partem doctrinae et disciplinae ecclesiasticae impugnarent (40). Ecclesia catholica in

(34) *Kraus,* D. roem. Katak. p. 50 sq.

(35) *Socrat.,* Hist. eccl. l. III cap. 16; *Sozom.,* Hist. eccl. l. VII cap. 10; *S. Ambr.* in epist. 19, 22.

(36) *Socrates* l. c. l. VII cap. 22; *Rufin.,* Hist. eccl. l. II cap. 33; Novell. (Iust.) 67 cap. 1; *Kraus,* Real. Encykl. v. Processionen.; *Gretserus* l. c. l. I cap. 3 sq.

(37) *Socrates* l. c. l. VI cap. 8; *Gretserus* l. c.

(38) *S. Greg.* in ep. l. II 2; *Kraus* l. c. Litanei n. 4; *Duchesne* l. c. p. 276 sq.

(39) *Sidonius Apollin.* l. V ep. 14; *Hefele* l. c. t. II p. 596 sq.; *Kraus* l. c.; c. 27 Conc. Aurel. I (a. 511) = c. 3 D. III de consecr.; c. 2, 3. Conc. Gerund. (a. 517); capit. 16 Synod. Cloveshov. (a. 747); capit. 33 Conc. Mogunt. (a. 813); Kirchenlex. v. Bittgaenge.

(40) *Gretserus* l. c. l. II cap. 1 sq.

Concilio Tridentino reprobatis erroribus et abusibus legitimam praxim processionum sacrarum praesertim theophoricarum denuo confirmatam (41) postea quamplurimis decretis accuratissime ordinavit.

IV. **Principia.** Processiones ab Ecclesia catholica *approbatae,* quae fiunt in locis *publicis* atque usibus mere profanis non exclusive destinatis, certe sunt immunes a superstitione, omnino licitae et honestae atque adeo utiles, imo non raro moraliter necessariae (42). Porro *legitimae* quoque sunt dicendae, cum Ecclesia *pro suo iure* etiam in publicis illis locis *extra* aedes sacras *ordinario* cultui divino dedicatas Deo debitum cultum in forma quadam *extraordinaria magisque* publica exhibere possit. Quare potestas civilis non solum excedit limites competentiae suae, si processiones sacras pro supremo quodam iure reformandi sibi perperam tributo simpliciter abrogat vel prohibet (43), sed etiam si illas *absolute* saltem extra septa ecclesiae interdicit vel propter rationes insufficientes ultra modum *limitat* (44). Quodsi processiones sacrae videantur esse omittendae, verus *iudex competens* de sufficientia causarum per se est Ecclesia, quae profecto audiet peritos in arte v. g. medicos tempore pestilentiae atque multum deferet quoad *facta* iudicio potestatis civilis (45).

537. Disciplina vigens. *a*) **Ius indicendi,** dirigendi, ordinandi processiones *publicas,* quae non iam ex iure communi vel particu-

(41) Conc. Trid. Sess. XIII doctr. cap. 5 can. 6, Sess. XXV cap. 13 de regular.

(42) *Gretserus* l. c.; *Cavagnis,* Inst. iur. publ. eccl. P. II p. 265 sq. 301 sq. Hinc *Hinschius* l. c. t. IV p. 231 errat, si putat Ecclesiam catholicam *tantum* habere ius ad exercitium cultus intra *aedes* huic scopo destinatas, aut vias et plateas publicas *non* esse destinatas ad cultum divinum. Etenim prior assertio est plane *arbitraria* limitatio iuris Ecclesiae; altera vero confundit *finem* quendam *ordinarium* et frequentiorem cum fine *exclusivo* viarum et platearum publicarum.

(43) In huiusmodi exorbitantibus prohibitionibus facile princeps fuit Iosephus II in Austria v. g. in decret. 2 Dec. 1782, ut vel ipsi scriptores acatholici concedunt v. g. *Hinschius* l. c. t. IV p. 231; *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 537.

(44) Cfr. v. g. in Gallia art. organ. 45 (a. 1802), in Italia legge sulla pubb. sicurezza (a. 1889) art. 7, 8 et cod. pen. art. 437, 438; *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 538 sq. 391; *Hinschius* l. c. p. 231 sq.

(45) *Cavagnis* l. c. p. 270 sq.; *Nussi,* Conventiones p. 109 sq. v. g. art. 4 concord. cum Austr. (a. 1855).

lari generaliter sunt prescriptae vel permissae, praeter Pontificem spectat ad Episcopum loci non obstante quacumque consuetudine immemoriali; at omnino requiritur, ut Episcopus praevium petat consilium Capituli, nisi forte ex legitima consuetudine consecutus sit perfectiorem iurisdictionem (can. 1292) (46). Quod ius Episcopi sese etiam extendit ad *prohibendas* ex iusta causa processiones particulares sive *privatas* ex devotione populi vel confraternitatum iam receptas, nec *ipse parochus* vel *Capitulum* absque licentia et *approbatione* Episcopi possunt huiusmodi processiones particulares *denuo* introducere aut consuetas *transferre* aut *immutare* (can. 1294, § 1) (47).

Religiosi etiam *exempti*, salvo iure quoad processionem infra octavam festi corporis Christi (48), processiones particulares solummodo intra *suas* ecclesias vel extra illas, sed prope earundem muros facere possunt vel, ut strictius loquitur Codex, *intra suas ecclesias et claustra*. Extra suas ecclesias et claustra solum de consensu Ordinarii processiones ducere possunt, nisi forte ex peculiaribus privilegiis apostolicis post Conc. Trid. concessis ampliores obtinuerint facultates. Quodsi Ordinarius illam licentiam contra aequitatem canonicam deneget, ab Ordinario ad Sedem Apostolicam i. e. S. R. C. vel S. C. de Rel. patet recursus ad supplendam licentiam (49).

(46) S. R. C. in caus. Elboren. 14 Ian. 1617, in caus. Vigilien. 28 Sept. 1630, in caus. Hisp. 14 Maii 1672, 21 Ian. 1690 ad 1, 2, 3; S. C. C. in caus. Cassan. 6 Iul. 1889 in Act. S. Sed. t. XXII p. 341 sq.; *Ferraris* l. c. n. 4 sq..

(47) S. R. C. in cit. caus. Elboren., in caus. Pisauren. 14 Nov. 1615, in caus. Hispal. 3 Sept. 1695; S. C. C. 13 Iul. 1636; Act. S. Sed. l. c.; *Ferraris* l. c. n. 10 sq.; Collect. Lac. t. V col. 342.

(48) Gregor. XIII Const. « *Cum interdum* » 11 Mart. 1573; S. R. C. in cit. caus. Pisauren., in caus. Cassanen. 8 Apr. 1656; *Ferraris* l. c. n. 28 sq. 41 sq.

(49) S. R. C. in decr. gen. 27 Iul. 1628 ab Urbano VIII, 21 Augusti 1628 approbato, in decret. gen. 12 Ian. 1704 ad 21, 22; S. C. C. allegatae in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 416, n. 10; Act. S. Sed. l. c.; *Ferraris* l. c. n. 26 sq.; *Piat* Prael. iur. reg. II, q. 64, 65, 66. Cum in can. 462, 7° declaretur functio parocho reservata « *publicam processionem extra ecclesiam ducere* », Comm. Codicis, 12 Nov. 1922, ad propositum dubium respondit, hoc valere non solum quando processio initium ducit ab ecclesia paroeciali, sed etiam quando initium ducit ab aliis ecclesiis territorii paroecialis, tametsi non sint filiales et proprium Rectorem habent (A. A. S. XIV, 651). Cum autem decisio dicat firmum permanere non solum canonem 1291, § 2, sed etiam can. 482, non est exclusus interventus Ordinarii, qui, independenter a parocho, alii v. gr. Rectori eccle-

b) **Obligatio interveniendi** in *publicis* (50) processionibus ad tramites Concilii Tridentini Sess. XXV, cap. 13, de reg. incumbit omnibus clericis saecularibus (51) et regularibus etiam exemptis (52), qui saltem per edictum generale *vocati* fuerint (53), iis tantum regularibus exceptis, qui in strictiori *clausura* perpetuo vivunt velut Carthusiani et Eremitae Camaldulenses aut per *privilegium* apostolicum *post* Concil. Trident. directe concessum v. g. Theatinis, Barnabitis, Patribus S. I. aliisque (54) aut ex *consuetudine* legitime praescripta (55) ab hoc onere liberati fuerunt. Quodsi regulares incolant monasterium, quod ultra tria millia passuum distat a loco processionis, lege Tridentina non ligantur, nisi vigeat legitima consuetudo non obstante maiore illa distantia ad processiones accedendi (56).

---

siae possit permittere ducere aliaquam processionem ex sua ecclesia. Etiam ex alia decis. Comm. Codic., 10 Nov. 1925 (A. A. S. XVII, 582) deducitur Ordinarium posse permittere, ut religiosi extra proprias ecclesias et claustra ducant processionem, quin parochus id impedire possit, allegando hanc esse functionem paroecialem ad se privative spectantem. Cfr. *Regatillo*, Jurisprudencia del Código, n. 34.

(50) Cfr. cit. decret. S. R. C. 27 Iul. 1628; *Ferraris* l. c. n. 14 sq.; *Piat* l. c. q. 56.

(51) Clerici saeculares profecto compelli possunt, ut etiam in *particularibus* sive *privatis* processionibus interveniant, si illi ecclesiae particulari fuerint adscripti (cfr. S. C. C. apud *Pignatelli*, Consult. can. t. IV cons. 30, n. 1 sq. 4 sq.); at quamvis clerici beneficiati vel ecclesiae adscripti ab Episcopo cogi possint, ut processionibus generalibus vel *publicis* intersint (S. C. C. 26 Mart. 1678, 6 Aug. 1689; *Ferraris* l. c. n. 67 sq.), tamen sacerdotes nullum officium aut beneficium in civitate vel dioecesi obtinentes ad hoc compellendi non sunt. Cfr. S. C. C. 9 Maii 1597, 12 Iun. 1677; *Benedict. XIV*, Inst. eccles. 31, n. 1 sq.; *Ferraris* l. c. n. 13, 70 sq.

(52) Leon. X Const. « *Cum intra* » 19 Dec. 1516 iunct. Conc. Trid. l. c.; Pii V Const. « *Etsi* » 16 Maii 1567; S. C. C. in ed. *Richt*. Conc. Tr. p. 415 sq.; S. R. C. in decret. gener. 27 Iul. 1628 ab Urb. VIII, 21 Aug. ei. a. confirm., in caus. Sulmonen. 20 Dec. 1659, in caus. Leod. 2 Sept. 1662; *Ferraris* l. c. n. 13 sq.; *Bened. IV* l. c.; *Piat* l. c. t. II, q. 56 sq.

(53) S. C. Ep. et Reg. 11 Maii 1649; S. R. C. in caus. Andrien. 19 Iul. 1710 ad 2. Quodsi clerici vel regulares legitime vocati ad publicas processiones accedere renuant, ab Episcopo *poenis* sibi bene visis ipsisque censuris non exclusis, ut officio suo satisfaciant, compelli possunt. Cfr. S. C. C. in caus. Pap. 8 Maii 1627, in caus. Liman. 16 Apr. 1633, in caus. Albingan. 11 Iul. 1750; S. R. C. in cit. decr. gen. 27 Iul. 1628; *Piat* l. c.q. 57.

(54) Gregor. XIII Const. « *Quaecunque* » 16 Iul. 1576; *Ferraris* l. c. n. 73 sq.; *Piat* l. c. q. 57.

(55) S. R. C. in caus. Placent. 10 Iun. 1602; *Ferraris* l. c. n. 102 sq., *Piat* l. c.

(56) S. R. C. in cit. decr. gener. 27 Iul. 1628; S. C. C. in caus. Strongol. 17 Iun. 1645; *Ferraris* l. c. n. 19.

Laici in confraternitates coadunati ex iure *communi debent* ad omnes publicas processiones accedere saltem si invitantur seu praemoneantur. Quodsi quae existit illorum obligatio ex speciali iuris titulo v. g. ex voto vel iuramento vel statuto sive consuetudine particulari repetenda, Episcopus etiam per poenas arbitrarias potest confratres adigere, ut ad publicas processiones conveniant (57).

At omnes fideles sive viri sive mulieres, nisi specialiter prohibeantur, *possunt* publicis et generalibus processionibus intervenire (58). Laici a clericis, feminae a viris separatae, orantes procedere debent (Rit. Rom. l. c. n. 4).

c) Ritus de ordine *personarum* (59), *loco* et *tempore* (60), *caeremoniis* (61) processionum, qui in libris liturgicis et specialibus decretis S. R. C. tum in genere tum pro specialibus processionibus

(57) S. C. C. 10 Mart. 1663 iunct. 21 Ianuar. 1622, 8 Maii 1627; S. R. C. in caus. Sulmonen. 4 Sept. 1694; Collect. Lac. t. IV, col. 354, t. VI col. 209; *Pignatellus*, Consult. canon. t. I, cons. 307 t. IV consult. 30; *Ferraris* l. c. n. 84; *Scherer* l. c. t. II, p. 695; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 225 sq.

(58) Rit. Rom., De process.; S. R. C. in caus. Cusent. 10 Dec. 1667; *Ferraris* l. c. n. 35, 36.

(59) Qua in re ordo personarum generatim definiendus est secundum leges generales de *praecedentia* atque decreta *specialia* condita de processionibus, in quibus praecedentia digniorum ordinatur ex maiore propinquitate ad ss. sacramentum. Cfr. Caerem. Ep. l. II, cap. 33, n. 5; Rit. Rom. l. c.; S. R. C. in caus. Suessana 29 Nov. 1738 aliisque causis incredibili quodam numero decisis et publicatis in antiqua collectione Gardelliniana vel apud *Muehlbauer* l. c. v. v. Praecedentia, Processio n. 8, 10, 11 sq. 47 sq. vel in Act. S. Sed. v. v. Praecedentia, Processio; *Ferraris* l. c. v. Praecedentia, *Piat* l. c. q. 60 sq. Quodsi in publicis processionibus *quibuscunque* oriantur controversiae, ex Conc. Trid. Sess. XXV cap. 13 de regul. ab Episcopo amota omni appellatione (suspensiva) et non obstantibus quibuscunque sunt componendae. Consonat can. n. 106, 6°. Cfr. quoque Caerem. Ep. l. c. n. 3; S. C. C. in caus. Spolet. 23 Iun. 1623; *Ferraris* l. c. v. Praccedentia, n. 1; aliter *Hinschius* l. c. p. 231 sine solido fundamento. Rituale Rom. tit. IX ritus in variis processionibus servandos accurate tradit.

(60) S. R. C. in caus. Cremonen. 24 Ian. 1643 et in caus. Syrac. 2 Maii 1626, de *duabus* processionibus eodem die in eodem *loco* non habendis praesertim in festo corporis Christi, nisi in casibus a iure exceptis v. g. dominica infra octavam festi corporis Christi, et distinctis horis. Cfr. S. R. C. et S. C. Ep. et Reg. apud *Ferraris* l. c. v. Processio n. 29 sq. At de locis *prohibitis*, de *ecclesia* exitus et regressus, de *viis* consuli possunt: S. R. C. et S. C. Episc. apud *Ferraris* l. c. n. 35 sq.; *Muehlbauer* l. c. v. Processio n. 6, 7, 16, 23, 42, 44, 56, 58, 66 sq.; *Piat* l. c.

(61) Caeremon. Ep. l. c.; Rit. Rom. l. c.; S. R. C. apud *Muehlbauer* l. c. n. 16 sq. 17, 18, 25, 31, 40, 41, 48, 49, 50, 62. — Rit. Rom. l. c. n. 7, edicit proces-

determinantur, diligenter observandi sunt, nec minore cura vitentur necesse est *abusus* haud raro expresse in iure proscripti; at salvae maneant legitimae consuetudines v. g. de guardia honoraria etc. (62).

538. I. **Peregrinatio religiosa** est profectio ad dissitum locum *sacrum pietatis* causa suscepta iuxta *formam* ab Ecclesia approbatam (63).

II. Quae peregrinatio potest esse mere *privata*, quatenus ab uno alterove fideli suscipitur, aut *publica* vel *communis*, quae fit ad instar *processionis* publicae ab integro quodam coetu fidelium. Quodsi attendatur *meta* atque *origo* historica peregrinationum praesertim distinguuntur peregrinationes in *terram sanctam* aut *ad limina Apostolorum*, inter quas praesertim eminet peregrinatio in anno sancto ad lucrandam *indulgentiam iubilaei* suscepta (64) aut ad alia sanctuaria sepulchris Sanctorum, imaginibus miraculosis, factis supernaturalibus praeclara.

III. Cum in ipsa natura humana fundatum sit desiderium adeundi illa loca, quae insignibus factis sunt praeclara, non solum in vetere testamento (65), sed etiam in nova lege peregrinationes reli-

---

siones prius fieri debere; deinde Missa solemniter celebrari, nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel Clero videatur. Sed in hac re ob peculiares usus populorum et ex ipso fine diversae legitimae consuetudines introduci potuerunt.

(62) S. R. C. in caus. Mediolan. 5 Nov. 1667 ad 7; *Muehlbauer* l. c. n. 1, 43, 59; Collect. Lac. t. V col. 342, 477 sq. t. VI col. 322, 380, 386, 407, 533 sq. In Rit. Rom. tit. IX, cap. 1 n. 6 praesertim parochis commendatur ut studeant tollere abusum edendi ac bibendi secumque esculenta et poculenta deferendi in sacris processionibus agrisque lustrandis et suburbanis ecclesiis visitandis.

(63) Ritual. Rom., Benedictio peregrinor. in loca sancta prodeuntium tit. VIII, cap. 11. *Gretserus*, De sacr. et relig. peregrinat.; *Marx*, D. Wallfahrten; *Kraus* l. c. v. Wallfahrten.

(64) Annus iubilaei, si *tempus* consideretur orationi et poenitentias dedicatum, veris temporibus *sacris* (anno sancto) (cfr. supra h. tom. IV n. 393 sq.) adnumerari potest; attentis *conditionibus* praerequisitis ad lucrandam indulgentiam iubilaei (pia visitatio ecclesiarum) iubilaeum inter exercitia pietatis et cultus divini est recensendum. Quodsi ratio habeatur *rei principalis* i. e. plenariae *indulgentiae*, certe de iubilaeo in disputationibus *de indulgentiis*, non de cultu divino est agendum, ut vult *Sprinzl*. Cfr. *Scherer* l. c. t. II p. 671 sq. 694; *Beringer*, D. Ablaesse p. 461 sq. — Cap. 1 (Bonif. VIII a. 1300) 2 (Clem. VI a. 1343) de poenit. V 9 in Extravg. com.; Urban. VI decr. a. 1389; Pauli II Const. « *Ineffabilis* » 19 Apr. 1470.

(65) Exod. XXIII 14, 17; Deuter. XVI 16; *Schegg* Bibl. Archeol. p. 576.

giosae fuerunt receptae. Quare mirum non est, quod inde ab antiquis temporibus pii fideles desiderarint religiose visitare praesertim terram illam sanctam adeo celebrem Christi Domini natali, infantia, iuventute, aetate virili, praedicatione, miraculis, passione, resurrectione, ascensione in caelum, B. Virginis Mariae, Apostolorum, tot Sanctorum insignibus virtutibus et actionibus. Ex primis saeculis Origenes et Firmilianus Caesariensis c. a. 231 atque Alexander, Episcopus ex Cappadocia, c. a. 250 in genuinis documentis expresse commemorantur, quod in terram sanctam pietatis causa peregrinati sint (66). Post finitas persecutiones cum in sanctuariis terrae sanctae fuissent aedificatae magnificae ecclesiae, piorum peregrinorum numerus multum auctus est (67). Praeter terram sanctam praesertim ad almam Urbem sive limina Apostolorum atque multo magis sequentibus saeculis confluebant (68).

Qui peregrini cum suis periculis atque vitiis non carerent, iam ab antiquis Conciliis fuerunt coercendi (69). At Ecclesia catholica similiter curavit, ut pios peregrinos praesertim Romipetas et cruce signatos tempore expeditionum in terram sanctam sub suam protectionem reciperet atque contra iniustas defenderet vexationes (70). Cum pseudoreformatores praeter processiones etiam peregrinationes religiosas impugnarent, Ecclesia principia, quibus disciplina catholica innititur, denuo in Concilio Tridentino approbavit atque per suos theologos egregie defendit (71). Denique ipsis libris liturgicis devotam formam peregrinationum definivit (cfr. Rit. Rom. l. c.), atque in recentioribus quoque Conciliis provincialibus quemadmodum

(66) *S. Hieronym.*, Catal. script. cap. 54; *Euseb.*, Histor. eccl. l. VI cap. 11; *Kraus* l. c. I.

(67) *S. Hieron.* in ep. ad Marcell. 46 n. 9 sq.; *S. Silviae* Aquinatae peregrinatio ad loca sancta.

(68) S. Paulin. in ep. 13 ad Sever.; *Armellini* l. c. p. 552; *Kraus* l. c. II III

(69) Cfr. c. 34 Apost.; c. 7 Conc. Antioch. (a. 341) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 810 de more antiquae Ecclesiae clericis vel laicis iter agentibus dandi litteras commendatitias; c. 5 Conc. apud Nemausum iunct. *Hefele* l. c. t. II p. 650 sq. de communione peregrina; c. 12 Conc. Foroiul. (a. 796); cap. 44, 45. Conc. Cabil. (a. 813); c. 16 Concil. Seligenst. (a. 1022).

(70) Cfr. c. 22 Synod. in palat. Verno (a. 755) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 590 sq.; c. 10 Synod. Longobard. (a. 782-783); c. 16 Conc. Lateran. I (a. 1123) = c. 23 C. XXIV q. 3; c. 22 Conc. Lateran. III (a. 1179 = cap. 2 X. de treuga et pace I 34; c. 1 Concil. Clarimont. (a. 1095) iunct. *Hefele* l. c. t. V. p. 232, 738, 1118, 1013.

(71) Concil. Trid. Sess. XXV decr. de invoc.; *Gretserus* l. c. t. III; *Kraus* l. c.

in peregrinationibus abusus arcere studuit, ita legitimam illarum praxim non omisit commendare (72).

IV. Profecto piae peregrinationes conducunt ad honorem Dei et Sanctorum, exemplis veteris testamenti ipsisque miraculis in sanctuariis patratis commendantur necnon promovent utilitatem ipsorum piorum peregrinorum; sunt enim opus orationis atque poenitentiae et satisfactionis mirumque in modum excitant fideles ad devotionem atque ad imitationem virtutum. Neque quidquam valent argumenta, quae ab antiquis et novis adversariis contra legitimum usum ab Ecclesia probatum opponuntur. Abusus, qui quandoque occurrunt, nihil probant contra legitimum usum ab Ecclesia probatum; secus multa alia exercitia religiosa essent prohibenda (73); multo minus potestati civili iustam suppeditant rationem ultra terminos competentiae suae sese ingerendi in ordinando negotio piarum processionum (74).

V. Ex disciplina quoque vigente piae peregrinationes ab Ecclesia lege quadam generali *non praescribuntur*, sed obligatio, qua quis ligatur, repetenda est ex poenitentia forte imposita (cfr. can. 2313), ex voto (cfr. cap. 2, 4, sq. X. de vot. III, 34) vel iuramento statuto vel consuetudine particulari.

At si piae peregrinationes sive *privatae* sive *publicae* de facto fiant, Ecclesia per modum *consilii*, non praecepti, in Rituali Romano l. c. proponit *formam*, qua sacra peregrinatio rite inchoata et continuata etiam nunc ad laudabilem finem perducatur. Multoque magis salva manet iurisdictio Ordinariorum praesertim ad tollendos abusus, in quorum territoriis peregrini versantur. Si quae incommoda oriantur ex transitu peregrinorum per plures dioeceses, specialibus facultatibus a Sede Apostolica quandoque concessis tolluntur (75).

(72) Conc. Prag. (a. 180) in Collect. Lac. t. V col. 478; Concil. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 457; *Beringer* l. c. p. 273 not. 1.

(73) *Gretserus* l. c. t. III, IV; *Marx* l. c.

(74) Cfr. supra h. tit. n. 536 IV; *Hinschius* l. c. p. 238 sq.

(75) Cfr. Miss. pro peregrinantib. vel iter ag. in Missali Rom.; Leonis XIII Const. « *Rom. Pontificum* » 18 Apr. 1896 in Anal. eccl. t. IV p. 143 sq. Cfr. quoque supra h. tit. not. 72.

TITULUS XXI

DE IURAMENTO (can. 1316-1321)

(In iure Decretal. Lib. II. tit. 24. de iureiurand.) (1)

539. **Fontes:** Decret. Grat. C. XXII q. 1, sq. - Cpl. I, l. II, tit. 17 de iureiur.; cpl. II, III, IV, V, eod. l. et t. - Decret. Gregor. IX l. c.; Decret. Bonif. VIII. l. II, t. 11 eod.; Const. Clem. V l. II, t. 11 eod. - Decret. Clem. Pp. VIII. ed. *Sentis* p. 53 sq.; Const. Mart. V, Clem. XI, Pii VI, apud *Denziger*, Enchirid. n. 519, 1316, 1438; Collect. S. C. de Prop. F. v. Iuramentum; Collect. Lac. v. Iuramentum.

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in cit. tit. - *S. Raymund.*, Summa l. I, t. 9 de iuram. et periur; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. V l. 1 2, 4; *Ferraris* l. c. v. Iuramentum; *Goepfert*, D. Eid; *Esmein*, Le serment promissoire dans le droit canonique; *Scherer* l. c. t. II. 698 sq. - Kirchenlex. v. v. Eid. sq.; *Krauss* l. c. v. Eid. Cfr. quoque ex theologis: *S. Thom.*, Summa theol. IIa. IIae. q. 89: *D'Annibale*, Summul. theol. mor. P. II. n. 24 sq. *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. I. n. 405 sq.; *Zech* De iudic. sec. I, tit. 28; *Zallinger* Instit. l. II, tit. 24.

540. Praeter sacrificium et orationem etiam *iuramentum* inter actus cultus divini referri debet. Est enim *locutio ad Deum*, qua invocatur a nobis aut ut *testis* (iuramentum assertorium) aut tamquam fideiussor (iuramentum *promissorium*) aut ut *mediator* dans virtutem vel favorem desiderio vel ipsi mandato nostro (adiuratio) (2). Porro *votum* quoque est locutio ad Deum, quae cum *oratione* in hoc potius convenit, quod sit modus quidam loquendi ad Deum magis *expressus* et *directus*; nihilominus *iuramentum* cum oratione habet singularem illam connexionem *tacitae cuiusdam petitionis* ad Deum. Quare iuramentum apte coniungitur cum voto sub generali rubrica de cultu divino (3).

(1) Qui titulus in collectionibus authenticis tantum reperitur in *libro secundo*, ubi potissimum agitur de iuramento in *processu canonico*; at in Lib. Sept. post. tit. 9 de reliquiis et vener. inseritur *libro tertio* proprius tit. 10 « *de iuramento et iurisiur. oblig.* », post quem sequitur tit. 11 « *de votis et votor. professione* ».

(2) Cap. 8 X de iureiur. II 24; *Suarez* l. c. tract. V l. 1 cap. 1, 4 l. 2 cap. 2 l. 4 cap. 1.

(3) *Suarez* l. c. tract. V prooem.; *Lehmkuhl*, Theol. moral. vol. I n. 483.

441. Notio et Divisio. Iuramentum ab antiquis et recentioribus theologis et canonistis communiter in genere *definitur*: *Invocatio Dei in testem veritatis* vel paulo fusius ad exprimendam duplicem quandam speciem iuramenti: Invocatio divini nominis in testimonium ad fidem dicto faciendam aut promissionem firmandam. Consonat can. 1316, § 1 (4). Quae definitiones sunt omnino genuinae vereque scientificae, non tantum modo loquendi plebis accommodatae (5); etenim rem principalem i. e. invocationem *Dei* ut testis veritatis sive veracitatis humanae *non omittunt*, nihil obscuri et plane superflui inserunt nec per solam additionem explicitam de *vindicta divina speciem* iuramenti *exsecratorii* cum iuramento in genere vel iuramento contestatorio confundunt (6).

Quodsi theologi (7) iuramentum distinguunt in *mentale* et *vocale*, deinde vocale subdistinguunt in *verum* et *fictum*, *assertorium* et *promissorium*, *contestatorium* et *exsecratorium*, *extraiudiciale* et *iudiciale* cum novis subdivisionibus, certe iuramentum *mentale* non spectat ad *canonistas*. Porro in disputatione *canonica* de iuramento ab ordine *legali* non videtur esse recedendum, manendo in quaestione generali de natura et circumstantiis cuiusvis iuramenti, et remittendo speciales iuramenti applicationes ad propriam sedem materiae. V. gr. ad lib. IV, t. 10, de probationibus (8): pleraeque quaestiones *canonicae* de iuramento potius spectent ad *processum canonicum*; cfr. can. 1829, sq.

(4) *Schmalzgr.* l. II. t. 24 n. 1 sq.; *Suarez* l. c. l. 1 cap. 1 n. 1 seq. l. 2 cap. 5.

(5) Aliter *Scherer* l. c. t. II p. 698.

(6) *Lehmkuhl* l. c. n. 405, 406; *Suarez* l. c. l. 1 cap. 5 n. 3 sq.; *Pirhing* l. II t. 24 § 2. Profecto iuramentum simpliciter *invocatorium* seu *contestatorium* omnino distinguendum ab *execratorio* seu *imprecatorio*: per primum simpliciter Deus invocatur ut testis; per alterum *insuper* invocatur *ut vindex* falsitatis, sive se sive aliud v. gr. filium poenis exponat. Licet qui iuratam promissionem non implet contra religionem peccet et ideo divinam vindictam in se concitat; hoc tamen non aliter fit quam in ceteris peccatis; quare iuramentum promissorium de se non continet imprecatorium.

(7) *Suarez* l. c. l. 1 cap. 1 n. 12 cap. 8, 9 iunct. *Pirhing* l. c.

(8) Iuramentum etiam occurrit in confirmanda fidei professione *pactis obedientia* canonica per iuramentum promissa. Theologi solent cum disquisitionibus positivis *de iuramento* etiam coniungere disputationem de *peccatis* in materia iuramenti commissis. Cfr. *Suarez* l. c. l. 3. Qua in re pariter disputatio *canonica de periurio* atque similibus delictis a propria sua sede materiae in *iure criminali* libri V Codicis non videtur esse avellenda. Cfr. *Hollweck* D. K. Strafgest. p. 194 sq. 281 sq.

542. Principia et canones disciplinares. I. Iusiurandum praestari non potest nisi in *veritate*, *iudicio* i. e. cum reverentia et ex iusta causa, et *iustitia* seu de re bona i. e. iuxta licita et honesta, quod ultimum unice pertinet ad iuramentum promissorium. Iuramentum autem quod *a iure* exigitur vel admittitur personaliter praestari debet nec per procuratorem valide praestari potest (can. 1316).

II. Cum satis notum sit obiectum iuramenti *assertorii* seu obiectum de quo Deus vocatur in testem (sc. assertio veritatis); in *promissorio* est ipsa *promissio*. Haec autem continet imprimis praesentem animum et seriam voluntatem; quare imprimis Deus invocatur in testimonium huius praesentis animi et seriae voluntatis, ut proinde ex hac parte implicite continetur iuramentum assertorium; sed praeterea interponitur divina auctoritas pro futura executione.

Quare qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implere quod iureiurando firmavit (can. 1317, § 1). Nam obligatio, quae ex iuramento promissorio formaliter qua iuramento oritur, semper est in ordine ad Deum eiusque honorem seu ex virtute religionis, quatenus Deus ut testis et quodammodo ut fideiussor inducitur, quo firmius aliis persuadeatur, certam fore impletionem eius, quod promissum est (9). Ipsa vero promissio materialiter spectata, cui iuramentum adiicitur, aut est gratuita sed vera et stricta promissio, de se solam fidelitatis obligationem inducens, aut contractus alterius speciei etiam onerosus.

III. Quod *iusiurandum promissorium* est actus *accessorius*, qui ex se supponit alium actum natura priorem (promissionem gratuitam vel onerosam), cui adiicitur ad illum firmandum. Quare sequitur naturam et conditiones actus quem supponit et cui adiicitur (can. 1318, § 1); ideoque illius actus obligatione corruente, corruit ipsa obligatio religionis; obligatione promissionis impedita etiam iuramenti obligatio impedita manet; sicut promissio in favorem tertii facta ante huius acceptationem non obligat et revocari potest, ita quae fuit firmata iuramento. Atque ita manet limitata illa obligatio religionis in iurante se aliquid facturum. Ipsa quoque obligatio

(9) Cfr. *Suarez* l. c. l. I, cap. 9, n. 5; l. II, cap. 2, n. 1-3; l. III, cap. 16, n. 10-13. Alii explicant dicendo Deum vocari etiam in testem executionis, cfr. *Zech* l. c. n. 360; alio modo rem explicat *Zallinger* l. c. n. 296.

religionis, quae superadditur obligationi ortae ex promissione qua tali, non mutat naturam promissionis nec obligationis ex ipsa ortae: quare in iuramento servandi statuta, decreta, regulas v. gr. dum canonicus admittitur in possessionem canonicatus a capitulo, dum quis admittitur in membrum alicuius universitatis, congregationis, societatis, etc. vel in eiusdem praesidem etc. Obligatio religionis superadditur obligationi, quae orireur ex promissione non iurata et ita erit gravis aut levis, erit sub consilio, sub poena, prout ipsa res, ipsa regula vel statutum postulent; nec se extendet ad statuta edenda sed ad edita; nec impediet mutationem statutorum, quae fiat servatis legibus ipsius personae moralis seu societatis (10). Propter eamdem rationem non violatur iuramentum, si quis secretum iuratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare.

IV. Si iuramentum adiiciatur alicui actui directe vergenti in aliorum damnum, aut in praeiudicium *boni publici* vel *salutis aeternae*, nullam parit obligationem, nec actus ex tali iuramento ullam accipit firmitatem (can. 1318, § 2); actus enim religiosus non potest esse vinculum iniquitatis. Nec iuramenti obligatio reviviscit, si res postea desinat esse illicita (R. I, 18, in VI).

(10) Obligatio iuramenti promissorii *ex parte iurantis* semper est obligatio *personalis*, neque haeredem ipsius vel successorem obligat ex vi iuramenti ad praestandum id, quod promissum fuit a testatore vel antecessore. Quodsi quis iuraverit pro se et successoribus, idem dicendum est; iuramento alterius nemo obligatur nisi in illud consentiat et consentiendo suum faciat. In iuramentis ab aliqua communitate factis, tametsi maior pars communitatis v. gr. capituli, civitatis iuramento se obligaverit ad aliquid praestandum, si quidam de collegio vel communitate contradicant vel non consentiant, hi ex vi iuramenti non obligantur, neque propterea periuri fiunt, etsi iuramentum non servent; at licet hos non afficiat obligatio propria iuramenti, quae cum iurante transit, ex vi tamen pacti vel contractus ex iustitia (non ex religione) obligari possunt haeredes vel successores, in quos pacta et contractus transeunt etiam non facta illorum mentione. *Schmalzgr.* h. t. n. 76 sq.; *Pirhing* h. t. n. 146; *Suarez* l. II, de iuramento, cap. 31, n. 9 et alii passim.

Respectu promissarii, si promissio independenter a iuramento concederet promissario verum ius ita ut peierans erga promissarium teneatur obligatione reali; haec quoque obligatio manebit erga haeredes promissarii; nam iuramentum suscipit naturam et conditiones promissionis vel contractus cui adiicitur tamquam accessorium ipsius: iam vero aliquis iuramenti religione, licet non possit obligare proprios suos haeredes propterea quod est obligatio personalis quae ad non iurantes extendi non potest; at potest iurans se non solum promissario sed huius quoque successoribus obligare, agitur enim semper de obligatione propria iurantis, quam sibi facere potest prout vult. *Schmalzgr.* h. t. n. 79 sq.

V. Quodsi quis, nec vi nec dolo inductus, iuramento praestito privato bono aut favori renuntiat sibi a lege concesso, servandum est iusiurandum quoties non vergit in dispendium salutis aeternae (can. 1317) (11).

Ceterum iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest. Qua in re ius nostrum iuramento noluit applicare, quod can. 1307 statuit de votis, quae nulla declarantur si metu gravi et iniusto extorta sint, inhaerendo in hac re iuri praecedenti, forte quia iuramenta frequentius emittuntur et nimis facilis daretur occasio peierandi; porro metus secundum se iuramentum non reddit irritum.

543. Iuramentum contractui invalido adiectum. Ex iure Decretalium contractus de obiecto possibili et honesto, si sola lege positiva essent irriti, censebantur firmari, si ab eo, in cuius favorem declarabantur invalidi, iuramento valido fuissent confirmata (12). Quamvis non deerant, qui argumentis probabilibus contrarium tenerent (13).

(11) Iuramenta fidelitatis quae a guberniis exiguntur, siquidem agitur de gubernio servante concordiam cum Ecclesia, videntur posse praestari etiam nullis adiectis clausulis, in tali enim casu clausula salutaris « salvis legibus Dei et Ecclesiae » secundum communem sensum subintelligitur et praesumi debet. Non ita facile intelligitur, si gubernium sit in discordia cum Ecclesia et multo minus si hostilitatem in Ecclesiam positive foveat. Hinc explicatur responsum S. Poenitentiariae *negativum* de Italia 10 Dec. 1860, in quo solum tolerari posse declaratur iuramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversentur, secundum formulam iam a Pio VII approbatam hoc pacto: Promitto et iuro me cuiuslibet generis coniurationi, sive conventui, sive seditioni contra gubernium operam numquam daturum, itemque eidem me subiectum fore atque obtemperaturum in iis omnibus quae nec Dei nec Ecclesiae legibus adversentur. Cfr. *Ojetti*, Synopsis II, n. 2550; *Gennari*, Consult. I, cons. 14.

(12) Cfr. cap. 1, 6, 8, 18, 20 X. de iureiurando II, 24; cap. 58 de Reg. iuris in Sext.; cap. 2 de pactis I, 18 in Sext. — In contrarium cfr. Conc. Trid. sess. XXV, de regular. circa renuntiationem bonorum etiam *iuratam* sine forma praescripta, *Schmalzgr.* h. t. n. 86 sq.

Porro si iuramento contractus dicitur *firmari*, sensus est, iuramento effici, ut etiam obligatio *iustitiae*, quae ex contractu *nullo* aut *rescindibili* omnino orta *non* est, aut nonnisi *infirma*, iam revera existat *firma* et insolubilis. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 83; *Lugo*, De iustitia et iure, disp. 22, n. 187 sq., 109 sq.

(13) *Schmalzgr.* l. c. n. 85; *Ballerini-Palmieri*, Opus. morale t. 2 n. 588. — Cfr. quoque *Zech* l. c. § 379 sq.

Qua in re ius Decretalium etiam favorem habuit iuris Rom. Iustinianaei, (non antiqui), in quo plures actus vel contractus recensentur, qui secus quidem irriti, accedente vero iuramento validi ac firmi evadunt.

Ceterum iure Decretalium tot admittebantur exceptiones, ut aliqua earum, attentis iuribus modernis, vix umquam desit. Nam: 1º) excipiebantur pacta vel contractus, qui a iure sive canonico sive civili (i. e. Romano) prohiberentur aut irritarentur principaliter ob publicam utilitatem seu bonum commune; 2º) quando iuramentum directe et principaliter vergeret in damnum tertii; 3º) si pactum vel contractus turpitudinem contineret ex parte creditoris, v. g. iuramentum de solvendis usuris, promissio iurata metu vel dolo extorta; 4º) quoties iuramentum absque peccato iurantis servari non posset. (Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 90, 91).

Iam vero moderna iura hanc vim iuramento non tribuunt; insuper generatim irritos declarant contractus ob bonum publicum, non ob bonum privatum, tametsi in casu particulari privatus homo inde capiat emolumentum aut damnum evitet. Porro Codex canonicus in contractibus ineundis remittit ad Codices modernos respectivae regionis. Ergo iure Codicis dicendum videtur principium propositum de confirmatione contractus *invalidi* per adiectum iuramentum hoc iure novo non valere.

544. I. Cessatio obligationis iuramenti. 1º) Obligatio cessat si remittatur ab eo in cuius commodum factum est; qua in re supponendum est ius alteri esse quaesitum v. gr. per promissionem acceptatam, cui iuri unusquisque potest renuntiare: ubi vero ius alteri quaesitum non sit, non apparet ab hoc posse iuramentum remitti.

2º) Si res iurata substantialiter est mutata, aut, mutatis adiunctis, fiat mala aut omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat.

3º) Deficiente causa finali aut conditione sub quo iusiurandum datum sit, v. g. si iurasti eleemosynam pauperi, qui interim dives factus est, etc.

4º) Demum irritatione, dispensatione, commutatione a legitimo superiore facta (can. 1319).

II. **Irritatio, dispensatio, commutatio iuramenti.** Hanc potestatem habent circa iuramenta, qui habent circa vota, eadem ratio-

ne exercendam (cfr. infra, ubi de voto) (14). Quodsi iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum, qui obligationem remittere nolint, una Apostolica Sedes iusiurandum dispensare potest, si dispensationem exigat necessitas aut utilitas Ecclesiae (can. 1320) (15).

III. **Interpretatio iuramenti.** Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur (can. 1321).

TITULUS XXII

DE VOTO (can. 1307-1315)

545. Fontes: Decret. Grat. D. 27, 28, 30, 31, 32; C. XVII. q. 1; C. XXVII, q. 1. — Cpl. I, l. III, t. 29, de vot. et v. r.; cpl. II, III, V, eod. tit. — Decret. Gregor. IX, De voto et voti redempt l. III, tit. 34 (1); Decretal. Bonif. VIII. l. III. t. 15. eod.; Extravg. Ioann. XXII. t. 6. eod. — Conc. Trid. Sess. VII, doctr. de bapt. can. 9, Sess. XXV, cap. 1, sq. de regular. — Collect. S. C. de P. F. v. Vota; Act. S. Sed. v. Votum.

(14) Cfr. *Ballerini-Palmieri* I, 417 ubi tenet in iuramentis nullam proprie dictam dispensationem intercedere.

(15) Iuramenta, ex quibus tertiis personis verum ius ortum aut firmatum fuit, generatim auferri ab ecclesiastica auctoritate non possunt: iura enim tertiarum personarum laedi non possunt; quodsi ius tertii obstet, etiam non tam facile ratio adesse potest, cur, manente obligatione iustitiae, auferatur obligatio religionis. Quare ut Rom. Pontifex possit ius tertii extinguere dispensando iuramentum accessorium et quamlibet obligationem iurantis, imprimis necesse est ut agatur de materia contractus seu iuris acquisiti quae subsit ecclesiasticae potestati: tunc autem relaxationem debet postulare bonum commune in illo singulari casu, bono enim communi necessario cedere debet bonum privatum. Vix autem hoc modo illa iuris privatio decerni poterit in poenam; licet de potestate Ecclesiae puniendi per ablationem iurium dubitari non possit.

Praeterea Ecclesia in materia suae iurisdictioni subiecta etiam per praeviam legem efficere potest, ut sicut contractus aliquis ita etiam iuramentum quo intenditur firmari irrita sint. Cfr. irritationem renuntiationis bonorum etiam iuratae a regulari facta contra formam praescriptam a Conc. Trid. sess. 25, cap. 16 de regular.; sive hoc fiat reddendo rem illicitam, unde indirecte redditur nullum iuramentum, ut vult *Suarez*, sive actum iurantis in se antecedenter reddendo invalidum ut vult *Lugo*, De iust. et iure, disp. 22, n. 196. — Qua potestate non videtur carere auctoritas civilis in materia sibi subiecta. Cfr. *Lugo* l. c. sect. 8, n. 245 sq.; *Molina*, De iust. t. II, disp. 149, n. 13; *Sanchez*, In Decal. l. 3, cap. 22, n. 10; *Schmalzgr*. l. c. n. 100 sq.; *Pirhing* h. t. n. 139, 159; *Lessius*, De iustit. l. II, cap. 42, n. 55 sq.

(1) *Redemptio voti*, cuius in rubrica collectionis authenticae expressa fit mentio, sensu lato denotat *liberationem* a voti obligatione; at sensu stricto significat singularem illum modum *commutationis* voti, quo obligationi *personali* substituitur onus *reale*; v. g. *peregrinatio* voto promissa commutatur in certam *eleemosynam* solvendam. Id quod frequenter accidit tempore bellorum sacrorum in votis (ultramarinis) factis ad recuperandam terram sanctam, quae toties in illo Decret. titulo commemorantur. Cfr. cap. 1, 2, 7, 8, 9 X. de vot. III 34; *Schmitz*, D. Bussbuecher p. 144 sq. 567, 572, 605, 6013 (de redemptionibus et subrogationibus *poenitentiarum*).

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. — *S. Raymund.*, Summa l. I, t. 8. de voto et votor. transgressorib. et redemptorib.; *Suarez* l. c. tract. VI, l. 1-6; *Ferraris* l. c. v. Votum; *Scherer* l. c. t. II, sq. — *Kraus* l. c. v. Geluebde. Cfr. quoque *S. Thom.*, Summa theol. 705 sq. — IIa IIae q. 88; *Lehmkuhl* l. c. vol. I n. 428 sq.; *D'Annibale* l. c. P. III n. 192 sq.; *Ballerini-Palmieri* t. II n. 602 sq.

Praenotiones

546. I. **Connexio materiae.** Votum est unus ex praecipuis actibus *religionis* (2); est enim pariter locutio quaedam ad Deum, qua vi promissionis Deo factae fit ordinatio quaedam eorum, quae quis vovit, in divinum cultum sive obsequium: in Codice quoque ponitur sub generali rubrica de Cultu divino (l. III, p. III). Quae disputatio de voto praesertim spectat ad ius canonicum ratione *status religiosi*, de quo ius constitutum ex professo in compluribus titulis libri praecedentis exhibetur sub rubrica de personis. At cum titulus de voto sese habeat ad instar *partis generalis* disquisitionum de statu religioso, in quo reperitur unus ex potissimis effectibus *votorum*, recte *Suarez* aliique disputationem de votis *in genere* praemittunt commentariis *specialibus* de statu religioso votisque religiosis; et etiam in tomo « De religiosis » plura de voto in genere iam sunt praeoccupata.

(2) *S. Thom.* l. c. q. 88 art. 5; *Suarez* l. c. tract. V prooem. tract. VI prooem. l. I cap. 15 sq. Cfr. *Schmalzgr.* in prooemio h. t. ubi varias allegat rationes de ordine in iure Decretal. servato.

II. **Definitio** (3). Votum est *promissio* (4) *Deo* (5) *facta;* quodsi dicatur *vera* et *deliberata* promissio Deo *sponte* facta *de* bono *possibili* et *meliore,* profecto *addita* verba non sunt necessaria; etenim tantum explicite significant, quae tribus illis verbis definitionis iam implicite continentur: cfr. can. 1307, § 1, ubi illae circumstantiae enumerantur expresse (6). At vocabula illa « *de bono meliori* » nequaquam reddunt definitionem voti minus accuratam; sunt enim ex communi sententia intelligenda *de re maioris boni non impediente* (7).

III. **Divisio.** Votum dividitur (8): *a)* In *absolutum,* quod fit independenter ab ullo incerto eventu futuro, et in *conditionatum,* cuius obligatio pendet a certa conditione et eius eventu incerto. Quod votum conditionatum denuo subdividitur in *poenale* et *non poenale;* in illo poena a vovente promittitur solvenda in casu, quo hoc vel illud fecerit vel non fecerit, in altero conditio apponitur ut *mera conditio.*

b) In *internum* et *externum;* illud fit actu mere interno vel forte *etiam de* actu mere interno, alterum vero actu externo et sensibili saltem ordinarie *de* sensibili quoque actu; in *expressum,* quo verbis vel scriptura vel nutibus Deo aliquid promittitur, *in tacitum,* quo *factis* concludentibus declaratur voluntas vovendi v. g. per liberam susceptionem ordinis subdiaconatus (9); in *occultum* (vel omnino occultum) et in *publicum* (notorium, manifestum). Quae divisio pertinet ad voti notitiam.

c) At non rare *publicum* opponitur *privato.* Quare alia divisio voti est in *publicum* et *privatum.* Qua in divisione *publicum*

(3) *S. Thomas* l. c. q. 88 a. 1, 2, 7, 8; *Suarez* l. c. tract. VI prooem.; *Schmalzgr.* l. III t. 34 n. 1 sq.

(4) Dict. Grat. i. f. C. XVII q. 1; cap. 3 X. h. t., ubi mero *proposito* vim voti sive verae *promissionis* inesse negatur; nam votum importat decretum voluntatis, quo actu suscipitur *obligatio,* sed merum propositum secum non fert strictam obligationem; *S. Thom.* l. c. art. 1; *Suarez* l. c. l. 1 cap. 2, 3, 4, 5, 14.

(5) *S. Thom.* l. c. art. 5; *Suarez* l. c. cap. 1, 15, 16; *Schmalzgr.* l. c. n. 3 Cfr. cap. 18 X. de cens. III 39 de votis « *Beati Iacobi* ».

(6) *Suarez* l. c. cap. 6 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 428, 435. 438.

(7) *S. Thom.* l. c. art. 2; *Suarez* l. c. l. 2 cap. 1 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 3, 28 sq.; *De Angelis* et *Santi* h. t. n. 1; aliter *Scherer* l. c. t. II p. 704 not. 16 propter rationes minus efficaces.

(8) *Suarez* l. c. l. 1 cap. 19 l. 2 cap. 12; *Schmalzgrueber* l. c. n. 6 sq.

(9) Cap. 6, 8 X. h. t.; *Suarez* l. c. l. 1 cap. 19 n. 15, 16.

votum dicitur illud, quod ab auctoritate *publica* i. e. *nomine Ecclesiae* a legitimo Superiore acceptatur v. g. vota etiam in *simplici* professione religiosa emissa. *Privata* vero sunt illa, quae privato nomine absque ulla *acceptatione* vel interventione nomine Ecclesiae legitime facta nuncupantur v. g. vota devotionis novitiorum vel vota mere privata in piis sodalitatibus (can. 1308, § 1) (10).

d) In *solemne* et *simplex* (11). Quae divisio non nititur differentia quadam specifica, qua utrumque illud votum in ratione *promissionis* Deo factae in duas species distinguatur; huiusmodi enim differentia specifica assignari nequit. Hinc discrimen voti solemnis et simplicis repetendum est ex solemnitate i. e. ex elemento quodam *extrinsecus* ad votum accedente. Qua ratione votum simplex vocatur omne votum, quod solemnitate substantiali *caret;* solemne vero est votum absolutum et de se perpetuum nomine Ecclesiae per legitimum Superiorem ita acceptatum, ut ex *iure ecclesiastico* adiunctam habeat *vim* absolute et irrevocabiliter *inhabilitandi* voventem ad actus voto contrarios (12). Hoc est votum ab Ecclesia uti solemne *agnosci;* quod tradit can. 1308, § 2, sine ulteriori discriminis explicatione.

(10) Cfr. Bened. XIV Const. « *Quamvis iusto* » 30 Apr. 1749 § 18; decr. S. C. Epis. et Reg. 11 Aug. 1889 in Arch. f. k. K. t. 66 p. 159 sq.

Quae vota privata si a tertia quadam persona *privata* acceptantur, sane habent naturam votorum, quae a Bened. XIV Const. « *Benedictus* » 25 Dec. 1750 § 4 appellantur « *obligatoria* » propter ius vel praeiudicium tertii difficilioremque nanciscuntur dispensationem, sed exinde vota stricte publica facta non sunt, quia ex suppositione desunt acceptatio et interventio *auctoritatis ecclesiasticae.* Idem dicendum, etiamsi votum privatum forte *iuramento* fuisset confirmatum.

Quare saltem ex disciplina vigente votum *privatum* nequit confundi cum quolibet voto *simplici,* similiter votum *publicum,* quod *simplex* esse potest, a voto vere *solemni* probe est distinguendum. Cfr. cit. decr. S. C. Ep. et Reg. 11 Aug. 1889; *S. Raym.* l. c. § 1; *S. Thomas* l. c. art. 7 i. f.; *Suarez* l. c. n. 18 sq. At veteres auctores medii aevi verba illa voti *privati, publici, simplicis, solemnis, diversis* modis intellexerunt. Cfr. *Freisen,* Gesch. d. can. Eherechts p. 694 sq.

(11) Cap. unic. de vot. III, 15 in Sext.; *Suarez* l. c. n. 19, 20, cap. 14; *Schmalzgr.* l. c. n. 8; *Piat* Prael. iuris regul. t. I, q. 8 sq.

(12) Profecto votum duplici ratione accipi potest: 1) pro illo ipso *actu* transeunte, quo immediate *obligatio* sive *vinculum* suscipitur; 2) pro obligatione et *vinculo,* quod oritur ex actu transeunte et *permanet* ad instar *habitus* in vovente, ita v. g. in matrimonio per consensum transeuntem inducitur vinculum indissolubile. Quodsi iam attendatur solemnitas voti *in facto* esse, est *vis* absoluta

e) In *personale,* quo actio hominis vel eius omissio, in *reale,* quo res externa, in *mixtum,* quo actio vel omissio hominis simul cum re externa Deo promittitur. (can. cit. § 4).

f) In *perpetuum* et *temporale,* in *reservatum,* quod ex voluntate Superioris v. g. R. Pontificis eximititur a potestate dispensandi vel commutandi inferioris Praelati, in *non reservatum,* quod isti potestati non subducitur (13).

IV. **Notae historicae.** Votum sive promissio Deo facta cum pertineat ad legem moralem et *naturalem,* non ad legem mere caeremonialem veteris testamenti (14), etiam in nova lege inde a primis temporibus invenitur. Cuius praxis exempla iam suppeditat ipsa sacra scriptura (15). Inter illa vota praesertim votum castitatis vel virginitatis singularem celebritatem nactum est (16) multoque magis triplex votum de consiliis evangelicis emissum, quo status religiosus constituitur (17). Neque *Ecclesia* huiusmodi negotium merae devotioni *privatae* reliquit, sed in votis illis v. g. castitatis approbandis vel acceptandis pro diversis gradibus suam interposuit *auctoritatem* (18) atque vota perversa et temere facta non omisit

---

et perpetua inhabilitandi ad actus voto contrarios ex lege ecclesiastica accedens ad obligationem ex voto ortam.

Quare si vis illa permanens inhabilitandi dicitur *effectus solemnitatis* voti, non satis consideratur discrimen inter votum solemne *in fieri* et inter votum solemne *in facto* esse, de cuius essentia potissimum quaeritur, v. g. si agatur de dispensatione *voti solemnis,* quae cadit in *obligationem* voti et in *vim inhabilitandi.* Cfr. *Suarez* l. c. cap. 13, n. 14; *Wernz-Vidal,* De religiosis, n. 320 sq., ubi discrimen inter votum solemne et simplex uberius explicatur, discussis sententiis in eam rem prolatis.

(13) *Suarez* l. c. l. 2 cap. 12.

(14) Deuteron. XXIII 21 sq.; *Schegg* Bibl. Archeol. l. c. p. 474 sq.; *Suarez* l. c. l. 1, cap. 1, n. 4, ubi ex Isaia XIX 21 recte colligit a propheta praedici in regno messianico fideles etiam *votis* Deo cultum esse exhibituros. Cfr. *Knabenbauer,* Comment. in Isaiam t. I, p. 393.

(15) Act. Ap. XVIII 18, XXI 23 sq.; I. Timoth. V 12, iunct. *Euseb.,* Hist. eccl. l. II, cap. 25.

(16) *S. Ignat.* in ep. ad Polyc. cap. 5, n. 1; *Tertull.,* De veland. virg. cap. 11 et passim in aliis opusc.; *Kraus* l. c. v. Geluebde, Asceten.

(17) *S. Hieron.* in ep. 22, 125; *Schiwietz* in Arch. f. k. K. t. 78, p. 3 sq. (de primordiis vitae monasticae et ascet. trib. prim. saec.); *Steiger,* De vitae relig. propagat. p. 36 sq.

(18) *S. Cypr.,* De habitu virg.; Decr. Grat. Dist. 27; *Wilpert* in Act. theol. Oenipont. t. XIII, p. 302 sq. (de virginibus Deo sacratis). Cfr. c. 13, Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 19 Conc. Ancyr. (a. 314) et c. 15, 16, Conc. Chalced. (a. 451)

reprobare (19). Imo vel ipsi Imperatores Romani atque reges christiani medii aevi de votis praesertim castitatis leges condiderunt aut saltem suum praestiterunt brachium saeculare (20).

Postquam saltem ex saeculo duodecimo expressa illa *terminologia* (res enim ipsa est antiquior) de voto *solemni* et *simplici* introducta est (21), non leves ortae sunt controversiae de natura voti solemnis usque ad nostram aetatem nondum penitus sopitae (22). Cum alii alias proponerent *notiones* voti solemnis (23), mirum non est, quod in *enumerandis* votis solemnibus magna exstiterit diversitas opinionum, donec Bonifacius VIII in celeberrima sua Const. = cap. unic. h. t. III, 15 in Sext. saltem in quaestione principali

---

iunct. *Hefele* Conciliengesch. l. c. t. I p. 339 et t. II p. 519 (de *lapsis* virginibus vel adolescentibus Deo per votum castitatis sacratis); c. 27, 28 Conc. Arausic. (a. 441) (de voto viduitatis coram Episcopo in secretario emittendo cum traditione habitus viduarum); c. 2, 25 Conc. Arelat. (a. 443-452); c. 16, 19 Conc. Agath. (a. 506) de voto clericorum; *Weckesser* in Arch. f. k. K. t. 76 p. 83 sq.

(19) Cfr. c. 12 Conc. Aurel. III (a. 533); c. 3 Conc. Antissiod. (a. 585); capit. 15 Synod. Padeborn. (a. 785).

(20) L. 2 Cod. Theod. de rapt. de matr. sanctimon. IX 25 (Iovian. a. 364); L. 27 Cod. Theod. de Episc. XVI 2 (Theodos. a. 390); c. 15 Conc. Turon. (a. 567); *Freisen* l. c. p. 681. Cfr. quoque L. 2 Dig. L. 12 iunct. *Arndts-Serafini* Lehrb. d. Pand. § 241.

(21) Grat. post. c. 8 D. 27; cap. 20 X. de conver. coniug. III 32; cap. 6 X. qui cler. IV 6; *Kraus* l. c.; *Wilpert* l. c.; *Freisen* l. c. p. 676 sq.; *Hefele* l. c. t. III p. 551.

(22) *S. Thom.* l. c. art. 7; *Suarez* l. c. cap. 19 n. 19 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 8; *Lehmkuhl* l. c. n. 498 sq.

(23) Quemadmodum vocabulum « *clandestinitatis* » in iure matrimoniali inde a medio aevo usque ad Concilium Tridentinum *diversas* obtinuit significationes, ita ex antiquis scriptoribus alii votum privatum dixerunt, quod *in abscondito* vel *solo corde nudisque verbis* factum est atque cum voto *simplici* confundebant; alii distinxerunt *duplicem* speciem voti simplicis scl. tum illud, quod in *privato,* tum alterum, quod in *publico* fiat, sed *sine accedente solemnitate.* Vicissim vota *solemnia* aliis visa sunt illa, quibus accessit *benedictio* consecrationis vel propositum religionis (Gratianus), vel quae in *conspectu Ecclesiae* fiebant (Petr. Lomb.), vel quae in conspectu Ecclesiae vel in sacrario in manus *Episcopi* vel *sacerdotis* expresse praestabantur. Cfr. cit. cap. 20 X. de conv. III 32. Quod votum solemne (sicut etiam privatum) potuit esse *manifestum* vel *non* (Rolandus). Quare votum solemne ab aliis vix distinguebatur a voto *publico* et manifesto, cum alii evidenter *praeter* publicitatem requirerent aliquam solemnitatem vel interventionem *personae publicae.* Insuper saltem *solemni voto castitatis* praesertim tribuerunt *vim* irritandi matrimonium *contrahendum.* Cfr. *Gratian.* l. c. in not. 21 h. t.; *S. Raym.* l. c. § 1; *Rolandus,* Summa ed. *Thaner* p. 116 sq.; *Bern. Pap.,* Summa ed. *Laspeyres* p. 113, 149 sq.; *Freisen* l. c. p. 694 sq.; *Scherer* l. c. p. 364 sq. 402 sq.

litem dirimeret (24) scl. « *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* » Praeterea tempore medii aevi Superiores ecclesiastici iam frequenter concedunt *commutationem* vel *dispensationem* votorum (25), neque *irritatio* a foro ecclesiastico fuit aliena (26), licet viri docti de istis quaestionibus in diversas abierint sententias (27). Distinctio quoque antiqui iuris Decretalium inter *vota*, quorum *commutatio* vel *dispensatio* R. Pontifici esset *reservata* vel *non* i. e. inferioribus Praelatis permissa, paulatim tanto rigore fuit in praxim deducta (28), ut quicunque vel solam commutationem quinque votorum R. Pontifici reservatorum absque indulto apostolico praesumeret, ipso facto incurreret *excommunicationem* R. Pontifici reservatam, quae ob silentium Pii IX, in Const. « *Apost. Sed.* » abrogata mansit.

Concilium Tridentinum, condemnata falsa doctrina pseudoreformatorum de votis, etiam novis legibus disciplinaribus praxim

(24) V. g. Glossa anonyma ad Summam Stephani Tornacensis ita exhibet diversitatem votorum solemnium et simplicium: « **Solemne** (votum) *est, quod fit* **aliqua** *istarum solemnitatum interveniente scl. susceptione sacri ordinis* vel *susceptione habitus regularis* **vel** *publica scriptura* **vel** *publica attestatione facta coram publica persona redditione in manu publicae personae. Publica persona hic dicitur Episcopus, Abbas et quilibet sacerdos. Quaelibet autem persona dicitur privata, quantum ad hoc. Aliud autem votum continentiae,* **quamvis sit factum coram multis,** *dicitur simplex, quod* **non** *vestitur* **aliqua** *solemnitate* ». Cfr. quoque Bened. XIV Const. « *Inter praeteritos* » 3 Dec. 1749 § 41; *Freisen* l. c. p. 705 sq.

(25) Cap. 1, 2, 5, 7 X. h. t. iuris Decretal.

(26) Cfr. c. 15 C. XXII q. 5 (ex Synod. Hibern., non Illiber., ut dicitur a Grat.); c. 14 C. XXXII q. 2 iunct. cap. 2 X. h. t. (de impuber.); c. 1 sq. 11 C. XXXIII q. 5 iunct. cap. 9, 12, 16, 17 X. de convers. coniug. III 32 et cap. 9 X. h. t. (de coniug.); c. 2 C. XX q. 4 iunct. cap. 11 X. h. t. et cap. 18 X. de regul. III 31 (de religios.).

(27) *S. Thom.* l. c. art. 10; *Suarez* l. c. l. 6 cap. 9; *Freisen* l. c. p. 716 sq., ubi tamen minus accurate Innocentius III in cap. 6 X. de stat. monach. III 35 in ea dicitur fuisse opini ne, quod Rom. Pontifex super voto continentiae simpliciter dispensare non possit.

(28) Cap. 2, 7, 9 X. h. t. (de voto ultramarino R. Pontifici reservato) iunct. cap. 5 de poenit. V 9 = Sixti IV Const. « *Etsi dominici greg.* » a. 1478 cum expressa enumeratione quinque reservatorum votorum scl. peregrinationis ultramarinae, visitationis liminum Apostolorum Petri et Pauli, in Compostella, castitatis et religionis; Bened. XIV Const. « *Inter praeteritos* » 3 Dec. 1749 § 42.

ecclesiasticam de emissione votorum in institutis regularibus denuo sapienter ordinavit (29). Quae vestigia Patrum Tridentinorum secuti sunt Rom. Pontifices, ut magis patet ex titulis de regularibus seu religiosis, atque etiam de votis extra congregationes religiosas emissis gravissimam causam dispensationis vel commutationis novis Constitutionibus ordinare non omiserunt (30).

§ 1. - DE SUBIECTO VOTI

547. *Omnes fideles* (31) sufficienti usu rationis praediti (32) ex sua parte sunt *capaces* de materia licita votum emittendi, nisi per legitimum Superiorem ecclesiasticum a licita vel etiam a valida voti nuncupatione impediantur (can. 1307, § 2). Etenim *unusquisque homo*, qui caret usu rationis v. g. infans, amens, furiosus, est voti incapax, cum deliberatum consensum praestare nequeat (33); neque per votum *alterius* ligari potest, quoniam votum est actio *personalis*, quae a propria voluntate voventis fiat necesse est et in illa proxime et immediate niti debet (34). At adepto usu rationis ad peccatum mortale requisito *quilibet homo* in materia apta habet liberam et efficacem voluntatem vovendi, quae saltem nullo iure divino positivo vel naturali impeditur; unicum igitur impedimentum voti in homine alias capace et ratione subiecti potest provenire ex prohibitione

(29) Sess. VII doctr. de bapt. can. 9, Sess. XXV de regular.
(30) Bened. XIV Const. « *Inter praeteritos* » 3 Dec. 1749 §§ 40 sq., Const. « *Benedictus Deus* » 25 Dec. 1750 § 4; Collectan. S. C. de Prop. F. n. 446 (de votis virginum christianarum in Sinis) n. 2083 sq. (de facultate dispensandi, de votis a Protestantibus emissis).

(31) S. Poenit. 29 Nov. 1842 in Collect. S. C. de P. F. n. 2086 declaravit: « *Votum* (i. e. a Protestante ante conversionem emissum), *de quo in precibus, esse simplex et voventem teneri ad observantiam voti, si veram habuerit intentionem vovendi* ».

(32) Cap. 2 X. h. t.; *Suarez* l. c. l. 1 cap. 9 n. 4; *Schmalzgr.* h. t. n. 9 sq.

(33) Cap. 15 X. de regular. III 31; *Suarez* l. c. l. 3 cap. 2 n. 1.

(34) *De Angelis*, Praelect. iur. can. l. III t. 34 n. 2 putat votum ab aliqua societate emissum *vi voti* obligare etiam *successores* in eadem societate. Quae sententia non est probabilis, sed si quae in successoribus est obligatio independenter a *proprio* voto, illa *ex iustitia* (fidelitate, gratitudine) aut *ex lege* ecclesiastica est repetenda. Cfr. cap. 6 X. h. t.; *Suarez* l. c. n. 2 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 45 sq. 51 sq.

competentis Superioris humani. Qui Superior cum hac in re pro fidelibus solummodo sit Ecclesia, sponte sequitur omnes fideles sufficienti usu rationis pollentes voti esse capaces, nisi aliunde per *Ecclesiam* impediantur.

At Ecclesia quamvis indubitanter habeat *potestatem personas* fidelium ex iure naturali in materia licita voti capaces *directe* prohibendi tum a *licita* tum per inductionem inhabilitatis etiam a *valida* nuncupatione votorum, ut patet ex professione religiosa votorum solemnium et simplicium (35), tamen *de facto* saltem quoad vota simplicia *extra statum religiosum* sua potestate valde moderate usa est (36) neque ullum fidelem vere reddidit inhabilem ad omnia et singula vota simplicia valide nuncupanda. Imo neque ullum ex hisce votis simplicibus assignari potest, quod ex vi solius iuris ecclesiastici atque ratione *inhabilitatis personae* factum sit *absolute* invalidum, non tantum non *firmiter validum*, ut accidit v. g. in votis impuberum vel religiosorum (37).

548. *Subiectum, cui* per votum aliquid promitti potest, est *solus Deus;* etenim strictum votum est actus latriae, qui soli Deo debetur. Quare si quis Sanctis aliquid promittit, aut strictum votum non emittit, sed exercet actum quendam duliae, aut ad honorandos Sanctos revera Deo aliquid promittit ideoque strictum votum nuncupat (38).

A subiecto, cui per votum aliquid promittitur (*solus Deus* ut dictum est) accurate distinguendum est subiectum *in cuius utilitatem* aliquid Deo vovetur, ut evenit in votis realibus v. gr. si voves Deo praedium tuum sive post certum tempus sive post mortem cedere

(35) Cfr. v. g. cap. 8 X. de regular III 31; cap. 1, 2, 3, eod. III 14 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 15 de regular.; *Suarez* l. c. l. 3, cap. 3, n. 1 sq. 4, 9; *Schmalzgr.* h. t. n. 15.

(36) Instr. S. C. de Prop. F. 19 Apr. 1784 in Collect. eiusd. S. C. n. 446 de voto castitatis in societate virginum sinensium non emittendo ante completum annum vicesimum quintum aliisque cautelis; Conc. prov. Rothomag. (a. 1850): « *Nullius etiam poenitentis, nisi de consensu Episcopi,* (confessarius) *votum sibi ipsi vel ad tempus obediendi recipiat. Huiusmodi promissiones omnino prohibent et, etiamsi iuramento firmatae fuerint, Patres irritas declarant* »; Collect. Lac. t. IV, col. 529 sq. 144, 604 iunct. *Suarez* l. c. n. 12; *Schmalzgr.* h. t. n. 16.

(37) Cap. 2, 7, 9, 11 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 4 n. 1 sq. cap. 5 n. 1 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 12, 14, 15, 17 sq. 75 sq.

(38) *Suarez* l. c. l. 1 cap. 16 et cap. 14, 15; *Schmalzgr.* h. t. n. 3.

ecclesiae, conventui, seminario etc. Quae promissio ius parit in tali persona vel causa pia.

§ 2. - DE CONSENSU ET FORMA VOTI

549. Votum ex natura rei debet fieri *ea deliberatione rationis* sive cum illa animadversione et iudicio intellectus, quae necessaria est, ut voluntas humana sufficientem habeat libertatem ad committendum peccatum mortale (39). Cui deliberationi saltem aliqua ratione obstant ignorantia vel error; at *ipsum valorem* voti solummodo impediunt *error substantialis* sive *ignorantia* circa *substantiales* proprietates et conditiones ipsius *voti* vel eiusdem *materiae* vel *causae finalis,* non ignorantia vel error accidentalis vel levioris momenti, nisi versaretur circa appositam conditionem sine qua non, sive cui voluntas suum alligavit consensum (40).

550. In voto emittendo saltem ea requiritur *libertas voluntatis,* quae ad peccatum mortale sufficit; nam secus votum non amplius est actus humanus; porro sese habet ad instar pacti inter hominem et Deum, quo homo gravissimam in se suscipit obligationem.

Quae libertas sane deest, si per meram violentiam homo ad votum solummodo extrinsecus praestandum adigatur, aut usus rationis penitus perturbetur (41). At *metus gravis,* qui provenit ex actione *iniuriosa* hominis, quae *directe* ordinatur ad *extorquendum* votum, licet substantiam libertatis non tollat, actum vovendi ex iure divino naturali reddit invalidum; cui accedit positivum ius Ecclesiae non solum in casibus in iure speciatim expressis v. g. in professione votorum solemnium (42), sed generali modo can. 1307, § 2, quodvis votum metu gravi et iniusto emissum irritatur (43).

(39) Cap. 2 X. h. t.; cap. 20 X. de convers. coniug. III 32; cap. 2 X. de regular. III 31; *Suarez* l. c. l. 1, cap. 9, n. 1 sq. cap. 10.

(40) Cap. 14 X. de convers. coniug. III 32; cap. 7 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 11, n. 1 sq. 15, cap. 12.

(41) Cap. 20 X. de convers. coniug. III 32; *Suarez* l. c. cap. 6, n. 1 sq.

(42) De iure praecedenti cfr. cap. 17 X. de regul. III 31; cap. 6 X. de his, quae v. I 40; *Suarez* l. c. cap. 7, 8; *Schmalzgr.* l. 1, t. 40, n. 9 sq. n. 20, 21, ubi recte exceptionem propugnatam a *Suarez* l. c. cap. 8, n. 10, 11, de voto ingrediendi in religionem non admittit. In quo iure praecedenti generalis lex

551. Votum fieri potest actu mere interno, atque Deus, qui est scrutator cordium, ad acceptandam hominis promissionem certe forma quadam externa et sensibili voti non indiget (44). Verumtamen ut de voto quodam constet in foro *externo Ecclesiae*, omnino requiritur externa illius manifestatio sufficienti modo facta v. g. in voto ultramarino per publicam susceptionem crucis vel in nuncupatione voti ingrediendi religionem in manus Episcopi et coram testibus vel per scripturam publicam vel per iuramentum, quo votum publice est confirmatum (45); secus executio voti in foro externo ab Ecclesia per actus iudiciales vel censuras urgeri nequit (46). Imo Ecclesia in certis votis v. g. professionis religiosae determinatam formam extrinsecam tanto rigore praescribit, ut illa habeat vim *solemnis formae substantialis* (47), qua non servata votorum nuncupatio eodem modo est *nulla et irrita*, quo matrimonium clandestinum neglecta forma praescripta est invalidum.

§ 3. - DE OBIECTO SIVE MATERIA VOTI

552. Materia, de qua Deo promissio fieri potest, debet esse:

I. *Possibilis.* Nam lex ad impossibilia non obligat; votum autem est lex quaedam voluntate privata suscepta ideoque per modum legis humanae ad ea, quae sunt voventi physice vel moraliter impossibilia, nequit obligare (48).

---

irritans colligi certo argumento non potuit, cfr. cap. 1 X. de his, quae vi I 40; *Schmalzgr.* l. c. n. 19 et l. III, t. 31, n. 173 sq.

(43) Pro iure naturali irritatio innititur illa efficaci ratione, quod Deo acceptum id esse non potest, quod per iniuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturae postulat ut ius in integrum restituatur. Cfr. tamen *Suarez*, De voto, l. I, cap. 7 a n. 12. Quae ratio non valet de votis in metu emissis sed per metum iniustum non extortis.

(44) *Suarez* l. c. l. 1, cap. 19, n. 15 sq.

(45) Cap. 20 X. de convers. coniug. III 32; cap. 2, 5, 7, 8, 9, 10, 11 X. de voto III 34; *Suarez* l. c. l. 1, cap. 3, n. 14, 15.

(46) Cap. 9 X. de regular. III 31; cap. 6 X. h. t.

(47) Cap. 13, 16 X. de regular. III 31. — Quae *solemnitas* substantialis *formae* extrinsecae in nuncupandis votis non est confundenda cum solemnitate substantiali *ipsorum votorum*; nam etiam in professione votorum *simplicium solemnitas quaedam substantialis* quoad *formam* est praescripta; v. g. *acceptatio* professionis votorum simplicium per *legitimum Superiorem ecclesiasticum* ad illius valorem omnino est necessaria, sicut *praesentia parochi proprii* in matrimonio secundum formam Tridentinam celebrando. Cfr. *Suarez* l. c. l. 1, cap. 14, l. 3, cap. 3; *Schmalzgr.* l. III, t. 31, n. 163 sq. 179 sq.; supra h. tit. not. 34; *Suarez*, De leg. l. V, cap. 19, n. 4, 5; *Weckesser* l. c. in Archiv. f. k. K. t. 76, p. 86 sq.

II. *Honesta* sive *moraliter bona.* Etenim votum est actus, quo Deus colitur, sed res, quae honesta sive moraliter bona non est, non potest offerri in Dei honorem. Quodsi hoc obtinet de omni re *inutili* vel *indifferenti*, a fortiori valet de omnibus actibus *malis* sive ob intrinsecam malitiam sive propter prohibitionem legis divinae vel humanae. Nam obligatio ad actum malum nequit assumi, Deo huiusmodi votum est iniuriosum neque ullo modo ab eo acceptari potest (cit. can. 1307) (49).

III. *De bono meliore* sive de actu virtutis *non impediente meliorem.* Omne enim votum inducit obligationem, sed nequit inducere *obligationem* ad *non* faciendum, quod *melius* est; nam Deus *non acceptat* promissionem voluntati suae i. e. sanctificationi nostrae non consonam; at obligatio, qua homo sese ligat ad *omittendum* bonum melius propter minus bonum non consonat illi voluntati Dei; ergo Deo non placet votum, quo homo sese privat *potestate* faciendi melius, atque hoc sensu ad *valorem* ipsius voti requiritur, ut fiat *de bono meliori* (can. cit.) (50).

Quare nequaquam sola opera *consiliorum*, quae sunt *communis* materia votorum, Deo possunt promitti, sed *proprium*, non tantum improprium votum fieri potest de actibus bonis, qui iam aliunde sunt *sub praecepto*, ut praesertim patet ex voto perfectae castitatis. Nam bonum melius optimo iure vocatur illud, quod cuicunque *sibi opposito* est praeferendum, sive praecipiatur sive non; at actus praecepti merito praeferuntur actibus *non* praeceptis, quantumcunque bonis, qui simul fieri non possunt. Neque quisquam voto de re praecepta impeditur a bono meliore; nam eo tempore, quo lex urget, homo nihil gratius Deo facere potest quam observare legem. Porro materia quaedam, licet *ex lege* iam sit praescripta, tamen non est praeceptum, ut per *votum* Deo consecretur, ideoque votum de re praecepta recte dicitur fieri de bono meliori, quoniam quod

---

(48) R. I. 37 in Sext. « *Utile per inutile non vitiatur* »; cap. 3, 12, X. de convers. coniugat. III 32; *Suarez.* De virt. et st. relig. l. c. l. 2, cap. 1, 2, 3; *Schmalzgr.* h. t. n. 24 sq.

(49) *Suarez* l. c. cap. 4, 5; *Schmalzgr.* h. t. n. 3.

(50) *S. Thom.* l. c. art. 2; *Suarez* l. c. cap. 7; *Schmalzgr.* h. t. n. 3, 29, 30; supra h. tit. not. 7.

fit *etiam ex voto*, est melius quam id, quod ex *solo legis praescripto* fit sine voto (51). Porro ad aliquid faciendum vel omittendum potest homo obligari ex duplici titulo obligationis, v. gr. ex exigentia duplicis virtutis.

At votum, quo quis absolute et in perpetuum impeditur ab amplectendo statu *perfectionis* v. g. votum celebrandi matrimonium, saltem *regulariter* non valet; est enim promissio Deo facta de re maius bonum *regulariter* impediente eamque ob causam ex natura rei non valet.

Similiter *omissio* boni operis supererogationis sive *consilii* v. g. non ingrediendi religionem per se et ex genere suo (52) non est materia validi voti; nam *omittere* haec bona per se non est melius, sed ipsa consilia sunt de bonis melioribus. Quare dictum Gratiani post c. 23, C. XXII, q. 4, ubi putat huiusmodi iuramenta vel vota **ex obligatione** i. e. non tantum *de facto non* facere opus melius, esse valida et servanda, per se et formaliter est falsum (53).

§ 4. - DE EFFECTIBUS VOTI

553. I. *Obligatio* voventis ad implendum, quod Deo promiserat, est proximus et quasi intrinsecus *effectus* uniuscuiusque voti. Quamvis enim nulla sit obligatio ad vovendum, tamen si quis libere votum emittit, antecedenter in vovendo obligatur ad servandum

(51) Cfr. c. 1 sq. C. XXVII q. 1; arg. ex cap. 4 X. de iureiur. II 24; *Suarez* l. c. cap. 6.

(52) *Suarez* l. c. cap. 9; *Schmalzgr.* l. c. — Cui doctrinae non obstat Alex. VII Const. « *Cum circa* » 20 Iul. 1660, ubi agitur *de iuramento* (non de *stricto* quodam *voto* iuramento confirmato, ut videtur putare *De Angelis* h. t. n. 2) alumnorum collegiorum pontificiorum non ingrediendi religionem. Nam *iuramentum* illud non est absolutum, quoniam huiusmodi ingressus cum licentia Sedis Apostolicae fieri potest, et praeterea, ut sapienter notat Alexander VII l. c. § 4 contra impugnatores illius iuramenti ex impedimento maioris boni, considerandum est, quid *attenta praesertim temporum ac rerum circumstantia, magis conducat ad sanctae fidei propagationem et universalis Ecclesiae bonum.* Cfr. quoque notam sq. h. tit.; Collect. S. C. de Pr. F. n. 354 sq. praesertim n. 361 ad 2, 3.

(53) Quodsi in particulari adeo urgeat *necessitas*, ob quam opus consilii esset omittendum, tunc illud opus non amplius esset opus consilii; idcirco votum de omissione aut suspensione eius propter talem finem posset esse validum. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 11, n. 3, ubi eandem rationem etiam urget *de iuramento*. Paulo aliter eandem rem explicat *Scherer* l. c. t. II, p. 705, not. 20.

debitum modum et consequenter post votum factum promissis debet stare (54). Qua obligatione *consequenti* votum constituitur in ratione *vinculi permanentis*, quo homo ligatur ad instar vinculi matrimonialis.

Quodsi dubia oriantur de *existentia, valore, exstinctione* obligationis voti, ex legitima interpretatione sunt solvenda (55). Specialim si votum factum sit cum certa *temporis* designatione, intra illud tempus etiam implendum est, nisi iusta et rationabilis causa *dilationis* superveniat (56). Quae designatio temporis si voto non fuerit adiecta, executio voti est facienda, quamprimum iudicio prudentis viri attentis omnibus circumstantiis sine notabili damno fieri potest.

II. Porro res est indubitata, quod votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem (can. 1310, § 1), nec quisquam voto alieno vi voti obligari potest, nisi ipse votum pariter emittat, ut patet ex praecedentibus (57). Hinc filii, haeredes, successores votis parentum, testatorum, antecessorum non ligantur. Nihilominus ex voto etiam *personali* testatoris in haerede potest oriri ex alio titulo obligatio praestandi rem promissam, scl. si haeres ea *conditione* (modo) fuerit institutus, ut rem illam ex iustitia praestet vel sponte promisit testatori promissione humana se facturum ex iustitia vel fidelitate, quod ille voverat (58). Item multo magis obligatio implendi votum *reale defuncti* ipso iure transit ad *haeredem* pro viribus haereditatis, itemque obligatio voti mixti pro parte qua reale est (can. 1310, § 2); at illa quoque obligatio in haerede non inest *vi voti*, sed ex iustitia (59).

III. Ex eodem principio, quod votum non obligat, *ratione sui*, nisi emittentem, sequitur quod si *civitas, communitas*, velut dioecesis, paroecia, voveat peragere tale ieiunium (v. g. in vigilia Pu-

(54) Cap. 6 X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 31 sq.; *Suarez* l. c. l. 4 prooem. cap. 1 sq.

(55) Cap. 3, 7, 10, 11, X. ht.; cap. 8 X. de prob. II 19; cap. 20 X. de conv. coniug. III. 32; cap. 18, X. de cens. III, 39; *Suarez* l. c. cap. 5, 6, 7, 8; *Schmalzgr.* h. t. n. 33; sq. 54 sq.

(56) Cap. 5. 8. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 40; *Suarez* l. c. cap. 12 sq.

(57) Cfr. S. R. C. in caus. de fest. 18 Apr. 1643, in caus. Eporedien. 19 Nov. 1650 (de festis ex voto observandis).

(58) Cap. 6, X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 9, 10; *Schmalzgruber* h. t. n. 45, sq.

(59) Cap. 18 X. de censib. III 39; cap. 6 X. de testam. III 26 iunct. *Suarez* l. c. cap. 11 n. 6 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 51 sq. Cfr. quoque *Lehmkuhl* I, n. 456.

rificationis B. V. M. in gratiarum actionem pro determinato beneficio accepto) *vi voti* non obligantur nisi qui voverunt v. g. qui Episcopo pro dioecesi voventi adhaeserunt cum intentione se eodem Episcopi voto obligandi aut cum eadem intentione ratum habuerunt votum nomine fidelium dioecesanorum factum. Quoad posteros, qui eiusdem communitatis membra facta sunt, nimis evidens est hos non obligari voto communitatis tunc emisso, quando necdum nati erant. Generatim ergo membra communitatis, quae personaliter votum non emiserunt, obligari possunt a legitima auctoritate ecclesiastica, vi legis latae, quae utique ferri etiam potest ob motivum religionis. S. R. C. hac de re constanter respondit, ad huiusmodi observantias per votum inductas solos illos teneri voti obligatione, qui vota emiserunt; reliquos posse teneri ex lege ecclesiastica, quam statuere et ex causa abrogare sit penes auctoritatem ecclesiasticam. Cfr. v. g. *Gardellini* (ed. 3ª) Rescripta Authent. n. 1444, 1621, 1871, 2019, 4152.

554. Praeter *obligationem* voventis ex *omni* voto ortam alii sunt *effectus* (60), qui aut solummodo certis votis sunt proprii aut tantum extrinsecus ad illa accedunt. Qua ratione solemnis professio trium votorum religiosorum legitime facta certe aliquem constituit *in statu religioso*, (61) idemque dicatur de simplici professione in religione approbata emisso.

Porro quaevis vota ante professionem religiosam emissa quoad personalem ipsorum obligationem suspenduntur per validam emissionem votorum in professione religiosa (can. 1315) donec vovens in religione permanserit.

Praeterea alia vota in forma legitima emissa ex *ordinatione Ecclesiae, non vi voti* inducunt in vovente *inhabilitatem* ad actus voto contrarios (62). Id quod perfectissimo gradu fit per vota *solemnia*

(60) *Suarez* l. c. l. 4 prooem.

(61) Cap. 4 X. h. t.; cap. 5 de regular. III 14 in Sext.; *Suarez* l. c. cap. 16 n. 6; *Lehmkuhl* l. c. n. 466.

(62) Si inquiratur de *valore* actuum, qui votis sunt contrarii, sane non est dubium de valore *physico*. Quicumque enim emisit votum non ludendi taxillis vel abstinendi a carnibus, certe non obstante suo voto vere potest ludere physiceque manducare carnes; at hoc loco disseritur de *effectibus moralibus* sive de *valore iuridico* actus contrarii, v. g. num contractus contra votum factus vere sit validus in ordine iuridico, etsi res ipsa physice fuerit vere tradita vel

in professione religiosa et in sacra subdiaconatus ordinatione emissa (63); at minori quadam perfectione quandoque etiam per vota simplicia v. g. in professione votorum simplicium Societatis Iesu. Verum de his aliisque effectibus specialium votorum praesertim religiosorum magis ex professo agendum est in propria sede materiae v. g. in titulo de regularibus et in iure matrimoniali. Cfr. *Wernz - Vidal*, De Religiosis, n. 320, sq; De matrimonio, n. 283 sq. 299 sq.

§ 5. - DE CESSATIONE, IRRITATIONE, DISPENSATIONE, COMMUTATIONE VOTI

555. Haec paragraphus correspondet *secundae* parti rubricae huius tituli in antiquo iure Decretalium (de voto et *voti redemptione*), dummodo vocabulum *redemptionis* non intelligatur sensu stricto de *commutatione* voti *personalis* in votum *reale*, sed sensu lato de omni cessatione vel immutatione voti. Porro *cessatio* voti quamvis vere fieri possit etiam per irritationem vel dispensationem, tamen sensu proprio accipitur de ablatione voti *ab intrinseco* per completam mutationem *obiecti*, in qua, saltem proxime, *auctoritas humana* non intervenit ad *auferendam* obligationem, sed ad summum dat aliquam sententiam *declaratoriam*; at in reliquis modis vinculum voti regulariter tollitur vel mutatur *ab exstrinseco* v. g. per interventionem auctoritatis humanae vi *iurisdictionis* ecclesiasticae vel potestatis *dominativae*.

Voti cessatio - Cessat votum: I. *Lapsu temporis*, si ex intentione voventis tempus fuerit appositum ad *finiendam* obligatio-

donata. Neque multum disputandum est de valore *secundae* promissionis sive Deo sive homini factae, quae *priori* voto ex parte *obligationis* est plane contraria, v. g. si Deo promisi non ludere et postea homini promitto ludere. Nam huiusmodi secunda promissio est evidenter irrita. Omnis igitur disquisitio reducitur ad contrarietatem ex parte *materiae*, v. g. si promisi me certam rem esse daturum in eleemosynam et postea illam vendo. Cui quaestioni ita circumscriptae respondendum est, acta contra votum quamvis illicite fiant, tamen valida esse, nisi aliunde ex statutis Ecclesiae v. g. pro solemni voto castitatis possit probari exceptio. Cfr. *Suarez* l. c. n. 1 sq.

(63) Cap. unic. h. t. in Sext.

nem, non tantum ad executionem ultra designatum tempus *non differendam* (64).

II. *Mutatione materiae*, quae facta est plene *impossibilis* vel *inhonesta*; etenim obligatio exstinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potuit; id quod profecto valet de materia impossibili vel inhonesta *voti* (65), de tali quippe materia votum fieri non potuit.

III. *Cessante conditione*, sub qua vovens in voto suum *alligavit* consensum (66).

IV. *Cessante causa finali*, quia votum non ligat ultra intentionem voventis, quae ex legitima praesumptione sese non extendit ad casum, quo causa finalis voti penitus cessavit (can. 1311) (67); v. gr. votum succurrendi alicui pauperi, qui factus est dives.

V. Vota ante professionem religiosam emissa, eatenus per professionem religiosam cessant, quatenus manent suspensa donec vovens in religione permanserit, ad quam permanentiam per ipsam professionem inducitur obligatio. Quodsi forte a religione professus discedat illorum obligatio reviviscit, nisi ab habente potestatem fuerint irritata (can. 1315).

556. Irritatio voti. I. *Irritatio* est actus liber, quo is, a quo voluntas voventis aut materia voto promissa dependet, tollit voti obligationem (68); et distinguitur in *directam* et in *indirectam*. Directa irritatio refertur immediate in *actum voventis* ita voluntati irritantis personae subordinatum, ut, *nisi* illa positive consentiat vel saltem non repugnet, votum omni valore destituatur; indirecta immediate non cadit in ipsum *votum*, sed respicit *materiam* promissam cuius executionem persona irritans impedit, ideoque saepe magis est temporalis *suspensio*, non *totalis ablatio* obligationis, quae potius fit per accidens, si v. g. votum pro illo tantum *tempore* factum est,

(64) Cap. 5, 8 X. h. t. iunct. *Suarez* l. c. cap. 13; S. C. Ep. et Reg. 10 Ian. 1896 in Anal. eccl. t. V, p. 54; *Schmalzgr.* h. t. n. 58 sq.; *Putzer*, Commentar. in facult. apost. n. 109 i. f.

(65) Cap. 8, 10 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 19, 20; *Schmalzgr.* h. t. n. 60 sq.

(66) S. C. Ep. et Reg. 19 Mart. 1857; *Suarez* l. c. cap. 17; *Schmalzgr.* n. 64 sq.; *Putzer* l. c.

(67) Cap. 7 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 18; *Schmalzgr.* h. t. n. 70 sq.

(68) *Suarez* l. c. l. 6 cap. 1 n. 1 sq. 3, 4, 5.

quo materia voti prohibeatur, aut in voto forte *perpetuo* persona prius existere desinat quam irritatio.

II. *Potestas* directe irritandi vota quamvis aliqua ratione in subiectione impuberum vel religiosorum naturale habeat fundamentum, tamen accedente iure ecclesiastico accuratius constituta est v. g. determinatione temporis atque nequit exerceri, nisi in eos, in quos quis habet *dominativam* potestatem (69). At potestas *indirecte* irritandi vota potest niti *iurisdictione* spirituali vel temporali vel *dominio* de materia voti vel potestate dominativa.

III. *Subiecta* directae potestatis in irritandis votis sunt vi potestatis *dominativae* Rom. Pontifex (70), Superior vel Superiorissa regularis in *subditos religiosos post* emissa vota substantialia religionis (71); item *pater* aliique, in quos auctoritas paterna transiit, in *impuberes filios* quoad vota ante pubertatem valide emissa nec postea denuo confirmata (72). At *maritus* potestatem quandam *directam* irritandi *omnia* vota uxoris non videtur habere, cum neque ex natura rei neque ex iure positivo Ecclesiae tam ampla potestas mariti possit probari (73). Qui habent potestatem sive iurisdictionis sive dominationis in materiam voti, ita ut illam possint efficere impossibilem vel prohibitam, iidem etiam *ex natura rei* pollent iure *indirecte* vota irritandi. Qua ratione v. g. *R. Pontifex* indirecte potest irritare votum peregrinationis *Episcopi*, quo a servanda residentia impeditur, *maritus* vel *uxor* vota alterius *coniugis*, quae ob-

(69) *Schmalzgr.* h. t. n. 75; *Suarez* l. c. n. 8 cap. 6 n. 1 sq. cap. 7 n. 4, 5, 6.

(70) Romanus Pontifex *vi suae iurisdictionis* quamvis vota fidelium quandoque (i. e. non absolute omnia) *indirecte* possit irritare, tamen directe ex potestate quadam *dominativa* non *omnium* fidelium voluntates sibi habet subordinatas ut regulares ceterosque religiosos, et hanc ob causam nequaquam *omnia fidelium* vota *directe irritare valet*. Cfr. v. g. cap. 7 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 1 n. 6 sq. cap. 2; *Piat*, Praelect. iur. regular. t. II p. 330 sq. Multo minus igitur *alii* Praelati ecclesiastici gaudent regulariter potestate *directe* irritandi vota quorumvis fidelium.

(71) Cap. 27 de elect. I, 6 in Sext.; *Suarez* l. c. cap. 7 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 85 sq. At illa potestas Superiorum regularium irritandi sese non extendit in vota *essentialia* status religiosi vel alicuius religionis nec in votum ingrediendi in religionem strictioris observantiae, sed vota facta ipso iure non sunt irrita. Cfr. c. 2 C. XX q. 4; cap. 11 X. h. t.

(72) Cfr. c. 14 C. XXXII q. 2; c. 15 C. XXII q. 5; cap. 2 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 5, 6; *Schmalzgr.* h. t. n. 76 sq.

(73) *Suarez* l. c. cap. 4 n. 1, 2; *Schmalzgr.* h. t. n. 89; paulo aliter *Lehmkuhl* n. 458, 462 aliique.

stant vitae coniugali et domesticae, *pater* votum *filii* puberis et *minoris*, quod praeiudicat administrationi familiae (74).

Hoc autem statuitur discrimen inter irritationem directam et indirectam, quod haec de se suspendit votum; illa ita extinguit ut nullo in casu obligatio postea reviviscat (can. 1312).

IV. *Causa* in irritatione *directa* ad *valorem* irritationis non requiritur, quia persona irritans utitur iure suo circa vota *conditionata*. Quae conditio in casu dissensus non impletur. At causa iusta omnino est necessaria, si votum *indirecte* sit irritandum per validam *prohibitionem* legis vel praecepti, sed ad valorem legis vel praecepti requiritur *iusta causa* (75). Cfr. can. 1312, ubi etiam ad *licitam* irritationem directam videtur requiri iusta causa, ex hoc quod illa privaretur bono in voto contento persona quae votum emisit.

557. I. **Dispensatio** voti est remissio (condonatio, relaxatio) obligationis voto contractae nomine Dei per competentem Superiorem ecclesiasticum vi iurisdictionis spiritualis ex iusta causa legitime facta (76).

Quare dispensatio voti non est mera *declaratio* etiam authentica Superioris ecclesiastici, qua constat obligationem voti aut nunquam exstitisse, aut, si quae fuit, postea ab intrinseco cessasse. Vera enim dispensatio voti *supponit* vinculum obligationis *actu* existens illudque *tollit*, declaratio vero non tollit obligationem existentem, sed potius *manifestat* obligationem saltem actu non existere (77).

Neque remissio illa obligationis est repetenda ex *conditione* votis apposita: « *Nisi Superior ecclesiasticus (saltem ex iusta causa) decernat votum non esse servandum* ». Nam huiusmodi appositio conditionis in omnibus votis est factum arbitrarie confictum. Porro si Superior ecclesiasticus dicatur id decernere posse *sine iusta causa*, dispensatio potius reducitur ad *irritationem*, aut ad plane falsam pervenitur conclusionem scl. veram dispensationem voti *absque iusta causa* posse a Praelato ecclesiastico concedi. Et etiamsi quis ad ef-

(74) Cap. 7, 9 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 5 n. 6 sq. cap. 3, 4; *Schmalzgr.* h. t. n. 78 sq.
(75) *Suarez* l. c. cap. 1 n. 8, 9.
(76) *Suarez* l. c. l. 6 cap. 9; *Schmalzgr.* h. t. n. 101 sq.
(77) Cap. 1, 2 X. h. t. (de vera disp. vel com.) iunct. cap. 3 X. h. t. et cap. 23 X. de iureiur. II 24 (de declar.); *Suarez* l. c. n. 1 sq.

fugiendam ultimam difficultatem inserat conditioni suae clausulam *de iusta causa*, manent reliquae rationes in suo pleno vigore, atque praeterea adversarii nullo modo explicare possunt, cur vota quaedam sint *reservata*, vel alia vota non forte a quolibet parocho vel confessario dispensari possint.

Hinc iuxta constantem traditionem et praxim Ecclesiae ad explicandam dispensationem voti tandem aliquando recurrendum est ad vicariam potestatem, quam Christus Dominus verbis illis: « *Quodcunque solveris* » Ecclesiae reliquit nomine Dei *cedendi iuri* a Deo per acceptationem ex humanis votis quaesito sive *remittendi* (cfr. remissionem peccatorum!) *obligationem* ab hominibus voto contractam. Quae remissio, non ut in aliis dispensationibus ecclesiasticis est *directa* relaxatio *iuris* i. e. **legis** in casibus particularibus, unde *consequenter* cessat obligatio manente lege pro aliis. Etenim Ecclesia legem illam *divinam: Vota Altissimo sunt solvenda*, utpote legem *naturalem* ne in casibus quidem particularibus relaxare valet; at *directe* nomine Dei *remittit obligationem* voti tum pro foro externo tum pro foro interno, atque deinde *consequenter lex* divina de observando voto non amplius urget (78).

II. *Potestas* dispensandi in votis competit: a) *R. Pontifici* (79) quoad omnes fideles in toto orbe catholico et quoad omnia vota etiam solemnia (80). Imo vota quoque facta in *utilitatem tertiae* personae et cum promissione *humana* ab eadem persona *acceptata*, quamvis per se et regulariter a R. Pontifice sine consensu illius tertiae personae dispensari non possint (agitur enim de iure legitime acquisito auferendo), tamen dispensationi R. Pontificis non sunt subducta, si iura illa quaesita v. g. alicuius monasterii su-

(78) *Suarez* l. c. n. 6 sq. 11 sq. 15 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 101 sq.; *Scherer* l. c. p. 706 not. 31, ubi refert aliquas *explicationes* dispensationis votorum plane falsas.
(79) *Suarez* l. c. cap. 10 n. 2 cap. 11 n. 2; *Piat* l. c. t. I q. 10, 153 iunct. q. 186-187.
(80) Quam potestatem dispensandi super votis *solemnibus* R. Pontifex exercere solet per S. C. Inquis., et quoad religiosos per S. C. de Relig. (cfr. Indultum saecularizationis); super aliis votis etiam v. g. per S. C. de Sacr. et alias SS. CC. intra ambitum propriae materiae et pro foro interno per S. Poenitentiariam dispenset. Cfr. Benedict. XIV Const. « *Pastor aeternus* » 13 Apr. 1744 §§ 28, 29 (de facult. Poenitent. Maior.); *Nilles* in Arch. f. k. K. t. 61 p. 329 sq. (de dispens. voti solemn. castit.).

premae administrationi R. Pontificis *subsint*, vel tanta sit *necessitas*, ut propter bonum *commune* R. Pontifex etiam aliquem privatum suo iure privare possit (81).

Exclusiva est R. Pontificis potestas dispensandi in votis Sedi Apostolicae reservatis; sunt autem reservata praeter vota *publica* religionis, vota *privata* sequentia:

1^0) votum perfectae et perpetuae castitatis; 2^0) votum ingrediendi in religionem votorum solemnium. Ut autem haec duo vota sint reservata, debent esse *absolute* emissa, non sub aliqua conditione, et post completum decimum octavum aetatis annum, abrogata aliorum votorum reservatione (can. 1309).

b) Ordinarius loci vi potestatis *ordinariae* sibi a Romano Pontifice per ius ipsum communicatae (82), vota non reservata iusta de causa dispensare potest, non tantum quoad fideles sibi *subiectos*, sed etiam quoad peregrinos (83); pro votis dispensationi R. Pontificis *reservatis* (84) Sedes Apostolica in facultatibus specialibus ampliorem *delegare* potestatem (85) solet, saltem pro foro interno.

c) Aliis Praelatis ecclesiasticis iurisdictione *episcopali* instructis, quibus privilegio Sedis Apostolicae potestas ordinaria vel delegata dispensandi cum suis *subditis* sive pro foro *externo* sive saltem pro foro *interno* super votis non exceptis fuerit concessa v. g. Prae-

(81) *Suarez* l. c. cap. 15 n. 1 sq. 7 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 101.
(82) Cap. 1 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 10 n. 3 sq. cap. 11 n. 3 sq. cap. 26; *Schmalzgr.* h. t. n. 103.
(83) Iure praecedenti solebat requiri subiectio, quae constitueretur per verum vel quasi domicilium a fideli legitime intra dioecesim *in parochia* quadam acquisitum; sed passim admittebatur simplex commoratio saltem *quoad vagos*; imo ex benigniore sententia magis recepta, sed antiquioribus minus probata, extendebatur potestas ad peregrinos saltem in votis privatis, dummodo dolus et fraus abessent. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 11 n. 10, 11; *Schmalzgr.* l. c.; *Lehmkuhl* l. c. n. 472; *Scherer* l. c. t. II p. 706 not. 32; *Putzer*, Comment. in facult. apostol. n. 49.
(84) Cap. 2, 7, 9 X. h. t. iunct. cap. 5 de poenit. V 9 in Extravg. comm. de quinque votis R. Pontifici reservatis iunct. *Suarez* cap. 21 n. 2 sq.; *Scherer* l. c. p. 706 not. 32. At vota illa solummodo reservata erant, si quoad materiam *et* modum essent *perfecta*. Quare illa vota, si v. g. fuissent conditionata, disiunctiva, poenalia, metu iniusto extorta, leviter obligantia, reservationi pontificiae non erant obnoxia. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 2085, 2087, 2088, 2091; *Lehmkuhl* l. c. n. 478; *Schmalzgr.* h. t. n. 108 sq.; *Putzer* l. c. n. 107 sq; *Suarez* l. c. cap. 21 sq.
(85) Cfr. v. g. facultates quinquennales n. 9; facult. in pag. Poenit. n. 9, 10; *Putzer* l. c. n. 106 sq.; *Suarez* l. c. cap. 25.

latis regularibus. Iure Codicis facultas dispensandi vota non reservata fit Superioribus religionis clericalis quoad personas sibi ad normam can. 514 subditas (86).

d) Quae sit *aliorum* virorum ecclesiasticorum potestas dispensandi super votis ex generalibus vel specialibus facultatibus a Sede Apostolica delegatis est eruendum (87).

III. *Causa iusta et proportionata* in votis dispensandis adeo necessario requiritur, ut secus dispensatio non solum sit *illicita*, sed etiam *irrita*. Nam inferior sine iusta et proportionata causa nequit valide dispensare in lege Superioris, quoniam Superior censetur inferiori dedisse huiusmodi potestatem tanquam prudenti, non arbitrario dispensatori. Hinc inferior per remissionem iuris, Deo ex voto quaesiti, transgrederetur limites *potestatis sibi concessae* ideoque poneret actum omnino *invalidum* (Cfr. can. 84).

Quae causae iustae generatim haberi possunt ex *modo* vovendi, ex conditione *personae*, ex *materia* voti, sive in se spectata sive in ordine ad personam voventem, ex nova rerum *cognitione* et *immutatione* superveniente, ex necessitate quadam extrinseca, v. g. si defuerit in vovente perfecta deliberatio iudicii vel libertas in voluntate velut in impubere, in homine passione agitato vel metu iniusto ad vovendum compulso; si timeatur ruina spiritualis voventis propter ipsius fragilitatem et inconstantiam, vel immineat damnum familiae, vel impediatur *commune bonum* reipublicae (cfr. cap. 5, 7, X. h. t.); si in voti executione appareat gravis difficultas antea non praevisa, sed ex sese insufficiens ad tollendam voti obligationem. At in omnibus istis exemplis et factis suprema norma prae oculis est habenda, quod de sufficientia causarum iudicandum sit *prudenti arbitrio attentis omnibus circumstantiis* (88).

(86) *Suarez* l. c. cap. 10 n. 13 sq.; *Schmalzgr.* h. t. 103 sq., ubi recte tenet potestatem iurisdictionis dispensandi Praelatorum regularium sese extendere etiam *ad vota novitiorum.*
(87) Que in re potissimum confessarii regulares ordinum mendicantium attendant necesse est, quid sibi a suis Superioribus regularibus pro foro interno vel externo ex privilegiis suorum ordinum etiam quoad personas saeculares fuerit communicatum. Cfr. Bened. XIV Const. « *Inter praeteritos* » 3 Dec. 1749 § 44; *Reiffenstuel* l. III t. 34 n. 39 sq.; *Suarez* l. c. cap. 14; *Putzer* l. c. n. 108; *Piat* l. c. t. II q. 412 sq.
(88) Cap. 1, 2, 8, 9, 10 X. h. t.; facult. quinquen. l. c. « *dispensandi ex rationabili causa* »; *Suarez* l. c. cap. 17; *Putzer* l. c. n. 107.

IV. *Forma* legitima in dispensatione votorum profecto imprimis requirit, ut procedat ex *seria* et libera voluntate dispensantis Praelati ecclesiastici. Porro absit necesse est omnis *obreptio* vel *subreptio*, quae iuxta theoriam in titulo de rescriptis traditam vitiat etiam valorem gratiae concessae (cfr. can. 42). Denique dispensatio iis signis et *formalitatibus externis* indulgeatur, quae ex natura rei et consuetudine universali et speciali mandato rescripti requiritur (89).

V. *Effectus* dispensationis voti potest esse *totalis exstinctio obligationis voti;* at non raro nomine dispensationis designatur actus Superioris ecclesiastici, qui votum perfecte et perpetuo non tollunt, sed potius *commutant* vel suspendunt eiusque executionem *differunt*. Cfr. v. g. cap. 5, 8, X. h. t.

Id quod potissimum in rescriptis pontificiis attendendum est, si petita fuerit dispensatio quaedam voti *castitatis* praesertim *solemnis*, quae non solet concedi cum *plena obligationis exslinctione,* sed tantum in ordine ad *unum* matrimonium valide et licite celebrandum atque ad *legitimum* eiusdem matrimonii *usum*. Quare pars dispensata, si alter coniux moriatur, denuo tenetur omnibus voti obligationibus et ad secundas nuptias sine nova voti dispensatione vel potius commutatione Sedis Apostolicae transire nequit; insuper etiam contra *votum* castitatis peccat, si extra legitimum matrimonii usum committat peccatum luxuriae (90).

558. I. **Commutatio** voti est substitutio alterius operis pii vel *melioris* vel *aequalis* vel *minoris* loco rei promissae et virtute prioris voti praestandae (91).

II. Quae commutatio in opus *certo melius propria auctoritate voventis* fieri potest, nisi agatur de votis, quorum dispensatio vel commutatio Rom. Pontifici est reservata. Nam promissionem non infringit, qui illam in meliorem commutat; porro Deo magis placent, quae sunt meliora, idcirco de eius acceptatione dubitari nequit;

(89) Cap. 7 X. de fide instrum. II 22; *Suarez* l. c. cap. 27; *Putzer* l. c. n. 53, 54, 104, 110; *Zitelli*, De dispens. matrim. p. 94 sq.

(90) *Bened. XIV*, Const. « *Convocatis* » 25 Nov. 1749 n. 9, 10, 32, Const. « *Pastor aeternus* » l. c.; *Suarez* l. c. cap. 1 n. 13 cap. 9 n. 2, 16 cap. 26 n. 11, 14; *Putzer* l. c. n. 107; *Zitelli* l. c. p. 96 sq.; *Nilles* l. c.

(91) *Suarez* l. c. cap. 9, 20 n. 14 sq.; *Schmalzgr*. h. t. n. 92.

omni igitur voto censetur inesse conditio: *Nisi rem meliorem elegero* (92).

At commutatio voti in *opus minus,* cum evidenter sit saltem *partialis dispensatio*, sine auctoritate *competentis Superioris ecclesiastici* fieri nequit. Imo etiam *in opus certo aequale* privato arbitrio vota commutari non posse haud raro Doctores docebant ex illa ratione, quod, praeter practicum periculum loco boni aequalis praestandi bonum *minus*, sane Deo *gratius est* existimandum, si res promissa in sua specie fideliter praestetur, atque ob eam causam a Deo opus substitutum *non acceptari* (93). At can. 1314 etiam commutatio in bonum aequale committitur voluntati voventis, modo a memorato periculo hallucinationis caveatur.

III. *Potestas dispensandi* in votis includit etiam potestatem *eadem* vota *commutandi*, non vicissim. Nam ex R. I. 53 in Sexto: « *Cui licet*, quod est *plus, licet utique, quod est minus* »; at cum perfecta dispensatio *voti obligationem* omnino *tollit*, in commutatione solummodo aequale vel minus onus *manente voti obligatione* substituitur (94). Quare omnes Superiores ecclesiastici, quibus supra dictum est competere potestatem *dispensandi,* etiam gaudent potestate *commutandi* vota intra *limites* sibi assignatos; nequeunt igitur commutare vota *superiori* auctoritati *reservata* vel a *tertio*, in cuius utilitatem facta sunt, *acceptata*, nisi Superior ecclesiasticus v. g. R. Pontifex pro sua singulari auctoritate huiusmodi ius quaesitum a tertia illa persona auferre valeat (95).

IV. *Causa iusta et proportionata* etiam ad commutationem voti requiritur. Quodsi votum commutetur in *opus certo melius* praestandum, *ipsa subrogatio* operis melioris est causa sufficiens commutationis (96); at substitutio operis *dubie* melioris vel *aequalis*

(92) Cap. 18 X. de regul. III 31; cap. 1. 4 X. h. t.; arg. cap. 3 X. de iureiur. II 24; *Suarez* l. c. cap. 18; *Schmalzgr*. h. t. n. 93; *Putzer* l. c. n. 106.

(93) Cap. 1 X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 19, 20; *Schmalzgr*. h. t. n. 93 sq.

(94) *Suarez* l. c. cap. 12 sq.; *Schmalzgr*. h. t. n. 98. At potestas dispensandi et commutandi vota simplicia certo non includit potestatem dispensandi *vota iurata* (S. C. de Prop. F. 3 Maii 1828), et facultas dispensandi *a votis per se* non continet facultatem dispensandi *a iureiurando* (S. C. de Prop. F. 19 Maii 1845). Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 2085, 2087; *Putzer* l. c. n. 109, 107 i. f.

(95) *Suarez* l. c. cap. 15 cap. 18 n. 11; *Schmalzgr*. h. t. n. 99; *Putzer*. l. c. n. 106, 107, 108, 109.

(96) *Suarez* l. c. cap. 18 n. 8, 9, 10, 14.

vel *minoris* absque causa iusta et proportionata *vereque distincta* nec licite nec valide fieri potest; etenim haec commutatio est species *verae dispensationis*, quae sine iusta et proportionata causa est illicita et invalida (97).

PARS TERTIA

TITULUS XXIII.

DE COEMETERIIS

559. Fontes. Decr. Grat. C. XIII q. 1, 2; c. 49 D. I, de consecr. — Cpl. I, t. 24 de sepulturis; cpl. II-V, l. III, de sepult. — Decret. Gregorii IX l. III, tit. 28 de sepulturis; Decr. Bonifacii VIII, l. III, t. 12 eod.; Const. Clement. V, l. III, tit. 7; Extrav. com. l. III, tit. 6; A. S. S. v. Exequiae, Funus, Sepulchrum.

Scriptores: Commentatores iuris Decret.; *Moulart*, De sepult. et coemet.; *Zech*, De iure rer. eccl. sect. II, tit. 23 de sepult.; *Devoti*, Inst. canon. l. II, tit. 9 de sepult.; *Gretser*, Funus christian.; *Ferraris* Bibl. v. Sepultura — *D'Angelo*, Della sepoltura eccl.; *Many* De locis sacris. — *Thomassin.* op. cit. P. III, l. 1, c. 65 sq.; *Martène*, De antiquis Eccl. ritibus, l. III, cap. 12 sq.; *Bingham*, Origines eccl. l. 23. — *Vermeersch-Creusen*, Epit. n. 510 sq.; *De Meester*, Iuris can. Comp. v. III, n. 1168 sq.; *Matth. a Coronata* Inst. II, n. 126 sq.; *Kraus*, Realencyklopädie v. Koimenterien.

§ I. NOTIO, DIVISIO, HISTORIA COEMETERIORUM.

560. I. **Notio.** Coemeterium (1) (κοιμητήριον, accubitorium) a christianis dicitur *locus sepulturae* (2) destinatus; ipsi enim ob spem resurgendi non tam mori quam obdormire censentur (3). In iure autem canonico coemeterium vel sepultura accuratius definiri solet: *Locus*, auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur. Atque ita Rituale Rom. tit. VI de exequiis statuit: « *Ceterum nemo christianus in communione fidelium*

(97) Cap. 1, 2, 8, 9, 10 X. h. t. facult. quinquenn. l. c.; *Suarez* l. c. cap. 19 n. 5 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 100; *Putzer* l. c. n. 106 sq.

(1) Cfr. Dict. d'Archéologie Chrétien. v. Cimitière, ubi afferuntur antiquae inscriptiones aliaqua antiqua monumenta ubi illa vox adhibetur.

(2) *Schmalzgr.* l. III, tit. 28, n. 1 sq.; *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. I, n. 112 sq.

(3) *Kraus* l. c.; cit. Dict. Archeol.

defunctus, **extra ecclesiam aut coemeterium rite benedictum** *sepeliri debet, sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri possit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo requievisse* ».

II. **Divisio.** *a*) Coemeteria nostra aetate distinguuntur in *ecclesiastica* et *civilia*. Illa sunt in dominio Ecclesiae, benedictione sacrata et solis fidelibus reservata; haec sunt in dominio municipiorum vel alterius instituti civilis, benedictione carent omnibusque hominibus sive fidelibus sive infidelibus et haereticis indiscriminatim patent. Si dominium quidem penes municipium civile est, sed determinata pars coemeterii sepulturae fidelium exclusive destinata reservatur, haec ecclesiastica benedictione donari potest, et huic parti adhuc applicatur tradita notio coemeterii.

b) Porro coemeteria ecclesiastica possunt etiam esse aut *communia* compluribus parochiis, v. gr. alicuius civitatis, aut singulis forte parochiis (4) vel institutis religiosis vel monasteriis sunt adnexa, vel certis *familiis* propria.

c) Coemeteria possunt esse ecclesiae *contigua* vel ab eo *remota*. Sacrorum canonum fuit votum, ut quantum fieri posset, ecclesiis adiacerent, hac maxime de causa, quod: « defunctorum proximi, quoties ad loca sacra veniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordentur et pro eis Domino preces fundant (can. *cum gravis* C. XIII, q. 2); nullibi tamen hoc fuit praescriptum, ut patet Pontificale et Rituale Rom. legenti; hoc praeterea pro nostris moribus vix obtinere potest in magnis urbibus, facile in parvis oppidis: sicubi factum fuit, ita pie retineri debet. *Remota* dum fuerunt, quod fieri posse supponit cap. *si ecclesiam* 1. De consecrat eccl. in Sext., nihilominus erant propria ipsarum ecclesiarum ita ut fere ecclesia cum suo coemeterio identificaretur.

III. **Historia.** Cum a moribus omnium populorum ipsoque humanitatis sensu sit alienum, ut cadavera hominum insepulta proiiciantur, inde a primis saeculis Ecclesia catholica (5) pro sua fide

(4) Cfr. c. 1 Caus. XIII, q. 1 (cap. Pseudoisid.).

(5) *Moulart*, De sepultura et coem. P. I. cap. 1; *Devoti* l. c. l. II t. 9 de sepultur. §§ 1 sq.; *Ferraris* l. c. v. Cadaver n. 5, 6, 7, ubi refert decreta SS. CC. de *gratuita* pauperum sepultura et de abusu prohibendi cadaveris sepulturam.

in resurrectionem mortuorum et coelestem Sanctorum beatitudinem (6), sepulturam honestam et dignam omnium fidelium et imprimis martyrum summo studio curavit (7).

Quae sepultura primis tribus saeculis ex more recepto et ex ipsa sanctione iuris Romani (8) facta est *extra* moenia civitatum v. gr. prope vias publicas in propriis *coemeteriis* (9), quibus leges Romanae (10) suum favorem impenderunt (11). At primi christiani cadavera fidelium *non concremarunt;* nam ut scribit Minutius Felix (i. f. saec. 2): « *Veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus* » (12). Illa praxis sepeliendi extra moenia ex saeculo *quarto* paulatim immutari coepta est, atque penitus neglectis legibus Romanis iam saeculo sexto locus sepulturae fidelium in ipsis civitatibus et oppidis passim *prope ecclesias*, in *atrio*, in *porticu*, *propre muros*, non *intra illas*, nisi Episcopis, Abbatibus, presbyteris, insignioribus laicis permissus est. Inde factum est, ut coemeterium haberetur tanquam *locus adnexus* et accessorius *ecclesiae parochiali* (13).

Denique res eo devenit, ut vel *ipsae ecclesiae* fierent coemeteria, in quibus cadavera fidelium ordinarie sepelirentur (14). Qui mos cum haud raro non levium abusuum ansam daret, compluribus legibus ecclesiasticis ad arctiores limites fuit restringendus. Neque ullum dubium existere potest, quin Ecclesia sepulturas in *propriis coemeteriis* praetulerit praxi sepeliendi cadavera in *ipsis ecclesiis*.

(6) S. Paul. I Thessalon. IV 12.
(7) *Kraus* l. c. v. Todtenbestattung.
(8) L. 3 § 5 D. de sepulcr. violat. XLVII 12.
(9) *Kraus* l. c. v. Coemeterien.; *Many* l. c. n. 138.
(10) L. 1, 2, 5, D. libr. et tit. cit.
(11) Cfr. c. 34, 35, Conc. Illiberit. (a. 300-306) de coemeteriis.
(12) Cfr. c. 18, Conc. Bracar. (a. 563); capitul. 14 (de presbyt.) Synod. Aquisgr. (a. 809); *Kraus* l. c.; *Many* l. c. n. 137.
(13) Cfr. c. 15, C. XIII, q. 2; c. 14, Conc. Antissidor. (a. 590); capit. 17 Conc. Tribur. (a. 895); capit. 52 Concil. Mogunt. (a. 813) iunct. *Hefele* l. c. t. III, p. 763; cap. unic. de consecr. III 24 in Sext.
(14) Nicolai I respons. ad consult. Bulgar. c. 99 (a. 866); *Devoti* l. c. § 2, not. 6. At quamvis cap. 3 X. de sepult. III 28. Innocentius II *electionem* sepulturae *in loco novo et minus religioso* viribus carere declararit, tamen postea Bonifacius VIII, cap. 2 § 1 de sepult. III 12 in Sext. huiusmodi electionem nequaquam voluit impugnari. Cfr. *Maschat*, Instit. canon. elench. I, n. 33; supra h. tit. n. praecedenti, ubi de ipsa notione ex Rit. Rom.; *Many* l. c. n. 138; *Moulart* l. c. p. 16 sq.; Das Kirchl. Begräbius und die Coemeterien in *Moy*, Arch. vol. I, p. 25, 80.

Etenim in Rituali Romano tit. VI, cap. 1, n. 9 hactenus legebatur « *Ubi* **viget antiqua consuetudo** *sepeliendi mortuos* **in coemeterio** *retineatur, et ubi fieri potest, restituatur* ». Quod Ritual. praescriptum congruenter ad canones novi Codicis mutatum fuit in prohibitionem: « *In ecclesiis cadavera ne sepeliantur etc* ». Pariter iam ab antiquo tempore sepultura cadaverum *prope altaria* non servata legitima distantia erat omnino prohibita, et ipsum Rituale Rom. l. c. addebat « *At vero, cui locus sepulturae dabitur in ecclesia,* **humi tantum detur.** *Cadavera autem prope altaria non sepeliantur* ». Aderat quoque prohibitio, ne sarcophagus seu capsa cadaveris esset elevata super terram, sed debebat sub terra esse deposita, quae prohibitio facta est a S. Pio V *pro ditione pontificia* const. « *Cum primum* » 1 Apr. 1566; sed Ritual. Rom. iussu Pauli V a. 1614 editum prohibitionem extendit ad universam ecclesiam: « *Humi tantum* detur (sepultura) ». Prohibitio sepulture prope altare iam venit a Conc. Nannetensi (can. 15, C. XIII, q, 2), tandem transiit ad Rituale et in constantem iurisprudentiam; distantia trium cubitorum desumpta fuit ex Conc. Mediolanensi IV sub S. Carolo Borromeo et retenta in decisionibus et decretis S. R. C. Cfr. *Many* l. c. n. 142. Prohibitio sepulturae in ecclesia extenditur ad ecclesiam subterraneam, quae sit vera et propria ecclesia divino cultui addicta. Comm. Cod. 16 Octob. 1919.

Ex praemissis infertur, quod si nostro saeculo is solummodo fuisset innovationis scopus ut denuo *extra ecclesias* locus sepulturae fidelium sive coemeterium erigeretur, sane nihil esset reprehendendum. At, laesis iuribus Ecclesiae in propria coemeteria a se erecta vel erigenda, potius coemeteria *mere civilia* fuerunt introducta, et ex perverso studio novitatis veroque odio fidei catholicae homines turbulenti coemeteriis *inhumationi* corporum destinatis conati sunt substituere *machinas* ad *concremanda* cadavera (15).

§ II. DE IURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET ORDINANDI COEMETERIA

561. Ecclesia catholica habet ius nativum et legitimum ab omni potestate civili plane independens acquirendi bona temporalia ad

(15) S. C. de Prop. F. 27 Sept. 1884; S. C. Inq. 19 Maii 1886 in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1608, 1609; S. C. Ep. et Regul. 2 Septembr. 1870 in Act. S. Sed. vol. VI, p. 113 sq.; *Cavagnis* l. c. P. II p. 290 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 116; *Gasparri* l. c. n. 303 sq.

finem suum necessaria vel convenientia. Iamvero coemeteria, in quibus corpora fidelium digna ratione et ritibus sacris sepeliuntur, sunt intime connexa cum fine ipsius Ecclesiae catholicae. Nemo igitur huiusmodi ius Ecclesiae acquirendi coemeteria in dubium vocare potest (can. 1206) sicut ius acquirendi propria templa ad cultum catholicum exclusive destinata pariter cum fine Eccl. necessario connexum.

Coemeterium *non est locus publicus* omnibus indiscriminatim destinatus, veluti viae publicae, flumina, portus etc.; non pertinent proinde coemeteria ad *bona publica*, omnibus communia, sed sunt addicta dominio et dispositioni Ecclesiae, id quod tam ex eorum sacra benedictione, quam ex speciali fine religioso, cui inserviunt, manifeste sequitur (16).

Quare omnino reprobanda sunt coemeteria promiscua seu mixta, in quibus simul cum catholicis sepelienda sint corpora eorum, qui ad aliam religionem pertinuerint aut sine ulla religione vixerint; in quibus evidens est iura Ecclesiae violari, si exigatur omnia promiscue corpora defunctorum in iisdem sepeliri, tametsi status aut municipium illa extruxerit, et Ecclesiae denegatur proprium coemeterium pro fidelium sepultura habere. Maior autem est iniustitia erga Ecclesiam, si coemeteria ab Ecclesia erecta et in eius legitima proprietate constituta et iam sacra facta per benedictionem ab auctoritate status usurpentur et profanentur per sepulturam cuius-

(16) Nullo modo oblivioni dandum est coemeteria in quibus corpora fidelium digna ratione et adhibitis sacris ritibus sepelienda sunt, intimam habere connexionem cum cultu divino. Quare sepultura christiana, non est solum officium humanitatis et pietatis naturalis, sed est officium stricte religiosum, exclusive pertinens ad Ecclesiam quoad omnes suas partes, sicut alia officia religiosa in templis peragenda. Coemeteria proinde non sunt aliqua *materia mixta*, sicut non sunt materia mixta templa ad alia officia religiosa destinata; sunt enim loca sacra; mixta materia dici non possunt nisi in *sensu lato*, in quantum statui interest, ut coemeteria non ita habeantur et custodiantur, ut inde aliquod nocumentum temporale subsequatur. Cum Ecclesia aliquos sepeliri non permittit ritu sacro, quoad hos (v. gr. quoad infideles) subintrat officium humanitatis et pietatis naturalis de competentia status: sed Ecclesia iam de hac re curam habet, reservando in suis coemeteriis partem non benedictam pro ipsorum sepultura. Quodsi agatur de sepultura baptizatorum, verum ius circa ipsam habet Ecclesia, tametsi eos excludat a *sacra* sepultura; nihilominus facile tolerat ut pro acatholicis baptizatis Status coemeterium civile constituat, sicut agnoscit Status ius pro non baptizatis v. gr. pro hebraeis, infidelibus.

vis generis hominum; dum tamen haud raro confessionibus acatholicis propria coemeteria exclusiva haberi permittitur.

562. Quoniam autem ius Ecclesiae in hac re passim violatur, pro tali casu ita providet can. 1206 § 2: « Sicubi hoc Ecclesiae ius violatur nec spes sit ut violatio reparetur, curent locorum Ordinarii ut coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent sint maiore ex parte, catholici aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum ». § 3. — « Si ne hoc quidem obtineri possit, toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis libris liturgicis traditos, singuli tumuli ». De facto in Rituali Romano tit. 6, cap. III, n. 12 habetur specialis benedictio pro tumulo vel fossa ubi fieri debeat tumulatio cadaveris. In hypothesi ergo quod coemeterium sit unicum et sit omnino sub iure auctoritatis civilis, in quo eadem auctoritate cogente fieri debeat sepultura quorumvis civium, sine ulla separatione pro diversis cultibus; primo loco, ubi gravia incommoda non sint timenda, curari debet ut coemeterium benedicatur, pro quo sufficit ut inserviat pro sepultura civium, qui sint maiori ex parte catholici: et solum subsidiarie recurrendum est ad benedictionem cuiusque timuli vel fossae. At antequam recurratur ad huiusmodi media, curandum est ut in coemeterio necessario, in quo ius proprietatis Ecclesia non habeat, pars specialis, eaque benedicta, catholicis reservertur; quae pars reservata et benedicta adhuc est habenda ut coemeterium ecclesiasticum, licet eius proprietatem Ecclesia non sinatur habere.

563. Difficultas potius est circa characterem coemeterii benedicti, in quo toleratur inhumatio acatholici (can. 1206 § 2): estne locus sacer ex benedictione? Ex tenore citati canonis videtur asserendum; sed tunc videtur dicendum ex necessitate illius tolerantiae derogari partialiter canoni 1172 § 1 n. 4 (cfr. can. 1207), secus coemeterium magnae urbis continuo et fere quotidie esset reconciliandum. Quodsi agatur de sepultura in tumulis benedictis ex defectu benedictionis coemeterii, haec tumulorum benedictio a pluribus dicitur esse mere *invocativa* non *constitutiva* (ita *Many* l. c. n. 143; *De Meerster* l. c. n. 1172; *Matth. a Coronata* l. c. n. 792); quod tamen evidens non est, cum dicatur impertienda tumulis benedictio « secundum ritus in probatis libris liturgicis traditos »;

porro benedictio in ipsis tradita videtur esse constitutiva, et mens Ecclesiae esse ut sepultura fiat in *loco* vere *sacro* quem characterem obtinet ex benedictione *constitutiva*.

564. In suo iure circa propria coemeteria ecclesiastica exercendo Ecclesia *ex natura rei* rationem habere debet *salutis* et *securitatis* publicae; at minime exinde sequitur *Ecclesiam* vere et proprie ad observandas leges *civiles* de securitate publica et rationibus hygienicis latas *vi legum civilium obligari*. Etenim Ecclesia est societas *perfecta*, quae legibus potestatis civilis in materia suae competentiae non est vere *subiecta*. At si leges istae civiles in sese sunt iustae et convenientes, Ecclesia ad vitandam discrepantiam utriusque fori illas leges civiles etiam pro suo foro sapienter approbat sive canonizat. Quemadmodum igitur ex natura *physica* bonorum ecclesiasticorum adstruenda non est competentia quaedam Status in bona ecclesiastica, ita etiam ex rationibus *hygienicis* non potest deduci in hac re incompetentia Ecclesiae (17).

(17) Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1594; *Cavagnis*, l. c.; *Moulart*, L'église etc. l. III, c. 6.

Vera concordia inter Ecclesiam et Statum, in qua et salvantur principia dogmatica et canonica et consulitur interesse quod habet Status in hac materia sine detrimento disciplinae ecclesiasticae ea est, quae facta est in conventione 20 Iul. 1892 in executionem art. 30 Concordati cum Colombia (a. 1887) hoc plane modo:

Art. 15. Regula haec generalis constituitur ut coemeteria omnia quae extant in territorio Reipublicae (iis exceptis quorum dominium est penes privatos cives vel corpora quae personae loco habentur) traduntur auctoritati ecclesiasticae quae potestati civili minime obnoxia ea administrabit et reget.

Art. 16. Pariter pro peculiaribus rerum adiunctis in quibus versantur quaedam coemeteria civitatum Reipublicae, puta S. Fidei, Carthaginis, Mompoxii (et similia) quorum conservatio ingentes ab aerario sumptus poscit, et in quibus factae sunt dominii translationes pro privatis civibus, annuit ecclesiastica auctoritas ut eorum administratio oneri adhuc sit potestatis civilis, plenam sibi servans iurisdictionem spiritualem et ius ipsis invigilandi ut serventur ordo et decus locis hisce sacratis debitum, necnon sacrorum canonum praescripta.

Art. 17. Potestas executiva Reipublicae una cum Ordinariis dioecesium definiet quaenam coemeteria sint (praeter nuper memorata) quibus supra scripta exceptio aptanda sit.

Art. 18. Coemeteria condentur pro cadaveribus quae inhumari nequeunt in loco sacro, praesertim in iis locis ubi frequentiores mortes sunt hominum acatholicorum. Huic usui deputabitur profanus locus a municipiis vel eorum aere praebendus. Ubi vero id fieri nequeat, locus pro hisce coemeteriis obtinebitur, seiuncta et sacris soluta coemeterii catholici parte. Hoc vero coemeterium acatholicorum sepe interposita, ab alio quo fideles utuntur separatum erit.

Art. 19. Agnoscit Ecclesia in potestate civili ius advigilandi coemeteriis in

565. Quoniam Ecclesia habet plenum ius *dominii* atque iurisdictionis in *sua* coemeteria a potestate civili plane independens, ex duplici titulo sola decernere valet, quisnam in coemeteriis ecclesiasticis sepeliri possit vel ab iisdem sit excludendus. Quare si iam primi christiani, quantum fieri potuit, tempore persecutionum omni studio caverunt, ne communia cum paganis haberent sepulcra (18), optimo iure sapientique consilio Ecclesia omnes acatholicos a suis coemeteriis arcet (19). Solummodo ex tolerantia quadam mere *passiva* non resistit, ut in coemeteriis sive sepulcris *gentiliacis* et *privatis* familiarum catholicarum etiam corpora acatholicorum consanguineorum vel affinium sepeliantur, si aliter absque scandalis vel periculis fieri non possit (20).

Hinc Ecclesia de suo iure violato merito conqueritur, si *leges civiles* praescribunt, ut in coemeteriis ecclesiasticis etiam acatholici indiscriminatim admittantur (21). Inde etiam patet, quod ubi coemeterium catholicum unicum existit, Ecclesia pro suo iure in praedicto coemeterio convenienter assignat locum separatum, in benedictione non comprehensum, ubi sepeliantur ii, qui honore ecclesiasticae sepulturae carent, nec cum fidelibus illo honore praeditis huiusmodi extra communionem Ecclesiae mortuos sepeliri permittit. Quare iniustae prorsus sunt illae accusationes haud raro factae, quibus Ecclesia, ob auctoritatem quam sibi vindicat in propria coemeteria, incriminata fuit *intolerantiae* et inhumanitatis; nemo enim ex

---

iis quae hygienem spectant, proponendi edicta quae *politiae* dicuntur valetudinis publicae tuendae causa, si insueti casus acciderint, ut puta, pestilentiae, non secus ac ius petendi sepulturam in iis casibus quos communis regula complecti nequit, e. gr. cadaverum derelictio. Item si ratio postulat patrati criminis persequendi, tuendive publici ordinis, vel cuiuscumque conflictus secandi, patebit aditus ad coemeteria legitimae potestati, cui de illis rebus cura est.

Art. 20. Curabit civilis potestas in hisce omnibus rerum adiunctis ut sibi consentiat ecclesiastica auctoritas, ut omnis absit causa concertationis.

Art. 21. Ordinarii dioecesani, ut contentiones praepediantur inter parochos et minores magistratus, casus accurate definient in quibus, iuxta leges canonicas et Ecclesiae disciplinam, deneganda est ecclesiastica sepultura.

(18) *Kraus* l. c. v. Todtenbestatt.

(19) Can. 1240 iunct. cap. 12 X. de sepult. III 28; Ritual. Rom. tit. VI cap. 2.

(20) S. C. Inq. 30 Mart. 1859 iunct. resp. eiusd. S. C. Inq. 4 Ianuar. 1888. Cfr. cit. Collectan. n. 1603, 1602 et n. 1593, 1595, 1597, 1600, 1604.

(21) Cfr. v. g. legem Hungariae (a. 1868); *Kohn* in Arch. f. k. K. t. 40 p. 20 sq. 32 sq. « *Utrum locus*, i. e. sacer, in *quo sepeliantur fideles pertineat ad notionem sepulturae ecclesiasticae?* » (Affirmative).

legibus Ecclesiae obsequiis, quae humanitas exigit, defraudatur; at signa communionis ecclesiasticae, in funeribus catholicorum consueta, non concedit extraneis et iis, qui dum viverent a communione Ecclesiae voluntarie se seperarunt. « Quibus non communicavimus vivis, nec debemus communicare defunctis » sive in sacro ritu sive in sacro loco cum tali ritu connexo. Ex alia parte tolerat acatholicos baptizatos de suis sepulturae locis libere disponere, sicut ipsa libere de suis disponit.

§ III. DE BENEDICTIONE, POLLUTIONE, RECONCILIATIONE COEMETERIORUM

566. Coemeterium ut ad sepulturam fidelium sit constitutum, rite benedicendum est aut *solemni* benedictione aut *simplici. Solemnis* quae etiam dicitur *consecratio*, essentialiter consistit in benedictione quinque crucium lignearum quae in determinatis coemeterii partibus sunt collocandae, prout habetur in Pontificali Romano; *simplex* vero consistit in benedictione unius crucis in medio coemeterio collocatae servato ritu Ritualis Rom. tit. VIII, cap. 29 (22). Ministri benedictionis iidem sunt, qui can. 1155, 1156 designantur pro benedictione aliorum locorum sacrorum (can. 1205). Quodsi totum *coemeterium* iam est benedictum, singula sepulcra non denuo sunt benedicenda (23), nisi sepulcrum ex nova materia sit confectum (24). At singula sepulcra specialiter benedicantur necesse est, si totum coemeterium, utpote mere civile, non est benedictum (25), nam corpora fidelium sepelienda sunt in loco benedicto (can. 1205); item si in casu necessitatis v. g. pestis vel belli extra consueta coemeteria benedicta cadavera sint sepelienda, aut in ecclesia fiat sepultura ea in loco, qui *occasione* alterius sepulturae non iam est benedictus; etenim *tota* ecclesia in *usum sepulcrorum* non benedicitur. Quodsi solummodo ad aliquod tempus, necessitate cogente, extra

(22) Antiquitatem usus benedicendi tumulos et coemeteria merito propugnat *Many* l. c. n. 139; *Moulart* l. c. p. 73 sq.
(23) Rit Rom. tit. VI, cap. 1, n. 24.
(24) S. C. R. in caus. Ruremund. 27 Maii 1876 ad 1.
(25) S. C. R. in caus. Briac. 4 Sept. 1880 ad 1.

ecclesiam vel coemeterium rite benedictum sepultura fieri debuit, curari debet, ut, quatenus fieri possit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper crux capiti cadaveris apponi debet, ad significandum illum fidelem in Christo quievisse (26).

567. Coemeterium iisdem actibus atque *ecclesia polluitur* (can. 1207 iunct. can. 1172) (27), sed ipsam benedictionem in se non amittit. Porro coemeterium etsi ecclesiae *contiguum* polluta ecclesia non amplius, ut iure praecedenti, polluitur, nec viceversa (can. 1172, § 2) nec proinde speciali indiget reconciliatione. Quodsi complura sint coemeteria cohaerentia, *pariete* tamen medio seiunguntur, polluto uno coemeterio non polluuntur reliqua, licet de uno ad aliud per *portam* intermediam habeatur accessus (28).

Si coemeterium benedictum polluatur, pro diversitate benedictionis datae, aut per Episcopum in forma Pontificalis Romani, aut per sacerdotem ab Episcopo delegatum secundum ritum in Rituali Romano praescriptum est *reconciliandum* (Cfr. can. 1174, 1177). Si

(26) S. C. de Prop. F. 16 April. 1862 in cit Collect. n. 1604, iunct. can. 1206 § 3.
(27) Cap. 7 X. de consecr. III, 40. Cfr. *Reiffenstuel* l. III, t. 28 n. 77 sq. 85 91 sq. t. 40 n. 21. Quodsi iam quoad pollutionem ecclesiarum per certos actus stricta interpretatio fuit facienda et mitior praeferenda praxis, id a fortiori obtinet de pollutione coemeteriorum. Quare nequaquam coemeteria *polluuntur* per sepulturam *omnium*, qui sepultura ecclesiastica *indigni* sunt, sed tantum illorum, de quibus id expresse et speciatim in iure cautum est, id est ex sola sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (cit. can. 1172, § 1, n. 4°). Cfr. *Reiffenstuel* l. c. t. 28, n. 77 sq. t. 40 n. 21. Porro quamvis ex communi doctrina per sepulturam infidelium sive paganorum coemeteria dicantur pollui, tamen in re adeo odiosa catechumeni vel infantes parentum christianorum ante baptismum decedentes in hac re *positivis* infidelibus vel paganis aequiparari non possunt. Cfr. *Schmalzgr.* l. III, t. 40, n. 72 sq.; Conc. prov. Aquens. (a. 1850) in Collect. Lac. t. IV col. 1006. Imo iam plures auctores v. g. *Reiffenst.* l. c. t. 40 n. 21 et *Schmalzgr* l. c. n. 76 aliique, qui negabant per ipsam sepulturam haereticorum *toleratorum* coemeterium *pollui*; quod iuri Codicis admitti debet de non damnatis. Quae sententia ad haereticos *notorios et damnatos* non potest extendi. Cfr. Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 924; *Kohn* l. c. p. 74 sq. Cfr. quae supra n. 561 dicta sunt de coemeterio benedicto, in quo maior dumtaxat pars catholicorum sepelitur, quod non videtur pollui ex sepultura infidelis vel acatholici, secus Ecclesia, canone 1206, § 2, permitteret coemeterii benedictionem cum praevisione certae frequentissimae pollutionis.
(28) Cfr. de iure praecedenti cap. unic. de consecr. III 21 in Sext.; *Ferraris* l. c. v. Ecclesia art. 4 n. 62 sq.; *Many* l. c. n. 146.

coemeterium ecclesiae *pollutae* contiguum violatum fuerit, illud una cum ecclesia reconciliatur (Rit. Rom. cap. 28, 29).

Quae iura antiqua statuerunt de exhumatione cadaverum certorum hominum indignorum v. g. infidelium sive paganorum et excommunicatorum vitandorum et haereticorum notoriorum et denuntiatorum, quorum sepultura ecclesiae vel coemeteria *polluuntur*, *ante* reconciliationem non sunt executioni mandanda, si a cadaveribus fidelium satis discerni non possint (Cfr. can. 1214).

Nostra aetate ad praecavenda incommoda etiam leges civiles de exhumatione cadaverum sunt attendendae, et difficultatibus ortis forte per aptam coemeterii *distributionem* in partes separatas est occurrendum (29).

Quoad *interdictum*, si coemeterium fuerit suppositum speciali seu particulari interdicto, fidelium cadavera in eo sepeliri quidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu (can. 2272); interdicta vero ecclesia non manet interdictum coemeterium, tametsi ecclesiae contiguum.

568. *Execratio* coemeterii, proprie non datur, nisi ex analogia cum ecclessis reducatur coemeterium ad usus profanos; sed tali casu videtur requiri Episcopi decretum (Cfr. can. 1187). Cfr. *Many* l. c. n. 145, 146. Porro ex natura rei, si coemeterium omnino ita destruitur, ut non amplius fini ad quem destinatur inservire possit; si deinde ad pristinum finem factis debitis reparationibus iterum destinaretur, videtur nova benedictio impertienda perinde ac in erectione novi coemeterii: sed iudicium de totali destructione pendet ex variis loci circumstantiis.

§ IV. - DE IMMUNITATE COEMETERIORUM

569. Immunitas coemeteriorum ecclesiasticorum ab actibus *profanis* multoque magis ab *inhonestis* est adeo manifesta iureque hu-

(29) Cap. X. 12 de sepult. III 28; cap. 2 X. de sacr. non iter. I 16; cap. 2 pr. de haeret. V 2 in Sext.; *Reiffenstuel* l. III t. 28 n. 91 sq.; *Kohn* l. c. p. 36 sq.; Anal. eccl. t. IV, p. 180; *Many* l. c. n. 149.

mano et divino comprobata, ut ab omni ulteriore disquisitione abstinendum sit (30).

Quae immunitas coemeteriorum, quae sunt *sedes quietis* corporum fidelium, certe graviter violatur, si cadavera fidelium sepultorum temere, impie, furtive exhumantur vel transferuntur. Quodsi quandoque legitima adsit causa exhumandi vel transferendi cadaver fidelis defuncti et in perpetuum sepulti, praevia licentia *Episcopi* est petenda (can. 1214). Insuper hodie servandae sunt praescriptiones civiles, ubique hac de re existentes (31).

Item ex principiis generalibus supra de immunitate reali locorum ecclesiasticorum stabilitis sponte consequitur coemeteria ecclesiastica ab omnibus *legibus tributariis* ex natura rei esse immunia. Cui immunitati non obstat, quominus *Ecclesia* ad conservanda et amplianda coemeteria suis fidelibus, qui pauperes non sunt, occasione funerum aliquas oblationes imponat (32).

Ius quoque *asyli* coemeteriis praesertim cum ecclesiis coniunctis iam ex antiquo iure Decretalium fuit proprium (33). At nostra aetate

(30) Cfr. c. 35, Conc. Illiber. (a 300-306); c. 46 Conc. Tolet. IV (a. 633);
c. 6 Conc. Londin. (a. 1175) contra iudicia capitalia in coemet.; capitul. 8 Conc.
Trevir. (a. 1227) contra saltat. et lud. in coem.; cap. 5 X. de immun. III 49;
Many l. c. n. 150.

(31) Dig. XLV 12; Cod. IX 19 (de sepulcro violato); Rituale Roman. tit. VI
de exeq. cap. 1, n. 25; Conc. Provinc. Halifax. (a. 1857) in Collect. Lac. t. III,
col. 757 et Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 927, unde colligitur quod Sedes
Apostolica decreta antiqua S. C. Im. (cfr. *Ferraris* l. c. v. Cadaver n. 16 sq.),
quibus *potestas Episcoporum* compluribus formalitatibus et limitationibus fuit
arctata, non amplius sustineat neque speciale requirat indultum pontificium.

Quodsi agatur de exhumatione vel translatione corporis servi Dei beatificandi vel Beati vel Sancti standum est iuri speciali hac de re condito. Cfr.
Benedict. XIV, Doctr. de servor. Dei beatif. l. IV part. 2 cap. 22 sq. Cfr. quoque A. S. S. vol. I, p. 248 sq.; vol. II, p. 102 sq., 168, 145 sq.

(32) Cap. 13 X. de sepult. III 28; *Bargilliat* l. c. n. 1325.

(33) Cap. 10 X. de imm. eccl., coem. III 49: « *In ipsis ecclesiis* **vel earum** *coemeteriis* »; at iam in summario ista limitatio non amplius additur (« *in ecclesiis vel coemeteriis* »). Item cap. 5 X. de immun. legitur: « Ubi (i. e. « *in ecclesiis vel coemeteriis* ») *est tutela refugii constituta* ».

Multo magis postea auctores ius asyli defenderunt etiam de coemeterio ecclesiae *non* contiguo, dummodo tamen illud fuerit Episcopi auctoritate erectum et benedictum. Cfr. *Schmalzgr.* l. III, t. 49, n. 107. Quodsi idem auctor etiam provocat ad rubricam h. t. 49, huiusmodi argumentum ex rubrica, quae sensum perfectum non habet, iam per se est satis debile. Insuper verbum « *immunitatis* » in rubrica est *generale*, quod nequaquam indiscriminatim ad ius asyli circa

non obstante const. Pii IX « *Apostolicae Sedis*, quamplurima coemeteria certe iure assyli non gaudebant, quia sunt mere *civilia* aut saltem ex Episcopi auctoritate non fuerunt *erecta* et *benedicta*. Cfr. *Pennacchi* in cit. const. t. I, p. 669; *Hollweck*, D. Kirchlichen Strafgesetze p. 211 sq. At Codex ius asyli solum vindicat ecclesiis in can. 1179; de coemeteriis silet.

§ V. - COEMETERIORUM VARIAE CIRCUMSTANTIAE

570. I. **Custodia.** De quolibet coemeterio ecclesiastico praescriptum est, ut sit undequaque bene clausum et custoditum (can. 1210), ita videlicet, ut exclusus maneat ingressus animantium et hominum a quibus aut exerceantur actus profani, qui loci sanctitati repugnent, aut intendatur committi furtum aut alius modus violationis sepulcri seu sepulturae (cfr. can. 2328).

II. **Alienatio prohibita.** Coemeteria, utpote loca sacra, extra humanum commercium sunt posita; nec proinde alienari possunt nisi de licentia Stae. Sedis. At alia quaestio cum hac connexa est, num possit pro pretio concedi locus ad sepulturam in coemeterio. Qua in quaestione: *a*) nulla est difficultas, si agatur de coemeterio non benedicto, in quo quorumvis civium corpora sepeliuntur, cum in tali casu remaneat locus profanus, cuius quaelibet pars potest pretio vendi aut ad usum concedi: *b*) in coemeterio vero ecclesiastico, maximus est abusus, si ipsa sepultura temere negetur, nisi *prius* certum pretium ecclesiae solvatur *pro terra* in quo sepeliendi sunt *pauperes* (cfr. cap. 13, X. de sepult.), quibus, sicut ritus sacri sepulturae ecclesiasticae gratis sunt praestandi, ita etiam ab eis nihil exigi potest pro *sacro* sepulturae *loco*. *c*) Quod si non agatur de pauperibus, sed de fidelibus bonis temporalibus praeditis, nihil obstat quominus pro usu sepulcri determinati in coemeterio benedicto taxam quamdam funerariam solvant; cum haec taxa rationem non habeat pretii, sed ad eam exigendam potest adesse titulus con-

---

omnes res in rubrica expressas (« *et rerum ad eas pertinentium* ») extendi potest, sed ex *specialibus* iuris sanctionibus est eruendum. Cfr. Gregor. XIV, Const. « *Cum alias* » 24 Maii 1591 § 2 iunct. Bened. XIII, Const. « *Ex quo* » 8 Iun. 1725 § 4; *Ferraris* l. c. art. 2, n. 8.

servandi aut reparandi coemeterii vel ecclesiae cum titulo ministrorum sustentandorum, accedente consuetudine hac occasione exigendi praedictam taxam (34). *d*) Multo magis pretio soluto comparari potest *usus exclusivus* certi loci coemeterii ecclesiastici pro aliqua familia, ita ut ipsa invita extraneus ibidem sepeliri non possit; qui usus privativus, pretio temporali aestimari potest et inter homines aestimari solet. *e*) Haec utem firmantur canone 1209, § 1, ex quo propriis sumptibus aedificatum sepulcrum deinde benedictum, sive familiare sit sive haereditarium, potest quis alienare seu vendere, dummodo venditio fiat de consensu Ordinarii loci, vel Superioris, prout agatur vel de coemeterio paroeciali vel de coemeterio personae moralis. Per se patet non posse augeri pretium propter benedictionem, sicut calicis consecrati pretium ratione consecrationis augeri non potest. Benedictio non efficit, ut sepulcrum quoddam *gentilitium* propriis sumptibus aedificatum et postea benedictum non amplius sit in *ullius privati dominio*, ut videtur putasse *Schmalzgrueber* h. t. n. 82; sed illud solum efficit, ut dominus non amplius habeat liberam rei dispositionem *ad usus profanos* contra canonicas sanctiones. Cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. III, l. 4, cap. 14, n. 1 sq.; 18 sq.; *Many* l. c. n. 153 sq.; *Moulart* l. c. p. 112 sq. (35).

III. **Sepulcrorum distributio.** In ipso coemeterio ecclesiastico sive communi pluribus paroeciis sive peculiare determinatae paroeciae, ubi id fieri potest, curandum est ut sepulcra sacerdotum et clericorum a sepulcris laicorum separata sint ac decentiori loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro ministris Ecclesiae inferioris ordinis parari convenit (can. 1209, § 2). Vel in ipsis coemeteriis civilibus id obtineri potest per initam associationem unam aut plures, acquisito a municipio iure privativo sepulturae per contributionem singulorum sociorum.

Etiam infantium baptizatorum corpuscula, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas ha-

(34) *Schmalzgr.* l. V, tit. 3, n. 217 sq.; *Reiffenstuel* h. t. 28, n. 67 sq.

(35) *Many* l. c. n. 154 ubi animadvertit iure civili gallico *ius sepulcri* non esse *ius proprietatis*, sed tantum *ius ad usum determinatum et exclusivum*, qui mutari non possit, et municipium, penes quod in Gallia est proprietas coemeterii, retinere proprietatem sepulcri. Quod tamen non videtur difforme ab explicato iure ecclesiae in proprium coemeterium collatum cum iure sepulcri privati in eodem extructi.

beant oportet (can. 1209, § 3). Quod facile extendi potest et decet ad instituta religiosa pro suis membris. Illa dispositio de parvulis fuit relata in Rit. Rom. tit. VI, cap. 6, in quo etiam peculiaris ordo ponitur sepeliendi parvulos.

IV. **Religiosa decentia** in sepulturis servanda postulat, ut ab iisdem arceantur epitaphia, laudationes funebres et monumentorum ornatus, qui quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum: de hac re cavere debent Ordinarii locorum et Superiores quibus obnoxium est coemeterium (can. 1219).

V. Quoad **tempus sepulturae** cavendum omnino est ne ullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod satis sit ad omnem prorsus dubitationem de vero obitu tollendam (can. 1213). Quae praeceptio iam inveniebatur in edit. tipica Rit. Rom. a. 1913, tit. 6, cap. 1, n. 3. Qua in re prae oculis haberi debet doctrina hodie communis de morte reali et de morte apparente praesertim in casibus mortis repentinae. Cfr. *Ferreres*, Opusc. La muerte real y la muerte aparente con relación a los Sacramentos; *Id.* Instit. canonic. II, n. 132. In hunc finem attendendae etiam sunt leges civiles hac de re latae ad evitandum periculum sepulturae hominis adhuc vivi, licet apparenter mortui.

VI. Tandem **exhumatio cadaveris perpetuae** sepulturae traditi fieri non potest sine Ordinarii licentia (can. 1214), et etiam in hac re attendendae leges civiles ubique de tali exhumatione latae.

571. *Locus ordinarius* sepulturae est *coemeterium paroeciale*. I. Iuris desideratum est, ut paroeciae suum quaeque coemeterium habeant, nisi unum pluribus commune ab Ordinario loci sit legitime constitutum (can. 1208, § 1). De facto hodie plerumque, ubi plures sunt paroeciae in eadem urbe, unicum solet haberi coemeterium pro omnibus paroeciis; quo casu unicuique parocho, quod attinet ad funus et sepulturam paroecianorum, idem ius habetur in communi coemeterio, quod haberetur in proprio coemeterio paroeciali, salvis praescriptis ab Ordinario datis de administratione communis coemeterii. Nihil tamen obstat quominus divisa parochia quae proprium habebat coemeterium, ad normam can. 1500, dividatur etiam coemeterium assignata cuivis paroeciae propria parte.

II. Religiosi *exempti* possunt habere coemeterium proprium a communi coemeterio distinctum (can. cit. § 2); quae facultas habendi proprium coemeterium iam ante sive ex privilegio, sive melius ex iure communi regularibus competebat (cap. 5 de sepult. in Sext.). Id ipsum speciali ratione valet de monialibus, pro quibus haud raro vel ipsa auctoritas civilis permittit peculiaria coemeteria intra clausuram posita, cum tamen in aliis non admittat.

III. Etiam aliae personae morales atque adeo familiae privatae ex concessione Ordinarii loci possunt habere peculiare sepulcrum, extra commune coemeterium positum, et ad instar coemeterii benedictum (can. 1208, § 3), v. gr. Capitulum canonicorum, communitas religiosa non exempta, confraternitas etc.

IV. In ipso coemeterio paroeciali et in coemeterio alicuius personae moralis possunt fideles sibi et suis extruere sepulcra particularia, cum licentia, ut per se patet, Ordinarii loci si agatur de coemeterio parochiali vel respectivi Superioris si agatur de coemeterio ad personam moralem pertinente; quae licentia potest esse adstricta determinatis conditionibus seu limitationibus, praesertim cum illa restrictione ut ibi non sepeliantur nisi illi pro quibus permissio sepulcri facta est. Horum sepulcrorum alienatio prohibita non est sed indiget eadem licentia, quae pro extructione dicta est (can. 1209, § 1). Huc spectant quae supra dicta sunt de pretii exactione.

§ VI. - DE VETITA CADAVERUM CREMATIONE

572. « Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, **reprobata eorumdem crematione** ». Quodsi « quis quovis modo mandaverit ut corpus suum cremetur, illicitum est hanc exequi voluntatem; quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tamquam non adiecta habeatur » (can. 1203). Porro ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa... *Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi* (can. 1240, § 1, 5); quae privatio tunc quoque incurritur, cum crematio non fuerit sequuta (Comm. Cod. 10 Nov. 1925).

Ut supra in notis historicis dictum est, ab initio Ecclesiae et deinde constanti traditione et usu retentum est, ut christianorum corpora, utpote animarum domicilia et templa Spiritus Sancti in

vitam aliquando reditura, post mortem non destruerentur per cremationem sed humi sepelirentur. Quem morem adhibuit Ecclesia tametsi apud Romanos eo tempore esset permissa corporum crematio (36). Qua in re Ecclesia secuta est morem iudaeorum; innixa fuit ipsa lege Mosaica (cfr. Deut. XXI, 22 sq.) et ipsa Scriptura Nov. Test. cfr. v. g. I Cor. XV, 36 sq. ubi S. Paulus scribens ad christianos Corinthios, aperte supponit sepulturam mortuorum fieri per *inhumationem*, dum comparat corpus quod sepelitur semini quod terrae mandatur (37). Quare sensus religiosus fuit causa illius curae et illius modi sepulturae, resistendo in hac re praxi contrariae et propriam praxim imponendo populis ad fidem conversis. Nec in hac re nimium luctari debuit ut vinceret paganorum ad fidem conversorum resistentiam, nec inter fideles per duodecim saecula conatus adhibiti contra praxim traditionalem Ecclesiae. Aliqua praxis sub finem saec. XIII, quae minus erat conformis reverentiae adhibendae erga fidelium cadavera, statim fuit damnata per Decretalem Bonifacii VIII « *Detestandae feritatis* » (cap. 1, l. III, tit. 6, De sepult. in Extrav. Comm.), licet esset destinata solum ad translat. cadaveris alibi more Ecclesiae sepeliendi.

Nonnisi tempore revolutionis Gallicae a. 1789 coepti sunt adhiberi publici conatus ad inducendum novum modum sepulturae per cremationem seu incinerationem cadaverum, et lucta in hanc rem gravior effecta est ex dimidio saec. 19 cum societates massonicae obtinuerunt a guberniis recognitionem huius ritus sepulturae. Lucta

(36) Cfr. cit. textum Minutii Felicis (saec. III ineunte) in « *Octavio* » cap. XI, XXXIV; Tertullianum, « *De anima* » cap. 51, « *De resurrectione carnis* » cap. I. — Pariter populis paganis ad fidem conversis, Ecclesia imposuit ritum inhumationis, cui se subiecerunt tametsi diverso ritui essent assueti. Similiter tempore persecutionum, inspecta diligenti cura fidelium corpora martyrum colligendi et honorifica sepultura donandi, persecutores de industria concremabant eorum corpora et eorum cineres disperdebant vel in flumen proiiciebant (Cfr. apud *Eusebium*, Hist. Eccl. l. V, cap. 1); at christiani innixi fide resurrectionis, respondebant, Deum nihilominus elementa conservaturum ad resurrectionem.

(37) Si ritus inhumationis factus est proprius Ecclesiae ob allegatas rationes, tamen tenendum est apud ipsos populos paganos antiquitatis etiam hunc modum tractandi cadavera fuisse frequentiorem; et ubi alius modus magis inhumanus adhibitus fuit, id plerumque proveniebat ex falsis principiis religiosis, quibus ille alius modus magis respondebat, semper enim cum cadaverum sepultura erat connexus respectus quidam religiosus. Cfr. *Besson* in Dict. d'Apologèt. v. Incinération tom. II, col. 628 sq.; *Valton* in Dict. d. Théol. Cath. v. Cremation t. 6, col. 2310 sq.

coepit in Italia, cuius antesignanus fuit Coletti in congressu Patavino a. 1869; successerunt deinde alii congressus Florentiae, Mediolani, Neapoli, Venetiis et tandem Romae (a. 1871). Experimenta facta sunt Patavii a Brunetti (a. 1872); senatus Romanus facultatem dedit erigendi furnum crematorium. Deinde subsequutae sunt aliae nationes. In Gallia post praecedentes conatus legem introducendi, tandem ea lex introducta est a. 1886, fuit promulgata 15 Nov. 1887, et executioni mandata per subscriptionem praesidis reipublicae 27 aprilis 1889.

Inde orta est Parisiis consociatio massonica ad propagandam praxim cremationis, quae recognitionem et approbationem obtinuit 12 octobr. 1897. Si furor ille propagandae inhumanae et barbarae praxis cremationis in nonnullis locis decrevit, v. g. in Italia; at alibi aut perseverant impiae associationes in illum scopum initae, aut crematio favorem habet legis vel statuti municipalis.

573. Ecclesia in re quam promovebant christianae religionis hostes in eum finem ut ideam propagarent perfectae anihilationis hominis in morte et immortalitatis ac futurae resurrectionis corporum ideam penitus delerent, non potuit sese indifferentem praebere, et variae prodierunt S. Officii damnationes.

I. Primum responsum S. Officii prodiit 19 Maii 1886. Propositis dubiis: a) *An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?* b) *An licitum sit mandare ut sua aliorumve corpora comburantur?* — Ad utrumque respondit: *Negative* et quoad primum addidit: *si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra hanc latas.*

II. Die 15 Dec. 1886 edixit privandos esse sepultura ecclesiastica eos, *qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseveraverunt.* Cfr. supra cit. can. 1240, § 1, 5.

III. 27 Iulii 1892 plura dubia practica resolvit: 1º) *Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae sectae non adhaerent, nec eius ducti principiis, sed aliis rationibus moti, corpora sua post mortem cremari mandarunt, si hoc mandatum retractari nolint?* — Responsum: « *Si moniti renuant, negative. Ut vero fiat vel omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi* ».

2⁰) *Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine eorum culpa cremata sunt, Missae Sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare?* — Responsum: « *Circa publicam S. Missae applicationem, negative; circa privatam, affirmative* ».

3⁰) *Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus? Et utrum hoc liceat saltem si fiat in quadam necessitate, aut ad evitandum magnum damnum?* — Responsum: — « *Numquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo:* a) *crematio non habeatur pro signo manifestativo massonicae sectae;* b) *non aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae;* c) *neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum, quamvis in hisce casibus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant* ».

4⁰) *Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant?* — Responsum: « *Provisum in praecedenti. Et detur decretum feriae IV, 15 Dec. 1886* ». Est decr. de privatione sepulturae ecclesiasticae supra relatum.

IV. Demum Instr. S. Officii 19 Iunii 1926 insistit in hoc, quod licet ritus et suffragia non denegentur iis, qui solum aliena, non propria voluntate, cremationi subiiciuntur, tamen tunc solum illi ritus permitti possint, si scandalum removeri possit per opportunam declarationem de contraria defuncti voluntate; quodsi alicubi specialia rerum et temporum adiuncta scandali remotionem sperari non sinant, tunc quoque manet integra prohibitio funerum ecclesiasticorum. — Item non licet exequias ecclesiasticas, praesente cadavere, de more persolvere ei, qui disposuit sui corporis cremationem, ex eo quod dum viveret solitus esset exercere aliquos actus religionis vel quod forte ultimo vitae momento pravam voluntatem retractavit: cuius *mere coniectatae* retractationis nulla in foro externo ratio haberi debet — Porro ubi defuncto ob memoratam causam non licet ecclesiastica funebria persolvere, nec licet cineres sepultura ecclesiastica donare vel quomodocumque in coemeterio benedicto asservare. Demum in eadem Instructione praecipitur pro

casu quo civilis auctoritas, Ecclesiae infensa, contrarium exigat disciplinae ecclesiasticae, ut sacerdotes ad quos spectat, qua par est animi fortitudine, tali apertae Ecclesiae iurium violationi obsistant, atque emissa congrua protestatione, ab omni abstineant interventu, et data occasione fideles instruant et a cremationis *impietate* deterreant. Pari ratione urgetur vigilantia, zelus et uniformitas Antistitum in hac lucta contra memoratam impietatem. — Solemnitas peculiaris huius documenti et rei momentum indicat et confirmationem continet praecedentium S. Officii decretorum.

574. Legis contra cremationem fundamentum. Praeter traditionem constantem et non interruptam ab incunabulis Ecclesiae derivantem, cum modo sepeliendi cadavera Ecclesia suam peculiarem liturgiam instituit, quae prorsus immutanda esset si ritus cremationis induceretur; per quam immutationem recederet a ritu tot saeculorum usu sacrato. Significatio sacra ritus cum praecipuo religionis dogmate connexa, immutaretur in modo sepulturae, quo idea praecipui illius dogmatis penitus obliteraretur, et hoc promoventibus sectis religioni infensissimis. Illis ergo sectarum conatibus obsistendum erat per reprobationem et damnationem cremationis, et per retentionem ritus veneranda ipsa antiquitate sacri.

Insuper ultima S. Officii Instructio cremationem vocat *impietatem* erga defunctorum corpora, ubi indicatur intrinsecum prohibitionis fundamentum. Sane cadaverum crematio dicitur non esse *absolute mala,* secus non posset ullo in casu esse licita et permissa; at in extraordinariis rerum adiunctis ex certa gravique boni publici ratione, permitti potest et revera permittitur (38); at naturali sensui pietatis erga defunctos cremationem repugnare docet communis fidelium sensus a tali violenta destructione instinctu naturae abhorrens. Quam pietatem supernaturalis characteris multo magis meretur corpus fratrum in fide sublimi ratione et modo sacrum et nostro amore et reverentia dignum: illud enim fuit cum anima templum Spiritus Sancti, instrumentum ad virtutes supernaturales exercendas, per sacramenta et praesertim per praesentiam et realem contactum Corporis Christi sanctificatum. Demum semen resurrec-

(38) Tales esse possunt in bello, in peste, aut alia publica calamitate, in qua nimis magna sit cadaverum multitudo. At etiam in his cassibus meliores hygienistae sunt contrarii cadaverum cremationi. Cfr. *Besson* l. c. col. 649.

tionis ad vitam aeternam in eo positum est et ad eamdem sperandam nobis insitus est sensus pietatis supernaturalis, qua movemur ad illud, pro viribus, in sua primitiva forma servandum (39).

575. Ceterum argumenta quibus propugnata est crematio omni carent valore, ex quo magis reprobanda apparet et praxis et studium eam inducendi et propagandi, quod hoc tempore nondum cessavit, licet scientiae postulata sint hodie ipsi contraria.

Initio quidem dictum fuit populos rudes cadavera sepelire solere, cultos autem cremationi favisse; quod hodie demonstratur falsum ex historica inquisitione (40). Deinde praesertim facta est vis in eo quod cremationem postulet ratio sanitatis publicae, quasi aër valde noxius ex coemeteriis erumpens modernam societatem inficiat et varios creet morbos; quod pariter hodie falsum esse demonstratur (41). Atque inde etiam maxime commendatur, quod in cit. Ins-

(39) Inde etiam palam fit, quod licet crematio dogmati catholico directe non adversetur, illud tamen obscurat et ex conspectu fidelium removet, dum e contra sepultura seu inhumatio aptissimo modo doctrinam ecclesiae ac dogma catholicum exprimit et illustrat. Aptissima significatio ad exprimendam peccati poenam, si corpus e terra sumptum, terrae redditur; si tanquam granum frumenti (Ioan. 12, 24) seminatur in *corruptione* naturali, resurrecturum supernaturaliter in *incorruptione* (I Cor. 15, 42); cui consonat ipsa vox *κοιμητήριον*, ubi fidelis dormit expectans auroram resurrectionis: *eos qui dormierunt, requiescant a laboribus* (I Thes. IV, 11, Apocalypsis XIV, 13); ipsum dogma incorporationis et unitatis mysticae fidelis cum Christo, unde Christus dicitur *primitiae dormientium*, fideles vero cum ipso *consepulti*, inter quos etiam quoad resurrectionem Caput huius mystici corporis habebit *primatum* (Rom. V, VI; I Cor. XV; Coloss. I; I Thesal. II). — Ad has ideas christianas vel delendas vel obscurandas et ad pias preces pro defunctis impediendas a massonicis societatibus propugnata est praxis cremationis. Quo sensu *huiusmodi conatus est in se malus et omnino reprobandus.*

(40) Cfr. *Besson* l. c. col. 629 sq.; *Valton* l. c. col. 2310 sq. *Many* l. c. n. 212, unde constat longe universaliorem semper fuisse usum sepeliendi cadavera prae usu cremationis, et illum priorem modum potius adhibitum apud populos magis excultos. Porro ipsi Romani cadavera terrae mandare consueverunt usque ad tempus, quo eorum cultura in luxum degeneravit. Primus dictator Sulla sui corporis cremationem in testamento suo indixit: at Cicero potius laudat « antiquissimum sepulturae genus; redditur enim terrae corpus, et ita locatum et situm quasi operimento matris obducitur » (de leg. l. II, n. 22). Cfr. *De Hornstein*, La Crémation p. 40 sq.

(41) Cfr. *Le Maout*, Essai sur l'hygiène des cimitières p. 95. Nihil praeterea impedit, quin potius ex natura rei obligatorium est, inhumationem peragi ita ut observentur cautiones quas vera scientia medica doceat esse servandas. Cfr. *Brouardel* et *Du Mesnil*, Conditions d'inhumation dans les cimitières in

tructione S. Officii, ubi id exigat favor a Statu cremationi praestitus, urgeantur sacerdotes, ut, « data occasione, praestantiam, utilitatem ac sublimem ecclesiasticae sepulturae significationem seu privatim seu publice praedicare ne cessent, ut fideles, Ecclesiae intentionem apprime edocti, a cremationis impietate deterreantur ».

Quodsi etiam argumentis non ecclesiasticis pugnandum est, relatione habita ad eam, quam vocant *medicinam legalem*, crematio etiam bono publico societatis obest, quatenus tollit vestigia veneni aut aliarum mortis causarum, quae tantopere iuridicam informationem in iudiciis praesertim criminalibus iuvant.. Cfr. *De Hornstein* l. c. cap. 17, 18.

TITULUS XXIV

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

5i6 **Fontes:** Decr. Grat. C. XIII, q. 1 2; c. 49 D. I. de cons. — Cpl. I, l. I, t. 24 de sepulturis; cpl. II. — V. l. III, t. de sep. — Decret. Gregor. IX, l. III, tit. 28; Decret. Bonif. VIII, l. III, t. 12 eod.; Consist. Clem. V, l. III, t. 7; Extravg. com. l. III, t. 6. — Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 13 de ref.; Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis* p. 69 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1592; Act. S. Sed. v. v. Exequiae, Funus, Sepulchrum, Sepultura; Collect. Lac. v. Sepultura; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 4:4 sq. 913 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. — *Zech*, De iure rer. eccles. sect. 2, tit. 23 de sepulturis; *Devoti*, Inst. canon. l. II, t. 9 de sepulturis; *Scherer*, Hdb. d. Kirchenr. t. II, p. 601 sq.; *Brabandère*, Compend. iur. can. t. II p. 79 sq.; *Pial*, Ius Reg. II, q. 377 sq.; *Gretser*, Funus christian.; *Ferraris*, Bibl. v. Sepultura; *Probst*, Exequien; *Moulart*, De sepult. et coemet.; *Many*, l. c. n. 15) sq. — *Thomassin*, V. et n. Eccles. discipl. P. III, l. I, cap. 65 sq.; *Kraus*, Real-Encyklop. v. Todtenbestattung; Kirchenlex. v. v. Begraebniss, Leichenverbrennung. — *Ferreres*, Institut. canon. I., n. 138 sq.; *De Meester*, Iur canon. comp. III, n. 1179 sq.; *Matth. a Coronata*, Instit. II, n. 797 sq.; *Muniz*, Procedimientos eclesiást. II, n. 550 sq.; (1).

« Annales d'hygiène » (a. 1890). Morbi et mortalitates nostri temporis non causantur a corporibus in sinu terrae, sed ab hominibus vivis super faciem terrae. Cfr. quoque *Besson* et *Valton* locis citatis, *Lesêtre*, Crémation des corps, in Rev. pr. d'Apologét., 1907, t. III, p. 613 sq.; *Schaempman*, De cadav. humani cremat. et humatione, in Nerdel. Kath. Stemmen 1910, t. X, p. 338 sq.; Archiv. für Kath. Kr. (a. 1909) t. 89, p. 569 sq., t. 90, p. 159, t. 101, p. 182, 50 sq., t. 102, p. 109.

(1) Cum inde ex saeculo elapso etiam potestas civilis multiplices dederit

577. Cum sepultura ecclesiastica contineat complexum quemdam sacrarum caeremoniarum, precum, functionum inde a benedictione cadaveris et aspersione cum aqua benedicta, usque ad *inhumationem* cadaveris in loco sacro sive *benedicto*, et illi ritus habeant rationem sacramentalis merito sub rubrica de *sacramentalibus* subsumi posset (2).

I. **Notio.** Sepultura ecclesiastica triplicem habet significationem; denotat enim ipsum *locum* ab auctoritate ecclesiastica per benedictionem rite deputatum ad sepelienda corpora fidelium pie defunctorum (3); deinde universos ritus sacros ab Ecclesia praescriptos vel determinatos ad sepeliendos mortuos christianos in loco *benedicto* (4); denique *ius sepeliendi* cadavera fidelium in sepulchro sive loco rite ab Ecclesia per benedictionem deputato (5). - Sepultura vero complete sumpta complectitur tres actus: cadaveris translationem ad ecclesiam, exequias super illud in eadem celebratas, illius depositionem in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis (can. 1204).

II. **Divisio.** Ecclesiastica sepultura: *a*) ratione *loci* dividitur in *electivam, gentilitiam, parochialem*; *b*) ratione *ritus* in *solemnem*, quae fit cum pompa, et in *simplicem* absque pompa et solemni *associatione* et exequiarum celebratione, quae in certis casibus ab Ecclesia non permittuntur (6); *c*) ratione *iuris* sepeliendi cadavera distinguitur merum *ius tumulandi* sive admittendi corpora ad solam humationem v. g. in oratorio confraternitatis, et *ius funerandi* sive

---

leges de sepulturis, praesertim nostra aetate ad vitanda incommoda etiam ius civile diversarum regionum de sepultura *communi* vel *civili* est consulendum. Cfr. *Bargilliat* Prael. iur. can. n. 1335 sq., ubi referuntur leges civiles Galliae; *Scherer* l. c.; Staatslex. v. Begraebnisswesen.; *Brabandère* l. c. p. 108 sq. 853 sq.; *Holtzendorff*, Rechtslex. v. v. Beerdigungspfl., Beerdig., Begraeb.; *Friedberg-Ruffini* Diritto eccles. p. 385 sq 747, 779; *Muniz*, l. c. n. 566.

(2) Rit. Rom., tit. VI De exequiis; *Schmalzgr*. l. III t. 28 pr.; *Zech* l. c.; *Thalhofer* Handb. d. K. Liturgih, t. II p. 526 sq.; *Hollweck*, D. kirchl. Strafg. p. 152 sq.

(3) Cap. 3 X. de sepult. III 28; Conc. plen. Baltim. III (a. 1884) n. 317 sq.; *Schmalzgr*. l. c. n. 1.

(4) Cfr. c. 105 C. I. q. 1; S. C. de Prop. F. 16 Apr. 1862 in cit. Collectan 1604.

(5) Cap. 2 de sepult. III 7 in Clem.

(6) S. C. Inq. 16 Maii 1866 in cit. Collectan. 1605; S. C. Ep. et Reg. 21 Martii 1884 in Act. S. Sed. vol. XVI p. 547; S. Poenitent. 20 Mart. 1885.

celebrandi exequias parocho aliisque proprium et ius tantum *associandi* sive *conducendi* ad locum sepulturae (7). Ab illo *iure activo* sepeliendi v. g. parochi differt ius passivum ad sepulturam in fidelibus, quod definiri potest: Ius spirituale competens fidelibus pie demortuis, ut condantur eorum corpora in loco auctoritate Episcopi vel privilegio pontificio ad hoc deputato. Cui *iuri* fidelium correspondet in aliis *obligatio* ad procurandam honestam sepulturam.

678. Notae historicae. Ecclesia catholica ob religionis christianae dogmata de aeterna beatitudine iustorum et futura mortuorum resurrectione inde a primis temporibus corpora fidelium pie decedentium in *loco sacro* condidit (8). Quo in ultimo obsequio, quod christianis exhibetur, Ecclesia catholica pariter ex antiquissima traditione uti solet *sacris caeremoniis ac ritibus* (9). Qua in re si omnes cultae gentes atque populus electus veteris testamenti eximiam habuerunt curam funerum, certe etiam christiani nihil egerunt contra spiritum evangelii, cum derelictis ritibus superstitiosis corpora fidelium, utpote domicilia animarum fidelium et templa Spiritus Sancti in vitam aliquando reditura, *congruis honoribus piisque caeremoniis* sepelierunt (10). Cuius praxis, quae ipsa scriptura novi testamenti suadebatur (11), iam ex primis saeculis occurrunt exempla (12). At inde ab antiquis temporibus Ecclesia quoque non levibus superstitionibus aliisque abusibus sese opposuit (13). Singulari autem rigore

(7) S. C. C. apud *Richt*. l. c. p. 490 n. 29 et 28 Ian. 1893 in Act. S. Sed. vol. XXV p. 678; S. C. Ep. et Reg. 5 Sept. 1879 ibid. vol. IX, p. 20 sq.; S. R. C. decr. gen. 10 Dec. 1703 conf. 12 Ian. 1704 ad 20. At si quis habuit *plenum* ius sepeliendi, amisso privilegio quoad *locum* tumulandi non necessario etiam amisit ius in sua ecclesia celebrandi exequias sive iusta funebria, si fideles pro sua libertate v. g. in testamento ita disposuerint. Cfr. v. g. S. C. C. 26 Novem. 1864, 22 Dec. 1866, 16 Febr. 1867 in Act. S. Sed. vol. I p. 85 sq. 124 sq. vol. III p. 41 sq. 305; *Piat* Ius regul. t. II q. 377 sq. 400 sq.; Act. S. Sed. vol. V p. 562 sq. 221 sq.; aliter *De Angelis* l. III t. 28 n. 3.

(8) Cfr. dicta supra, tit. praeced.

(9) Rituale Rom. l. c. pr.; *Krous* l. c.; Kirchenlex. v. Begraeb.

(10) Dig. XI 7 de religiosis et sumpt. funer. 8 de mortuo inferendo; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 631 sq.; Kirchenlex. l. c.

(11) Ioann. XI 44 XII 7 XIX 38 sq.

(12) *Tertullian*., De anima cap. 29; *S. August*., De cura gerenda pro mortuis; c. 2 Conc. Vasens. (a. 442) (de sepultura poenitentium); *Kraus* l. c.

(13) Cfr. c. 34, 35 Conc. Illiberit. (a. 300-306) iunct. *Hefele* l. c. t. I p. 169 sq.; c. 3 Conc. Arvernens. (a. 535); c. 16, 17, 18 Concil. Bracar. (a. 563); c. 12,

(i. e. poena capitali) prohibitum fuit (Saxonibus) more paganorum *cremare cadavera* (14).

Quodsi iam antiquis canonibus expresse fuerat statutum saltem *quibusdam* christianam sepulturam esse *negandam* (cit. c. 16, 17. Conc. Bracar. a. 563), id subsequentibus Conciliis magis in specie est determinatum (15). Cum prioribus saeculis *taxa* in funeralibus esset prohibita, paulatim mitior praxis fuit introducta (16). Quae *iura stolae* atque incidentes quaestiones de portione canonica ansam dederunt non levibus controversiis parochorum inter se atque cum regularibus frequenter munitis privilegio sive iure funerandi in suis ecclesiis fideles, qui ibidem pro sua libertate sepulturam elegerant (17).

Bonifacius VIII, sua Const. a. 1299 publicata, qua prohibuit abusum quendam horridum exenterandi cadavera mortuorum eaque immaniter decoquendi, ut ossa a carnibus separata transmitterentur in patriam, nequaquam sese opposuit legitimis usibus anatomiae (18). Concilium Tridentinum Sess. XXV, cap. 13 de ref. unice decretum condidit de quarta funeralium in favorem ecclesiarum cathedralium aut parochialium (19).

Cum inde ex saeculo elapso potestas civilis praesertim ob rationes *hygienicas* frequentius leges conderet de sepultura omnium civium, Ecclesia novae praxi v. g. denuo extra ecclesias et civitates sepeliendi mortuos in coemeteriis publicis sese non opposuit; id enim fuit plane conforme antiquae disciplinae ecclesiasticae ipsis-

---

14, 15 Conc. Antissiod. (a. 585); c. 22 Conc. Tolet. III (a. 589) cap. 7 c. 28 C. XIII q. 2; c. 4 Conc. Roman. (a. 595); c. 6 Conc. Nannet. (a. 658) *Zech* l. c. § 503 sq.

(14) Conc. mixt. Paderbon. (785) cap. 7. Cfr. de aliis superstitionibus: Concil. German. (a. 742) c. 5; Concil. Liftin. (a. 743-745) iunct. *Hefele* l. c. t. III p. 505 sq.

(15) Cfr. c. 27 Synod. Mogunt. (a. 847); Nicol. M. in resp. ad cons. Bulgar. n. 98; c. 9 Concil. Ravennat. (a. 877); c. 12 Concil. Metens. (a. 888); c. 9 Conc. Rothomag. (a. 1074); c. 16 Conc. Nemaus. (a. 1096); c. 10 Synod. Paris. (a. 1212-1213).

(16) Cfr. c. 4 Concil. Metens. (a. 888) iunct. c. 25 Concil. Lond. (a. 1102); c. 66 Concil. Lateranen. IV (a. 1215) = cap. 42 X. de Simon. V 3.

(17) Cap. ult. 1 sq. 10 X. de sepult. III 28; cap. 1 de sep. III 12 in Sext.; cap. 2 de sep. III 7 in Clem.; cap. 2 de sepult. III 6 in Extravg. com.

(18) Cap. 1 de sepult. III in Extravg. com.

(19) Decis. S. C. C. ad cit. cap. 13 in ed. *Richt*. C. Tr. p. 461 sq.

que statutis Ritualis Romani. At merito reiecit novos abusus de *crematione corporum* aliasque suae iurisdictionis violationes v. g. de cogendis clericis ad illicitas sepulturas ecclesiasticas vel de impedita *generali* benedictione coemeteriorum (20).

§ 1. - DE MINISTRIS SEPULTURAE ECCLESIASTICAE

579. Sepultura fidelium, quatenus designat complexum *sacrarum caeremoniarum*, est causa omnino religiosa unice ab auctoritate ecclesiastica ordinanda. Quare imprimis spectat ad Ecclesiam catholicam definire, quinam tanquam *minister legitimus* in sacris illis caeremoniis sepulturae peragendis intervenire *possit* vel *debeat*. Qua in re, omissa competentia manifesta Romani Pontificis atque Episcoporum, potius de aliis ministris est disserendum. Quae de ministro et Ecclesia funeris principia generalia dici debent, respiciunt casum generalem, non varias sepulturae species.

580. I. Exequiae *Rom. Pontificis* nunc celebrantur in Basilica Vaticana per novem dies a *Cardinalibus*, quibus etiam obligatio incumbit, ut Constitutiones Apostolicae contra abusus occasione mortis Rom. Pontificum datae accurate observentur (21).

II. Funeralia *Cardinalium* in Urbe decedentium ordinarie celebrari solent in ecclesia parochiali domicilii vel in alia designata a R. Pontifice et per se spectant ad Decanum Collegii Cardinalium. Eis assistere antea solebat R. Pontifex; at nunc unus ex Praelatis Curiae celebrat Missam solemnem atque Decanus Cardinalium dat solemnem absolutionem (can. 1219) (22).

---

(20) Cfr. cit. resp. S. C. Ep. et Reg. et Reg. 21 Mart. 1884 aliosque text. alleg. in not. 6 et 7 h. tit.; Act. S. Sed. vol. I, p. 85 sq. 124 sq.; *Nourisson* in Arch. f. k. K. t. 49 p. 300 (de coemeteriis in Gallia).

(21) Cap. 4 §§ 1, 5, de elect. I 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* »; Gregor. XV Const. « *Decet* »; Const. Pii X « *Vacante Sede Apost.* » in Append. Codicis, n. 26. *Phillips*, kirchenr. t. V, p. 722 sq.

(22) Act. S. Sed. vol. XV p. 553 sq.; *Brabandère* l. c. p. 91. Pro Cardinalibus extra Urbem decedentibus in aliqua civitate Episcopali, funus peragitur a dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis (can. 1230, 6 iunct. can. 397, n. 3. Cfr. quoque S. R. C. Decr. auth. n. 4119; *Ojetti*, Synopsis v. Exequiae n. 2155); secus a Clero ecclesiae loci dignioris, nisi Episcopus aliud statuerit v. gr. si ipse cum canonicis suae Ecclesiae velit funus peragere.

III. *Episcoporum* sepultura pertinet ad *primam dignitatem* Capituli ecclesiae cathedralis cum Capitulo, *non* ad parochum, cui in ecclesia cathedrali incumbit cura animarum (can. 397, 3°; 1219 § 2) (23); Praelati vel Abbatis *nullius* ad ecclesiam Praelaturae, vel Abbatiae.

IV. *Canonicorum* exequiae, quamvis de iure praecedenti competerent *parocho*, in cuius parochia canonicus suum habuit domicilium (24), tamen ex legitima consuetudine multarum dioecesium v. g. in Gallia et Belgio fieri potuit, ut a Capitulo in ecclesia cathedrali sint celebrandae. Illud ius particulare per can. 1220 factum est ius commune, sed canonicis salvum permanet ius sepulturae electivae vel gentilitiae sive maiorum vel *Capituli*, unde ius parochi domicilii pariter limitatur. Quod de canonicis statutum est, fuit etiam applicatum clericis beneficiatis, qui obtinent beneficium residentiale et servitium exigens personale in una parochia, sed in alia parochia habent domicilum habitationis; et per cit. canonem factum est ius commune, sicut de canonicis (25). Manet tamen beneficiati proprio parocho ius levandi cadaver et ad ecclesiam beneficii deducendi (Argumento can. 1230).

V. *Parochorum* funera, cum ex natura rei pertineant ad ecclesiam paroecialem eiusque clerum, cum tamen in pluribus paroeciis parochus sit unicus sacerdos, quandoque iure particulari reservantur *Vicariis foraneis*, nisi ratione personae ob speciales circumstantias alius clericus v. g. Superior regularis sit competens, sicut vicissim exequiae Vicarii foranei committuntur vicino Vicario foraneo vel alteri presbytero ab Episcopo delegato (26).

(23) Caeremon. Episc. l. II, cap. 38; S. C. C. 24 Mart. 1873. Funus Episcopi extra civitatem episcopalem demortui a clero dignioris ecclesiae in loco existentis persolvendum est, nisi forte inde ad ecclesiam cathedralem deferatur. Cfr. quoque Ceremoniale Episc. l. II, cap. 38, n. 11 sq. et S. R. C. decr. auth. n. 3822. — Episcopi mere titulares hac in re reguntur communi iure fidelium (*Many* l. c. n. 175); quodsi decesserit extra suum domicilium in civitate aliqua episcopali, ecclesiae cathedrali funus tribuendum videtur.
(24) S. C. C. in c. Tiburt. 12 Maii 1685 et in c. Ianuen. 21 Iulii 1827. Cfr. quoque S. C. C. 14 Sept. 1878 in Act. S. Sed. vol. XI, p. 494 sq.
(25) S. C. C. in c. Auscit. 9 Iul. 1881 et in c. Nicien. 11 Iul. 1885; *Brabandère* l. c. t. II, p. 92 sq.; paulo aliter *Schmalzgr.* l. c. n. 45 sq. — Cfr. quoque *Many* l. c. n. 177.
(26) S. C. C. in c. Patav. 12 Dec. 1891 in Act. S. Sed. vol. XXV p. 278 sq.; Conc. prov. Vienn. (a. 1858) et Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V col. 158, 794. Cfr. quoque *Many* l. c. n. 179.

581. Quoad ceteros communes fideles *parochus*, in cuius parochia fideles defuncti verum domicilium vel etiam quasi domicilium (27) habuerunt, est ad funus ibidem peragendam per se vel suum delegatum privative competens, nisi *alibi* sibi *elegerint* sepulturam vel habeant sepulchrum gentilitium sive maiorum, quo in casu nihilominus parocho adhuc manet ius *levandi* cadaver de domo defuncti illudque *associandi* atque *deducendi* (28) ad parochiam vel ecclesiam sepulturae. Sed de his inferius, ubi agetur de sepultura paroeciali.

582. *Superiores regulares* gaudent iure funerandi subditos suos religiosos professos et novitios atque familiares intra septa viventes, non hospites et advenas saeculares (29). Quo iure non exciderunt, postquam sepulturae in ecclesiis vel coemeteriis regularium intra civitates non amplius fieri possunt, dummodo absque solemni pompa et recto tramite et a sola familia proprii conventus, servatis tamen rubricis cadaver ad publicum coemeterium conducatur. Hoc ius ad religiosas congregationes virorum cum votis simplicibus non exemptas extensum est quod attinet ad funus (can. 1221), dum antea, attendenda erant specialia privilegia Sed. Apost. vel statuta dioecesana (30). Quoad ipsos religiosos si extra domum moriantur ius levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam vel oratorium suae domus religiosae vel saltem suae religionis pertinet semper ad Superiorem religiosum. Quodsi longe a domo moriantur, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funeran i sunt in ecclesia paroeciae ubi decendunt, salva

(27) S. C. C. 22 Dec. 1866 et 24 Mart. 1888 in Act. S. Sed. vol. III, p. 41 sq. et vol. XXI, p. 94 sq.; Act. S. Sed. vol. XIV p. 214; *Schmalzgr.* l. c. n. 39; *Brabandère* l. c. t. II, p. 90. Quod quasidomicilium in ordine ad *excludendum proprium* parochum veri domicilii a iure funerandi non sufficienter acquiritur per receptionem in aliquod *hospitale civitatis.* Cfr. S. C. C. in c. Apuana 19 Maii 1888 et 11 Apr. 1891 in Act. S. Sed. vol. XXI, p. 201 sq. et vol. XXIV, p. 114 sq. vol. XXVIII, p. 234 sq. vol. XI 494 sq. Cfr. *Many* l. c. n. 172.
(28) S. C. C. 22 Dec. 1860 in Act. S. Sed. vol. III, p. 41 sq. et 22 Iul. 1899 in Anal. eccles. t. VIII, p. 111 sq.; *Brabandère* l. c. t. I, p. 410 sq.
(29) Cap. 5 de sepult. in Sext.; S. C. C. 21 Aug. 1869 in Act. S. Sed. vol. V, p. 124 sq.; S. C. Ep. et Reg. 14 Dec. 1674 apud *Bizzarri* l. c. p. 302 sq.; *Piat* l. c. t. II, p. 307 sq. 312 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 14 sq. 37.
(30) S. C. C. 24 Ian. 1846, 14 Aug. 1875; S. C. Ep. et Reg. 17 Sept. 1880 et 21 Mart. 1884 in Act. S. Sed. vol. XIII p. 416 sq. XVI p. 547 sq.

Superiori religioso facultate etiam in hoc casu ad propriam ecclesiam vel oratorium, non obstante incomodo cadaver deferendi (can. 1221, § 2). Quoad familiares actu servientes et intra domus septa stabiliter commorantes, si extra domum decesserint, funerandi sunt ad normam iuris communis ceterorum laicorum (can. 1221, § 3).

583. Pariter *capellani monialium* quoad sepulturas *monialium* idem habent ius (31), quibus monialibus exemptis aequiparatae sunt ceterae religiosae sorores iurisdictioni parochi non obnoxiae; ceterae religiosae sorores reguntur communi iure fidelium et ad ecclesiam paroecialem pro funere deferendae sunt sive intra sive extra domum religiosam decesserint (can. 1230, § 5).

Quare religiosae defunctae professae vel novitiae cadaver deferre debent ad clausurae limen; inde *capellanus* vel *parochus*, pro diverso casu, defert cadaver ad ecclesiam vel oratorium domus religiosae aut ad ecclesiam paroecialem, pro funere explendo (cit. can. 1230, § 5) ab eodem capellano vel parocho. Quodsi extra domum religiosam decedant funerantur in paroecia loci decessus, nisi religio expensas translationis suscipere velit.

Ius speciale religiosorum non participant personae quae hospitii, valetudinis vel educationis causa die noctuque apud religiosos utriusque sexus degunt, nisi ius peculiare loci aut privilegium ipsis faveat. Quare subintrat canon generalis de iure parochi (can. 1217) (32).

Quoad eos qui decedunt in Seminariis standum can. 1368, ex quo in his casibus vice parochi fungitur Rector Seminarii.

584. *Capellani confraternitatum*, quae forte olim in suis ecclesiis ab Episcopo obtinuerunt ius tumulandi aut nunc in coemeteriis

(31) S. C. C. 24 Ian. 1872 in Act. S. Sed. vol. VII p. 161 sq.; S. C. Ep. et Reg. 17 Sept. 1858 apud *Bizzarri* l. c. p. 712 sq. 703 sq. Quae declarationes manifeste datae fuerunt de monialibus votorum *solemnium* et strictae clausurae papalis; hinc ad summum applicari poterant illis monialibus votorum simplicium, quae cum antiquis ordinibus religiosis in privilegiis participant, non sororibus recentiorum congregationum, nisi obtinuissent indultum R. Pontificis vel Episcopi. Cfr. S. C. Ep. et Reg. 18 Aug. 1843, 19 Apr. 1844 apud *Bizzarri* l. c. p. 541 sq. 548.

(32) S. C. C. 21 Ian. 1723, 6 Iul. 1737, 21 Apr. 1742 apud *Richt.* l. c. p. 462 n. 12 sq.; S. C. Ep. et Reg. m. Dec. 1753 apud *Bizzarri* l. c. p. 421 et cit decr. p. 541 sq. 548; *Piat* l. c. II, q. 382 sq.

publicis possident locum sibi reservatum, non utuntur iure activo funerandi, nisi doceant de speciali privilegio et subintrat competentia parochi (33).

Idem autem dicendum est de his qui decedunt in hospitali.

Quicunque tamen sit minister sepulturae ecclesiasticae, semper presbyter sit oportet, *non diaconus*, nisi forte deficiente presbytero et Vicarii Apostolici concurrente licentia *aliquae* sacrae functiones exequiarum diacono permittantur ad tramites decr. S. R. C. in c. Tunk. occid. 14 Aug. 1858. Cfr. quoque cit. Collectan. n. 914, 917. Rituale Rom. tit. VI, cap. 7, n. 5 diaconum, de licentia Ordinarii vel parochi, solum videtur admittere in peragendis exequiis parvulorum.

§ 2. - DE SUBIECTIS SEPULTURAE ECCLESIASTICAE

585. Digna et legitima subiecta, quibus a ministris Ecclesiae licite sepultura ecclesiastica in loco sacro concedi *potest* et *debet*, generatim sunt *omnes* et *soli* fideles baptizati, nisi specialiter a iure prohibeantur (can. 1239, § 1, 3) (34). Nam sepultura ecclesiastica prout complectitur solemnem corporis levationem et associationem, officii divini et Missae celebrationem, funeris deductionem et

(33) Cfr. cit. dec. in not. 7 h. tit.; S. C. Ep. et Reg. 6 Febr. 1874, 10 Mart. 1893; S. C. C. 20 iul. 1878 in Act. S. Sed. vol. VII p. 641 sq. vol. XXVI p. 238 sq. vol. XI p. 377; Concil. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 925; *Brabandère* l. c. t. II p. 79 sq. t. I p. 408 sq.; *Many* l. c. n. 184, 185. Cfr. quoque S. C. Ep. et Reg. 24 Febr. 1889 in Anal. Eccl. t. VII p. 449 sq., ubi declaratur decretum Episcopi *non sustineri*, quo *monopolium* unius confraternitatis perperam fuerat approbatum. Quae monopolia quoad *pompam* funebrem quandoque etiam iure civili sunt exclusa v. g. in Gallia et Belgio; *Scherer* l. c. p. 21 not. 70.

(34) Rituale Rom. l. c.; *Brabandère* l. c. t. II p. 99 sq.; *Scherer* l. c. p. 604 not. 10 p. 621 not. 70. Quare fideles christiani quamvis *renuntiare* possint sepulturae *ecclesiasticae* cum *pompa* faciendae, tamen *omnem* sepulturam ecclesiasticam pro suo arbitrio *excludere* nequeunt. Nam *privata* voluntas etiam hac in re nequit mutare ius *publicum* quod *absolute* praescribit pro fidelibus ecclesiasticam sepulturam, nisi hac ipsa sua *pervicacia* sese reddidissent *indignos*. Quodsi etiam in testamento clausula de renuntiatione vel prohibitione sepulturae ecclesiasticae reperiatur, in homine christiano *alias digno* iudex ecclesiasticus et consanguinei istam clausulam habebunt ut non adiectam et in praxi non curabunt. Multo minus perversi consanguinei vel amici habent ius declinandi vel impediendi sepulturam ecclesiasticam fidelis defuncti nec indigni.

tandem cadaveris in loco benedicto inhumationem cum ritibus sacris, ab Ecclesia est destinata in defunctorum *refrigerium* et *honorem*, in vivorum *solatium* et *aedificationem* (35), in signum ecclesiasticae *communionis*. Quare toties in iure statuitur principium: « *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus* » (36). Porro Ecclesia licet non vetet convenienti modo sepelire cadavera etiam hominum sceleratorum, tamen suos honores et favores nemini obtrudit et solummodo negat *locum benedictum sacrosque sepulturae* ecclesiasticae ritus, ne videatur approbare peccaminosam vitam defuncti atque adeo etiam forte ipsius *haereses* et errores in fide.

Fidelibus baptizatis, quoad admissionem ad sepulturam ecclesiasticam, ius aequiparat catechumenos qui nulla sua culpa sine baptismo mortui fuerint (can. 1239, § 2).

Agitur autem de catechumenis qui ad baptismi gratiam sese *praeparant* atque Christo per caritatem vi baptismi flaminis iam merito praesumuntur uniti et ante baptismum aquae inopinate moriuntur. (Cfr. Conc. Prov. Vienn. a. 1858),

586. Causae unde determinatis baptizatis ecclesiastica sepultura tanquam **indignis** negatur nunc sunt deducendae ex iure Codicis can. 1240, in quo ponitur generale principium de non neganda sepultura his, qui ab ea excluduntur, si ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa.

Si illa signa non sint publica et nota, ad removendum scandalum poenitentiae privatae notitia prudenter est danda.

Neganda est sepultura ecclesiastica:

I. *Paganis, Iudaeis et omnibus infidelibus* (37). Infans in utero matris mortuae, si pariter mortuus fuerit, cum matre sepelitur in terra sancta veluti pars matris (Cfr. 4, 1, § 1, Dig. XXV, 4).

II. Excluduntur in poenam: *Notorie apostatae a fide christiana, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti*. Quoad haereticos et

(35) Cfr. c. 22 § 1 C. XIII q. 2 (S. August.).
(36) Cfr. c. 1 C. XXIV q. 2 (S. Leo); cap. 12 X. de sepult.
(37) Cfr. c. 28 D. I. de cons.; S. C. Inq. 20 Iun. 1866 ad 4 in cit. Collectan. n. 1757; *Schmalzgr.* l. c. n. 49. — Cfr. quae supra dicta sunt in not. 36.

schismaticos, licet sit privatio poenalis ob delictum haeresis, requiritur tamen notoria addictio sectae facta, sive notorietate iuris sive notorietate facti, tametsi notoria non fiat nisi post mortem (38). Similes societati massonicae sunt illae societates, quarum membra vel duces secreto adstricti contra auctoritatem publicam, praesertim ecclesiasticam, machinantur; inter quas adnumerandae sunt societates quae dicuntur crematoriae (Cfr. S. C. Inq. 19 Mart. 15 Dec. 1886; 27 Iul. 1892 in A. S. S. vol. XIX, p. 46, vol. XXV, p. 63).

III. *Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam*. Etiam in hac re mitius ius in Codice constitutum est et soluta est controversia antea existens. Nam, cum ageretur de poena, plures eam extendebant ad omnes *publicos excommunicatos* sive vitandos sive toleratos et *contumaces* usque ad mortem in excommunicatione maiore; nam per constitutionem « *ad evitanda* » Martini V nullus favor intendebatur concedi excommunicatis toleratis, sed tantum ceteris fidelibus, qui cum ipsis communicare poterant sed non ipsi excommunicati cum fidelibus (39). Alii ex non prohibita communicatione cum toleratis inferebant non esse excludendos a sepultura, nisi aliunde essent *publici peccatores* ex principio proposito in cap. 12, X. de sepult. « quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis » (S. Leo I), unde desumebatur ratio ad exclusionem sepulturae.

(38) Cfr. Cap. 8 13 § 5 X. de haeret. V 7; cap. 2 de haeret. V 2 in Sext.; Martini V Const. « *Ad evitanda* » iunct. Const. « *Inter cunctas* », ubi expresse statuitur: « *Si tales haeretici* **publici** et **manifesti, licet** *nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tamen gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura* »; Instr. S. C. Inq. 16 Aug. 1781 in cit. Collect. n. 1545 iunct. n. 1598 sq.; Pii IX Const. « *Apost. Sed.* »: *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos* »; S. C. Inq. 30 Mart. 1859 iunct. 4 Ian. 1888 in cit. Collectan. n. 1603 not. 1 et 26 Aug. 1885 in Act. S. Sed. vol. XVIII p. 343 sq.; *Hollweck* l. c. p. 213 sq. 339 sq. — Cfr. c. 3 C. XXIV q. 2; S. C. de Prop. F. 12 Mart. 1789, 5 Apr. 1886 in cit. Collect. n. 1828, 1850; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 923, de schismaticis.

(39) Cfr. cap. 12, 14 X. de sepult.; cap. 1 de sepult. III 7 in Clem.; *Kober*, D. Kirchenb. p. 330 sq.; *Brabandère* l. c. p. 103 et *Hollweck* l. c. p. 153, 339 sq., qui docebant etiam *publicis* excommunicatis *toleratis*, (qui absque poenitentia decesserunt), sepulturam ecclesiasticam esse negandam; nam Ecclesia *illis* nullum voluit concedere favorem; quibus accessit *Wernz*, Ius Decret. III, n. 781; contrarium tenebat *Many* l. c. n. 218.

Quoad interdictos solum *personaliter interdicti*, posita sententia, a sepultura excluduntur (40).

Excommunicatis, qui cum signis poenitentiae obierunt, sed non potuerunt ab excommunicatione absolvi, danda est post mortem absolutio a censura secundum ritum positum in Rituali Rom. tit. III, cap. IV. — Cadaver excommunicati vitandi, cui contra iuris praescriptum, sepultura in loco sacro donata fuerit, si fieri sine gravi incommodo possit, praevia Ordinarii licentia exhumandum est et in profano loco reponendum (can. 1242 iunct. can. 1214).

IV. *Qui se ipsi occiderunt deliberato consilio,* sive ex impietate sive ob desperationem vel iracundiam, non tamen, si ex insania id accidat. Quodsi *dubium* supersit de desperatione vel iracundia vel insania, sepultura ecclesiastica est concedenda, sed vitatis *pompis* et *solemnitatibus* exequiarum (41).

V. Mortui in *duello*, aut ex vulnere inde relato (42).

VI. *Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi*, si in hac voluntate usque ad mortem perseveraverint, non retractato mandato.

VII. *Alii peccatores publici et manifesti.* Haec est causa in qua maior est difficultas, tum ad determinandum in casu particulari utrum agatur de peccatore *publico* et *manifesto*, tum quia non videtur sufficere quodlibet peccatum cum ignorantia cuiusvis signi poenitentiae ante mortem dati (43).

(40) Cfr. cap. 20 de sent. excom. V 11 in Sext.; cit. cap. 1 de sep. in Clem.; *Hollweck* l. c. p. 128 sq.; *Many* l. c. n. 218.

(41) Cap. 11 X. de sepult.; S. C. Inq. 16 Maii 1866 in cit. Collectan; n. 1605; S. C. Ep. et Reg. 7 Aug. 1835, 5 Mart. 1855 apud *Bizzarri* Collect. p. 58 sq. 689; *Hollweck* l. c. p. 253 sq.; *Many* l. c. n. 220.

(42) Cfr. cap. 1, 2 X. de torneam. V 13; Concil. Trid. Sess. XXV cap. 19 de ref.: « *Si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura* »; Bened. XIV Const. « *Detestabilem* » 10 Nov. 1752 § 9, ubi auxit iuris rigorem i. e. tametsi ante mortem dedissent poenitentiae signa addita clausula: *Sublata;* unde Episcopo nullo modo competebat potestas sive directe sive indirecte, tacite vel expresse immutandi legem Bened. XIV; S. C. C. 29 Aug. 1890; *Hollweck* l. c. p. 256. Inde constat Codicem mitigationem induxisse.

(43) Huiusmodi publici peccatores in specie enumerantur in corpore iuris canonici v. g. *usurarii*, *raptores* et violatores ecclesiarum aliique; cfr. cap. 2 X. de rapt. V 17 et cap. 3 X. de usur. V 19; cap. 2 X. de maledictis V 26. Quibus nostra aetate accensendi sunt notorii asseclae sectarum *secretarum* (cfr. S. C. Inq. 2 Dec. 1840 in cit. Collect. n. 1601 iunct. S. C. de Prop. F. 10 Maii 1898 in Anal. eccl. t. VI p. 355), concubinarii in matrimonio mere *civili* (cfr. Collect. Lac. t. V col. 1406 sq.), *mandantes* sua vel aliorum corpora *comburi* (cfr. S. C.,

Quoad delicta haec videtur danda enumeratio: Publici usurarii, raptores et ecclesiarum violatores, publici blasphemi (44); qui annuam confessionem et communionem per plures annos notorie omiserunt (45), qui in actu peccati moriuntur sine ullo poenitentiae signo (46), qui sacramenta recipere recusant aperto et expresso modo coram testibus, qui publice et habitualiter in statu peccati vivunt et sine poenitentia moriuntur v. gr. in publico concubinatu aut meretricio viventes, qui in matrimonio tantum civili vivunt. — Quodsi sub n. II et III non inclusi fuerunt, comprehenduntur sub hoc n. VII: apostatae a fide catholica, haeretici notorii licet nulli sectae adscripti itemque excommunicati etiam sine sententia, si eorum delictum et poena sint notoria et in hoc delicto et poena mortui sunt.

VIII. *Ex iure antiquo* non raro adduntur *regulares proprietarii* (per se n. VII comprehensi), qui in articulo mortis non obstante monitione *proprium*, quod contra regulam latenter habuerant, nolunt resignare. Quae sanctio manifeste non comprehendit illos regulares, qui ex mere *tolerata* quadam praxi *quorundam* conventuum retinent *peculium*, non nomine proprio, sed cum licentia legitimi Superioris (47).

587. Quae negatio sepulturae ecclesiasticae nequit *extendi* ad *alias* personas in iure *non expressas* neque applicari ipsis personis expressis, nisi verificentur *conditiones* legibus ecclesiasticis determinatae v. g. circa speciem facti criminis et defectum poenitentiae. Quodsi dubium *iuris* vel *facti* subsistat, Episcopus est consulendus; urgente vero necessitate et dubio permanente, mitior, at legitima, interpretatio in hisce legibus odiosis et poenalibus est sequenda, ne forte nimio rigore excitentur turbae aut nimia benignitate fideles *scandalizentur*, ipsaque Ecclesia *contemnatur*. Quare,

Inq. 19 Mart., 15 Dec. 1886, 27 Iul. 1892 in Act. S. Sed. vol. XIX p. 46 vol. XXV p. 63); quae causa in Codice separatim et expresse fuit enumerata. — *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII cap. 11 n. 8; *Brabandère* l. c. p. 106; *Hollweck* l. c. p. 272 sq. 303; *Schmalzgr.* l. c. n. 49. Cfr. quoque cit. Collectan. n. 1608.

(44) Cfr. cap. 3 X. l. V, tit. 19; cap. 2 X. l. V, tit. 17.

(45) Cap. 12 X. de poenit. et remiss. V, 26 iunct. *Many* l. c. n. 220.

(46) Cap. 2 X. t. V, tit. 18 iunct. *Many* l. c.

(47) Cfr. cap. 2, 4 X. de stat. monach. III, 35.

saltem ad vitandum scandalum, signa resipiscentiae, quae forte data sint, sunt prudenter evulganda, et quantum fieri possit *pompa* et solemnitates exequiarum sunt evitandae. Hoc scandalum esse praecavendum iniungitur canone 1240 § 2. Cum sit obtemperandum legibus de deneganda sepultura, etiam vitandum est, ne multiplicentur casus sepulturae laicae, unde scandala multiplicentur: atque haec ratio gravis est cur, si dubium aliquod occurrat, consulendus sit Ordinarius, et perseverante dubio potius benegnius est inclinandum in sepulturam ecclesiasticam concedendam, cum praesertim agatur de poena (Cfr. S. C. Inq. 14 Febr. 1827; S. Poenitent. 20 Mart. 1885; Con. plen. Amer. Lat. (a. 1899, n. 923). — Ceterum excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exequialis, etiam anniversaria, tum alia publica funebria (can. 1241).

§ 3. - DE RITU, TEMPORE, LOCO ECCLESIASTICAE SEPULTURAE

588. Ritus in sepultura ecclesiastica accurate servandi sunt iuxta praescriptiones Ritualis Romani aliasque ordinationes S. Sedis sive in exequiis *adultorum* sive in sepeliendis *parvulis*, haud neglectis ritibus particularibus, qui in sepultura clericorum vel regularium ex iure speciali vel singulari praxi Ecclesiae orientalis requiruntur (48).

Porro Ecclesia quamvis *decentem moderatamque pompam* in celebrandis exequiis admittat, etiam floribus et coronis non exclusis, tamen reprobat vanam et excessivam pompam, immodicum luctum, superstitiones, inscriptiones, emblemata aliaque similia, quae homini christiano non conveniunt atque adeo sepulturae ecclesiasticae sunt plane contraria (49).

Omnino vero curandum est, ut secundum ritum Ecclesiae ca-

(48) Rit. Rom., Exequiar. ordo, De exequiis parvulor.; Collect. Lac. v. sepultura; Synod. Mont. Lib. (2736) l. c. t. II col. 156 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 125 sq.

(49) *Kraus* l. c. v. Todtenbestattung; Novell. Inst. 43, 59; S. C. Inq. 2 Dec. 1840 in cit. Collectan. n. 1601 (de emblem. sect. masson.); S. C. de Prop. F. 6 Sept. 1869 l. c. n. 919 (de superstit.); Collect. Lac. t. V, col. 867, t. IV, col. 342; *Many* l. c. n. 214.

davera fidelium *a sacerdote* cum *lumine* et *cruce* ad locum sepulturae associentur (50). Ubi autem viget usus *currus*, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad ecclesiam vel coemeterium, clerici sacris vestibus induti erectaque cruce a ducendo funere non prohibentur (51).

Orationes funebres, ubi etiam nunc in sepultura ecclesiastica vigent, praesertim quoad *materiam*, *locum* et *tempus* habendae sunt a sacerdotibus, non a *laicis* secundum statuta iuris communis et dioecesani; *sublata* vero huiusmodi consuetudo non potest a *parochis* denuo et indiscriminatim introduci, salvis legitimis exceptionibus ipso iure diocesano vel ex speciali licentia Ordinarii permissis (52).

589. Tempus sepulturae ecclesiasticae ex natura rei et iure canonico hac *generali* lege est definitum, quod nullum corpus sepeliatur praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. Quod intervallum legibus et consuetudinibus particularibus atque iuris civilis sanctionibus et formalitatibus accuratius determinatur, quibus omnino standum est (53).

Cum ex mente Ecclesiae sepultura fidelium cum *Missae sacrificio* sit coniungenda, *horae matutinae* sunt proprium tempus exequiarum, attentis tamen specialibus rubricis de Missa defunctorum (54). Parochus, qui iure gaudet levandi et associandi vel funerandi corpora fidelium, ita quoad *tempus* suis praerogativis utatur, ut salva quoque maneant iura tertiarum personarum v. g. Capituli

(50) S. C. Ep. et Reg. 28 Ian. 1650; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 467 sq. Quantopere vero Ecclesia desideret, ut in exequiis, etiam pauperum, *Missa* celebretur, patet ex singulari privilegio d. 9 Maii 1899 a S. R. C. concesso, quo in favorem pauperum conceditur facultas celebrandi Missam de requie *sine cantu* loco Missae exequialis cum cantu.

(51) S. R. C. in c. Brixien. 5 Mart. 1870.

(52) *Kraus* l. c.; cap. 2 de sepult. III 7 in Clem. et cap. 2 de sepult. III 6 in Extravg. com.; Caerem. Episc. l. I, cap. 22, n. 6, l. 2, cap. 11, n. 10, cap. 12, n. 6, iunct. S. R. C. in c. Limburg. 14 Iun. 1845; Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 181, 490 iunct. t. IV, col. 342; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868) et Conc. prov. Raven. (a. 1855) et Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899) n. 469.

(53) Rit. Rom., De exeq.; S. C. de Prop. F. 21 Mart. 1774 in cit. Collect. n. 1594.

vel regularium (55). *Dies* antiqua traditione exequiis celebrandis destinati sunt dies obitus, dies tertius, septimus, anniversarius ab obitu vel depositione (56).

Quo *tempore* regio quaedam *interdicto* locali est subiecta, ex iuris dispositione exequiae mortuorum in ecclesia cathedrali, paroeciali et in ecclesia quae sit unica in oppido fieri non prohibentur, sed vetatur quaevis solemnitas, cantus et pompa et sonitus campanarum; sed non amplius prohibetur cadaveris tumulatio in loco sacro sive *clericorum* sive *laicorum*, modo non agatur de personaliter interdicto per sententiam (can. 2271, 2275).

590. Locus sepulturae ecclesiasticae, licet generatim sit locus sacer (coemeterium benedictum), in particulari determinatus locus pro unoquoque fideli dependet a triplici sepultura in iure admissa, sc. electiva, familiari et paroeciali.

§ 4. - DE SEPULTURA ELECTIVA, FAMILIARI ET PAROECIALI

I. - De sepultura electiva

591. I. Sepultura electiva. Ante omnia tenendum est hunc esse ordinem quoad *locum* sepulturae: primo attendenda sepultura electiva, deinde familiaris seu gentilitia vel peculiaris, tertio sepultura paroecialis (57), salvo iure speciali de certis personis (58).

(54) Rit. Rom. l. c.

(55) S. C. C. 8 Mart. 1884 in Act. S. Sed. vol. XVII p. 15 sq.; S. C. Ep. et Reg. 9 Aug. 1748 apud *Bizzarri* l. c. p. 411; *Piat* l. c. t. II q. 400.

(56) Cfr. c. 7 D. 44 (Hincm. a. 852); c. 24, C. XIII, q. 2; Rit. Rom. et Missale Rom.

(57) Cfr. cap. 3 de sepulturis in VI°; cap. 2 et 4 eod. ubi idem aperte supponitur; cap. 1, X. hoc tit. (III, 28); quare de hac re non potest esse controversia et ius praecedens cohaeret cum Codice.

(58) Quarundam personarum sepultura ecclesiastica v. g. Romani Pontificis, (apud Basil. Vaticanam in loco elevato), Cardinalium (in ecclesia titulari), Episcoporum (in ecclesia cathedrali), etiam *quoad locum* iure singulari regitur, nisi ab illo propter liberam electionem sepulturae vel ius sepulchri gentilitii vel extraordinarias circumstantias vel impedimenta iuris civilis recedatur. Cfr. A. S. S. vol. XV, p. 553 sq.

Ius sepulturae electivae est facultas in genere cuilibet fideli concessa eligendi sibi seu designandi locum tumulationis et ecclesiam in qua funus faciendum sit. Quae duo funus et tumulatio, licet sint inter se intime connexa, tamen respectu sepulturae electivae constituunt duplex obiectum iuris eligendi sepulturam, ita ut possit sibi fidelis eligere tumulationem in coemeterio determinatae ecclesiae et funus in alia ecclesia. At propter illam connexionem inter funus et tumulationem, ubi sine distinctione eligitur sepultura in determinata ecclesia, in hac peragendum est funus et tumulatio in coemeterio eiusdem ecclesiae, et valet principium: « *ubi tumulus, ibi funus* ». Ita expresse can. 1223, § 1 agit de electione *ecclesiae funeris* **aut** *coemeterii sepulturae;* item can. 1124, 1227, 1216 etc.

592. Scholion. Canones antiqui de sepultura, supponunt ius et praxim pariter antiquam, per plura saecula durantem, quod ecclesiae particulares, quae iure sepulturae fruebantur, propria haberent coemeteria ad se exclusive pertinentia, quae plerumque (quamvis non semper - cfr. cap. 1. De consecr. eccl. III, 21 in Sext.) contigua erant ipsi ecclesiae, ita ut coemeterium et ecclesia consideraretur veluti unum. Quo tempore nihil mirum quod ius deponendi corpus in loco sepulturae *(ius tumulandi)* practice coniungeretur in eodem loco, id est, in eadem ecclesia, cum iure funerandi *(ius funeris);* inde praesumptio quod funus uniretur cum tumulo in eadem ecclesia cum adnexo coemeterio. Sed cum in multis nationibus (labente saec. 18 et 19) per leges civiles suppressa fuerint omnia coemeteria particularia, et coemeteria publica seu *communia,* praesertim in urbibus et magnis oppidis, fuerint erecta, in quibus omnes cives sepeliri deberent, statim quaestio suborta, num ecclesiae non paroeciales privatae essent iure *electionis passivae,* num etiam ecclesiae gentilitiae privatae essent iure funerandi quoad fideles, quorum sunt haec sepulcra, si sine electione sepulturae morerentur (59). — Sed iurisprudentia Sacrarum Congregationum per varias declarationes et decisiones induxit hanc iuris intelligentiam, nihil sc. mutatum esse quoad iura canonica ecclesiarum particularium, ideoque manere

(59) Non deerant qui tenerent non amplius habere locum sepulturae electionem, et inutilia esse reddita privilegia tumulandi ecclesiis non paroecialibus concessa. Cfr. v. gr. De Angelis tit. *de sepulturis* n. 3 (t. II, p. 12).

ius eligendi ecclesiam funeris, et ius funeris quoad ecclesias habentes sepulcra gentilitia, nisi alia fuerit electa (60); et inde ecclesiam electam aut habentem sepulcrum gentilitium adhuc retinere ius sepeliendi seu tumulandi, non quidem in proprio coemeterio (si id lege civili impediatu), sed in *publico*, seu *communi*, solumque locum materialem esse mutatum. Leges civiles non valent ad elidendas leges ecclesiasticas, et Ecclesia eam de suis legibus dedit practicam applicationem, qua iura ecclesiarum melius servarentur. Porro ius *funerandi* et *tumulandi* sunt duo iura distincta et separabilia, quamvis congruentissime uniantur, cum constituant totum illud quod venit nomine *exequiarum* (Cfr. Rit. Rom. tit. VI, cap. I. « *De exequiis* »; cap. III « *Exequiarum ordo*) ».

Idem autem dicendum est de coemeterio pluribus paroeciis ex dictis legibus *communi* et *publico* atque a proprietate et libera administratione Ecclesiae erepto, vel de coemeterio etiam ex ipsa erectione civili cum supressione aliorum coemeteriorum particularium; unusquisque parochus respectu suorum paroecianorum, ius, quod habebat in coemeterio propriae paroeciae, in tali hypothesi exercet in coemeterio communi, mutato mere materialiter loco.

Pariter iure Codicis accidere potest, ut Ordinarius unicum coemeterium (etiam stricte ecclesiasticum) pluribus paroeciis commune constituat, sive assignando cuique paroeciae partem quo casu non erit vere commune, sive sine designatione partium quo casu erit vere commune: etiam in hoc altero casu unusquisque parochus in coemeterio *communi* exercet ius tumulandi quod exerceret in coemeterio proprio et peculiari.

Inde autem patet, non obstante coemeterio communi, adhuc manere *ius tumulandi*, tam in ecclesia non paroeciali quae iure sepulturae gaudeat quam in paroeciali; unam et alteram pari iure

(60) Cfr. S. C. C. in c. *Ariminen.-Funerum* 16 Iunii 1827; in Forolivien. — Funerum 26 Ian. 1833; in *Aesina-Iuris funerandi* 26 Nov. 1864; in *Civitatis Castelli-Iuris Funerandi* 26 Febr. 1867; in *Forolivien. Iuris fun.* 16 Sept. 1871; in *Urbinaten.-Funeris* 14 Aug. 1875; in *Ariminen.-Funerum* 22 Aug. 1885, 23 Ian. 1886. — Cum S. C. C. consonant decisiones S. C. Ep. et Reg. v. gr. in una *Iuris funerandi* 6 Maii 1870 de quaestione exorta inter Regulares et parochum, ubi Regularibus contra parochum agnita sunt propria iura sive ratione electionis passivae sive ratione sepulcri gentilitii, non obstante erectione publici coemeterii. Item in *Iacen*, 24 Febr. 1888 (A. S. S. V, 562 sq., XX, 580). *Many* l. c. n. 206 sq.

uti, ab utraque ius tumulandi exerceri in coemeterio *communi*, supposita prohitione coemeterii peculiaris.

593. Redeundo ad obiectum electionis sepulturae: I. potest fidelis eligere unam eamdemque ecclesiam et *pro funere* et *pro tumulatione*, quo casu nulla est difficultas (61).

II. Potest quis eligere funus in una ecclesia et tumulationem in alia seu in eius coemeterio, et etiam in hoc casu nulla est difficultas: in tali casu ecclesia electa pro tumulatione ius tumulandi exercebit in proprio et peculiari coemeterio, si illud habeat; quae tamen ecclesia non tenetur electionem acceptare et in proprium coemeterium cadaver admittere, praesertim sine aliqua congrua compensatione, quam in hoc casu non habuit ex impensis funeris in alia ecclesia, ut supponitur, peracti. (Cfr. can. 1228 iunct. iis quae dicta sunt in explicatione can. 1209, § 1).

III. Potest quis eligere funus in una ecclesia (electio *ecclesiae funerantis)* nihil addendo de loco tumulationis. In tali casu ius Codicis expresse iubet cadaver sepeliri in coemeterio ecclesiae funerantis seu in coemeterio quo legitime utitur dicta ecclesia (can. 1231); semper intelligitur, nisi alibi tumulus fuerit electus aut habeatur familiare sepulcrum. Nec in hoc casu mutatur principium iure praecedenti admissum *ubi tumulus ibi funus*, in principium contrarium *ubi funus ibi tumulus;* sed potius in actum deducitur antiquum principium interpretando electionem funeris secundum antiquum principium de praesumpta coniunctione in eadem ecclesia iuris tumulandi et funerandi, nisi contrarium exprimatur.

IV. Potest quis eligere tantummodo locum tumuli, quin quidquam statuat de ecclesia funerante. Quo casu si agitur de persona morali quae proprium et peculiare habet coemeterium, aut agatur de coemeterio stricte paroeciali, tunc applicandum est principium « ubi tumulus ibi funus », quae duo in defectu contrariae dispositionis praesumuntur coniungi, ut ipse ordo exequiarum indicat. Quodsi

(61) Tali casu, si ecclesia funeris habet proprium et peculiare coemeterium, in hoc cadaver tumulandum est, si per leges liceat. Quodsi leges id vetent et iubeant cadaver sepeliri in coemeterio communi, in hoc ecclesia funerans exercebit ius tumulationis, mutato materiali loco sepulturae, sed non mutato iure tumulationis, sicut in simili casu faceret parochus cum eo qui nec elegit sepulturam nec habeat sepulcrum familiare.

eligatur praecise coemeterium aliquod commune, sive tale sit ex lege canonica, sive ex lege civili, tunc non est determinata ecclesia in qua funus fieri debet; illud enim principium « ubi tumulus ibi funus » non potest huic casui applicari: in hac altera hypothesi, dicendum erit funus pertinere ad ecclesiam cathedralem quae in loco sit et praedicto coemeterio communi utatur; secus ad ecclesiam paroecialem in cuius territorio situm est coemeterium (can. 1230, § 7). Ratio discriminis desumenda inde est, quod canones constanter loquuntur de *ecclesia funeris*, et de *coemeterio sepulturae;* iam vero electio coemeterii communis (v. gr. coemeterii civilis) non habet specialem connexionem cum determinata ecclesia (in qua funus peragatur); e contra electio coemeterii peculiaris (v. gr. paroecialis aut determinatae personae moralis), illam connexionem habet cum ecclesia cuius est coemeterium.

594. Quibus competat ius eligendi sepulturam. *a)* Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere sive ecclesiam sui funeris sive coemeterium sepulturae (can. 1223) (62).

Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate.

b) Excluduntur a iure eligendi *impuberes;* attamen pro filio aut filia impubere, etiam post eorum mortem hanc electionem facere possunt parentes vel tutores i. e. imprimis pater, in eius defectu mater, in utrorumque defectu avus et avia, et is deficientibus tutor.

c) Prohibentur ab electione religiosi professi cuiuslibet *gradus* et *dignitatis*, non tamen si sint Episcopi (63). Prohibitio iure

(62) Iure praecedenti *omnes fideles* sive viri sive feminae etiam extra parochiam et sepulcrum gentilitium sibi eligere poterant (cfr. cap. 1, 3, 6, 8, 10 X. de sepult.; cap. 1, 2 de sepult. III 12 in Sext.; *Schmalzgr.* l. c. n. 10 sq.; *Piat* l. c. q. 391 sq. q. 379) sepulturam, dummodo essent mentis compotes, saltem puberes nec ab eligenda sepultura ex speciali iuris canonici dispositione prohibiti v. g. indigni, *regulares professi* (cfr. cap. 5 de sepult. in Sext.; *Piat* l. c. p. 307 sq. 317), *nisi in loco decederent multum remoto a suo monasterio*. At tantum ubi *consuetudo* loci faveret, *pater* pro *impuberibus* valebat eligere sepulturam, eoque mortuo etiam *mater*. Cfr. cap. 7 X. de sepult.; cap. 4 eod. in Sext.; S. C. C. 20 Mart. 1643, 22 Febr. 1646, apud *Richter* l. c. n. 5, 6, iunct. n. 1 sq. 7 et S. C. Ep. et Reg. 6 Maii 1870 ad 2 in Act. S. Sed. vol. V, p. 562 sq. *Many* l. c. n. 163 sq. Quod ius patris ad *puberes* nequibat extendi. — Quoad adultos nunc idem valet pro iis, qui carent sepultura ecclesiastica. Cfr. S. C. C. 14 Maii 1825 l. c. vol. I, p. 125.

(63) Religiosis, qui sint Episcopi tametsi dumtaxat titulares, adnumerandi

Codicis afficit omnes religiosos etiam votorum simplicium, non exceptis Praelatis regularibus nec iis quibus licentiam dederint Superiores (64). Quae electio dicenda est invalida, non obstante verbo *prohibentur;* sicut enim verbum *licet* omnibus, qui non prohibentur, non sese refert *ad honestatem actus* nec versatur in quaestione de adimplendo legis praecepto, sed significat *potestatem iuridicam* seu *ius* ponendi actum electionis, ita cui prohibetur electio denegatur hoc ius seu iuridica potestas. Etiam electio ante professionem facta valore caret subsecuta professione; in hac enim re inspicitur tempus mortis.

595. Cui competat electio passiva. I. Ut electio *ecclesiae funeris valeat*, necesse est cadat in ecclesiam paroecialem, vel in ecclesiam regularium (65), aut in ecclesiam iuris patronatus si agatur de patrono, aut tandem in aliam ecclesiam quae ex speciali privilegio ius funerandi obtinuerit (can. 1225). — Ecclesia monialium hoc iure non gaudet, nisi agatur de mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis, aut hospitii causa intra clausuram eiusdem monasterii non precario commorabantur. Item ecclesiae religiosorum votorum simplicium etsi exemptorum nisi peculiari privilegio fruantur, et a fortiori iure passivae electionis carent ecclesiae alicuius congregationis religiosae, confraternitatis vel sodalitii (66).

---

videntur Abbates et Praelati nullius, qui iure Episcoporum censentur, itemque Vicarii et Praefecti Apostolici, itemque ex can. 1219 Cardinales, salvis his quae de eorum funere ibidem dicuntur.

(64) Cfr. de illis exceptionibus iure praecedenti a pluribus admissis: *Piat* l. c. II, q. 391; *Many* l. c. n. 180. Nunc autem iure Codicis non multum insistendum est in ratione prohibitionis iure Decretalium adducta, quod regulares (i. e. solemniter professi post novitiatum) proprium *velle* et *nolle* non habeant. — Novitii, cum in odiosis ut saeculares habeantur, a pluribus excipiebantur a generali prohibitione; quae sententia sua probabilitate non videtur carere. Cfr. *Piat* l. c. II, q. 391; I, q. 129; *Many* l. c. n. 182, qui praecedenti numero idem tenet de professis votorum triennalium, cui sententiae in iure Codicis non possum assentiri, cum canon loquatur de religioso cuiusvis *gradus*. Ius novitiorum aperte supponitur canone 1221 § 1.

(65) De origine huius iuris Regularium cfr. *Many* l. c. n. 157.

(66) De vi consuetudinis necnon de potestate Episcopi concedendi alicui communitati religiosae ius sepulturae, cfr. *Many* l. c. n. 159, 160. Quodsi, non resistente lege civili, dicitur Episcopus posse concedere alicui communitati religiosae ius sepulturae, hoc videtur intelligendum de solo coemeterio pro membris communitatis, salvo praescripto canonis 1209, § 2; sed non videtur admittendum tali communitati et peculiari coemeterio posse ab Episcopo con-

II. « Si electio facta fuerit sepulturae seu tumulationis in coemeterio diverso a coemeterio propriae defuncti paroeciae, cadaver in illo sepeliendum est, dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet. Electa sepultura in coemeterio religiosorum, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi, ad normam constitutionum cuiusque religionis » (can. 1228). Supponitur, quod agatur de coemeterio paroeciali (sive peculiari sive communi), aut de coemeterio peculiari alicuius domus regularis sive sit distinctum et separatum ab alio coemeterio, sive (ut hodie plerumque accidet) sit locus constitutus in coemeterio communi ab aliis distinctus et regularibus reservatus. — In tali casu, ubi distincta electio ecclesiae funeris non sit facta, praesumenda est electa pro funere ecclesia cuius est coemeterium ex principio non abrogato « *ubi tumulus ibi funus* ». Idem dicendum erit de ecclesia habente ius electionis passivae ex privilegio. Non videtur posse eligi etiam solum coemeterium sepulturae apud religiosos non regulares qui tali privilegio careant: si hi habent locum separatum in communi coemeterio sibi reservatum aut forte peculiare coemeterium, solummodo poterit esse quaestio de applicatione canonis 1209, § 1, non de electione sepulturae.

596. Electionis modus. I. Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest per se vel per alium, cui legitimum mandatum dederit; facta autem electio aut mandati concessio quovis legitimo modo probari potest (can. 1226). Specialis ergo *forma* in eligenda sepultura non est praescripta, et solum requiritur ut de voluntate eligentis fidelis sufficienter constet v. gr. ex testamento, vel codicillo vel scriptura propriae manus, per duos vel tres testes, per signa vel nutus, imo per unicum testem vel solum confessarium, saltem si concurrant alia adminicula v. g. consuetudines vel leges particulares nec specialis ratio proprii commodi eum reddat suspectum (67).

---

cedi ius passivae electionis sepulturae. In concessione vero peculiaris coemeterii pro communitatis membris, facile dixeris Episcopum ea potestate uti, quam ipsi tribuit can. 464, § 2, ut religiosam familiam non exemptam vel piam domum a parochi cura subducat.

(67) Cfr. S. C. C. in c. Neapolit. 13 Nov. 1666 aliisque in caus. allegatis a *Richter* Conc. Trid. p. 462, n. 8, 9; S. C. C. 24 Mart. 1871 in A. S. S. vol. VI, p. 469; *Schmalzgr.* l. c. n. 21, 25 sq. *Piat* II, q. 397; *Many,* l. c. n. 165.

Si electio fiat per alium, cui ad hoc mandatum fuerit datum, ab hoc mandatum expleri potest etiam post mortem mandantis (cit. can. 1226, § 2).

Libera autem sit oportet huiusmodi electio, ideoque nulla et irrita existit, si quis non sponte, sed inductus a religiosis vel clericis in favorem determinatae ecclesiae sive voto sive iuramento sive simplici promissione vel pacto sepulturam eligat vel iam electam ulterius non immutet (can. 1227) (68).

II. - **De sepultura familiari seu gentilitia.**

597. Notio et species. Hoc nomine intelligitur sepulcrum particulare cum licentia Superioris erectum, sive extra sive in eodem coemeterio ecclesiastico in commodum alicuius determinatae familiae. Et vocatur *familiare* seu *gentilitium*, si sit destinatum ascendentibus et descendentibus; *haereditarium* si destinetur solis haeredibus; nihil autem repugnat sepultura *mixta*, quae inservire debeat et familiaribus et haeredibus (69).

Sepulcro familiari accensetur sepulcrum quod sit destinatum alicui personae morali ecclesiasticae, velut Capitulo, domui religiosae, confraternitati vel pio sodalitio.

Ad quam speciem pertineat dignoscendum est ex expressa voluntate illius, qui sepulcrum extruxit; sed iure Codicis etiam attendenda est facultas quam can. 1209, § 1 tribuit sepulcrum alienandi de licentia Ordinarii vel respectivi Superioris, unde species facile mutari potest.

598. Facultas extruendi. Ad eius erectionem requiritur, ex cit. can. 1209, licentia scripta Superioris, a quo coemeterium in quo sepulcrum extruitur pendet, i. e. licentia Ordinarii loci si agitur de coemeterio ecclesiastico paroeciali, sive stricte peculiari alicuius paroeciae sive pluribus paroeciis communi (70), licentia vero Supe-

---

(68) Cfr. cap. 7, X. de pactis I, 35; cap. 1 de sepult. III, 12 in Sexto. At *censurae* in contravenientes religiosos et clericos cit. cap. 1 de sepult. in Sexto et cap. 3 de poenis (V, 8) in Clement. statutae iamdiu sunt abrogatae. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 23 sq.; *Piat* l. c. q. 398 sq.; *Many* l. c. 165.

(69) Ex eo quod quis *sibi suisque* legitime constituit sepulcrum, adipiscitur *ius sepulcri*, quod ad suos deinde transmittitur.

(70) Si coemeterium sit commune pluribus paroeciis sine assignatione peculiaris partis cuique paroeciae, tum de iuribus ecclesiarum paroecialium ex maiorum sepulcro nihil immutatur; sed, si casus ferat, applicandum erit can. 1230, § 7.

rioris Regularis si agatur de peculiari coemeterio domus regularium. Sepulcra maiorum iam antiquitus extructa seu in determinata ecclesia constituta, manent talia cum iuribus adnexis, si per leges civiles prohibita fuerit in ipsis tumulatio et per dictas leges indulta fuerit obligatio tumulationem faciendi in communi coemeterio; et fideles conservant idem ius sepulturae quod habebant exercendum in communi et civili coemeterio. — Si vero sepulcrum extruatur in novo coemeterio communi societatis civilis, qualia nunc haberi solent in nostris regionibus, praesertim in magnis urbibus, non amplius iure Codicis canonicum videtur haberi sepulcrum maiorum relate ad iura ecclesiastica *tumuli* et *funeris*. Sane in can. 1209 § 1 est sermo de fideli extruente sepulcrum *sibi et suis* in coemeterio *paroeciali* vel in coemeterio *alicuius personae moralis* idque de licentia *auctoritatis ecclesiasticae* cui coemeterium subest. Quare in hac hypothesi, quoniam etiam auctoritas civilis permittit acquiri vel extrui sepulcrum pro pluribus personis vel familiis, leges civiles vel statuta municipalia erunt attendenda, et familia defuncti servatis illis legibus vel statutis, poterit curare ut in tali sepulcro sepeliatur defunctus, qui sepulturam non elegit: iura vero ecclesiastica videntur determinanda eodem modo ac pro defuncto qui verum canonicum sepulcrum maiorum non habeat (Cfr. can. 1230, § 7 iunct. can. 1218) (71).

599. Ambitus et requisita determinanda sunt ex licentia ad erectionem necessaria, quae etiam cum restrictionibus dari potest.

Subiectum passivum in genere sunt hi omnes pro quibus sepulcrum extructum fuit, habita ratione diversae speciei, v. gr. pro solis ascendentibus et descendentibus, pro haeredibus, pro omnibus membris domus religiosae vel alterius personae moralis. De iure pro uxore attenditur sepulcrum viri sive eo iam mortuo, seu vivo de-

(71) Aliqua confusio in novo iure inde provenit, quod leges generales de sepultura debuerunt respicere ius valde diversum in diversis regionibus existens itemque iura iam quaesita etiam in locis in quibus de facto non amplius acquiri possunt. In pluribus regionibus adhuc sunt permissa coemeteria peculiaria, in pluribus locis non adest nisi unicum coemeterium quia unica est paroecia; in certis locis sunt permissa coemeteria alicuius personae moralis et tandem sepulcrum, servatis servandis, etiam extrui potest extra omnia coemeteria ceteris fidelibus promiscue communia.

cedat, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi (72), nisi fuerit legitime separata a viro. Plura si sint maiorum aut viri sepulcra, defuncti familia aut haeredes locum sepulturae deligere possunt. Habens in coemeterio sepulcrum maiorum in eo sepeliendus est, si illuc commode asportari possit aut non obstante incommodo familia, haeredes aliive quorum interest velint translationem fieri, susceptis translationis expensis (can. 1229). Hoc eodem canone firmatur principium quod sepultura electiva praevalet sepulcro maiorum, sepulcrum vero maiorum ecclesiae paroeciali: cuius praevalentiae ratio est, quod ex ipso instinctu naturali et communi voto, quisque suis potius quam extraneis coniungi post mortem suam velle praesumitur (cfr. cap. 1, X, de sepulturis III, 28).

Effectus. Sepultura maiorum legitime constituta secum fert ius funeris pro ecclesia in cuius coemeterio constitutum est sepulcrum, nisi vel ipsa erectione fuerit designata ecclesia funerans, aut a sepeliendo in illa sepultura electa fuerit ecclesia funerans distincta (manet principium *ubi tumulus ibi funus*, nisi aliter dispositum fuerit). Quodsi sepulcrum constitutum fuerit in coemeterio publico et communi, tunc servandum est praescriptum can. 1230, § 7.

III. - Sepultura parochialis

600. I. Quoties aliquis moritur absque electione sepulturae et sepulcro maiorum, sepeliendus est in coemeterio paroeciali seu pro-

(72) Cfr. cap. 1, 3 X. de sepult.; cap. 3, 5 de sepult. in Sext.; S. C. C. apud *Richter* l. c. n. 1 sq. n. 10, 11; S. C. C. 22 Iul. 1899 in Analect. eccles. t. VIII p. 111 sq. iunct. S. C. Ep. et Reg. 17 Sept. 1867 in Act. S. Sed. vol. III p. 315 sq., unde sepulcrum gentilitium *in ecclesiis* exstincta familia non transit ad *extraneos haeredes*, at si fuerit in *publicis coemeteriis* erectum, haeredes extranei non excluduntur a successione, nisi sit stricte *familiare*. Cfr. Act. S. Sed. l. c. p. 302 not. 1; *Schmalzgr.* l. c. n. 74 sq.; *Brabandère* l. c. t. II p. 89. *Uxor* etiam sine licentia mariti potest eligere sepulturam (cfr. cap. 7 X. de sepult.). Quodsi neglexerit, ex cap. 3 § 1 de sep. in Sext. in sepulchro ultimi sui mariti est tumulanda. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 27 sq. — Sepulcrum mariti, de quo hic agitur, est sepulcrum quod ipse maritus *sibi suisque* constituit et in huius defectu *sepulcrum maiorum* mariti. In can. 2, C. XIII, q. 2 haec ratio fuit allegata: « ut quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus coniunxit, homo non separet ». Quae ratio non sufficit ad urgendum virum sepeliri debere in sepulcro uxoris, ut nonnulli voluerunt (cfr. *Reiffenstuel* h. t. n. 24 sq.; *Ferraris* v. sepultura, n. 82, 83; *D'Annibale*, summ. I, n. 113, not. 19), nam extensio iuris non videtur admittenda utpote iuri parochi praeiudicans. *Schmalzgr.* h. t. n. 24 cum aliis.

priae defuncti paroeciae, in eoque funus peragendum est i. e. totus ordo exequiarum qui in Rituali Rom. describitur (can. 1230). Quae praerogativa ecclesiae paroecialis est unum ex *iuribus parochialibus* (can. 462, 5); in dubio autem de iure alterius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet (can. 1215-1217). Huiusmodi ius parochi nititur illo principio, quod quis etiam ab illo presbytero sit sepeliendus, in cuius parochia consuevit audire divina officia et ecclesiastica recipere sacramenta (73). Hoc ius retinet parochus licet parochianus decedat in loco alienae paroecia, si ad propriam commode asportari possit, praemonito tamen paroco loci antequam levet cadaver (cit. can. 1230, § 2). Quodsi defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit (can. 1266, § 2).

Licet autem mors acciderit extra propriam quamlibet paroeciam, cadaver tamen transferendum est in ecclesiam paroeciae propriae quae vicinior sit, ut ibi funus fiat et in eius coemeterio sepeliatur, si tamen ad eam commode pedestri itinere asportari possit; secus in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit (can. 1218, § 1). Ad vitandas autem possibiles lites et contentiones inter diversos parochos, Ordinarii est pro suo territorio, inspectis peculiaribus circumstantiis, distantiam aliaque adiuncta designare, quae translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut locum sepulturae incommodam reddant; et si paroeciae ad diversas dioeces pertineant, attendenda est designatio Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit (can. cit. § 2) - Nihilominus, licet translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommoda sit, semper tamen integrum est familiae, haeredibus aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis (can. cit. § 3).

II. Pro sepeliendis *in propria paroecia* proprius defuncti parochus non solum ius sed etiam officium habet, excepto gravis necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad ecclesiam paroecialem ibique exequias persolvendi (can. 1230 § 1). Expletis in ecclesia exequiis ius et officium habet parochus, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem

(73) Cfr. cap. 1 sq. 6, 8, 10 X. de sepult. III, 28; cap. 1-3 de sepult. III, 12 in Sext.; cap. 2 eod. tit. in Clement.; A. S. S. vol. XXVIII, p. 233 sq. vol. XIV, p. 209 sq. *Schmalzgr.* l. c. n. 38 sq.; *Many* l. c. n. 170 sq.

cadaver ad locum sepulturae (can. 1231, § 2). Hi sunt tres actus sepulturae completo modo sumptae, qui pertinent ad parochum pro suis paroecianis, nisi exceptio sit facienda ex capite sepulturae *electivae* vel *maiorum*. Eadem etiam valent de parocho pro casu quo eius paroecia sit in sepulturam electa (can. 1231, § 1). Quae percipiuntur de iustis funebriis pertinent ad iura parochialia (can. 462, 5). Pro pauperibus parochus tenetur ad honesta funera gratuito persolvenda, quamvis non teneatur solvere expensas (can. 1235, § 2).

III. Pro sepeliendis in *sepultura electiva* aut in *sepulcro maiorum*, si ecclesia electa sit regularis aut alia exempta a iurisdictione parochi, parochus, sub cruce ecclesiae tumulantis, cadaver levat ac deducit ad ecclesiam; sed exequias rector ecclesiae celebrat (can. 1230, § 3). Idem servandum est, si agatur de ecclesia sepulcri maiorum, quae non sit ecclesia paroeciae propriae defuncti.

Quodsi in casu particulari defunctus ad ecclesiam electam vel sepulcri maiorum gravi obstante causa (v. gr. lege civili) asportari nequeat ideoque directe ad coemeterium deducatur, parochi quoque est levare cadaver et sub cruce ecclesiae electae vel sepulcri maiorum (74) illud ducere usque ad ianuam coemeterii, in quo illud assumet rector ecclesiae funerantis et reliqua peraget ad sepulturam pertinentia (75).

IV. Si ecclesia funeris a iurisdictione parochi non fuerit exempta, celebratio exequiarum, secluso speciali privilegio, non pertinet

(74) Quandocumque intervenit capitulum, crux Capituli cuilibet alii praecedit. S. R. C. Ep. et Reg. Decr. Auth. n. 1917; *Piat* l. c. q. 400.

(75) Ita decisum fuit in caus. Compostellana 1, Aug. 25 Iul. 1902, ubi erat quaestio de iure peculiari Hispaniae prohibente cadaverum delationes in ecclesias et agebatur de fideli, qui suam sepulturam elegerat in eccl. Fratrum Minorum. Decisio fuit data hoc pacto: « 1°) Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii. — 2°) Regularibus ecclesiae tumulantis ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi, una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi, et cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi; si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas expectare, quin ad funeris associationem teneantur — 3°) Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii, ceteraque peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent — 4°) Denique, si una cum parocho Regulares ecclesiae tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumulantis deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur, dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae Capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare. A. S. S. t. XXXV, 287; *Many* l. c. n. 210; *Piat* l. c. II, q. 400, 4°.

ad rectorem ecclesiae funerantis, sed ad parochum in cuius territorio ecclesia sita est, dummodo defunctus parocho fuerit subiectus (can. 1230, § 4); erit autem ius rectoris ecclesiae si defunctus parocho non erat subiectus. Funeris emolumenta ad ecclesiae rectorem spectant si ipse exequias peregit, excepta paroeciali portione; si exequias peregit parochus huic videntur solvenda funeris emolumenta, detractis expensis in ecclesia factis.

V. Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris fuerat legitime electa, ius levandi cadaver, peragendi exequias si peragendae sunt, et cadaver ad sepulturam ducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in quo coemeterium situm est nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta (can. 1230, § 7). — Agitur in hac § 7 de translatione cadaveris ad locum, ubi non habet nec sepulturam paroecialem nec electivam, quae fiat proinde ex voluntate familiae aut haeredum. In tali loco nulli determinato parocho ius competeret, et ideo ius disponit in favorem Capituli et eo deficiente in favorem parochi in cuius territorio situm est coemeterium; sed praeservantur aliae determinationes iam factae sive consuetudine sive statuto dioecesano.

Quodsi translatio cadaveris facta fuerit a loco distanti obitus in aliam civitatem ubi habebat sepulturam paroecialem (i. e. domicilium vel quasi domicilium), funus et universae exequiae pertinent ad parochum proprium, non ad parochum loci obitus. *Many* l. c. n. 209, *Ferreres* Inst. II, n. 156, A. S. S. vol. 5, p. 124.

601. Deductio cadaveris ad ecclesiam et coemeterium. Qui secundum principia proposita cadaver deducit ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire potest, cum stola quoque et cruce elevata per territorium alius paroeciae vel dioecesis (76), etiam sine parochi vel Ordinarii licentia (can. 1232, § 1) — Quodsi cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod commode asportari nequit, et ex voluntate et expensis eorum, quorum interest, de facto in illud asportetur, parochus vel respective rector ecclesiae funeris

(76) Cfr. de hoc iure *Many* l. c. n. 188. Quodsi iure praecedenti, praesertim in regularibus deducendis, exigi solebat ut ille transitus fieret *sine pompa*, de hac restrictione Codex non amplius loquitur. Cfr. de illa restrict, S. C. Ep. et Reg. 17 Sept. 1880; *Piat* l. c. q. 400 n. 15; q. 390, n. 2; *Moulart* l. c. p. 263.

nequit sibi vindicare ius illud comitandi extra fines civitatis vel loci aut emolumenta respondentia exigere (can. 1232, § 2).

602. Funebris associatio in deducendo cadavere. I. Nequit parochus, sine iusta et gravi causa ab Ordinario probata, excludere clericos saeculares, religiosos ac pia sodalitia, quae familia vel haeredes advocare velint ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris et ad sepulturan et assistendum funeri: clerici tamen ipsi ecclesiae addicti a familia vel haeredibus prae aliis omnibus invitari debent (can. 1233, § 1). Quo canone agnoscitur ius esse familiae vel haeredum invitare ad associationem sive clericos sive pias sodalitates: clerici ecclesiae funerantis solent implicite invitari, ubi sunt diversae funerum classes, per hoc quod ab ecclesia funerante petatur funus talis classis, qua petitione facta ipse rector ecclesiae solet designare clericos ipsius ecclesiae, qui spectata classe funeris eidem interesse debeant, salva tamen facultate quam Codex facit etiam alios invitandi.

II. Numquam admitti debent societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia (cit. can. § 2) (77).

III. Associantes cadaver tenentur morem gerere parocho circa ductum funeris, salvis uniuscuiusque praecedentiae iuribus (cit. can. § 3). Idem valet de alio qui funeri praesit loco parochi.

IV. Laici cadaver, generis aut dignitatis cuiusvis, clerici ne deferant (cit. can. § 4). Consuetudo cadaver curru deferendi, in magnis praesertim urbibus vigens, expresse admittitur (Decr. auth. n. 32.).

603. Taxae funerum sunt eleemosynae a fidelibus occasione funerum sacris ministris et ecclesiae persolvendae, quibus et necessariae expensae compensentur et in honestam sacrorum ministrorum sustentationem occasione servitii religiosi praestiti a fidelibus est contribuendum.

Ad evitandos possibiles abusus, qui in hac re intercedere possunt in unaquaque dioecesi debet esse fixus index funeralium ta-

(77) Cfr. *Many* l. c. n. 214 sq.; A. S. S. t. XVI, pag. 171; S. R. C. Decr. Auth. n. 4109; S. C. S. Offic. 23 Oct. 1887, 24 Nov. 1889; S. Poenit. 4 Apr. 1887.

xarum. Illum indicem conficere debent Ordinarii locorum pro suo quisque territorio, non arbitraria ratione, sed de consilio Capituli cathedralis (quod suppletur coetu Consultorum dioecesanorum) et, si opportunum duxerit, adscitis et auditis vicariis foraneis dioecesis et parochis civitatis episcopalis. Quibus in taxis statuendis attendi debent legitimae consuetudines particulares et omnes personarum et locorum circumstantiae; ita autem definiendae sunt, ut pro diversis classibus iura singulorum fixo modo maneant determinata et moderata, ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio (can. 1234, § 1).

Quodsi in indice plures classes funeris seu exequiarum, ut assolet, sint enumeratae et distinctae, liberum est iis quorum interest classem eligere (ibid. § 2).

Manet stricte prohibitum ne quis, sepulturae vel exequiarum seu anniversarii mortuorum causa, quidquam exigat ultra id quod in dioecesano taxarum indice statuitur. Semper tamen urget obligatio gratis omnino ac decenter pauperes funerandi et sepeliendi, cum exequiis, secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis (can. 1235).

604. Pro sepultura ecclesiastica, quatenus est functio quaedam *spiritualis*, absque simonia *pretium* quoddam exigi non posse ex his constat, quae de simonia tit. I dicta sunt (78). Qua in re quamvis antiquitus maiore cum rigore qualescunque petitiones et *exactiones* clericis prohiberentur (79), tamen *liberae* oblationes fidelium semper fuerunt permissae (80). Imo Rom. Pontifices non solum laudabiles consuetudines occasione funerum aliquid dandi ecclesiis vel clericis approbarunt, sed etiam ius Episcoporum obligandi et compellendi fideles ad solvendam taxam funerariam consuetudine vel statuto dioecesano determinatam et a clero saeculari et regulari religiose servandam (81). At nullo modo sepultura ecclesiastica potuit *impediri* vel *retardari*, nisi *prius* solveretur solita taxa funeraria, salva

(78) Cfr. c. 12 C. XIII q. 2 (S. Gregor. M. a. 598); cap. 8, 9 X. de simon. V 3; Rit. Rom., De exeq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 80 sq.; Act. S. Sed. vol. V p. 212 sq.; *Scherer* l. c. p. 614 sq.

(79) Cfr. v. g. S. Gregor. l. c. et cit. cap. 8, 9 X. de simon

(80) Cfr. c. 9 sq. 14, 15 C. XIII q. 2.

(81) Cap. 42 X. de simon.; *Reiffenstuel* l. c. n. 70 sq.

tamen legitima actione iudiciaria contra personas obligatas (82). Cum quo iure semper mansit praescriptio ut *parochiani pauperes* vel fideles *peregrini derelicti gratis* in forma convenienti a parocho sive per se sive per alium essent sepeliendi, nisi aliunde sumptus funeris v. g. a pia confraternitate vel fabrica ecclesiae vel a municipio iuxta loci consuetudinem suppeditarentur (83).

605. Quarta funeralis, sive *portio canonica*, sive *iustitia*. Cum Ecclesia permiserit, ut fideles etiam extra parochiam in loco libere electo v. g. in ecclesia regularium exemptorum vel in sepulcro maiorum sepelirentur, reditus Episcoporum et parochorum ex taxis funerariis amissis haud levem potuerunt subire imminutionem. Quare *parochus proprius* defuncti secundum aequitatem canonicam etiam in hisce casibus, praeter nonnullas praerogativas in levando, associando, deducendo cadavere sui parochiani, ex antiquissima iuris dispositione retinuit ius ad percipiendam *portionem canonicam* (84). Deinde quarta pars illius portionis canonicae parochis debitae *ab iisdem Episcopo* tanquam Ordinario loci fuit solvenda. Duplex igitur exstitit portio canonica scl. *parochialis* et *episcopalis* (85).

606. I. *In Codice* est quaestio de sola portione *paroeciali* (86), et est determinata pars ex bonis ecclesiae funeranti advenientibus

(82) Innoc. XI 1 (8) Octob. 1678 § 7 (Taxa Innocentiana); S. C. C. 21 Aug. 1869 in Act. S. Sed. vol. V p. 127 sq. iunct. p. 209 sq.; L. 12 § 2 L. 14 D. de relig. XI 7.

(83) Rit. Rom. l. c.; S. R. C. 12 Iun. 1899; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 126; cit. Conc. plen. Amer. lat. n. 468; Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI col. 32; *Brabandère* l. c. p. 94 sq; *Scherer* l. c. p. 624 not. 77.

(84) Cap. 1, 2, 3, 4, 8, 10 X. de sepult.; cap. 2 de sep. III 7 in Clem.; cap. 2 de sepult. III 6 in Extravg. com. Quibus ex textibus manifeste colligitur portionem canonicam ex iure communi Decretalium nequaquam ad *quartam* partem fuisse limitatam, sed pro diversa regionum *consuetudine* ad *tertiam* vel *dimidiam* partem (cfr. praesertim cap. 9 X. de sepult.) potuisse extendi *etiam* eorum, quae ex *ultimis voluntatibus* aliisque *omnibus* oblationibus occasione *funeris* fuerunt percepta, nisi in casibus a iure (cfr. cap. 20 X. de testam. III 26) exceptis. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. n. 83 sq.

(85) Cap. 16 X. de off. iud. ord. I 31; cap. 14, 15 X. de testam. III 26; *Schmalzgr.* l. c. n. 91 sq.; *Reiffenstuel* l. c. n. 59 sq.; *Brabandère* l. c. p. 96 sq.; *Piat* l. c. q. 405; *Many* l. c. n. 201 sq. — De procuratione canonica Episcopis in visitatione debita cfr. *Wernz-Vidal* II, n. 608, III.

(86) De portione episcopali solvenda Episcopo et ex portione paroeciali

occasione funerum substrahenda et proprio defuncti parocho solvenda ab eadem ecclesia funerante (87).

II. Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat. Quod si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeratur, portio paroecialis dividenda est inter plures parochos proprios (can. 1236).

Intelligitur canon de *legitimo* funere in alia ecclesia facto; nam ecclesia illegitime funus peragens alicuius fidelis non partem emolumentorum, sed integra emolumenta ei restituere debet contra cuius ius egit.

Cum ius quartam solvendam decernit « *quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria* », illa solvenda est ab ecclesia electa, ab ecclesia sepulcri maiorum, ab ecclesia corporationis, seu personae moralis v. gr. quoad canonicos et beneficiarios, salvo tamen iure particulari aliter disponente (88).

607. Exceptio facta de casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae asportari non possit, non solvit quaestionem num solvenda sit portio canonica in casu quo ex voluntate eorum quorum interest ad paroeciam propriam cadaver deducatur. Cfr. Act. S. S. vol. V, pag. 613; vol. XL, pag. 690 sq. De se cum exceptio canonis 1236 facta sit modo absoluto, parocho loci decessus nihil videtur deberi, cum, ut supponitur, desit fundamentum quod defuncto dum vivĕret pastoralem curam impenderit.

---

desumenda, quae iamdiu abolita est, Codex silet. Cfr. cap. 16, X. de offic. iudic. ordinar. I, 31; cap. 14, 15, X. de testament. III, 26; *Schmalzgr.* h. t. n. 91; *Reiffenstuel* h. t. n. 59 sq.; *Moulart* l. c. pag. 243 sq.; *Piat* l. c. n. 404.

(87) Cfr. *Many* l. c. n. 201; *Moulart* l. c. pag. 245 sq.

(88) Adsunt Ecclesiae a solvenda quarta exemptae (*Piat* l. c. q. 403; Analect. Iuris Pontif. XIV, 202, n. 1134; 204, n. 1137). In nonnullis causis etiam admissum fuit ius particulare diversum a iure Codicis, nisi salutaris illa praeservatio particularis iuris esset facta, cfr. Analecta eccles. (in caus. Barcinonen. 26 Aug. 1904) vol. XII, p. 373 sq.; A. S. S. vol. III, pag. 305; S. C. R. in Act. VI, 554 sq. Cfr. quoque *Many* l. c. n. 202, 203.

Quod exigi nequeat a *parocho sepulcri gentilitii*, adsunt plures decisiones (cfr. A. S. S. vol. I, p. 85); multo minus solvenda est parocho, *per cuius parochiam* funus solummodo *traducitur* ad legitimum sepulcri locum (Cfr. *Ferraris* l. c. n. 15; A. S. S. vol. XXV, p. 164.

608. Unde canonica portio est desumenda. Ea desumenda est ex *omnibus* et solis emolumentis, quae statuta sint pro funere et tumulatione in taxa dioecesana.

Si quacumque de causa *primum* solemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris emolumentis debetur (can. 1237, § 1, 2) (89).

Quare non debet solvi ex legatis physicae vel morali personae factis aut etiam ipsi ecclesiae pro funere electae, nec de relictis pro anniversariis v. gr. die septimo etc. Si *primum* officium funebre solemne fiat post elapsum integrum mensem, quarta non debetur, et officium funebre solemne post mensem fieri potest in qualibet ecclesia nec necessario debet fieri in ecclesia pro funere aut sepultura electa. Post primum officium funebre solemne alia, etiam solemnia, licet intra mensem fiant, sunt libera et ex illis quarta non debetur.

609. Quantitas portionis paroecialis iure communi non est determinata, sed determinanda est statuto dioecesano seu dioecesana taxa (90). Quodsi ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxas ecclesiae funerantis (can. 1237, § 3).

---

(89) Cfr. cap. 1-4, 8, 10, X. se sepult.; cap. 2 de sepult. III, 7 in Clem.; cap. 2 de sepult. III, 6 in Extravg. com. Quibus ex textibus manifeste constat ex iure *communi Decretalium* nequaquam ad *quartam* partem fuisse limitatam, sed pro diversa regionum *consuetudine* ad *tertiam* vel *dimidiam* partem (cfr. praesert. cap. 9, X. h. t.) potuisse extendi *etiam* eorum,quae ex *ultimis voluntatibus* aliisque *omnibus* oblationibus occasione *funeris* fuerunt percepta, nisi in casibus a iure exceptis (cfr. cap. 20, X. de testam. III, 25). *Schmalzgr.* l. c. n. 83 sq.; *Many* h. c. n. 204; 202, 4°; 205.

(90) Iure quoque praecedenti non erat accurate determinata, cfr. notam praecedentem iunct. cap. 9 hoc. tit. in Clement. ubi, enumeratis variis iuridicis determinationibus, sic concluditur: « Unaquaeque provincia *in suo sensu abundet; secundum rationabilem consuetudinem regionis*, illa iustitia citra medietatem vel tertiam aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur ». Absente speciali legitima consuetudine, videtur reducenda ad quartam partem emolumentorum et oblationum, idque merito deduci ex Conc. Tridentini sess. XXV, cap. 13 de refor. unde portio canonica obtinuit nomen *quartae funeralis*, et decisiones S. C. C. ibid. apud *Richter* p. 461 sq. *Many* l. c. n. 205 iunct. *Reiffenstuel* hoc. tit. n. 48. Maiorem portionem paroecialem non posse statui pro ecclesiis regularium quam pro ecclesiis saecularibus, constat ex S. C. C. 3 April. 1745.

610. Scholion. Quaestionem de sepulturis Codex absolvit obligatione adnotandi obitum in libro defunctorum, hoc pacto: « Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum et coniugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis » (can. 1238). Cuius inscriptionis formula habetur in Rituali Rom. tit. 12, cap. 5. Momentum adnotationis, cum ex aliis multis capitibus constat, vel ex hoc solo apparet quod ad admittendum coniugatum ad novas nuptias, requiratur plena probatio de obitu prioris coniugis, quae in pluribus casibus non levem praesefert difficultatem.

§ 5. DE EFFECTIBUS SEPULTURAE ECCLESIASTICAE.

611. Quinam sint effectus ex sacramentalibus aliisque ritibus sacris sepulturae ecclesiasticae orti, theologorum examini relinquimus (91). Certe in foro externo Ecclesiae sepultura perpetua, non temporanea sive provisoria, rite facta illum producit effectum, quod exhumatio corporis fieri non possit, nisi in casibus a iure exceptis et servata forma legitima (92).

Quodsi sepultura quaedam ecclesiastica *illegitime* facta sit, *exhumatio* cadaveris, cuius sepultura ecclesia vel coemeterium per se fuerant *polluta*, ex iure antiquo servatis debitis exceptionibus absolute fuerat *praescripta* (93); at nunc urgenda non est, ubi commode fieri non potest absque scandalis et periculis, facta tamen reconciliatione coemeterii polluti (94).

Si ob alias sanctiones legitimas non servatas v. g. de competentia parochi proprii exhumatio cadaverum fuerat statuta, certo iam antiquo iure Decretalium *non absolute*, sed cum clausula: « *Si petantur* », executioni fuit mandanda (95). Nostra vero aetate huiusmodi

(91) *Thalhofer* l. c. t. II p. 526 sq.; supra hoc tom. sub speciali rubrica de Sacramentalibus.
(92) Rit. Rom., De Exeq.; supra hoc tomo tit. praedenti; Act. S. Sed. vol. III p. 41 sq.
(93) Cap. 12 X. de sepult.
(94) S. C. Inq. 30 Mart. 1859 in Callect. S. C. de Prop. F. n. 1603; *Brabandère* l. c. t. II p. 88.
(95) Cap. 1 de sepult. III 12 in Sext. iunct. cap. 3, 5 X. de sepult.

petitio exhumationis, qua quies corporis fidelis defuncti ob rationes competentiae perturbetur, iuxta mentem SS. CC. merito poterit reiici, praesertim cum non raro leges civiles talem exhumationem non permittant nisi post determinatum tempus et pluribus expletis formalitatibus (96). At salva manet etiam nunc obligatio restituendi emolumenta funeraria illegitime percepta integre vel detracta quarta funeraria, de qua in § preced.

612. Ex *censuris latae sententiae* contra *delicta* in sepultura ecclesiastica iure antiquo statutis solummodo tres in Pii IX. Const. « *Apost. Sed.* » fuerant retentae.

I. *Interdictum ab ingressu ecclesiae*, quo plectebantur: Scienter celebrantes vel celebrari facientes in locis ab Ordinario vel delegato iudice (vel a iure) interdictis aut *nominatim excommunicatos* ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel *ecclesiasticam sepulturam* admittentes, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (97).

II. *Excommunicatio Rom. Pontifici reservata*, contra clericos *scienter et sponte* communicantes in divinis cum personis *nominatim* a R. Pontifice excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (98).

III. *Excommunicatio non reservata*, qua puniuntur: Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos (99).

Sed pro poenis nunc unice standum est iuri Codicis.

(96) S. C. Ep. et Reg. 6 Febr. 1852 apud *Bizzarri* l. c. p. 656; S. C. C. 24 Mart. 1871 in Act. S. Sed. vol. VI p. 469 seq. et 4 Iul. 1722, 14 Sept. 1878 l. c. vol. XI p. 494 sq.; *Brabandère* l. c. p. 94.
(97) Cap. 8 de priv. V 7 in Sext.; *Hollweck* l. c. p. 130; sq.; *D'Annibale*, Comm. in Const. Apost. Sed. n. 217 sq.
(98) Cap. 18, 29, *X.* de sentent. excomm. V. 35; *D'Annibale* l. c. n. 150 sq.
(99) Cap. 8 X. de haeret. V. 7; cap. 2 de haeret. V 2 in Sext.; cap. 1 de sepult. III 7 in Clem.; *D'Annibale* l. c. n. 164 sq.; *Hollweck* l. c. p. 213 sq.

Laus Deo

O. A. M. D. G.

APPENDIX

APPENDIX

Allegatum I.

REGULAE SERVANDAE

IN PROCESSIBUS SUPER NULLITATE SACRAE ORDINATIONIS VEL ONERUM SACRIS ORDINIBUS INHAERENTIUN A SACRA CONGREGATIONE DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM EDITAE. (APPROBATAE A PIO XI, 9 IUNII 1931).

CAPUT I

De foro competenti.

1. - Ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de causis contra ipsam validitatem sacrae ordinationis, vel de causis quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione dimanantes (can. 249 § 3), salva competentia Supremae S. C. S. Officii (can. 1993).

2. - Nullus iudex inferior potest processum in hisce causis instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit.

CAPUT II

De supplici libello ad petendam sacrae ordinationis aut onerum eidem adnexorum declarationem nullitatis.

3. - « Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus peraeque ac Ordinarius cui clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere » (can. 1994 §§ 1, 2).

4. - § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus, et ad Sacram Congregationem de Sacramentis

transmittendus, referat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam declarationem conducere possunt; appositis etiam die, mense et anno exhibiti libelli, nec non dioecesi originis, vel ea in qua actor actu commoratur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem, ab ipso actore exaratam et subscriptam (cf. in Appendice n. II).

§ 3. Quamvis eidem actori integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

5. - Ordinarius proprius est Ordinarius dioecesis, cui actor adscriptus est, et si agatur de religiosis dimissis, est Ordinarius dioecesis originis vel domicilii.

Caput III

De praevia inquisitione.

6. - § 1. Receptis actoris precibus, Sacra Congregatio Ordinario scribit, ut super assertis ab actore, inquisitionem extraiudicialem peragat, qua pateat utrum preces probabili fundamento innitantur, eamque ad ipsam mittat una cum suo voto et documentis.

§ 2. Praevia inquisitio in illud intendere debet ut de circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus assertam ab actore coactionem aut aliam causam consensum afficientem, cognoscatur, quibus pateat utrum preces probalili fundamento innitantur.

§ 3. Excepto casu quo Ordinario constet revera preces haud spernendo fundamento inniti, praevia rei cognitio erit haurienda ex interrogationibus faciendis ipsi actori et testibus, modo tamen extraiudiciali, seu non praemissa formali citatione et non delato iureiurando.

§ 4. Quae per extraiudicialem inquisitionem erunt collecta in actis referri et una cum Episcopi voto ad S. C. transmitti debebunt.

§ 5. Si, attenta eadem extraiudiciali inquisitione, haec Sacra Congregatio censuerit preces non spernendis niti rationibus, solet ipsi Ordinario loci dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta sequentes regulas et cum clausulis opportunis.

Caput IV

De tribunali constituendo.

7. - Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta nullitate sacrae ordinationis, vel onerum eidem adnexorum, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibens ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam, quoscumque maluerit, eligens, servatis normis can. 1995 et seq., nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (can. 1607 § 1). Atque in primis erit deputandus a iudice defensor sacrae ordinationis, qui ad omnes et singulos actus citari atque audiri debebit. Erit etiam eligendus actuarius pro actis conscribendis ad normam can. 1585.

Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi.

8. - § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus, eam ne suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae aut curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, iuxta praescriptum can. 1613 § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor sacrae ordinationis (can. 1613 § 2).

9. - § 1. Ordinarius qui, ob legitimam suspicionis exceptionem, causam instruendam non susceperit, debet vel iudicem subdelegare, si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad H. S. C. remittit (can. 1614 §§ 1, 2).

10. - In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex, alios viros aeque idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu, quo primi electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportu-

num erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

11. - Excepto Episcopo, quando ipse per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

Caput V

De officio iudicis et tribunalis ministrorum.

12. - Iudicis erit, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, inquisitionem iudicialem instituere super asserta nullitate sacrae ordinationis, vel onerum adnexorum iuxta regulas heic traditas. Inquisitio versari debet circa omnia, quae eamdem nullitatem ob intentionis defectum vel coactionem aut metum aut aliud consensus vitium probant, vel huiusmodi accusationi contradicunt. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) actoris iurata confessio; *b*) testes parentes ipsius et Seminarii moderatores; *c*) testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam actoris, prouti res ferat; *d*) authentica documenta etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, et alia quae ad rem faciant; *e*) indicia et praesumptiones.

13. - Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit tribunal convocare et sessiones indicere; sacrae ordinationis defensorem, partem et testes citare, ut in iudicium compareant; actorem et testes audire propositis interrogationibus a sacrae ordinationis defensore confectis tum ex officio exaratis, atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

14. - Si quando actor aut testes examinandi sint alienae dioecesis, vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut constituto tribunali, actorem ac testes citet, examinet, et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore sacrae ordinationis, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (can. 1570 § 2; 1770 § 2 n. 3). Ordinarius hac de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

15. - § 1. Actor vel testes, qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis, ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum, ita dissitis a tribunalis sede, ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque iudex instructor, defensor sacrae ordinationis et actuarius eos adire possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi actori vel testi proprior sit (can. 1770 § 2 n. 4).

§ 2. Huic, cum litteris delegationis, transmitti debent interrogationes faciendae et instructiones ad rem opportunae. Delegati autem erit, pro facultate in litteris expresse facta, sibi adsciscere alium, qui defensoris sacrae ordinationis munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alterum, qui actuarii munus expleat.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram defensore praestare debet, et defensor sacrae ordinationis atque actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adsciscat in munere defensoris, id referat in actis, et ipse ex officio faciat interrogationes: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuarii munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex delegatus actum receptae attestationis, cum debitis notis, redigat.

61. - Iudex, ut aeque aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vocatorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat*, et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeantur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda: et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice n. X et seq.).

17. - Si acciderit actorem vel testem inductum ab eo aut ex officio voctatum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de actoris contumacia agatur, haec declaretur (can. 1843), atque instantia perempta habeatur ad normam can. 1850, nisi intersit rei publicae nullitatem declarare, uti si ageretur de casu amentiae, et in actis apposita documenta referantur ad H. S. C. transmittenda.

18. - § 1. In processu eiusmodi, cum requiratur praesentia sacrae ordinationes defensoris, eo non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587 § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non adfuerit, acta quidem valent, verum postea sacrae ordinationis defensoris examini subiicienda omnino erunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna iudicaverit (can. 1587 § 2).

19. - Defensoris sacrae ordinationis ius et officium est: 1) examini actoris et testium adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et actori ac testibus proponenda; novasque interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere; ac praesertim contestationes, quae actori vel eius testibus super deprehensis contradictionibus erunt faciendae; 2) articulos ab actore propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta exhibita recognoscere; 3) animadversiones circa assertum intentionis defectum vel coactionem aut aliud vitium consensus scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad sacram ordinationem tuendam utilia censuerit (can. 1968).

20. - Defensori sacrae ordinationis ius esto: 1) semper et quolibet causae momento acta processus invisere; novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; 2) de omnibus probationibus vel allegationibus ita se certiorem facere, ut contradicendi facultate uti possit: 3) petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso; novasque animadversiones edere; 4) exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi iudex dissentiat, et hoc in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere (can. 1969).

21. - Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis incumbere, acta fideliter custodire ne cuipiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

22. - Tam iudex instructor quam defensor sacrae ordinationis curent, ut pars, vel testis vel peritus, interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque actori aut testi difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo facilior et plenior responsio evadat.

23. - Fas erit iudici, audito sacrae ordinationis defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum adiuvet in scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

Caput VI

De initio processus et de citationibus faciendis.

24. - § 1. Si omnia expleri non possint unica sessione, processus in sessiones dividatur; videlicet, quoties tribunal a iudice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habeatur.

§ 2. De decreto iudicis, quo sessio clauditur et alia quae tunc indicitur, vel erit opportuno tempore indicenda, mentio in actis facienda est, nisi instructio causae sit absoluta.

25. - § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur, si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a*) litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b*) litteras Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium subdelegat; *c*) deputationem defensoris sacrae ordinationis et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis, iam factam vel in hac sessione faciendam; *d*) electionem officialium substitutorum; *e*) supplicem libellum actoris pro inquisitione ineunda; *f*) denique praestandum esse iusiurandum (cf. in Appendice, nn. VII-VIII).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiatur; quod non solet contingere: quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficienda. Conventus autem habeatur die et loco determinatis in superiore proxima sessione, nisi iudex maluerit statuere ut sessio peragatur die et loco dein determinandis et indicendis.

26. - Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum, qui examini est subiiciendus, itemque defensorem sacrae ordinationis et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint.

27. - Citatio parti et testi fiat per litteras quae contineant: *a*) praeceptum iudicis ad comparendum; *b*) nomen, cognomen et domicilium illius, qui in ius vocatur; *c*) iudicem coram quo comparere iubetur; *d*) locum et horam audientiae; *e*) causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus verbis indicatam (can. 1715 § 1); *f*) iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice n. IX).

28. - Citationis scheda clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private

et personaliter remittenda. Altera citationis scheda asservatur in actis (can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam, per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et conditiones, tutissimus sit (can. 1719). Cursor si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae, manu propria subsignatis ad iudicem referat (cf. in Appendice n. XV); si vero intimatio facta fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur attestatio eiusdem officii.

29. - § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi degat actor aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Haec autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (can. 1720).

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex utrum renovanda sit citatio (can. 1843 § 2), an aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, prouti interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coercitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an actoris vel testis non comparitio seu contumacia per alios testes, de re circa quam illi interrogati fuissent, edoctos, suppleri possit.

Caput VII

De iureiurando ab actore, testibus et peritis praestando de veritate dicenda, et de interrogationibus iisdem faciendis.

30. - Iudex, antequam cuipiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto sacrorum Evangeliorum libro (cf. in Appendice n. XVII). Si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestationes esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

31. - Iudex actorem et testem ad iusiurandum recipiens, eos, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto, quod patrant peieratores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia, et periurii funestissimos effectus; item si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae, qui falsum in iudicio iurati affirmant.

Poenae contra iurisiurandi violatores sunt: 1) interdictum personale, si periurus sit laicus: 2) suspensio, si clericus (can. 1743 § 3).

Has tamen poenas iudex ne ferat inconsulto Ordinario.

32. - Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor sacrae ordinationis et notarius seu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo qui eius locum tenet, deferendae sunt. Quapropter si a defensore sacrae ordinationis novae interrogationes parti aut testi faciendae sint, has non ipse eisdem intimet, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponat, ut is eas actori aut testi deferat (can. 1773 §§ 1, 2).

33. - Interrogationes proponendae dividuntur in *generales* et *particulares:* priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, parentibus, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum parte in causa; hae semper et omnibus aeque sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa assertam coactionem aut etiam assertam nullitatis sacrae ordinationis causam. Praeterea a teste semper exquirenda erit scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea quae asserit habeat cognita (can. 1774).

34. - § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, uti vulgo appellantur, non plura complectentes, pertinentes ad causam de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (can. 1775).

§ 2. Actor et testes oretenus responsiones reddant. Non praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi, in aliquo casu particulari, iudex opportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adiuvare valeat (can. 1776,1777).

35. - § 1. Actoris aut testis responsio ex continenti redigenda est scripto ad actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (can. 1778).

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero, quo notantur relativae quaestiones; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum describat.

36. - Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iusiurandum peractum, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina explentur (can. 1779).

37. - Actori et testi antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis, quae viva voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem et testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is responderit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat, quod ab actuario in actis adnotandum erit, et deinde depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius (can. 1780 §§ 1, 2).

38. - § 1. Actor poterit iterum ad examen vocari vel ad eius instantiam, vel exquirente defensore sacrae ordinationis, vel *ex officio* a iudice, audito eodem defensore; et pars atque testes etiam poterunt inter se *conferri* (italice *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes poterunt, parte aut defensore sacrae ordinationis id postulante, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito eodem defensore, denuo ad examen vocari, et circa ea quae iam testati sunt, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (can. 1772 §§ 2, 3).

§ 3. Quoties id expostuletur, iudicis est suo decreto, audito sacrae ordinationis defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere, cauto potissimum, si admittat, ut omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (can. 1781).

§ 4. Cum actor vel testis novo examini submittitur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de partis et testium examine infra edicuntur.

39. - In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis quae fiunt aut decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum ab actore et a testibus praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt, dein in latinam vertenda.

40. - Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, *latine reddantur ad verbum*. Unde interrogationes et responsiones, quae lingua latina, italica aut gallica redactae non sint, in unam linguam latinam authentice atque ex integro vertantur. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a iudice, audito sacrae ordinationis defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice n. XX).

Caput VIII

De examine actoris.

41. - Primo actor audiendus, qui validitatem sacrae ordinationis aut onerum ei adnexorum impetit. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore sacrae ordinationis concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio*, si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius deprosumendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina prae oculis habeantur.

42. - Actori post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur, iuxta formulam in Appendice sub n. XVIII relatam.

43. - Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito sacrae ordinationis defensore, *ex officio* actorem ad novum examen vocare iuxta praescriptum n. 38, in quo novae interrogationes seu contestationes proponentur.

44. - § 1. Iudex nunquam omittat interrogare actorem circa exsistentiam et factorum adiuncta, quibus innititur in sua actione instituenda.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verosimiliter praesumantur.

45. - § 1. Antequam perficiatur examen et praestentur, quae statuuntur n. 38, iudex ab actore petat ut exhibeat testes, si quos habeat, qui de intentionis defectu vel de illata coactione aut de alio vitio consensum afficiente referre possint.

§ 2. Sedulo quaerendum est ab actore ut indicare velit testes, qui cum sint istius familia aut vicinia, aut eius res domesticas cognoscant, vel sint Seminarii contubernales aut moderatores, probabiliter utile testimonium praestare valent.

Caput IX

De testibus aliisque probationibus exhibendis.

46. - § 1. In his causis testes fidem facere debent de probitate et praesertim de veracitate partis circa rem deductam in controversiam (can. 1975 § 1).

§ 2. Testes eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex actore aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra, n. 54), didicisse ipsum caruisse voluntate sacros suscipiendi ordines, et, quod magis interest, ipsum sacram ordinationem vel onerum susceptionem explicite exclusisse.

§ 3. Testibus hisce iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes ab actore inducti, tres tantum aut quatuor sint; vel ad rei veritatem illustrandam, etsi plures, insufficientes sint.

47. - Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valeant.

48. - § 1. Si actor petat sibi pandi nomina testium *ex officio* productorum, iudex, audito sacrae ordinationis defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iudicis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem, quoadusque testes suam reddiderint attestationem.

Caput X

De examine testium.

49. - Inchoatur horum testium examen ab iis, qui inducti sunt ab actore, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi (cf. in Appendice n. XXI); postea audiantur extranei, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, in actis notetur; si vero eo, ubi tribunal cogitur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 15 et 16 statutas.

50. - In testibus examinandis iudex, delatis iureiurando et interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes, sibi a sacrae ordinationis defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in specimine Appendicis n. XXIII et XXIV.

51. - § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae ab actore, qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in eius attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert, quae verosimiliter actor non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, tunc quaedam tantum legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas interrogationes *ex officio*, vel curandi ut a defensore sacrae ordinationis opportunae contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 38.

52. - Expleto examine, legitur testi integra depositio: exinde rogatur an menti suae plene respondeat: postea, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis, et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 37, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius.

53. - In his testibus excutiendis maxime curandum est, ut, si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* id didicerint, ut pateat an tempore non suspecto idem cognitum habuerint (can. 1774). Causam enim valde iuvant confessiones extraiudiciales tempore non suspecto prolatae.

54. - Attestationes seu documenta respicere intelliguntur *tempus non suspectum*, cum exhibentur quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

Caput XI

De testibus, praeter illos ab actore inductos, ex officio a iudice inducendis.

55. - § 1. Quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito sacrae ordinationis defensore, aut hoc instante, vel ad instantiam actoris.

56. - Testes *ex officio* erunt inducendi quoties prudenter dubitetur adesse collusionem inter actorem et parentes, aut inter testes et ipsum, vel ipsum testimonium insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde depromptis veritas evinci possit.

57. - Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, erunt a defensore sacrae ordinationis concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici non minus fas est alias interrogationes *ex officio* proponere.

Caput XII

De documentis.

58. - Inter documenta sunt accensendae medicorum attestationes de morbo aliquo, quem hereditarium vel atavicum vocant, si eo actor, praesertim ante susceptos sacros ordines, laboraverit.

Documenta autem privata communiter sunt epistolae ab actore scriptae ad parentes vel ad alios, scilicet ad praepositos et ad amicos ante sacram ordinationem.

59. - Utriusque generis documenta aliquando actor sponte exhibet, sed aliquando iudicis erit ea auctoritate sua perquirere, et super iis actorem vel testes in examine interrogare. Si actor aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito sacrae ordinationis defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti traditio facienda sit (can. 1824).

60. - § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem perinde ac attestatio seu confessio extraiudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 54.

61. - Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris sacrae ordinationis aut actoris, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

Caput XIII

De indiciis et praesumptionibus.

62. - § 1. Sacra ordinatio praesumitur valide recepta, nisi contrarium probetur.

§ 2. Ad declarandam vero nullitatem sacrorum ordinum in casu de quo agitur, requiritur ut defectum intentionis adfuisse probetur.

63. - Iudicis et defensoris sacrae ordinationis officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere nullitatis sacrae ordinationis probationes, et, si agatur de onerum nullitate, cuinam asserta coactio tribuenda sit, quod est res magni momenti, et praeterea facta et circumstantias inquirere, quae vim vel metum indicant ac determinant.

64. - Externa vitae clerici ratio et circumstantiae, ex quibus ad defectum intentionis vel voluntatis adstruendum argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesumptionibus* appellatur. Indicia et praesumptiones possunt esse *levia, gravia* et *gravissima,* pro minore vel maiore necessitudine cum nullitatis sacrae ordinationis vel onerum causa.

Caput XIV

De ratihabitionis defectu comprobando.

65. - Intentio accusatoris erit per sententiam excludenda non solum quando probationes desint circa assertum defectum intentionis aut circa illatam coactionem alteriusve vitii exsistentiam consensum afficientis; verum etiam, si lis tantummodo super nullitate onerum versetur, metu aut alio consensus vitio exsistente, quando ex actis et allatis praesumptio oriatur seu probatio, adfuisse in casu recepti ordinis ratihabitionem (can. 214). Haec quidem habetur cum quis, cessante metu aut alio vitio consensum afficiente, ratam habet sacram ordinationem cum adnexis oneribus, intendens, etiam tacite per exercitium sacri ordinis, se obligationibus clericalibus subiicere, quas non suscepisse saltem confuse percepit.

66. - Ratihabitio non praesumitur pendente causa nullitatis; attamen, hac iudicialiter definita per sententiam, quae declarationi nullitatis refragetur, aut per non interpositam appellationem aut

per absolutam appellationis instantiam, ipsius ratihabitionis praesumptio exsurgit, si clericus vel sponte et libenter resumat sacri ordinis exercitium, vel in eo rite exercendo perseveret, quin suam libertatem acquirere conetur, cum id assequi ei haud difficile foret, ex eo quod non obstent impedimenta seu incommoda.

67. - Sed haec quoque praesumptio destrui potest contrariis indiciis aut probationibus, quae clare manifestent ratihabitionis voluntatem nullimode adfuisse, non obstante externa quadam factorum seu circumstantiarum specie.

Caput XV

De examine physico actoris.

68. - Ad explorandum actorem physice, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979 § 1) qui, praestito iureiurando, de munere fideliter implendo et de secreto servando monendi erunt, ut artis praesidiis utantur ad dignoscendum statum actoris, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta, quae sacrorum ordinum vel onerum validitatem ex defectu mentis in actore adstruere aut excludere videantur.

Caput XVI

De processus conclusione.

69. - § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius sacrae ordinationis defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc audito actore.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente perpendat, actoris ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam haud absoluta aut contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, audito sacrae ordinationis defensore, actorem aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declaranda sunt, exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat, sacrae ordinationis defensor actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum regularum (cf. in Appendice n. XXV).

70. - § 1. Clauso processu, sacrae ordinationis defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debet, in primis animadvertens an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde iudex, iuxta can. 1993 § 1, ad *disciplinae tramitem*, proferat sententiam de sacrae ordinationis vel saltem onerum eidem inhaerentium validitate aut nullitate, prae oculis habito in hoc secundo casu canone 214; et quidem, non constituto trium iudicum tribunali collegiali requisito a can. 1576 § 1 n. 1 in processibus iudicialibus, ipse, qui processum instruxit, pronunciet de merito petitionis actoris, expositis rationibus tum iuris tum facti.

Praeterea, si non ipse Episcopus sed alius vices gerens processum instruxerit, hic det suum votum circa meritum quaestionis, quod votum addendum erit processui.

§ 3. Neque iudex addere omittat parochorum attestationes de honestate religiositate et veridicitate testium; itemque per se de testibus sacerdotibus sacram Congregationem edoceat. Quo vero ad parochorum attestationes, si quid habeat quod animadvertat, referat.

§ 4. Demum acta omnia una cum voto scripto Episcopi (can. 1985), vel, sede vacante, Vicarii Capitularis vel Administratoris Apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices gerentis (can. 429 et 431), et defensoris sacrae ordinationis, transmittantur ad H. S. Congregationem.

71. - Praesentes regulae in instruendis eiusmodi processibus semper erunt adamussim observandae, et si quando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de hac re rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

72. - His regulis obtemperatio Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum erit, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito sacrae ordinationis defensore, removere. Si quando his remediis fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

73. - § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642) transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad H. S. C. transmittere, Curiae fas erit exhibere ipsa acta originalia, dummodo fuerint exa-

rata latino, vel gallico, vel italo sermone, atque iis cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

74. - § 1. *Probe sciant et animadvertant R.mi locorum Ordinarii huiusmodi causas « ex officio » pertractari tum penes dioecesanam Curiam, cum apud H. S. C., quae procedit iuxta proprium stylum praehabitis solummodo R.morum Consultorum votis.*

§ 2. *Iidem locorum Ordinarii praeterea moneant actorem aliquam summam, ad minus quingentarum libellarum, deponendam esse in arca ipsius S. C. pro expensis solvendis, antequam eidem transmittantur acta processus.*

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 9 Iunii 1931.

+ M. Card. Lega, Ep. Tusculan., *Praefectus.*

L. + S.

D. Jorio, *Secretarius.*

II

APPENDIX seu FORMULAE [1]

PRAECIPUORUM ACTORUM UTILITER ATQUE OPPORTUNE HIS IN CAUSIS ADHIBENDAE.

I

MONITUM

Illud alte insidere debet in animo iudicis et testium ac praesertim partis declarationem nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium postulantis, videlicet, si res aliter se habeat ac ab actore asseritur, idest, si sacra ordinatio aut onera eidem adnexa in suo robore ac firmitate consistant, et veritas in processu non detegatur vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partis et testium, *declarationem nullitatis* *forte pronunciatam, utpote suo fundamento destitutam, nullius esse valoris:* quodsi nihilominus actor audeat se sacro vinculo solutum existimare atque ad saecularia vota transire, bene perspectum habeat se sacrilegiorum ac censurarum paene inextricabilibus vinculis implicari. Hoc proinde est sollemniter praemonendum *ab ipso Ex.mo Episcopo (si ipse processum peragat, secus a Iudice instructore)* antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus, qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a parte, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.

[1] Documenta in hac Appendice relata casum moderantur s. ordinis presbyteratus; sed, congrua congruis referendo, eadem valere dicendum est etiam pro ceteris sacris ordinibus.

II

SUPPLEX LIBELLUS ACTORIS

Beatissime Pater,

N. N., filius..., conditione..., e dioecesi..., natus die..., domicilium habens..., et munus modo exercens..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, quae sequuntur exponit.

Annum agens... in Seminario... collocatus fuit, ut studia... perageret. Ibi manens, assiduis suasionibus, instigationibus contra suam voluntatem, ut studia conficeret sacra, a parentibus impulsus fuit, ea ratione ut sacrum exinde susciperet presbyteratus ordinem. Quamvis ipse omnem moverit lapidem ut sacros ordines declinaret... importunis tamen precibus, suasionibus, instigationibus et minis... ad eosdem sacros ordines suscipiendos coactus, hos suscepit invitus, quin coactioni obsistere potuerit.

Iisdem initis ordinibus, per annos... ipsos exercuit, munus gerens... quin tamen onerum susceptionem ratam habuerit uti par esset, bonumque exemplum praebuerit. Exinde sentiens se nullimode oneribus in sacra ordinatione susceptis satisfacere posse, de petenda declaratione nullitatis sacrae ordinatonis vel onerum sacris ordinibus adnexorum ob allatas causas cogitavit. Ad hanc autem nullitatem demonstrandam testium elenchum exhibet ». — [Hunc libellum, a S. C. ad Ordinarium exinde transmittendum, actor particularibus circumstantiis, si opus fuerit, additis, fusius, nec tamen sobrietate posthabita, conficere poterit].

Et Deus, etc.

Datum..., die... mense... anno...

N. N. (Subscriptio facienda manu ipsius actoris).

III

LITTERAE ORDINARII AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM POST PERACTAM HUIUS IUSSU PRAEVIAM INQUISITIONEM CUM SUO VOTO.

E.me ac R.me Domine,

Transmitto ad Em. Vestram Rev.mam adnexum libellum et documenta ex praevia inquisitione habita circa petitionem sacerdotis *N. N.* Beatissimo Patri exhibitam, et fidem facio testes extraiudicialiter auditos fidem mereri. Mihi videtur easdem oratoris preces probalili fundamento inniti, saltem quod spectat onerum nullitatem, attentis circumstantiis antecedentibus... concomitantibus... et subsequentibus.., assertam actoris coactionem in susceptis sacris ordinibus et ratihabitionis defectu. Mea proinde opinio haec est...

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum... ex Curia... die...

N. N.

[Hisce Ordinarii litteris receptis, S. C. eidem praebere solet facultatem conficiendi iudiciali forma processum, sive etiam oeconomica forma, prouti circumstantiae requirunt, iuxta canonem 1993].

IV

ACTUS SUBDELEGATIONIS PERACTAE AB ORDINARIO ET DEPUTATIONIS OFFICIALIUM.

Cum E.mus ac Rev.mus Dominus..., S. R. E. Card. Praefectus S. C. de disciplina Sacramentorum, litteris datis die..., Nos instructos fecisset de mandato ab eadem S. C. Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, servatis normis can. 1995 et seq., et Instructione a Sacra Congregatione die 9 Iunii 1931 edita pro asserta ab actore coactione in susceptis sacris ordinibus, expresse addita potestate subdelegandi; Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum Iudicem subdelegamus Rev.mum *D. N.*, qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis iuris canonici et iuxta citatam Instructionem, necnon iuxta

peculiares normas pro hac causa datas ab eadem S. C. Simul autem eligimus ac deputamus:

Defensorem sacrae ordinationis R. D. *N.*

Actuarium R. D. *N.....*

Datum... ex aedibus Nostris, die... mense... anno...

N., Episcopus

L. + S. *N.*, Cancellarius.

[Si gravitas causae vel alia difficultas id suadeat, eodem decreto, vel in causae decursu, simili forma eliguntur, qui vice iudicis subdelegati fungatur, necnon defensor sacrae ordinationis et actuarius *substituti*].

V

TRIBUNALIS CONSTITUTIO

Dioecesis *N.*

Nullitatis sacrae ordinationis vel onerum ei adnexorum

Sessio I

Anno Domini..., mense..., die..., hora..., in urbe..., in aedibus..., adsunt:

Iudex subdelegatus Rev.mus D. *N.*

Defensor sacrae ordinationis Rev. D. *N.*

Actuarius Rev. D. *N.*

Rev.mus Iudex communicat:

1) Litteras S. C. de disciplina Sacr., datas die..., quibus Ordinario *N.* committitur instructio processus in causa nullitatis sacrae ordinationis, vel onerum in sacra ordinatione susceptorum a sacerdote *N. N.*

2) Litteras Rev.mi Ordinarii *N.*, datas die..., quibus *(nisi ipse per se gerat suum munus)* subdelegat officium iudicis eidem Rev.mo D. *N.*; nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem sacrae ordinationis Rev. D. *N...*, et ut actuarium, Rev. D. *N.*

3) Supplicem libellum *N.*, pro instituendo processu.

Tunc Iudex instructor (*nisi sit ipse Episcopus*, cf. *Regulas*, n. 11) ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis quae exstant in Appendice *Regularum* S. C. (v. infra nn. VI, VII et VIII).

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii.

Item Iudex constituit mensem..., diem..., horam..., et aedes... pro tribunalis proximo conventu, in quo actor examini subiicietur, mandans ut idem citetur; ac D. *N.* deputat ut cursorem, qui schedas citationis deferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Rev.mo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.

Loco, die, mense et anno ut supra.

N., Iudex subdelegatus.
N., Defensor sacrae ordinationis.
N., Actuarius.

VI

IUSIURANDUM PRAESTANDUM A IUDICE SUBDELEGATO

Ego *N.*, a Rev.mo D.no Ordinario *N.*, subdelegatus iudex instructor *(vel deputatus ut vices geram iudicis instructoris)* in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum a sacerdote *N.* susceptorum, iuro me officium iudicis instructoris rite ac fideliter impleturum, servatis, quantum per me fieri poterit, praescriptionibus Cod. iur. can., ac potissimum *Regulis* a S. C. de disciplina Sacramentorum editis, quavis personarum acceptione posthabita, et secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.

VII

IUSIURANDUM DEFENSORIS SACRAE ORDINATIONIS

Ego *N.*, a Rev.mo Domino Ordinario *N.* defensor sacrae ordinationis legitime deputatus *(vel defensor substitutus)*, pro instruendo processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum ei inhaerentium sac. *N. N.*, iuro me munus mihi collatum diligenter et incorrupte expleturum, iuxta praescriptiones Cod. iur. can. et *Regulas* a S. C. de disciplina Sacramentorum editas; et omnia voce ac scriptis prolaturum, quae ad validitatem sacrae ordinationis huiusque onera tuenda, conferri poterunt, posthabito omni humano respectu, atque officii mei secretum religiose servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

VIII

IUSIURANDUM AB ALIIS OFFICIALIBUS PRAESTANDUM

Ego *N.*, iuro e munus actuarii *(seu actuarii substituti)* in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum ei inhaerentium sac. *N. N.* mihi ab Ill.mo et Rev.mo Domino Ordinario *N.* commissum, rite ac fideliter, iuxta praescriptiones Cod. iur. can. atque *Regulas* S. C. de disciplina Sacramentorum, in omnibus expleturum, et de rebus, quas ratione mei officii cognovero, secretum omnimode servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

IX

DECRETUM PRO CITATIONE ACTORIS

Anno Domini..., die... mensis..., in aedibus palatii episcopalis..., coram Rev.mo D. *N.* Iudice..., Rev. D. *N.* defensore sacrae ordinationis, meque infrascripto actuario;

Visis litteris Sacr. Congr. de disciplina Sacramentorum diei..., quibus R.mo Ordinario... facultas tribuitur conficiendi processum super nullitate sacrae ordinationis *N. N.* vel onerum in sacra ordinatione susceptorum;

Attentis litteris Rev.mi Ordinarii... diei..., quibus Rev.mum *N.* subdelegat ad eiusmodi processum instruendum;

Idem Iudex subdelegatus, audito sacrae ordinationis defensore, ad examen actoris procedendum esse decrevit; ideoque dictum actorem citari mandat, ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius sacri Tribunalis, in via..., num..., anno..., mense..., die..., hora..., ut examen subeat in causa a se intenta.

Simul nuncium dat defensori sacrae ordinationis ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata actori proponenda; atque ut examini loco, die et hora ut supra, intersit.

Loco, die, mense et anno ut supra.

N., Iudex instructor.
L. + S. *N.*, Actuarius.

[De his quae mandat et iubet iudex, in actis actuarius referat; et hoc semel pro semper advertisse sufficiat.

Similiter, mutatis mutandis, conficitur decretum pro citationibus testium.

Insuper iudex mandat, ut interea a parocho actoris, ac testium qui sunt excutiendi, sin minus a Curia, exquirantur litterae testimoniales seu documenta, quibus, accuratiore, quo fieri possit, modo et sub secreto, significentur notae de honestate, religione et veracitate ipsius actoris ac testium, necnon alia referantur, quae necessaria et opportuna ad eorumdem depositiones aestimandas videantur].

X

LITTERAE IUDICIS AD PAROCHUM ACTORIS PRO INFORMATIONE SUPER PROBITATE ET CREDIBILITATE IPSIUS ET TESTIUM.

(Sub secreto)

Cum ex facultate S. C. de disciplina Sacramentorum diei..., mensis... atque anni... et ex subdelegatione Rev.mi Ordinarii huius dioecesis, in hoc Tribunali instruatur causa super nullitate sacrae ordinationis vel onerum in sacra ordinatione susceptorum a sac. *N. N.*, necesse est, ad normam *Regularum* eiusdem S. C. diei 9 Iunii 1931, ut sedulo investigetur et legitimum testimonium praebeatur de eiusdem ac testium qui inducuntur credibilitate.

Quapropter infrascriptus Iudex instructor in eadem causa, praesentibus mandat R. D. *N.* parocho, ut pro pastoralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirat, et distincte huic Tribunali significet notas de religione et honestate dicti sacerdotis ac testium qui inducuntur, videlicet...: an praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant, et an eis credi debeat, etiam cum deponunt de rebus, quae ipsorum intersunt.

Insuper, pro sua prudentia, idem parochus deferre velit de omnibus aliis, quae ad ipsius actoris ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut plenum testimonium ad praefatam Sacram Congregationem transmitti possit, circa rem de qua iudicium instituitur.

Quod si testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones peragat, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum, vel alius prudentis personae sibi bene visae, et quidem sub secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Datum ex aedibus... die... mense... anno...

L. + S.

N., Iudex instructor.
N., Actuarius.

[Si testes et actor in diversis paroeciis commorentur, horum parochi sunt rogandi.

Quod si actor ac testes, potiusquam ubi in praesentiarum degunt, alia in paroecia magis cogniti fuerint, informationes ab illo parocho opus est exquirere, vel etiam ab utroque parocho utriusque commemorationis.

Quoad etiam peritos, si quidem eis opus erit, et ipsi probitatem quidem et credibilitatem praeseferre debent ac proinde etiam testimonium erit exquirendum de fide eis praestanda].

XI

INFORMATIO PAROCHI

(Specimen responsionis a parocho dandae, si informationes sint respective actori aut testibus favorabiles, factis in textu litterarum necessariis mutationibus, pro subiecta materia).

Quod attinet ad informationes a Rev.mo Iudice instructore in causa... expetitas litteris diei..., infrascriptus parochus Ecclesiae *N.* pro suo munere respondet, se *N.*, actorem, in finibus huius paroeciae commorantem, pluribus abhinc annis cognitum habere; ac praesentibus litteris (quatenus sibi constiterit), spondet eumdem religione et honestis moribus imbutum esse, ac bona existimatione gaudere, ita ut de veritate in testimonio perhibendo dubitari nequeat [vel etiam, iis dotibus deficientibus, talis sit, ut mendacio haud obnoxius existimetur]. Quibus attentis, actor incapax periurii putatur, et credibilis apparet quoad assertiones suas. Ceterum cum idem parochus, occasione porrecti libelli pro huius causae introductione, rogatus a Rev.mo Ordinario, investigationes peregerit, et cum praefato sacerdote colloquutus fuerit, censuit eumdem sincerum et veridicum esse.

In fidem.

Ex paroecia..., die... mense... anno...

N., Parochus.

L. + S.

[Ex adverso, si informationes non sint favorabiles, parochus iis utatur verbis, quae a veritate minime deflectant, quaeque prudentia pro diversis casibus suggeret.

Si parochus actorem vel testes vel peritos non probe noverit, neque certas de iisdem informationes aliunde, pro sua conscientia,

colligere queat, idipsum iudicem in sua responsione, adductis rationibus, aperte doceat.

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas, per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret].

XII

LITTERAE IUDICIS AD ORDINARIUM (QUOTIES HIC NON SIT IUDEX, ET EIUS OPERA UTILITER POSTULETUR) PRO EXQUIRENDIS INFORMATIONIBUS.

Ill.me ac Rev.me Domine,

In causa nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem adnexorum *N. N.*, quae ex subdelegatione facta ab A. T. die..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus actoris *(vel testium... vel peritorum...)* apposite rogatus, responderit se eum *(vel testes... vel peritos...)* haud bene cognitum sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit; A. T., pro sua ampliore auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate actoris *(vel testium vel peritorum)*, ita ut depositiones seu relationes tuto aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum..., die... mense... anno...

Addictissimus famulus
N., Iudex subdelegatus.
N., Actuarius.

L. + S.

XIII

LITTERAE ORDINARII AD ALIENAE DIOECESIS IUDICEM UT EXTRAORDINARIAE INFORMATIONES COLLIGANTUR.

(Sub secreto)

Ill.me ac Rev.me Domine,

Cum ex facultate S. Congr. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam sacerdotis *N.*, instruatur causa super nullitate eius sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, eumque Nobis non satis constiterit de religione et probitate vitae, nec non de personarum ac rerum adiunctis, et contra noverimus tibi praefatum sacerdotem *(vel testis aut periti personam)* cognitum esse, praesentibus te litteris rogamus ut, pro caritate et obsequio, quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dicti sacerdotis *(vel testis vel periti)*, praesertim in iudiciali et iurata relatione circa assertum... (v. g.) metum, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide dignus habendus sit necne.

Interim etc.

Datum..., die... mense... anno...

N., Ordinarius.
N., Cancellarius.

L. + S.

XIV

CITATIO ACTORIS

De mandato Rev.mi *N.*, Iudicis instructoris in processu de nullitate sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, actor *N. N.* in causa, personaliter compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via..., num..., anno..., mense..., die..., hora..., ut iuratum examen subeat in causa a se intenta.

Datum..., ex aedibus..., die... mense... anno...

N., Iudex.
N., Actuarius.

L. + S.

[Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori remittendum actori, iuxta praescriptum can. 1717; alterum asservatur in actis et in calce eiusdem cursor refert ea quae peregit].

XV

RELATIO INTIMATIONIS A CURSORE PERACTAE FACIENDA IN EXEMPLARI IN ACTIS ASSERVATO.

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Rev.mae Curiae Episcopalis *N.*, hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis sacerdoti *N. N.*, in ipsius domicilio, via..., num...,

tradendo praefatum exemplar manibus eiusdem (vel personae de eius familia aut famulatu) et ad normam can. 1721.

In fidem, etc. Die... mense... anno...

N., Cursor deputatus.

[Similiter exaratur scheda citatoria et fit relatio intimationis pro aliis in ius vocandis].

XVI

DEFENSOR S. ORDINATIONIS EXHIBET INTERROGATORIA ACTORI PROPONENDA.

Infrascriptus *N.*, in causa nullitatis sacrae ordinationis vel onerum eidem inhaerentium, defensor vinculi legitime deputatus, exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata et nonnisi in actu examinis a Iudice aperienda, atque instat ut super iisdem examinetur actor *N.*, in causa a se intenta, servata forma a iure statuta; alioquin protestatur, etc.

Haec cum facultate alia addendi, delendi, corrigendi, etc.

Datum..., die... mense... anno...

N., Defensor sacrae ordinationis.

[Item exhibentur interrogatoria pro examine testium ac peritorum].

XVII

IUSIURANDUM PRAESTANDUM AB ACTORE AC TESTIBUS DE VERITATE DICENDA.

[Iudex gravibus verbis actorem ac testes antea moneat de sanctitate iurisiurandi et de gravissimo delicto quod admittunt peieratores ostendens peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et *periurii funestissimos effectus*, et, prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periurii noxii fiunt in foro Ecclesiae, quaeque recoluntur in cap. VII *Regularum* sub n. 31].

[Deinceps iudex actorem vel testem alloquitur]:

Velis invocare Nomen divinum testem veritatis, tactis sanctis Evangeliis, sequenti formula:

Ego *N.* iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, qua super re universa, prout eamdem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter ipsam expositurum, quin aliquid addam, omittam vel immutem. Sic me Deus adiuvet, etc.

XVIII

EXAMEN ACTORIS

Sessio...

In Dei nomine. Amen

Anno Domini..., mense..., die..., hora..., in urbe..., in aedibus..., coram, R. D. *N.*, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. *N.*, defensore sacrae ordinationis, et infrascripto actuario, comparuit D. *N.*, actor in causa receptae sacrae ordinationis, pro hac die et hora rite citatus.

Iudex eumdem in primis monet, quod in re tanti ponderis, quoties ea quae adducuntur haud veritati sunt consentanea, declaratio nullitatis sacrae ordinationis vel onerum huic adnexorum taliter obtenta, nullum sortitur effectum (iuxta *Monitum* in Appendice relatum n. I); deinde iusiurandum ab actore petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam *(prout sub n. XVII)*.

Deinceps, postulante defensore sacrae ordinationis, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria oratori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen actoris, qui ad singulas quaestiones respondet ex ordine, ut sequitur.

Interrogationes generales

Iudex actorem interroget circa suum nomen, cognomen, nomen parentum, aetatem, conditionem familiae, dioecesim, cui inscriptus est, domicilium (urbem, viam, paroeciam), et locum hodiernae commorationis.

Tum Iudex mandat actuario ut legat, pro norma actoris, nomina iudicis et ministrorum tribunalis.

Deinde prosequitur:

Interrogationes particulares actori faciendae

1. Utrum confirmet necne supplicem exhibitum libellum in singulis partibus?

2. Ubinam studia peregerit, et an in Seminarium ingressus sit libera voluntate; qua aetate, quo tempore, quamdiu in ipso permanserit, et an propositum revera haud habuerit statum clericalem ineundi.

3. Quaenam fuerit causa incitamentorum, saevitiarum, vel coactionis, pro eodem clericali amplectendo statu, et a quibus incitamenta, saevitias, vel coactionem passus sit.

4. Quinam fuerint specifici actus eorumdem incitamentorum et coactionis, praesertim tempore proximo sacrae ordinationi.

5. Quaenam indoles parentum et sua.

6. Quaenam ipse peregerit ut coactionem vitaret per se, et an opera aliorum ad hunc finem sit usus, et quinam isti.

7. Num in Seminario degens, studiis theologalibus libenter operam dederit et an fuerit impeditus quominus alia studia perageret, et a quibus.

8. Num sive in Seminario sive extra defectum suae voluntatis pro suscipiendis sacris ordinibus, vel aversionem patefecerit, quando et quibus.

9. An ipse, deficiente voluntate sacros suscipiendi ordines, id Seminarii Superioribus, Ordinario, vel spiritus moderatori (qui tamen eius confessarius non fuerit) manifestaverit, et quatenus negative, cur suam contrariam voluntatem ei non significaverit: quinam iste fuerit.

10. Quando accesserit ad sacrum ordinem subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus; qualem revera interius habuerit animum in actu sacrae ordinationis; et an communis iucunditatis tunc particeps fuerit.

11. An officium recitaverit divinum, et Missam celebraverit, vel etiam alio modo sacrum ministerium exercuerit.

12. Num contentiones adfuerint, et quales in specie, inter ipsum et parentes, aliosque, qui eum impellere potuerint ad suscipiendos sacros ordines, et num notae in loco ubi idem degebat, et quinam sint qui eas confirmare valeant.

13. Num ipsi etiam nota fuerint ante sacrorum ordinum susceptionem onera eis inhaerentia, ac praecipue quae coelibatus lex exigat.

14. Quomodo sese gesserit post sacerdotium initum, et quae ministerii officia peregerit, quoties, quomodo, quanto tempore, et quibus in locis.

15. Num sacri ministerii exercitio rata habere sacrae ordinationis onera intenderit. An sibi praesto sint documenta exhibenda, uti litterae a parentibus vel ab aliis scriptae ante susceptos sacros ordines, ad confirmandam illatam coactionem.

16. Quosnam alios testes ipse praeter exhibitos in elencho inducat sive consanguineos, sive affines, sive familiares, vel extraneos, qui de cunctis circumstantiis certiores facti, plene et sincere referre possint.

17. An unquam contra sacram ordinationem et huius adnexa onera reclamaverit; et unde factum sit ut causae introductionem aut continuationem ad haec usque tempora distulerit.

[Exinde contestationes peragendae, si opus erit, inter ea quae actor asseruit, atque illa quae ipse in supplici libello retulit].

Absoluto examine, de mandato Iudicis integra depositio clara voce legitur actori, et Iudex eumdem interrogat:

An habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Dein petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. infra n. XIX).

Ac, praestito iureiurando, subscribunt actor, iudex, defensor vinculi et actuarius.

N., Actor.
N., Iudex instructor.
N., Defensor sacrae ordinationis.
L. + S. *N.*, Actuarius.

[*Adnotatio.* - Quoties alicuius sacerdotis sacra peracta sit ordinatio post Instructionem, quae a Sacra Congregatione de Sacramentis edita fuit 27 Decembris 1930, idemque contendat se gravi coactum metu sacros suscepisse ordines, ea ordinato erunt obiicienda, quae de pandita ab ipso voluntate iurata et scripta declaratione confirmavit. Ii pariter erunt interrogandi, qui examinibus adfuere, iudiciumque pro sacra actoris ordinatione emiserunt].

XIX

IUSIURANDUM DE VERITATE DICTORUM ET DE SECRETO SERVANDO

Ego *N.* iuro me solam ac totam veritatem dixisse, et nunquam, antequam praesens causa penitus absolvatur, evulgaturum sive propositas interrogationes, sive responsiones datas. Sic me Deus adiuvet, etc.

XX

IUSIURANDUM AB INTERPRETE PRAESTANDUM

Ego *N.*, a Rev.mo Iudice in processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum eidem ihaerentium sacerdotis *N. N.* deputatus interpres, iuro me dictum munus fideliter impleturum, acta et documenta processus de verbo ad verbum diligenter et ad adamussim reddendo, ac simul secretum de omnibus quae in processu acceperim, servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXI

IUDICIALE EXAMEN PARENTUM ACTORIS

[Cum praeterea super iis, quae actor in suo examine deposuit, sit ex testibus, quos iudex satis instructos reputaverit, percontandum, ut exinde illius assertiones aut confirment, aut corrigant, aut respuant, referantque utrum facta asserta sibi sint nota, formali examini, adstante sacrae ordinationis defensore, erunt ipsi subiiciendi, atque in primis *parentes et affines actoris*, a quibus haec erunt exquirenda, praehabito iuramento ac delato monito, de quo in Appendice n. I].

1. Interrogandus pater, vel mater, circa nomen, cognomen, originem, aetatem, religionem, conditionem familiae, et domicilium.

2. Quot filios et filias genuerint: quae fuerit indoles actoris et quae existiterit eius propensio ad clericalem ineundam vitam.

3. Num ipsi eum impulerint ad eumdem finem ut Seminarium ingrederetur, quamvis contrariam suam voluntatem patefecerit.

4. Quomodo ipsum illexerint ut sacrae theologiae studiis incumberet, et ad sacros ordines accederet.

5. Quaenam fuerint adhibitae ab ipsis sollicitationes, instigationes, vel minae, et quoties: an istae usque ad sacram ordinationem fuerint productae.

6. Num ipsi aliorum etiam operam adhibuerint ad flectendam filii voluntatem pro ineundo sacerdotio; quinam exstent; et quaenam ad hunc finem experti sint.

7. Num certiores facti fuerint ab aliquo de voluntatis defectu filii, et quinam hi sint; an pertinaciter impulerint eum; an a filio scriptis de voluntatis carentia edocti fuerint; an eadem servent, quo casu ea exhibeant.

8. Num ipsi Seminarii superiores vel ipsum Episcopum sollicitare studuerint et quomodo, ut filius in sacerdotium reciperetur; et an sciant excommunicatione ipso facto plecti eos, qui quoquo modo filios ad sacros ordines suscipiendos cogant iuxta can. 2352.

9. Num sacra properante ordinatione filius contrariam suam voluntatem manifestaverit et quomodo.

10. Num eidem renuenti ad sacros ordines accedere restiterint et quomodo.

11. Quaenam ipse in sacra ordinatione signa praebuerit, an scilicet laetitiae vel displicentiae; et quaenam indicia pariter ostenderit post peracta primitus solemnia, laetantibus aliis.

12. Num ipse postea, susceptis sacris ordinibus, acquieverit, vel negligens sacro ministerio exercendo exstiterit, Missam litare vel officium recitare omittens, atque aversionem in his ostenderit.

13. Num profano more vitam degere coeperit, aliisque studiis incubuerit.

14. Num ipsi minas eidem ante sacrorum ordinum susceptionem illatas, videcet exheredationis, derelictionis, eiectionis e domo et eiusmodi, executioni mandaverint vel executioni mandare intenderint.

15. Num pravam aliquam consuetudinem fovere coeperit ordinatus sive ante sive post sacram ordinationem susceptam, et usque dum in sacerdotio permanserit.

16. Num sacrum ministerium exercuerit timore ipsorum pressus, quomodo, et quanto tempore.

17. An in familia infirmitatis alicuius indicia sive mentis sive pravorum morum adfuerint, atque an aliquid adsit, quod atavismum redoleat.

18. [Heic contestationes, si opus fuerit, peragendae erunt inter ea quae actor asseruit, atque illa quae a parentibus fuere prolata, si dissona ipsorum testimonia appareant].

19. An ordinum sacrorum exercitio ratam ipse habere intenderit sacram ordinationem; et cur in eodem exercitio perrexerit.

20. His absolutis interrogationibus, ad plene suum absolvendum munus, alias iudex ex officio interrogationes peragat, ab expletis responsionibus eruendas.

Absoluto examine, etc. uti in n. XVIII.

XXII

DECRETUM CITATIONIS TESTIUM AB ACTORE INDUCTORUM

Rev.mus *N.*, Iudex instructor in causa..., audito sacrae ordinationis defensore, testes ab actore inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari videlicet:

1. *N.* (patrem eiusdem actoris).
2. *N.* (matrem, etc.).
3. ....
4. ....
5. ....
6. ...
7. ...

.....

Datum..., die... mense... anno... *N.*, Iudex instructor
N., Actuarius.

L. + S.

[Praeter autem testes ab actore inductos, necesse prorsus est alios ex officio induci.

Alligentur litterae testimoniales, quae obtentae sint circa testium excutiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, uti in causis matrimonialibus, mutatis mutandis, et similiter fiat intimatio].

XXIII

IUDICIALE EXAMEN TESTIS *N*,. AB ACTORE INDUCTI

Sessio...

Servantur formae ut pro examine actoris. Iudex testis defert monitum, de quo in Appendice n. I, ac iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia: 1. Testis interrogatur circa nomen, cognomen, nomen parentum, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam) locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis actoris, et quo gradu.

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit actorem.

4. Quanam sit ipsius indoles et an mereatur fidem in iis quae ipse protulit.

5. Quinam fuerint mores eiusdem et propensiones ad studia.

6. Num ab eo edoctus fuerit, et quando, ipsum coactionem a parentibus vel ab aliis passum esse.

7. An parentes ipsos testis noverit, horum conditionem, artem quam exercent et exploratam habuerit eorum indolem et agendi rationem erga actorem.

8. An in Seminario degens actor, pietatis indicia exhibuerit et ad sacram confessionem et sacram Synaxim saepe et devote accesserit.

9. Num ad sacros peragendos ritus se proclivem exhibuerit.

10. Quibus potissimum studiis in Seminario fuerit deditus; num inhonestos sermones proferre solitus fuerit.

11. Num ad sacra exercenda ministeria alienum se praebuerit, et contrariam voluntatem ostenderit in suscipiendis sacris ordinibus.

12. Quaenam ipse peregerit ut eos vitaret.

13. Num in Seminario commorans demissionem et obsequium superioribus exhibuerit.

14. Num familiaritates inhonestas foverit, scripta exaraverit minus honestati consona, et clericalem habitum invite gestare visus sit.

15. Num pravis perlegendis libris fuerit deditus, sacraque studia neglexerit seu fastidiverit.

16. Num, in loquendo, de Ecclesia eiusque dotrina ac de ipsius rectoribus detraxerit.

17. Num in Seminario punitionibus ob pravam ipsius agendi rationem fuerit affectus; vel alios ad prava illexerit.

18. Num ad profana capienda oblectamenta se pronum manifestaverit, iis posthabitis, quae ad pietatem fovendam inserviunt.

19. Quaenam sit publica de ipsius vocatione opinio.

20. Num per se vel ab aliis testis sciverit parentes eum ad sacerdotium ineundum coegisse, quando, quanam de causa, et quinam hi sint.

21. An circumstantias noscat de illata coactione et quaenam fuerint.

22. An revera parentes talis fuerint severitatis, ut merito timeri posset ipsos minas esse exsecuturos, et an actor indolis adeo timidae et pusillanimis exstiterit, ut eiusmodi minis aut saevitiis deterritus, ad sacros ordines, gravi metu coactus, accesserit, quin eas vitare potuerit.

23. An ordinationis sacrae tempore ipsum moerentem aspexerit et quomodo.

24. An ex ipso sciverit ante sacram ordinationem eundem fore huic consensum suum denegaturum.

25. An in sacra ordinatione vel ea expleta, iucunditatis vel moestitiae indicia praebuerit.

26. An testis quaedam habeat documenta scripta eiusmodi coactionem onerumque ratihabitionem confirmantia et an sciat revera actorem per exercitium ordinis tacite voluisse obligationibus clericalibus se subiicere.

27. Quaenam sit modo agendi ratio actoris.

Exinde iudex integram depositionem peractam ab actore, qui testem induxit, eidem testi legi iubeat ac petat:

28. An asserta in ea depositione veritati respondere in omnibus censeat, utrum eadem ex scientia propria perspecta habeat, an potius ex suggestione actoris et utrum facta ab eo asserta sint nota aliis, et quinam hi sint.

29. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum.

30. Iudex testi alias interrogationes praeter supra allatas proponere poterit, si rerum adiuncta id requirant.

Quodsi iudici non videatur opportunum integram legi actoris depositionem, se gerat iuxta *Regulas* n. 51 § 2.

Dein testi leguntur depositiones ab ipso viva voce prolatae, quas actuarius scripto redegit, ac ulterius rogatur:

31. An haec relatio responsiones redditas plene complectatur.

32. Petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cf. supra n. XIX).

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor sacrae ordinationis et actuarius.

N., Testis.
N., Iudex instructor.
L. + S. *N.*, Defensor sacrae ordinationis.
N., Actuarius.

[Simili modo agendum est quoad ceteros testes qui producuntur vel ad instantiam actoris, vel *ex officio*, praesertim si in instru-

ctione processus appareat adesse aliquem vel aliquos de re bene edoctos: tunc enim iudex eos citari curabit ut examini subiiciantur, eadem servata methodo].

XXIV

ORALE EXAMEN PERITI

Anno, etc., coram Iudice, etc., adstantibus etc., comparuit D. *N.*, etc. (ut in aliis sessionibus).

Iudex instructor, perito defert monitum, de quo in Appendice n. I, iusiurandum de veritate dicenda et de secreto servando, ac dein reserat schedam obsignatam, ubi continentur articuli concinnati a defensore sacrae ordinationis, quos iste praesertim eruerit ex relationibus ab iisdem peritis scripto antea exhibitis, iuxta generales et peculiares circumstantias et difficultates, quae in actu inspectionis sunt quidem animadvertendae.

Praemissis interrogationibus generalibus, iudex articulos perito delert, qui esse poterunt ut infra, quibus *ex officio* alios, prout casus ferat, adiicere debet, attentis etiam dubiis et ambiguitatibus, quae ex ipso interrogatorio emerserint.

1. An perito aliqua sit necessitudo cum actore.
2. Quonam tempore et quomodo eum noverit.
3. An confirmet per omnes partes relationem, quam de medicali examine scripto exaravit.
4. An in eadem relatione aliquid addendum habeat, vel corrigendum, vel mutandum.
5. An peritus tum physicum examen tum etiam relationem seorsim ab altero perito, si exstet, confecerit.
6. Quanam via et ratione peritus in peragendo medicali examine processerit.
7. An actor aliquo morbo hereditario vel defectu laboraverit, qui influxum habere potuerit in errata electione status; et utrum curari queat, an non.
8. Quidnam peritus perspexerit de actoris temperamento et de statu psychico.
9. *(Si casus ferat):* Quomodo conciliari possit sententia periti cum contraria opinione alterius periti vel doctoris.

[*Nota.* Relationes a medicis confectas iudex alterius peritioris examini subiicere poterit, si id opportunum existimaverit].

10. An, praemissa lectione depositionis, peritus aliquid habeat addendum, demendum, corrigendum vel mutandum.

Praestito iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, sequuntur subscriptiones, ut de more.

Absoluta processus instructione, iudex, nisi opportunum duxerit actorem vel alium e testibus ad novum examen revocare contestationes peragendi causa, alliget in processu informationes parochi aut alterius idoneae personae attestationem de fide, quam actor et singuli testes merentur.

XXV

CONCLUSIO INSTRUCTIONIS PROCESSUS

In processu super nullitate sacrae ordinationis vel onerum sacris ordinibus inhaerentium sacerdotis *N. N.*,

Interrogatis tum actore tum testibus, qui responderunt se nihil aliud habere quod deducant; tum defensore sacrae ordinationis, qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse;

Perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritorum depositionibus, relationibus et adnexis documentis;

Cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum *voto scripto Ex.mi ac Rev.mi Episcopi*, et *defensoris* sacrae ordinationis animadversionibus ac sententia, transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Ex aedibus..., die...

N., Iudex.

L. + S.

N., Actuarius.

XXVI

TESTIFICATIO DE AUTHENTICITATE EXEMPLARIS ACTORUM

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius Tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fideli transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Datum... die... In fidem, etc.

L. + S.

N., Iudex.

N., Actuarius.

ADNOTANDA

Curent Rev.mi Ordinarii ne sive praevia inquisitio, quae ab hac Sacra Congregatione expeti primum solet, sive confectio processus canonici, qui ab ea in his causis exinde iubetur, diutius differantur. Saepe enim contingere solet, ut, ob nimiam in eodem praesertim peragendo processu cunctationem, testes diem obeant supremum, ac proinde magni momenti probationes deficiant, maximo cum detrimento causae: etenim actori ipso naturali iure competit, argumentis, quae proferre potest assertum ab eo intentionis defectum aut illatam coactionem aliudve vitium consensum afficiens in susceptis sacris ordinibus probare, ut ab oneribus hisce adnexis solvatur. — In transmittendis autem ad hanc Sacram Congregationem processus actis, haud profecto necesse erit omnia et singula transcribere, quae in originalibus actis fuere iuxta traditas regulas inserta, cum sufficiat ut Rev.mi Ordinarii in exhibenda scripta relatione seu voto, referant de rite constituto tribunali iuxta praestitutas normas, de citationibus rite peractis, de praestito ab efformantibus tribunal atque a parte et testibus iuramento, et de fide istis praestanda; qui proinde singula, quae in singulis sessionibus habita fuere, in exemplari transcribantur actorum, ne tempus inutiliter teratur, impensaeque augeantur, modo interrogatoria et testimonia integre sint transcripta, aliaque documenta causam attingentia referantur, addito indice actorum. Nec ab Actuario ipse scribendi modus negligatur, iuxta can. 1644 § 3, ut facile in actis adducta legi possint — quin proinde plus aequo in iisdem per legendis ob deformes litteras, tempus insumatur, neve ambiguitatibus locus fiat — atque ideo ab adeuntibus S. Sedem honor huic debitus etiam in scribendo servetur.

Allegatum II.

INSTRUCTIO S. C. DE SACR.

AD REV.MOS LOCORUM ORDINARIOS DE SCRUTINIO ALUMNORUM PERAGENDO ANTEQUAM AD ORDINES PROMOVEANTUR.

§ 1. - *De Ordinariorum munere sedulo scrutandi mores candidatorum ante Ordinationem.*

1. Quam ingens Ecclesiae atque animarum saluti detrimentum inferant qui, divina destituti vocatione, sacerdotale ministerium inire praesumunt, angelicis ipsis humeris formidandum, neminem profecto fugit. Unde qui a Spiritu Sancto sunt positi regere Ecclesiam Dei, ad plurima atque ingentia avertenda mala ab ipsa Ecclesia atque a christifidelibus, sedulissimam adhibeant curam oportet, ne tanti ministerii aditus illis pateat, quibus, ob defectum sacerdotalis vocationis, aptandum est illud Christi Domini: « Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro » (Ioann., X, 1).

Haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, quae vi can. 249, § 3 competens est in causis, quibus agitur de nullitate sacrae Ordinationis aut onerum eidem adnexorum, in iisdem agitandis, rem, ut plurimum, esse animadvertit de sacerdotibus querelam moventibus adversus sacram Ordinationem; qui, etsi probare non valeant se vi aut gravi metu fuisse adactos ad sacros Ordines suscipiendos, tamen ex iis quae in actis deducuntur, aperte ostendunt, se fuisse praepostero modo in sacram militiam adlectos, seu non satis fuisse exploratam vocationem, nec libera et spontanea voluntate sacros Ordines suscepisse. Quod grave incommodum ut penitus removeatur eadem Sacra Congregatio ea instanter recolere satagit, quae S. Paulus ad Timotheum scribens commendabat: « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis » (V, 22), quaeque relata sunt atque fusius explicata in Codice iuris canonici: « Episcopus sacros Ordines nemini conferat, nisi ex positivis argumentis moraliter certus sit de

eius canonica idoneitate: secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis » (can. 973, § 3).

2. In primis itaque Episcopus rationem habere debet eorum, quae vigens ius de Seminariorum disciplina constituit, necnon ceterarum normarum, quas ad nostra usque tempora Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad rem praestituere placuit, uti Seminariorum alumni, iis qualitatibus se ornatos exhibeant, quae ad rite, sancte ac fructuose ministerium sacerdotale exercendum hodie requiruntur. His praeterea sunt accensenda quae ius canonicum praescribit quaeque respiciunt, praeter irregularitates, impedimenta quoad sacros Ordines suscipiendos, uti in cann. 983-987 cautum est, ceteraque, quae can. 973 in subiecto sacrae Ordinationibus exigit.

3. Quae ut probe executioni demandentur, Episcopus seu Ordinarius in perscrutandis moribus eorum qui adscribi petunt sacrae militiae, prae oculis habeat oportet, maxime interesse ut a limine eiciantur, seu ne ad tonsuram et minores Ordines admittantur ii, qui sacerdotio fungendo non sint apti, seu a Deo non sint vocati. Nam sacri Ordines, iuxta sacrorum canonum praescriptum, sub finem curriculi studiorum conferuntur: sed « turpius eiicitur, quam non admittitur hospes »: videlicet nemo nescit quam sit grave et difficile negotium, iuvenem dimittere quum paene absolverit studia theologica, nedum ob iam progressam aetatem, quocirca non facilis patet via ad aliud capessendum vitae et studiorum institutum, sed etiam ob humanarum relationum respectum, praecipue cum consanguineis et amicis, qui soliti sunt culpae, seu levitati ingenii, vertere huiusmodi mutationes in vitae ratione, unde fit ut nullus non moveatur lapis ut ultra procedat qui eatenus progressus est.

4. Praeterea, prouti eruitur ex processibus apud H. S. C. agitatis de nullitate sacrae Ordinationis aut adnexarum obligationum, scrutatores bene perspectas habere debent rationes, quae passim adducuntur ab asserentibus, se veram voluntatem non habuisse recipiendi sacram Ordinationem, aut saltem se submittendi gravibus sacrae Ordinationi adnexis obligationibus. Hae rationes sunt aliae ipsis assertoribus *intimae* seu *intrinsecae*, veluti cupiditas commodiori clericali vitae, uti vulgaris opinio est, indulgendi, honores aucupandi, lucra sibi facile comparandi, effugiendi, (et haec est hodie communissima ratio) manuum laborem, — ne cogantur fodere, seu agros excolere cum parentibus et fratribus, aut aliam similem vitae rationem prosequi; — vel fruendi privilegiis clericalibus, et potissimum exemptione a servitio militari, aut a

foro saeculari; vel saltem cum clericali statu altiorem gradum, etiam civiliter aestimatum, consequendi. *Extrinseca* ratio ipsi postulanti et veluti *classica* in his causis, est metus gravis, sive absolutus sive relativus, uti est metus reverentialis; utraque autem species metus est perspectissime a canonica iurisprudentia explanata.

Itaque haec Sacra Congregatio, quo facilius Rev.mi locorum Ordinarii praescriptis sacrorum canonum obtemperare valeant, sequentes tradit normas, respicientes scilicet methodum scrutationum, fontesque determinans unde veritas hauriri possit. Sed mens non est Sacrae Congregationi, ut omnes et singulae inquisitiones in singulis casibus absolute peragantur, cum non semel ex his nonnullae supervacaneae sint, aut non possibiles; sed ut ea colligantur, quae de moribus ordinandorum cognosci et explorata esse debent, antequam ad sacram Ordinationem tuto procedi possit.

5. Acta, quae in huiusmodi perscrutationibus conficiuntur, asservanda erunt sub secreto in Curiae tabulario.

§ 2. - *De scrutinio ante collationem primae tonsurae et minorum Ordinum faciendo.*

1. Appropinquante tempore, quo candidati erunt primam tonsuram et Ordines minores recepturi, scriptam ipsi exhibeant, duos saltem ante menses, moderatori Seminarii petitionem, sua manu exaratam et subscriptam, qua candide significent, se libera omnino voluntate atque spontanea, primam tonsuram et postea Ordines minores postulare.

2. Eiusmodi petitio, cui attestatio addenda erit de suscepto Baptismate et de recepto Confirmationis sacramento, ab eodem Seminarii moderatore, una cum sua personali informatione de oratoris idoneitate ad clericalem statum, Exc.mo Episcopo exhibebitur, qui nisi, attenta eiusdem moderatoris informatione habitisque forte prae oculis aliis notitiis sibi certo cognitis, dictam petitionem a limine reiiciendam esse existimaverit, normas de quibus infra observabit.

3. Quod si agatur de alumnis in regionalibus Seminariis vel in ecclesiasticis collegiis, tum italicis, tum exteris, praesertim huius Almae Urbis, degentibus, horum moderator, nisi habitualiter peculiare mandatum inquirendi iuxta sequentes normas de eiusmodi petitionibus ab Episcopis alumnorum, attenta locorum distantia, habuerit, petitionem pariter ab ipsis alumnis sibi traditam, proprio eorum Episcopo, sua informatione munitam, mittendam curabit.

4. Ordinarius, in utroque casu, uti par est, ipsam petitionem ad eumdem Seminarii moderatorem remittet, cum mandato inquirendi eius nomine et auctoritate de idoneitate et qualitatibus oratoris, pro tempore quo ipse in Seminario fuit.

Si forte desit Seminarii Moderator et alius eius vices gerat, aut Seminarii Moderatorem non eum esse, qui in casu utilem inquisitionem peragere valeat, censeat Ordinarius, hic mandatum inquirendi alii deferat.

5. Seminarii moderator, diligentissime notitiam de promovendis exquirere curabit ab alumnorum praefectis, praecipue si isti sacerdotali dignitate exornentur, tum etiam ab iis qui in Seminario doctorum gerunt munus, ipsosque non solum seorsum audiet, sed etiam insimul convocatos, de singularibus nempe vocationis signis, uti sunt pietas, modestia, castitas, de propensione ad sacras functiones, de studiorum profectu, de bonis moribus, ad quod inservire poterunt interrogatoria, congrua congruis referendo, quae in appendice habentur, iuxta Mod. II et III.

Quia in Seminariis dioecesanis coetus adesse debet deputatorum pro disciplina tuenda ad normam can. 1359, hi etiam, si de personis edocti sint, percontandi erunt in scrutiniis faciendis.

Quum Seminarii moderator Episcopo remittit notitias a se collectas illius mandato, suum pandat iudicium seu opinionem suam manifestet exinde habitam de candidati moribus et ingenio. Huiusmodi iudicium non parvi ponderis profecto erit: siquidem praesumitur, moderatorem, prae ceteris, de alumnis rectum iudicium fore laturum.

6. Ad rem autem intimius in singulis casibus perscrutandam, Episcopus, alumnorum, eorumque familiae parocho praeterea mandabit sedulo exquirere non modo de vocationis signis promovendorum, deque eorumdem virtutibus, seu pietate, sed etiam de anteacta ipsorum vitae ratione et de praesenti; ac maxime percontabitur quomodo sese gesserint feriarum tempore, an videlicet quamdam animi levitatem ostenderint, vel profanis rebus indulserint; et quaenam sit publica ipsorum fama (Mod. II). Insuper num candidatorum parentes bona gaudeant existimatione, et quae sint rei familiaris rationes; num lucri seu quaestus causa, eos reluctantes importunis suasionibus, precibus vel minis, vel alio modo impellant ad sacerdotium ineundum, pertimescentes scilicet aliquod familiae obventurum damnum, sacra Ordinatione posthabita. Quod si haec incitamenta aut inconvenientia sint manifesta, vel prudens de iisdem adsit dubium, Ordinarius omnibus viribus ut ab incepto desistant ipsis suaviter suadebit, vel, si casus ferat, fortiter eosdem moneat parentes de poena excommunicationis ipso

facto incurrenda, ab Ecclesia contra quocumque modo cogentes ad suscipiendos sacros Ordines statuta (can. 2352).

7. Quod si parochus consanguinitate vel affinitate sit cum promovendo coniunctus, Episcopus ab alio parocho aut sacerdote in loco commorante notitias sumere curabit; idque praecipue quum aliquis sacros Ordines, antequam canonicae perficiantur publicationes, vel iisdem legitime dispensatis vi can. 998, erit suscepturus. Non parum etiam proderit ad praecavenda mala, quae ex sacrae Ordinationis oneribus temere susceptis oriri solent, inquirere, num aliquod abnorme ex parentibus in candidatum manavisse conici aut suspicari fas sit, ac praecipue num corporis habitus ad libidinem sit proclivis, quod atavismum sapiat (Mod. II). Hanc inquisitionem quisquis Episcopus peragere curet pro suis subditis.

8. Praeterea Episcopus a Seminarii moderatore et ab huius gerente vices, seorsim auditis, quid de candidatis sincera fide sentiant, si fieri potest, expetat: quod quidem erit peragendum post iam acceptas notitias de ipsius mandato ab eodem moderatore collectas.

Aliae etiam personae sive ecclesiasticae sive saeculares probitate insignes, quae peculiares notitias de promovendi praebere possint, iuxta Mod. III interrogandae erunt, si eas interrogare, ex rerum et personarum circumstantiis, opportunum ducat Ordinarius, praecipue quum aliquid supersit dubii de moribus et canonica promovendi idoneitate.

9. Nec satis; nam penitius candidatorum animus singulatim erit explorandus ab Episcopo proprio vel, eo impedito, a Vicario generali, vel ex mandato, a Seminarii moderatore, seu etiam ab iis qui totius Seminarii disciplinae tutandae deputantur. Quod si agatur de alumnis degentibus in Seminariis extra dioecesim, mandatum ad hoc fieri poterit Episcopo loci commorationis vel ecclesiasticae personae dignitate fulgenti, vel ipsi Seminarii moderatori. Oportet enim, ne decipiat assensio vel fallat affectio, ut ordinandorum voluntatem Episcopus experiatur per se vel per alias memoratas personas, planeque noscat, num promovendi alienis potius suasionibus, obtestationibus, pollicitationibus pressi, seu etiam minis compulsi ac perterriti, sacram Ordinationem expetant; num etiam cognitum eis prorsus exstet, quaenam erunt onera ab eis suscipienda, ac praecipue quid caelibatus lex importet, et an parati sint hanc integre constanterque servare, divinae gratiae ope, atque opportunis rationibus pericula vitantes, adeo ut eorum conversatio, prout in Pontificali Romano legitur, probata et Deo placita exsistat, et digna ecclesiastici honoris augmento. Unde expediens erit

ut idem Episcopus verba, quae in Pontificali Romano referuntur, candidatis perlegat, atque accuratius explicet, scilicet quod promovendi iterum atque iterum considerare debeant attente, quale onus appetant; quod ante sacram Ordinationem, cum sint liberi, liceat eis pro arbitrio ad saecularia vota transire; sacris autem susceptis Ordinibus, amplius per se non possint a proposito resilire, sed Deo famulari perpetuo et castitatem servare ipsos oporteat; ideoque, dum tempus est, adhortetur promovendos ut sedulo et coram Deo cogitent, quo certior idem Episcopus fiat, num in eiusmodi proposito perseverare ex animo intendant, atque ad eadem promissa implenda sint parati. Itaque verbis humanissimis ac more paterno eis suadebit, ut suum candide sibi animum pandant fidentissime, ipsis spondens suam, si opus fuerit, se praebiturum libenter operam, ut debita libertate fruantur; adeo ut, vero deficiente proposito, in re tam gravi, aliud comparare sibi munus possint, magis sui ingenii proclivitati accommodatum.

§ 3. - *De scrutinio habendo antequam clerici maioribus Ordinibus initientur.*

1. Quando ex peractis perscrutationibus prudenter inferri possit, postulatorem ad studia theologica admitti posse, et primam tonsuram et deinde minores Ordines ei conferri, de inquisitionum actis in Curiae archivo asservatis iterum ratio habenda erit, quum alumnus postulabit ut ad subdiaconatum promoveatur. Ast Episcopus, seu loci Ordinarius non solum attendere debet quae iam acta sunt, sed, antequam subdiaconatus conferatur, candidati mores iterum perscrutetur oportet, servata methodo iam explicata. Verum supervacaneum est adnotare, haud necesse esse denuo inquirere de iis, quae ad alumni originem, eiusque parentum indolem et ingenium atque anteactos alumni mores spectant, nisi iusta exorta sit suspicio notitias ante habitas veritati non fuisse consentaneas. Interest vero semper inquirere de alumni moribus eiusque moralibus qualitatibus, quomodo nempe istae se exhibuerint ex vita in Seminario acta, atque ex profectu in studiis. Quibus peractis inquisitionibus, si nulla adsit canonica ratio, quae alumnum a subdiaconatu arcendum fore suadeat, hic scribere debebit sua manu declarationem, iuramento ab ipso firmandam, in Appendice relatam (Mod. I), qua scil. ipse fatetur se omnimoda libertate ad sacram Ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa. Quae quidem declaratio erit similiter a canditatis

exaranda antequam ad reliquos sacros Ordines promoveantur, diaconatum nempe et presbyteratum.

2. Quum res est de diaconatu conferendo, ut plurimum sufficit prae oculis habere iam peractas inquisitiones, nisi interim novae perpendendae sint circumstantiae, quae dubitare cogant de sincero proposito candidati, aut de eius morali idoneitate servandi onera, obligationesque exsequendi sacri Ordinibus susceptas.

Eiusmodi forte exortum dubium depellendum erit, iis adhibitis inquisitionibus, iuxta normas traditas, pro casus qualitate, opportunis aut necessariis. Si vero res eo deducatur, ut clare pateat subdiaconum ad diaconatum promovendum, vel sacram vocationem reapse nunquam habuisse, aut eamdem corruptis moribus amisisse, tunc res erit intimius perscrutanda, prouti modo dicemus de subdiacono ad diaconatum promovendo, et de presbyteratu conferendo.

3. Quoties Episcopus, antequam quis ad diaconatum aut ad sacerdotium initietur, pro certo habeat ex promovendi confessionibus aut ex aliis certis indiciis et probationibus susceptis, ipsum sacra revera vocatione esse destitutum, S. Sedem adire non omittat, candide et plane referens rerum statum, seu argumenta, quibus vehemens fovetur dubium de subdiaconi aut diaconi idoneitate ad onera maiora digne et fideliter perferenda. Res quidem agitur tanti momenti, ut Ordinariorum conscientia graviter onerata maneat de hac obligatione, ut periculum amoveatur manus imponendi diacono vel presbytero, qui gravissimo sacrorum Ordinum oneri sustinendo, impar sit.

4. Ne autem ad hoc extremum res perducatur, in animo Episcoporum et locorum Ordinariorum alte sit repositum, magnopere interesse, ab ipso limine sacrae Ordinationis eos esse depellendos, qui sunt indigni et non vocati. Hi enim sanctuarium cum ingressi sint, ut humanae cupiditati aut alterius voluntati obsequantur, ut plurimum, non se praebent uti a Deo non vocatos, sed suam minus dignam agendi rationem omnimode obtegere seu simulare solent. Sunt alii, qui bona fide minores et sacros Ordines susceperunt, sed antequam presbyteratum consequantur, experiuntur se impares esse oneribus sacrae Ordinationis sustinendis, aut se vitiis vel moribus saecularibus implicarunt: in his, nimirum, facilius et apertius sanctae vocationi consulatur, ultro efflagitabunt.

5. Maxime proinde interest praescriptas normas adamussim et diligentissime servari, antequam Episcopi candidatos ad clericalem militiam admittant, seu ad hunc finem dimissorias litteras pro suis subditis in aliena dioecesi degentibus Episcopo loci tradant. Exinde consequetur ut sacro Ordini adscripti digni dispen-

satores mysteriorum Dei evadant, atque magnopere tueantur provehantque in terris regnum Dei, quod tum catholicae tum civili reipublicae feliciter benevertet.

In plenariis Comitiis die 19 Decembris 1930 in Civitate Vaticana habitis, E.mi ac R.mi Patres Cardinales instructionem hanc diligenti perpensam examine, concordi suffragio adprobarunt; eamque Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia diei 26 dicti mensis et anni, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut eadem instructio omnibus R.mis locorum Ordinariis notificetur, ab ipsis adamussim observanda; praecipiens etiam ut in Seminariis quolibet anno, studiorum curriculo ineunte, alumnis perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis in ordinaria de statu dioecesis relatione S. Sedem edocere non omittant; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Placeat R.mis locorum Ordinariis de huius Instructionis receptione huic Sacrae Congregationi referre.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 27 Decembris 1930.

+ M. Card. Lega, *Praefectus*.

L. + S. D. Jorio, *Secretarius*.

APPENDIX

Mod. I

Declaratio propria manu subscribenda a candidatis in singulis sacris Ordinibus suscipiendis, iuramento coram Ordinario praestito.

« Ego subsignatus *N. N.*, cum petitionem Episcopo exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus (seu diaconatus vel presbyteratus), Ordine, sacra instante Ordinatione, ac diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor in primis, nulla me coactione seu vi, nec ullo impelli timore in recipiendo eodem sacro

Ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eumdem velle, cum experiar ac sentiam a Deo me esse revera vocatum.

« Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera caeteraque ex eodem sacro Ordine dimanantia, quae sponte suscipere volo ac propono,, eaque toto meae vitae curriculo, Deo opitulante, diligentissime servare constituo.

« Praecipue quae caelibatus lex importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo.

« Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam ss. Canonum, obtemperaturum obsequentissime iis omnibus, quae mei praecipient Praepositi, et Ecclesiae disciplina exiget, paratum virtutum exempla praebere sive opere sive sermone, adeo ut de tanti offici susceptione remunerari a Deo merear.

« Sic spondeo, sic voveo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango ».

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

Mod. II

Inquisitio ope Parochorum peragenda

Parochus in sua scripta relatione super his mentem suam aperiet:

1. Num clericus in explendis pietatis operibus, videlicet in piis peragendis commentationibus, in audienda Missa, in visitatione SS.mi Sacramenti atque in mariali rosario recitando sedulus et devotus exstet.
2. Num ad sacram Confessionem et ad sacram Synaxim crebro ac devote accedat.
3. Num diligenter ac pie in sacris functionibus suum ministerium expleat.
4. Num christianae doctrinae tradendae, quatenus huic extra Seminarium addictus fuerit, suam operam navet.
5. Num studium curamque prodat divinum provehendi cultum, animarum curandi bonum, atque ad sacra exercenda ministeria propensionem patefaciat.
6. Quibus speciatim intendat studiis, et qua sedulitate.
7. Num profanis perlegendis libris diariisque, odium contra fidem, vel bonos mores, foventibus, sit deditus.

8. Num autumnalibus feriis, extra Seminarium clericali veste usus sit atque utatur.
9. Num praedictis feriis cum aliquibus utriusque sexus personis non bonae famae, aut etiam bonae famae sed cum scandalo et admiratione fidelium, si agatur de personis alterius sexus, familiaritatem foverit, vel loca frequentaverit haud suscipcione carentia.
10. Num in loquendo probum ac integrum sese ostenderit.
11. Num occasionem praebuerit ut censoria nota afficeretur circa mores, vel Ecclesiae doctrinam et praecepta.
12. Quomodo se gerat cum pueris, puellis aliisque diversi sexus personis.
13. Num se proclivem exhibeat ad vitae commoda, ad copiosum hauriendum vinum, ad liquores sumendos, atque ad profana oblectamenta capienda.
14. Num caritatem ostendat, demissionemque atque obsequium iis qui praesunt, praebeat.
15. Quae sit publica de ipsius vocatione opinio.
16. Num inter parentes alicuius infirmitatis indicia, ac praecipue mentis morumque pravorum, adsint, quae atavismum suspicari sinant.
17. Num parentes, vel alter e familia ipsum impellant ad sacerdotium ineundum.

Mod. III

Interrogatorium aliis personis probis proponendum

Quo autem facilius personae probae interrogationibus responsa praebeant, haec ab ipsis erunt exquirenda:

1. An clericus sive in ecclesia, sive in consuetudine cum aliis habenda, pie, graviter, prudenterque se gesserit ac gerat.
2. An aliquod de sua vocatione ad sacros Ordines foveri possit dubium, et qua ratione.
3. An parentes vel alter e familia ad eosdem suspiciendos sacros Ordines ipsum impellant.
4. An familiariter utatur cum iis, qui in suspicionem veniant de fidei carentia, vel de malis moribus.
5. Quae sit publica et praecipue praestantiorum hominum existimatio de agendi ratione, tum morali tum religiosa, eiusdem clerici, et de eius vocatione ad sacerdotium ineundum.

Allegatum III.

INSTRUCTIO S. C. DE RELIG.

AD SUPREMOS RELIGIONUM ET SOCIETATUM CLERICALIUM MODERATORES: DE FORMATIONE CLERICALI ET RELIGIOSA ALUMNORUM AD SACERDOTIUM VOCATORUM, DEQUE SCRUTINIO ANTE ORDINUM SUSCEPTIONEM PERAGENDO.

1. Quantum Religiones omnes ac Societates ad salutem conferant populorum, sive hi iam Christi fide sint regenerati, sive adhuc in idololatriae tenebris et in mortis umbra sedeant, vix poterit verbis edici. Eorum quippe alumni ii sunt qui, evangelica secuti consilia, atque mundo despecto, totos se divino servitio mancipantes, professionis suae virtute, aliud non quaerunt quam Dei regnum in terris promovere, prout non ita pridem Ss.mus Dominus Noster Pius XI testabatur (1): « Ex hac igitur tanta religiosorum Ordinum varietate, quasi ex dissimilibus arboribus in agro dominico consitis, magna oritur et in salutem gentium provenit fructuum varietas; atque nihil sane pulcrius atque adspectu delectabilius quam harum complexus atque universitas Sodalitatum, quae, etsi ad unum atque idem denique spectant, habent tamen suum quaeque industriae et laboris campum, a ceteris aliqua ex parte distinctum. Fieri enim divinae Providentiae consilio solet, ut, quotiescumque novis est necessitatibus occurrendum, nova item religiosa instituta excitentur ac floreant ».

2. Qui status, quam sublimis et nobilis sit, nuper eloquenter edisserebat idem Beatissimus Pater in nuntio radiophonico ad totum terrarum orbem transmisso, 12 Febr. 1931, dum religiosos omnes alloquens, quos « filios et filias praedilectionis Nostrae » nominabat, eos esse dicebat, « qui quaeve charismata meliora aemulantes, atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgi-

(1) Ep. apost. *Unigenitus Dei Filius*, 19 Martii, 1924 (*A. A. S.*, vol. XVI, pp. 133-134).

neo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes, quanto pretiosiorem thesaurum gestatis, tanto diligentiorem adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis, verum etiam ut in vobis, tanquam in servis apprime fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniat pro infinitis offensionibus et negligentiis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt » (1).

3. Cum ergo religiosorum status adeo praecellens sit, nihil mirum si humanae salutis hostis nullum non moveat lapidem, ut eos, qua perversis suasionibus, qua mundanarum voluptatum adlectu, qua denique passionum concitatione, ab eiusdem status sublimitate deiiciat. Re quidem vera, non desunt graves desertionum casus, nedum ab statu religioso, verum etiam ab ipsa sacra militia, in quam per ordinum susceptionem fuerant viri religiosi cooptati. Quod, quanto accidat eorumdem religiosorum, immo ipsius religionis, detrimento atque christifidelium scandalo, nemo est qui non videat. Quapropter, arrepta occasione Instructionis, non ita pridem a Sacra Congregatione de Sacramentis ad locorum Ordinarios missae super scrutinio candidatorum instituendo antequam ad ordines promoveantur (2), Sacra haec Congregatio Religiosorum, ut muneri suo satisfaciat, facto verbo cum Sanctissimo ac de ipsius speciali mandato, haec quae sequuntur, in Moderatorum Religionum ac Societatum clericalium memoriam, revocare, atque, ubi opus sit, praecipere decrevit.

I

De formatione alumnorum ad ordines promovendorum

4. Ex ipsa rerum natura atque quotidiana experientia accipimus, Religionum prosperitatem ab alumnorum formatione, sicut a cultura pulcritudinem arborum potissimum pendere. Quod ita exponebat sanctae memoriae Pius IX (3): « Cum ex diligenti ty-

(1) *A. A. S.*, vol. XXIII, p. 67.
(2) Instructio 27 Dec. 1930 (*A.A.S.*, vol. XXIII, p. 120).
(3) Litt. apost. *Ubi primum*, 17 Iunii 1847.

ronum admissione atque optima illorum institutione latius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, vos summopere hortamur, ut eorum qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur ».

5. Enimvero, mature iam prudenterque delectis adolescentibus religiosae vitae candidatis, Superiores impense curabunt, ut eis una cum pietatis doctrina, ad aetatem eorum accommodata, inferiores quoque disciplinae tradantur, quae in gymnasiis tradi solent (1); « ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut aiunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat » (2), quo casu compleri debebit, antequam cursus philosophicus incipiatur.

6. Atqui imprimis, maxima diligentia, iam inde a primo candidatorum in Religionem ingressu, Superioribus adhibenda erit ut adolescentes, non gregatim, neve festinanter adsciscantur (3), sed ii soli, in quibus divinae vocationis indicia deprehenduntur, et spes affulget eosdem cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo addictum iri (4). Ampliores adhuc de candidatis notitias sibi procurent Superiores antequam alumnos ad novitiatum admittant (5), et testimoniales litteras forsan insufficienter acceptas, per alias accuratas investigationes a fide dignis personis habitas, suppleant. Neque negligant Superiores notitias sibi assumere de illorum familiarum moribus, utrum nempe parentes fuerint ab illis vitiis immunes, quae facile in prolem redundare possent. Nimirum, in candidatis ad sacerdotium designandis, communia vocationis religiosae indicia minime sufficiunt, sed requiruntur praeterea signa specialia clericorum statui propria. Hac ergo de causa praecipiunt sacri canones, ut novitiatus alius pro clericis, alius pro conversis habeatur, adeo ut qui pro una classe expletus fuerit, pro altera non valeat (6).

7. Expleto novitiatu, alumni in iis domibus collocentur, in quibus plena legum observatio floreat, praesertim quod ad perfectam vitam communem (1), necnon ad paupertatem spectat, ubi, praeterea, cetera ita sint disposita, ut praescriptum philosophiae ac theologiae cursum fructuosius valeant peragere. Quo quidem tempore cavebunt Superiores ne iuvenes a virtutum certamine animos remittant, illos ab illorum librorum aut ephemeridum lectione, quibus a bonis studiis praepediri utcumque possent, arcentes, necnon, quod ad animi recreationem pertinet, ab illis quoque exercitationibus corporeis, quae clericos minime decent, iuxta gravissimum monitum Concilii Tridentini (2): « Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant ». Curabunt quoque Superiores ut Magistri spiritus, quorum speciali curae toto studiorum curriculo illi committuntur, eorum animos ad vitam religiosam et clericalem, qua opportunis monitis, qua instructionibus atque adhortationibus, informent (3): hac enim ratione, et non aliter, tandem aliquando solidam doctrinam praeferent cum sanctissima vita coniunctam.

8. Quod spectat ad sacrarum litterarum studia, gravissima verba semper prae oculis habeant eiusdem SS.mi Domini Nostri Pii XI (4): « Quam quidem rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae administros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt. Cum enim iis, qui se Deo consecraverint, aut unum aut certe praecipuum propositum sit orare Deum et divina contemplari aut meditari, qui igitur gravissimo eiusmodi fungantur officio, nisi fidei doctrinam plane cognitam habeant atque perspectam? Quod velimus eos imprimis attendere, qui umbratilem in caelestium rerum contemplatione vitam degunt; errant enim, si putant, theologicis studiis aut ante neglectis aut postea depositis, posse se, copiosâ illâ destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri atque evehi. Ad ceteros autem quod attinet, sive ii docent, sive contionantur, sive animis expiandis pro tribu-

(1) *Cod. iur. can.*, c. 589.
(2) Pius XI, Ep. ap. cit., p. 140.
(3) Pius X, Ep. *Cum primum*, 4 Aug. 1913, ad Mag. Gen. O. P. (*A.A.S.*, vol. V, p. 388: Cf. Pius XI, ibid.).
(4) Can. 1363 § 1.
(5) Can. 544-545.
(6) Can. 558.

(1) Can. 587 § 2.
(2) Sess. XXII, c. I., *De reform.*
(3) Can. 588 § 1.
(4) Ep. ap. cit., pp. 136, 137.

nali poenitentiae sedent, sive in sacras expeditiones dimittuntur, sive cum populo in cotidiana vitae consuetudine sermocinantur, nonne multiplex ista ministerii sacri exercitatio eo plus habitura est roboris atque efficacitatis, quo maiore eruditionis summa niteant ac polleant »?

9. Quoniam vero haec iuvenum studiosa formatio compleri nequit ubi dissipationi locus detur, aut iuvenibus passim per diversas domos vagari, vel apud parentes commorari permittatur, ideo non absque iusta et gravi causa, de qua re Superiorum conscientia graviter onerata manet, eosdem itinera suscipere liceat, sed in domibus ad studia destinatis constanter permaneant; ibique, in exercitia pietatis ac scientiae, usque ad completum studiorum curriculum, incumbant assidue. Quod valet etiam, si quando eos, de licentia huius Sacrae Congregationis, ante completum quartum sacrae theologiae annum, presbyteratu insigniri contingat.

14. Cum autem maiores scopuli initio vitae sacerdotalis occurrere soleant, caveant Superiores ne post ordinationem et completo iam studiorum curriculo, iuvenes sibi ipsi relinquantur, sed per aliquod tempus sub speciali cura eosdem habeant. Quod ut facilius fiat, illos in domibus ubi perfecta viget regularis observantia assignent, speciale tyrocinium, pro uniuscuiusque captu, subituros. Interim studia prosequantur et in eis iugem profectum edant ad normam sacri canonis, praecipientis ut « religiosi sacerdotes,... post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis »: (1) de qua re, in quinquennali relatione Sacram hanc Congregationem edoctam teneant, simul rationem reddentes de causa motiva exemptionum, si quas ipsi dare censuerint.

11. Haec autem omnia officia Superiores faciliore negotio adimplebunt, si in personis, quibus iuvenum institutio committitur deligendis, speciales impenderint curas, ut nonnisi viri prudentes, caritate ac pietatis observantia praestantes ad id muneris advocaverint. Ipsi vero spiritus Magistri necnon scientiarum Professores, alumnis suis, iam ab unguiculis, exemplo disciplinae religiosae et virtutum sacerdotalium esse satagant, scientes nonnihil verba, plurimum vero exempla ad animos iuvenum informandos conferre (2).

---

(1) Can. 590.
(2) Can. 559 § 1; 588 §§ 1, 2

II

De scrutinio ante susceptionem ordinum peragendo

12. Quod, vi canonicae legislationis, ad ordinationem religiosorum attinet, Superiores maiores vel concedunt litteras dimissorias Episcopis ordinantibus, (1) vel saltem alumnos ordinationi praesentant cum litteris testimonialibus (2). Hisce testimonialibus litteris Superior religiosus non solum alumnos esse de familia testatur, sed etiam de studiis peractis, deque taliis in iure requisitis fidem facit (3). Hinc liquet, gravissimam illam obligationem qua tenentur Episcopi efformandi, probandi ac seligendi proprios subditos saeculares qui sacros ordines recipere volunt, eamdem prorsus Superioribus religiosis incumbere, quorum est suis subditis ad sacros ordines accessum permittere. Et licet Episcopi valeant ad normam iuris (4) testimonio Superiorum non acquiescere ac per sese religiosum ordinandum examinare, non tamen ad hoc tenentur; sed, coram Deo ac Ecclesia, Superiorum bono testimonio assentiri possunt, atque in ipsos plenam respondendi obligationem circa candidatorum formationem et dignitatem refundere (5).

13. Cum res ita sapienter ordinatae sint, tanquam sibi iniuncta Superiores existimare debent gravissima Apostoli verba, tam saepe inculcata, quibus Episcopi de strictissima obligatione admonentur, candidatos semel atque iterum probandi, antequam eos ad sacros ordines admittant: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis:* (6) *et hi autem* (Diaconi) *probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes* (7). Priora verba commentans aiebat S. Ioannes Chrysostomus: (8) *Quid est* cito? *Non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam; sed postquam saepius circumspexeris et accurate examinaveris.* Et Codex iuris canonici, Patrum Conciliorumque sen-

---

(1) Can. 965 et 966 § 1.
(2) Can. 994 § 5.
(3) Can. 995 § 1.
(4) Can. 997 § 2.
(5) Can. 970, 995 § 2.
(6) *I Tim.*, V, 22.
(7) Ibid., III, 10.
(8) *Homil. XVI*, n. 1.

tentias perstringens, ait (1): *Episcopus sacros ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis.*

14. Quae cum ita sint, sequentia ab omnibus religionum et societatum clericalium moderatoribus deinceps erunt observanda. Novitii, ante professionem votorum temporalium, quae omnino praecedere debet promotionem ad tonsuram et ad ordines minores, Superiori petitionem scripto deferant, in qua expressis verbis testimonium ferant de sua ad statum religiosum et clericalem vocatione, simulque firmum propositum pandant perpetuo se militae clericali, in statu regulari, mancipandi (2): quae petitio et declaratio in archivo asserventur. Superiores vero quemquam ad ordines ascendere ne sinant, quamdiu de eiusdem moribus, pietate, modestia, castitate, ad statum clericalem propensione, in studiis ecclesiasticis profectu, necnon religiosa disciplina, sibi per accuratum scrutinium non constiterit (3). Ad quod certius obtinendum, testimonium exquirant Magistri spiritus aliorumque, quibus ob specialem cum alumnis frequentiam, horum vitam moresque pernoscere contigerit. Quae testimonia leviter ne recipiantur, sed sedulo ponderentur, habita ratione prudentiae, sinceritatis, iudicii maturitatis illa ferentium. De factis inquisitionibus deque scrutinii exitu, iustum condatur documentum in archivo asservandum. Denique, Superior ipse, vel per se, vel per alium scientia ac prudentia praeditum, sibique adolescentum fiduciae comparandae idoneum, hos interrogare curet, ut tandem aliquando certior reddatur, ipsos libere ac scienter ordines in statu religioso appetere.

15. Quod ad ordinum maiorum susceptionem attinet, meminisse Superiores religiosos oportet, eos alumnos suos minime posse ad eosdem promoveri sinere, antequam professionem sive perpetuam, sive solemnem emiserint (4). In Religionibus ubi perpetua vota non emittuntur, Superiores districte vetantur, alumnos ante triennium completum votorum temporariorum ad ordines sacros promovere: in Societatibus vero sine votis, — peracta, si adsit, perpetua seu definitiva cooptatione — ante triennium item completum a prima post novitiatum cooptatione in ipsam Societatem.

(1) Can. 973 § 3.
(2) Can. 973 § 1.
(3) Can. 973 § 1.
(4) Can. 964 §§ 3, 4.

16. Antequam alumni ad subdiaconatum admittantur, novam Superiores inquisitionem de supradictis (1) instituere debent. Ad quod praestandum documenta inquisitionis iam peractae in archivo servata iterum videant, et nova testimonia de moribus, deque spiritualibus qualitatibus cum antiquis comparent; ut probe noscant quomodo iuvenes a prima professione, tum in disciplina religiosa, tum in profectu in studiis clericalibus sese exhibuerint. Quibus demum peractis, si digni et idonei inventi fuerint, nullaque adsit ratio canonica cur ab ordine recipiendo arceantur, Superiores litteras dimissoriales seu testimoniales pro ordinatione ipsis concedere possunt; iis servatis quae in iure canonico propriisque constitutionibus statuuntur.

17. In omnibus vero Religionibus et Societatibus, Superiores antequam alumnos ad subdiaconatum praesentent, praeter inquisitionem supra praescriptam (n. 16), ab ipsis testificationem, intuitu subsecuturae, tempore suo, sacrae ordinationis, manu propria candidati subscriptam et iurisiurandi fide, coram Superiore, firmatam, exigere debent sequentis tenoris:

« Ego subsignatus *N. N.*, alumnus Ordinis vel Congregationis *N. N.*, cum petitionem Superioribus exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus ordine, diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor: 1. Nulla me coactione, seu vi, aut nullo impelli timore in recipiendo eodem sacro ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eumdem cum adnexis oneribus amplecti velle. — 2. Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ex eodem sacro ordine dimanantia, quae sponte amplector, ac Deo opitulante propono me toto vitae curriculo diligenter servare. — 3. Quae castitatis voto ac coelibatus lege praecipiuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo. — 4. Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam sacrorum canonum, obsequentissime obtemperaturum iis omnibus quae mihi a Praepositis, iuxta Ecclesiae disciplinam, praecipientur, paratus virtutum exempla, tum opere, cum sermone, aliis praebere, adeo ut tanti officii susceptione retributionem a Deo promissam accipere merear. Sic testor ac iuro, super haec Sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.

... die ... mensis ... anni ... *N. N.* manu propria ».

(1) N. 14.

18. Notandum, in Ordinibus votorum solemnium, praedictam testificationem, manu propria religiosi subscriptam et iurisiurandi fide firmatam, emissioni votorum solemnium praemitti debere.

19. In dimissoriis litteris pro alumnorum ordinationibus, iuxta praescripta Codicis iuris canonici, concedendis, necnon in testimonialibus litteris, Superiores de his omnibus, onerata eorum conscientia, Episcopo ordinanti testentur; cui tamen liberum sit pro lubitu interrogationes etiam privatim alumnis ordinandis facere.

20. Licet pro diaconatus et presbyteratus ordine opus non sit informationes adeo amplas atque nova requirere testimonia, advigilent tamen Superiores et videant utrum, in intervallo ab unius et alterius ordinis sacri collatione, nova acciderint, quae vel patefaciant dubiam ad sacerdotium vocationem, vel nullam prorsus commonstrent. Hoc in casu, perscrutatione perquam diligenter peracta, adhibitoque virorum prudentum consilio, novi ordinis susceptionem penitus interdicant, remque ad hanc Sacram Congregationem referant, a qua, pro singulis casibus, quod opportunius in Domino visum fuerit, decernetur.

21. Haec omnia Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI in audientia diei 1ae mensis Decembris anni 1931, audita relatione ab infrascripto Card. Praefecto Sacrae Congregationis peracta, rata habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut praesens instructio omnibus Supremis Religionum et Societatum clericalium Moderatoribus notificetur, ab ipsis adamussim observanda, praecipiens etiam ut sub initio cuiuslibet anni religiosis clericis perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis Superiores in quinquennalibus relationibus Sacram hanc Congregationem edoceant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno, ut supra.

Fr. A. H. M. Card. Lépicier, O. S. M., *Praefectus*.

L. + S. V. La Puma, *Secretarius*.